Q 161 18

ELEMENTA

JURIS CANONICI

AD USUM

GALLIÆ SEMINARIORUM.

IMPRIMATUR.

Pictavii, die 4 octobris 1866.

† L. E., *Ep. Pictavien.*

PICTAVII. — EX TYPIS ET STEREOTYP OUDIN.

ELEMENTA
JURIS CANONICI

AD USUM

GALLIÆ SEMINARIORUM

AUCTORE

D. CRAISSON

VICARIO GENERALI ET SUPERIORE MAJORIS SEMINARII DIŒCESIS VALENTINENSIS IN GALLIA

—

Compendiose extracta e MANUALI TOTIUS JURIS CANONICI *ejusdem auctoris, Romæ auctoritate superiori examinato, laudato atque expresse ab examinatoribus Romanis commendato*

—

EDITIO QUINTA

NON SYLLABO DUNTAXAT, SED CONSTITUTIONI *Apostolicæ Sedis*, ET CONCILIO VATICANO ADAPTATA CUM SUPPLEMENTO DE STATU RELIGIOSO.

—

TOMUS I. TH

—

PARISIIS SAN

JOUBY ET ROGER, EDI

VIA MAGNORUM-AUGUSTINORUM

—

1879

#5764

Property of CBF Please return to Graduate Theological Union Library

PRÆFATIO.

AD JUNIORES JURIS CANONICI TIRONES.

AMANTISSIMI,

Manuale circa omnem juris canonici materiam, ab aliquibus abhinc annis, in lucem edidimus, in quo, sat breviter quidem, et, in quantùm potuimus, dilucidè, quæstiones ita explanavimus ut, ad dirigendos neopresbyteros in sacri ministerii exercitio, opus sufficiens esset, et insimul plus æquo non excederet justos limites intra quos se continere debet liber elementaris ad usum Seminariorum etiam destinatus: ad utrumque enim finem elucubratum fuerat dictum *Manuale*. Ut autem hujusce operis doctrina majori cum fiduciâ susciperetur, curavimus illud S. Sedis examini subjicere, et reverâ ab auctoritate superiori obtinuimus quòd à duobus eximiis professoribus seminarii Romani expenderetur, à quibus, per manum secretarii S. C. Indicis, sequentem attestationem accepimus, cum facultate illâ utendi prout meliùs judicaverimus:

« Ex munere nobis demandato, opus cui titulus : « *Manuale totius canonici juris* à D. Craisson, quon- « dam Vicario Generali diœceseos Valentinensis in « Galliâ, lucubratum, attentè et sedulò, quantùm « per nos fieri potuit, perlegimus. In eo, non solùm « nihil bonis moribus aut fidei catholicæ principiis « contrarium deprehendimus, benè verò perspectam « habuimus sive memorati auctoris doctrinam in « canonicis argumentis evolvendis, sive ejusdem so- « lertiam, in controversis opinionibus deligendis, sive « demùm, quod potissimum est, ipsius studium in « erroribus ecclesiasticæ auctoritati infensis refel- « lendis : ita ut ad clericos in pontificiis disciplinis « ritè instituendos, opus hoc sit maximè accommoda- « tum. In quorum fidem, Datum Romæ, die 22 ju- « lii 1862.

« Philippus De Angelis, juris canonici in scholis « Pontificii Seminarii Romani et in Universitate pro- « fessor.

« Cæsar Roncetti, in scholis Pontificii Seminarii « Romani institutionum canonicarum professor. »

Imò cùm unum exemplar 2ᵉ editionis ejusdem *Manualis*, ad Summum Pontificem, velut meæ erga suam Beatudinem devotionis et grati animi mei monimentum, misissem, Vicarius Christi, Illustrissimus Pius IX, mihi, etsi indigno ipsius servulo, his verbis propriâ suâ subscriptione dignatus est rescribere :

« PIUS P. P. IX.

« Dilecte Fili, salutem et Apostolicam Benedictionem.

« Oblatum Nobis *Manuale totius juris canonici* à te
« elucubratum libentissimè excepimus; et quamquam
« curis nostris distenti nullum hactenus subsecivum
« tempus ejus lectioni impendere valuerimus, nequi-
« vimus tamen tuum operisque propositum non pro-
« bare. Gliscentibus enim erroribus ecclesiasticæ
« auctoritati infensis illud opponere voluisti, et suc-
« crescentis cleri institutioni in primis prospicere,
« atque etiam cæteris consulere per librum omnium
« manu facilè terendum, et unde hauriri possent non
« arida tantùm et generalia principia, sed practica
« quoque rerum notitia in usum transferenda, atque
« illis objicienda commentis, quæ per osorum hujus
« S. Sedis artes, et per leviorem sacrorum canonum
« haustum jamdiù invaluerunt. Cùmque id te assecu-
« tum fuisse testentur ii, quorum recensioni opus
« tuum subjecisti, tibi gratulamur, ac ominamur,
« ut, quod spectasti, laborum tuorum fructum inde
« copiosè percipias. Id in gentis tuæ præsertim utili-
« tatem à Deo poscimus, dum auspicem benedictionis
« ejus et grati animi nostri paternæque benevolentiæ
« pignus Apostolicam tibi Benedictionem peramanter
« impertimus.

« Datum Romæ, apud S. Petrum, die 25 junii 1865
« Pontificatûs Nostri anno XX.

« PIUS P. P. IX. »

Ex quibus animadvertere poteritis, Amantissimi, quanti momenti habeat S. Pontifex ut, *gliscentibus erroribus ecclesiasticæ auctoritati infensis*, per *libros manu facilè terendos*, fiat oppositio, *et prospiciatur, ut succrescens clerus, atque etiam alii* exhinc *haurire possint, non arida tantùm et generalia principia, sed practicam quoque rerum notitiam in usum transferendam, quæ objici valeat commentis quæ per osorum S. Sedis artes* et *per leviorem sacrorum canonum haustum jamdiù invaluerunt.* Ubi nota apprimè ultima hæc verba : *per leviorem sacrorum canonum haustum jamdiù invaluerunt.* Judicio ergo S. Pontificis *commenta quæ, jamdiù contra S. Sedem*, invaluerant et hodie præsertim totis viribus ad ipsius ruinam impellunt, ortum habent, non solùm ex *osorum S. Sedis artibus*, sed etiam ex *leviori sacrorum canonum haustu*, et hoc imprimis apud nos in Galliâ; unde Papa, operi meo copiosum fructum ominando, à Deo poscit *ut id in gentis meæ præsertim utilitatem* vergat, et, ob hoc, *Apostolicam Benedictionem peramanter* mihi dignatur *impertiri.*

Res igitur cùm ita sint, non breviare opus præfatum, sed fortè potiùs augere debuissemus, quominùs majori haustu alumni sacrorum canonum notitiam haurire valerent. Sed quia, ob necessitatem inveniendi congruum tempus ad omnes ecclesiasticas disciplinas addiscendas, et non nimiùm onerandi angustam seminaristarum crumenam, sat plures seminariorum moderatores velut impossibile reputent

quòd ab ipsis, pro studio juris canonici, quatuor acquirantur volumina, et sit ergo majori brevitati consulendum, ideò præsentem Epitomen concinnavimus ut tali indigentiæ provideretur. Utinam ut sic finem à S. Pontifice optatum non prætermittamus!

Præsens ergo Epitome est quasi breviarium supra dicti *Manualis*, Romæ approbati ac commendati, cui omninò est conformis quoad doctrinam inprimis romanam [1]. Non potest quidem continere solutionem omnium quæstionum canonicarum quatenùs exigere possent varia sacri ministerii munia : duo enim volumina quæ ordinariæ molis sunt, his sufficere nequeunt; attamen omnia puncta quæ in Seminariis possunt et solent addisci, in eo opere sunt pertractata et ita enucleata ut neosacerdos, his eruditus, sui muneris non erit omninò impar, quippe sat plura noscet et non ignorabit ad quos libros sit recursurus pro cæteris nondum addiscitis.

Eamdem materiarum dispositionem observabimus in præsenti opere ac in nostro *Manuali*, et plerumque ipsamet ipsius verba adhibebimus, ex iis resecando duntaxat minus necessaria; undè, qui in Seminariis dicto *Manuali* volent uti, facilè concordare poterunt cum utentibus Epitome præsenti; et ideò juniores tirones, quibus non esset nimis onerosum quatuor volumina *Manualis* acquirere, utiliter illa statim com-

[1] Quantùm Encyclicæ et syllabo Pii IX concordent nostrum *Manuale* et opus præsens, judicari poterit ex variis propositionibus Syllabi quæ passim in decursu operis referentur.

parabunt, cùm sic in manu habebunt librum in quo magis evoluta est jurisprudentia canonica, et sic insimul à necessitate uberiores juris canonici tractatus acquirendi in posterùm immunes erunt: cùm nostrum *Manuale* sufficienter contineat omnes notiones juris sacri quibus solent communiter indigere sacerdotes.

His itaque ad utilitatem vestram dictis, benè valete, Amantissimi; in prospectu semper habentes Dei gloriam, et vestrum Ecclesiæque matris vestræ profectum ac decus, assiduè studete, et pro me etiam orate.

ELEMENTA

JURIS CANONICI

AD USUM

GALLIÆ SEMINARIORUM.

1. Tota hujusce operis tessera paucis his verbis exponi potest : breviter enodatis in capite procemiali quæstionibus circa nomen, definitionem juris canonici, item circa ipsius fontes et ejusdem historiam, ac etiam circa jus nationale, disseremus, in tribus libris, de præcipuis quæstionibus juris canonici quæ personas, res et judicia ecclesiastica spectant.

CAPUT PROOEMIALE.

ART. I.

DE NOMINE, DEFINITIONE ET DIVISIONE JURIS CANONICI.

2. I. Multiplici sensu vocabulum *jus* accipitur : nempe vel pro eo quod est legi, sive divinæ sive humanæ, consentaneum ; vel pro facultate aliquid faciendi aut omittendi, obligandi ad aliquid dandum, faciendum aut omittendum ; vel pro sententiâ judicis ; vel pro lege seu complexione legum ; vel tandem pro scientiâ juris, seu jurisprudentiâ. Ad legum verò complexionem significandam vocabulum *jus* potissimùm accipitur in hoc opere.

Jus est vel naturale vel positivum. *Naturale* est complexio obligationum quæ ita necessariò fluunt ex Dei et creaturarum naturâ, ut non possint non existere. *Positivum* est illud quod liberâ, sive Dei, sive hominis, voluntate fuit constitutum : unde aliud est divinum, et aliud humanum. Iterum *jus humanum* in tres species dividitur : jus ecclesiasticum nempe, jus civile et jus gentium. *Jus gentium* est illud quo utuntur omnes vel ferè omnes gentes ; *jus civile* quod, pro bono temporali reipublicæ, ab auctoritate civili constituitur ; *jus* verò *ecclesiasticum*, idem est ac jus canonicum, de quo est agendum in toto discursu, quod proinde est hîc accuratè definiendum.

3. II. Et quidem, quoad nomen, vox *canonicum* à græco κανον venit, *quod* significat regulam quâ artifices utuntur ad lineas dirigendas. Aliis etiam vocabulis jus istud denominatur : dicitur enim *jus ecclesiasticum* et *sacrum*, quia de personis et rebus sacris et ecclesiasticis agit, et latum est ecclesiasticâ seu sacrâ potestate. Dicitur etiam *pontificium*, quia à romanis Pontificibus, saltem magnâ ex parte, est constitutum.

4. Quoad *rem* verò : vel consideratur : 1° in sensu stricto, id est juxtà eas tantùm leges quæ ab auctoritate ecclesiasticâ, supremam et universalem jurisdictionem habente, sancitæ sunt ; et sic intellectum, rectè definiri potest : *Complexio legum auctoritate Papæ firmatarum, quibus fideles ad finem Ecclesiæ proprium diriguntur.*

Dicitur : 1° *auctoritate Papæ firmatarum*, non autem constitutarum, aut approbatarum : quia in jure canonico sunt multæ leges juris divini, tum naturalis, tum etiam positivi, quæ nec fuerunt à Papâ constitutæ, nec propriè approbatæ, sed solùm ab ipso declaratæ et executioni specialiter mandatæ.

Dicitur : 2° *quibus fideles ad finem Ecclesiæ proprium diriguntur :* scilicet ad spirituale bonum æternamque beatitudinem.

5. Vel consideratur 2° in sensu latiore et minus proprio ; et definitur : *Complexio legum à quocumque potestatem legislativam possidente in bonum fidelium firmatarum* : quâ definitione comprehenduntur non solùm leges à S. Pon-

tifice latæ, sed etiam leges legatorum pro circumscriptione ipsorum legationis, decreta conciliorum sive nationalium sive provincialium, statuta diœcesana, et Prælatorum regularium, aut cujuscumque jurisdictionem ecclesiasticam legitimè possidentis.

6. Jus canonicum, prout scientia est, vocatur *jurisprudentia canonica,* et rectè definitur in stricto sensu : *scientia legum ecclesiasticarum auctoritate Papæ firmatarum* ; latiori verò sensu : *scientia legum ecclesiasticarum omnium.*

7. Jurisprudentia canonica differt sive à theologiâ, sive à scientiâ juris naturalis, sive à jurisprudentiâ civili. Etenim 1° quamvis objectum materiale jurisprudentiæ canonicæ idem sit, pro majore suî parte, ac objectum materiale theologiæ, attamen formaliter et in essentiâ differunt inter se theologia et jurisprudentia canonica : theologia enim est *scientia quæ discurrit ex principiis fidei circa Deum et circa ea quæ ad Deum aliquo modo pertinent.* dum jurisprudentia canonica est *scientia legum* ecclesiasticarum, sive omnium, sive earum tantùm quæ auctoritate Papæ firmantur[1] ; et sic iterum 2° differt illa jurisprudentia à scientiâ juris naturalis quæ est *cognitio ordinata regularum quæ ipsâ rerum naturâ fundantur* ; et 3° differt à jurisprudentiâ civili, cujus objectum sunt leges à potestate civili firmatæ quæ directè pro fine habent solummodo bonum temporale civium, dùm leges ecclesiasticæ pro fine habent bonum spirituale fidelium æternamque eorum beatitudinem.

8. III. Jus canonicum dividitur : 1° in *scriptum* et *non scriptum.* Traditiones et consuetudines vim legis habentes constituunt jus non scriptum.

[1] Quantumvis differant inter se theologia et scientia canonica, mutuo tamen suî invicem auxilio indigent, nec una ab alterâ separari potest sine periculo · « Theologiam à canonibus excludere, ait Gerson (t. IV, « p. 871, v. 2), nihil aliud est quàm suos sibi oculos evellere : similiter « canones velle destruere est corpus proprium ecclesiasticæ politiæ « deformiter habituare. Quærere qualis scientia plus expediat, evan- « gelica vel canonica, est quærere quod in corpore membrum ad directionem suam plus exponitur vel oculus vel aliquod aliorum. »

2° In *publicum* et *privatum*. *Publicum* exhibet constitutionem societatis ecclesiasticæ, ipsius regimen, ordinem personarum ad invicem in Ecclesiâ, jura et officia earum, etc. *Privatum* versatur circa obligationes singulorum prout distinguuntur à gubernatione ecclesiasticâ, v. g. circa sacramenta recipienda.

3° In *commune* et *particulare*. *Commune* dicitur quod pro universâ Ecclesiâ latum est et obligat omnes, *per se*, fideles, nisi exstent in contrarium privilegia vel consuetudines legitimæ. *Particulare* est quod pro certo loco, aut certis personis tantùm statutum est, et subdividi potest in patriarchale, primatiale, provinciale, diœcesanum, monachale, etc., prout uni tantùm vel Patriarchatui, vel, etc., convenit.

9. 4° In *antiquum*, *novum* et *novissimum*. *Antiquum* illud est quod usque ad decretum Gratiani viguit. *Novum* quod statutum fuit à prædicto decreto usque ad conclusionem Collectionis corporis juris. *Novissimum* quod à tempore corporis juris clausi ad nos usque decurrit. Aliis tamen placet *jus antiquum* appellare quod Tridentinam synodum præcessit, *novum* quod sancivit idem Concilium. *Novissimum* verò quod à tempore Tridentini decretum fuit. Sunt etiam, sed auctoritati Sanctæ Sedis infensi, qui malè per *antiquum jus* intelligunt illud quod per *falsas decretales subversum est*; per *novum* quod viguit post dictas decretales usquè ad Concilium Trident.; et per *novissimum* quod à prædicto Concilio sancitum fuit. Sed immeritò asseritur jus antiquum immutatum fuisse per falsas decretales, ut probabitur infra (N°s 125-126). Vide Instit. R. de M., t. 1, p. 7, et Bouix, *de Principiis*, p. 67.

ART. II.

DE ORIGINE SEU DE FONTIBUS JURIS CANONICI.

10. Per originem seu *fontes* juris canonici intelligimus potestatem quæ valet condere leges ecclesiasticas.

§ I.

Utrum sit in Ecclesiâ fons aliquis juris canonici.

11. Aerius, Waldenses, Wiclef, Joannes Hus, etc., negârunt Ecclesiæ inesse leges condendi potestatem.

Sunt qui ei denegant auctoritatem propriè dictam : dùm nolunt eam posse externâ aliquâ coactione urgere observationem suorum mandatorum.

Imò nonnulli contendunt eam non valere conscientiam ligare per præcepta; nihilque ampliùs ei concedunt præter potestatem *directivam* quæ monitis et suasionibus fideles regat ; potestatem verò legislativam, præsertim circa actus externos qualescumque, ita principi sæculari adjudicant, ut ab Ecclesiâ exerceri nequiverit, nisi consentientibus civilibus guberniis. Ita sentiunt plerique protestantes præsertim Anglicani, schismatici hodierni apud Russos, multi curiarum sæcularium in Galliâ advocati et magistratus; imò nonnulli clerici ignari vel depravatæ doctrinæ. Ita pariter Josephitæ in Germaniâ, et alii multi in Hispaniâ et Lusitaniâ. Exhinc prodierunt celebris Constitutio civilis Cleri gallicani, anno 1791, et synodi Pistoriensis acta, anno 1786.

Quidam, systema democraticum in Ecclesiam inducere volentes, docuêre Christum priùs dedisse potestatem legislativam communitati fidelium, ab ipsis deinde transferendam in primos pastores, qui nomine totius Ecclesiæ exercerent. Ità Marsylus Patavinus, Lutherus, Marcus Ant. De Dominis, Richerius, multique Jansenistæ et cum eis synodus Pistoriensis.

Sunt tandem, qui *Regalistæ* à Cardin. Soglia vocantur, eò quòd nimiùm regibus et civili potestati faveant, qui juribus Ecclesiæ ità detrahunt, ut res, si non spirituales, at certè spiritualibus adnexas, et totam disciplinam externam eidem civili potestati subjiciunt. (*Inst. juris publici*, p. 146, etc.)

Contrà hos omnes statuendæ sunt propositiones sequentes :

12. PROPOSITIO 1ª.—*Est in Ecclesiâ, non solum directiva, sed vera potestas legislativa condendi leges etiam ad actus exteriores obligantes.*

Quòd sit in Ecclesiâ potestas legislativa ad regendam et gubernandam fidelium societatem, assertio est de fide, juxta Suarez (*De Leg.*, lib. 3, cap. 1).

Prob. 1°. — *Ex Scripturâ* : « Tibi dabo claves regni « cœlorum.... Quodcumque ligaveris super terram erit « ligatum et in cœlis » (Matth., c. 16, v. 19). « Pasce oves « meas » (Joan., c. 21, v. 16). Ex his verbis manifestè deducitur datam esse Petro, et proinde ipsius successoribus, potestatem regendi et gubernandi societatem fidelium. « Attendite vobis et universo gregi, in quo vos Spiritus « Sanctus posuit Episcopos *regere Ecclesiam Dei* » (Act. Apost., c. 20, v. 28).

Ad praxim deduxerunt hanc potestatem Apostoli, cùm post concilium Hierosolymitanum dicebant : « Visum est « Spiritui Sancto et Nobis nihil ultrà *imponere* vobis oneris « quam hæc necessaria, ut abstineatis vos ab immolatis « simulacrorum et sanguine et suffocato » (Act. Apost., c. 15, v. 28 et 29). Vide adhuc Epist. 1 ad Timoth. c. 15, v. 19, et c. 3, v. 2.

Probat. 2° *Expressis definitionibus.* Præter Concil. Florent., sic habetur in sess. 7, can. 7 Concil. Trident. : « Si « quis dixerit baptizatos liberos esse ab omnibus sanctæ « Ecclesiæ præceptis..., ità ut ea observare non teneantur « *nisi se suâ sponte illis submittere voluerint*, anathema sit.»

Bulla *Auctorem fidei* sic habet n° 4 : « Propositio affir- « mans *abusum fore auctoritatis Ecclesiæ, transferendi « illam ultrà limites doctrinæ morum, et eam extendendo « ad res exteriores, et per vim exigendo id quod pendet à « persuasione et corde; tùm etiam multò minùs ad eam « pertinere, exigere per vim exteriorem subjectionem suis « decretis* : Quatenùs in determinatis illis verbis, *extendendo « ad res exteriores*, notet velut abusum auctoritatis Eccle- « siæ, usum ejus potestatis acceptæ à Deo, quâ usi sunt et « ipsimet Apostoli in disciplinâ exteriore constituendâ et « sanciendâ: — *hæretica.* Quâ parte insinuat Ecclesiam « non habere auctoritatem subjectionis suis decretis exi-

« gendæ aliter quàm per media quæ pendent à persuasione, « quatenùs intendat Ecclesiam *non habere collatam sibi à « Deo potestatem non solùm dirigendi per consilium et sua- « siones, sed etiam jubendi per leges, ac devios contumaces- « que exteriori judicio ac salubribus pœnis coercendi, atque « cogendi: — inducens in systema aliàs damnatum ut hære- « ticum.* »

Afferri insuper possent in probationem innumera monumenta traditionis ecclesiasticæ.

13. Propositio 2ª.— *Potestas condendi leges, quam Ecclesia habet, non oritur à concessione principum sæcularium, sed à solo Deo venit, et est suprema et independens.*

Probari potest argumentis 1æ propositionis, et insuper Brevi Pii VI ad Cardin. Rupefucaldium 10 mart. 1792, quo reprobata fuit Constitutio civilis Cleri gallicani, ubi dicit Pontifex : « Nemini, qui catholicus est, ignotum esse « potest Jesum Christum in suæ Ecclesiæ institutione « dedisse Apostolis eorumque successoribus potestatem « nulli alii potestati obnoxiam, quam sanctissimi Patres « universi voce concordi agnoverunt cum Osio et S. Atha- « nasio monentibus : *Ne te rebus misceas ecclesiasticis; nec « nobis hisce de rebus præcepta mandes; sed à nobis potius « hæc ediscas. Tibi Deus imperium tradidit; nobis quæ « sunt ecclesiastica concredidit, etc.*

« Ut de disciplinâ agamus, quis unquam est inter catho- « licos qui affirmet ecclesiasticam immutari à laicis posse?.. « Cùm, anno 1560, Facultas Parisiensis ad examen addu- « xisset ea quæ Franciscus Grimaldet, advocatus regius, « retulerat ad conventum seu status apud Andegavenses « collectos ; inter multas propositiones ab ipsâ reprobatas, « sequens etiam reperitur : *Le second point de la religion « est en la police et discipline sacerdotale, sur lequel les « rois et les princes chrétiens ont puissance d'icelle dresser, « mettre en ordre et réformer icelle corrompue.* Hæc propo- « sitio est *falsa, schismatica, potestatis ecclesiasticæ ener- « vativa et hæretica; et probationes ad illam sunt imper- « tinentes.* »

14. Propositio 3ª. — *Potestas legislativa Ecclesiæ ita*

residet in pastoribus ut neque ad eos per fideles perveniat, neque in suo exercitio pendeat à fidelium consensu.

Probatur ex Bullâ *Auctorem fidei* nº 2 : Propositio quæ « statuit *potestatem à Deo datam Ecclesiæ, ut communicaretur Pastoribus qui sunt ejus ministri pro salute animarum*, sic intellecta, ut à communitate fidelium in Pastores « derivetur ecclesiastici ministerii ac regiminis potestas : « — *hæretica.* »

Et nº 3 : « Insuper quæ statuit *Romanum Pontificem esse caput ministeriale*, sic explicata ut Romanus Pontifex, « non à Christo in personâ B. Petri, sed ab Ecclesiâ potestatem accipiat, quâ velut Petri successor, verus Christi « vicarius ac totius Ecclesiæ caput, pollet in Ecclesiâ : — « *hæretica.* »

Probari posset adhuc ex argumentis 1ª propositionis

§ II.

Quotuplex sit fons juris canonici.

15. De jure canonico strictè tantùm sumpto agitur in hoc paragrapho. De jure autem canonico latè sumpto, hoc unum dicemus quòd tot sint fontes quot exstent in Ecclesiâ auctoritates jus condere valentes.

Octo verò fontes juris canonici strictè sumpti enumerari solent ; videlicet : *Scriptura sacra*, *traditio divina*, *jus ab Apostolis sancitum, sententiæ Patrum, decreta SS. Pontificum, Concilia œcumenica*, *Romanæ Congregationes et consuetudo. Quidam addunt jus civile*, et quidem non immeritò, præsertim si sit quæstio de jure civili Justiniano : « Ejusmodi leges civiles qui nec approbatæ nec improbatæ « sunt, inquit Bened. XIV (*De Syn.*, lib. 6, c. 14), si rem « spectent merè profanam, nec ulla ex parte sacris canonibus adversentur, tacitè approbatæ videntur in cap. 1, « *De nov. op. nunt.* »

16. Ad unicum nihilhominus fontem ultimatim reduci possunt octo vel novem præfati fontes, nempe ad auctoritatem SS. Pontificum : etenim cæteri fontes legem ecclesiasticam generalem facere nequeunt nisi interveniat S. Sedis seu Ecclesiæ auctoritas.

De singulis illis fontibus est nobis nunc dicendum, remittendo tamen ad theologiæ aut Scripturæ sanctæ prolegomena, quæ de Scripturâ sacrâ et Traditione divinâ essent explicanda. Igitur dicemus duntaxat.

I. — De jure ab apostolis sancito.

17. Certum est plura ab Apostolis fuisse sancita : v. g. 1° symbolum fidei quod ideò vocatur Symbolum Apostolorum. Ità S. Ambros. Epist. 7 ad Siricium, S. Leo Magnus Epist. 13 ad Pulcher., Ephesina Synodus ; 2° abstinentiam ab *immolatis simulacrorum et sanguine et suffocato* (Act. Apost. c. 15, v. 19); 3° substitutionem diei dominicæ sabbato Judæorum, et auditionem missæ singulis dominicis (ap. theologos passim); 4° institutionem præcipuorum festorum, ut Paschæ, Pentecostes et probabilissimè Natalis Domini (Dictionn. Bergier); 5° jejunium quadragesimale (sat communiter juxtà Bouix, *ibid.*, p. 109) ; juxtà quosdam, fixatio Romæ Cathedræ S. Petri de quo vide nostri *Manualis* dicta, nis 677, 678, et forsan alia multa.

18. Traduntur etiam Apostoli quàm plures constituisse canones, quos S. Clemens, discipulus et successor divi Petri, collegisse dicitur, tum in libro qui *Canones Apostolorum* inscribitur, tum in octo libris *Constitutionum apostolicarum*. Verùm de his magna est disceptatio inter eruditos.

De Constitutionibus apostolicis, postquam retulerit quinam steterint pro illarum authenticitate et quinam contrà, sic concludit Biner (*App. juris canonici*, p. 2, c. 4) : « 1° Octo « libri Constitutionum apostolicarum, ut vocant, non sunt « ab Apostolis traditi, neque à S. Clemente conscripti ; « 2° sunt tamen dictæ Constitutiones valdè antiquæ, mul« taque continent utilia ; 3° quamvis fuerint olim puræ, « nihilque continuerint contrarium doctrinæ catholicæ, « posteà tamen pluribus in locis, ab hæreticis fuerunt « corruptæ. »

19. Quoad librum qui *Canones Apostolorum* inscribitur, probabilius est, inquit Bouix (*de Princip.*, p. 120) : illos canones nec ab Apostolis traditos, nec à S. Clemente fuisse

conscriptos : incogniti enim fuerunt antè medium tertii sæculi. Vide id probatum in nostro *Manuali* n° 24. Etiam tempore Dionysii Exigui, erant dubiæ fidei inter catholicos, et Gelasius Papa in Synodo Romanâ anno 494, expressè dicit : « *Liber Canonum Apostolorum est apocry-* « *phus*[1]. »

Omnes 84 canones Apostolorum, prout hodie exstant in corpore juris canonici, in Ecclesiâ græcâ sunt recepti, non tamen in latinâ : à Diônysio Exiguo 50 tantùm primi numerantur; itemque à synodo Lateranensi IV, anno 769. Non tamen statim auctoritatem legalem obtinuerunt, sed paulatim tantùm; undè, anno 840, Leo IV ad Episcopos Britanniæ scribebat : *Canones quibus in omnibus judiciis ecclesiasticis utimur, sunt canones qui dicuntur Apostolorum.* In 50 primis benignè interpretari possunt quæ heteredoxa apparent (V. Bouix, *de Principiis*, p. 119; Billuart, t. 11, *Digress.* 1 *historica*).

Quamvis Ecclesia Romana non habuerit istos canones ut Apostolorum, neque S. Clementis, benè potuit eos postea ex parte recipere et in jus canonicum statuere.

II. — De sententiis patrum.

20. Patrum sententiæ ab Ecclesiâ probatæ et in leges universales per concilia aut per Romanos Pontifices transmutatæ, jus canonicum constituunt; illis etiam utendum est, ait Leo IV (can. 1, *De Libellis*, *dist.* 20); in negotiis quæ nec conciliorum canonibus nec Pontificum decretis definita sunt.

Ante sæculum VI, canonum collectionibus dicta Patrum non fuerunt inserta; in Oriente autem primus, sexto sæ-

[1] In his quidam sunt errores : ultimus reponit inter canonicos tres libros Machabæorum, duas epistolas Clementis, et 5 libros Constitutionum apostolicarum. Expungit libros Ecclesiastici, Tobiæ, Judith, Esdræ, et Apocalypsis. Canones 45 et 46 videntur innuere Baptismum ab hæreticis collatum esse invalidum. Insuper de 5 et 65 vide apud Bouix, *de Princip.*, p. 119.

culo, Joannes Scolasticus; in Occidente verò primus Regino, ineunte sæculo decimo, hoc egerunt.

III. — De decretis ss. pontificum.

21. Varii sunt errores circa SS. Pontificum auctoritatem:

1° Erravit Luther apertè omnem potestatem legislativam denegando S. Pontifici : neque Papa, neque Episcopus, neque ullus hominum, inquiebat, *habet jus unius syllabæ* super christianum hominem, nisi id fiat ejusdem consensu; et quidquid aliter fit, tyrannico spiritu fit.

2° Episcopus de Hontein, in suo opere edito sub falso nomine Febronii, qui, eo tantùm casu quo difficile est concilium œcumenicum congregare, Papæ concedit facultatem proponendi Ecclesiæ leges, non antè tamen obligaturas fideles quàm fuerint communi consensu acceptæ.

3° Multi doctrinæ gallicanæ incauti defensores qui contendunt SS. Pontifices non posse suis legibus conscientias fidelium ligare, antequam acceptentur, saltem ab Episcopis.

22. Controvertitur autem 1° an de facto SS. Pontifices velint suis legibus fideles ligare antequam acceptæ fuerint.

2° Quænam requiratur et sufficiat promulgatio legum pontificiarum, id est, an promulgatio Romæ sit sufficiens; an verò etiam in provinciis notificatio sit necessaria, ut de facto illæ leges obligent. Circa hæc omnia statuendæ sunt propositiones sequentes:

23. Propositio 1ª. — *S. Pontifex immediatè accepit ab ipso Christo, et ex vi institutionis, potestatem legislativam in universalem Ecclesiam* (Sunt ipsamet Suarezii verba).

« Conclusio est omnino certa, ait Suarezius : nam quòd « hanc potestatem habeat, est de fide, ut constat ex traditione « et communi sensu Ecclesiæ... Quòd autem habeat illo modo « (immediatè à Christo), est conclusio adeò certa, ut sine er- « rore negari non possit » (Suarez, *de Lege*, 664, c. 3, n° 10). Ex Conc. Vatic., de fide est B. Petrum sic eam accepisse.

Prob. 1° *Scripturâ Sanctâ* : « Super hanc petram ædi-

« ficabo Ecclesiam meam. — Quodcumque ligaveris super « terram erit ligatum et in cœlis. — Pasce agnos meos... « pasce oves meas. »

His verbis probatur propositio, modò 1° hæc potestatem legislativam exprimant ; 2° certum sit illam potestatem ad Petri successores manâsse.

Atqui 1° verba prædicta legislativam potestatem exprimunt : nemo enim statui potest ut fundamentum alicujus societatis quin hoc ipso instruatur potestate necessariâ ad retinendos in uno ædificio sociali unitos ; sed hæc potestas est necessariò legislativa, scilicet potestas ligandi membra et dirigendi ad finem societatis communem. Ergò hoc ipso quòd Petrus statuatur Ecclesiæ fundamentum, statuitur simul et Ecclesiæ legislator.

Item potestas ligandi, sine exceptione, supponit evidenter facultatem ligandi per leges.

Denique verus Pastor necessariò possidet jus ducendi gregem, etiam invitum, ad loca quæ judicat opportuniora, et illum abducendi à noxiis. Ergo Petrus, ut verus Pastor Ecclesiæ, hanc habet potestatem, ac proinde legislativam.

2° Certum est dictam potestatem ad Petri successores manâsse. Id constat totâ traditione : quædam tantùm seligimus testimonia :

« Nulli dubium, aiebat Philippus, S. Leonis legatus in « primo concilio Ephesino, imò sæculis omnibus notum « quòd S. Petrus ad hoc usque tempus et semper in suis « successoribus vivit. »

Similia dicunt S. Petrus Chrysologus, S. Leo : hinc Bossuetius (*Def.*, t. 2) ait : « Accipiendi ergo Romani Pontifices « tanquam una persona Petri. »

Et verò nisi ita res se haberet, careret hodie suo fundamento Ecclesia, non haberet Pastorem, ipsi deessent claves regni cœlorum. Porrò si hæc essent, quomodo non prævaluissent adversùs Ecclesiam portæ inferi, et quò tandem devenissent promissiones ipsi à Christo factæ? Ergo certum est potestatem legislativam transiisse ad successores Petri. Ergo ex Scripturâ thesis omninò constat.

Prob. 2° *Ex conciliis* : In probationem adducemus tantùm concilia œcumenica Lugdun. II. Florent. et Vatic.

Primum sic se habet in fidei professione Græcorum : « Sancta Romana Ecclesia summum et plenum primatum « et principatum super universam Ecclesiam obtinet : « quem se ab ipso Domino in B. Petro, Apostolorum prin- « cipe et vertice, *cujus Romanus Pontifex est successor*, « *cum potestatis plenitudine* recepisse veraciter et humi- « liter recognoscit..; ad quam potest gravatus quilibet, « super negotiis ad ecclesiasticum forum pertinentibus, « appellare..., et eidem omnes Ecclesiæ sunt subjectæ, et « ipsarum Prælati obedientiam et reverentiam illi dant. »

Principatus super universam Ecclesiam, cui annexa est plenitudo potestatis, cui omnes Ecclesiæ sunt subjectæ et ipsarum Prælati obedientiam præstant, ad quem potest gravatus quilibet appellare, talis principatus includit evidenter potestatem legislativam in universos fideles. Porrò talis est principatus Romani Pontificis ex Concilio generali Lugdun. II. Ergo, etc.

2° Concilium autem generale Florentinum sic habet :

« Definimus Sanctam Apostolicam Sedem et Romanum « Pontificem in universum orbem tenere primatum, et « ipsum Pontificem Romanum successorem esse B. Petri, « principis Apostolorum et verum Christi Vicarium, « totiusque Ecclesiæ caput, et omnium Christianorum « patrem et doctorem existere, et ipsi in B. Petro pas- « cendi, regendi et gubernandi universalem Ecclesiam, à « D. N. Jesu Christo plenam potestatem traditam esse. » (Labb. t. 13, col. 1167). — Plena potestas regendi aliquam societatem evidenter supponit legislativam. Ergo, etc

Sic tandem Vatic. Conc. : « Si quis dixerit Roman. Pont « non (habere)..plenam et supremam potestatem juris- « dict. in universam Ecclesiam .. in rebus... quæ ad dis- « ciplin. et regimen... Ecclesiæ pertinent .. aut hanc non « esse ordinariam et immediatam anathema sit. »

24. Propositio 2ª. — *Romani Pontifices possunt si velint, legibus suis universos fideles devincire, absque cujuscumque acceptatione.*

Duplex quæstio in hoc puncto est distinguenda : alia nempe facti : utrùm scilicet leges pontificiæ quæ nondum fuerunt acceptæ, obligent; id est utrùm SS. Pontifices intendant ligare conscientias, priusquàm ipsorum leges fuerint acceptæ : de quo licitè controvertitur inter DD., ut jam diximus et probabitur infrà.

Altera juris, utrùm nempè SS. Pontifices possint obligare antequam ipsorum leges fuerint acceptæ : in quo dubio affirmativa est omninò certa, imò de fide est, juxtà Suarezium qui ait : « Mihi videtur tam certa ut, secundùm « fidem negari non possit » (*de Lege*, l. 4, c. 16, n° 2). Et hoc concedunt etiam Gallicani :

« Il serait entièrement contraire aux lois de la sainte « hiérarchie, inquit Lequeux (t. 4, *Hist. du droit canon*, « p. 179), de faire proprement et directement dépendre la « force de ces constitutions (SS. Pontificum) de l'accepta- « tion des peuples et de celle même des Évêques. »

Solus Major videtur contrà sentire, dicendo Ecclesiam esse supra Papam, « et ideò si Ecclesia non acceptat legem « Papæ, non posse per illam obligari » (*ib.*, n° 1) : quod damnatum videtur ab Alexandro VII in sequenti propositione : « Populus non peccat, etiamsi absque ullâ causâ « non recipiat legem à principe promulgatam ».

His prænotatis, thesis sic probatur quoad quæstiones juris :

1° Ex præcedenti propositione, Romanus Pontifex potestatem legislativam veram et propriam habet; sed, si non posset ligare nisi acceptantes, veram ac propriè dictam non haberet potestatem leges condendi : lex enim non est quod non ligat, nec præceptum cui subditi non tenentur obtemperare, nisi velint. In factâ hypothesi Romanus Pontifex non majorem haberet auctoritatem quam fidelis quilibet, imò et muliercula, à quibus omnes ligari possent, si vellent. Porrò quis auderet talia sustinere ?

Objici quidem potest quòd, juxtà multos, de facto, ut infra dicemus, leges pontificiæ ordinariè non obligent nisi acceptentur. Ergo de essentiâ legis non est quòd vim habeat ligandi ante acceptationem. — Sed respondetur leges

pontificias in hoc sensu non esse obligatorias ante acceptationem, quòd Papa tunc permittat Episcopis non urgere illarum obligationem, si justæ rationes locales, judicio S. Sedis tunc exponendæ, id postulent. Non verò permittunt illas rejicere, etiam sine causâ, et pro cujusque appretiatione. In tali enim hypothesi, leges pontificiæ meritò ut veræ leges non essent habendæ, cùm nullam obligationem inducerent, et sit de essentiâ legis quòd liget.

2° Ex textibus Scripturæ supra relatis : « *Super hanc petram*, etc. — *Pasce oves meas.* — *Quodcumque liga-* « *veris*, etc. » Romanus Pontifex, utpote successor Petri, est fundamentum societatis fidelium, supremus illorum Pastor, et sine ullâ exceptione potest illos ligare. Hæc autem vera esse haud possunt, si Papa leges nequeat condere verè obligatorias ante subditorum acceptationem : ille enim non est fundamentum ædificii socialis qui membra nequit colligare in unum sociale ædificium ; non est Pastor qui gregem non potest ducere, vel abducere prout meliùs expedire judicat; nec denique valet *quocumque modo* ligare qui nonnisi volentes et consentientes jus habet ligandi. Ergo leges pontificiæ vim ligandi habere debent etiam ante acceptationem.

3° Ex conciliis in propositione præcedenti relatis, S. Pontifex habet plenam et summam potestatem gubernandi universalem Ecclesiam. Sed quo titulo vocari posset *plena* et *summa* potestas quæ amplior non foret eâ quam singuli fideles, etiam mulierculæ, possent sibi tribuere, et de facto exercere, si cæteri consentirent. Ergo, etc.

4° Ex decisione Facultatis Parisiensis (anno 1521) : ab ipsâ enim damnata fuit hæc Lutheri propositio : « Neque « Papa, neque Episcopus, neque ullus hominum habet « jus unius syllabæ super Christianum hominem, nisi id « fiat ejusdem consensu; et quidquid aliter fit tyrannico « spiritu fit » , damnata est autem tanquam *in fide* et *moribus erronea.*

5° Confirmatur Concordato cum Galliâ inito, anno 1801 : S. Pontifex, in Constitutione quam edidit occasione circumscriptionis Ecclesiarum Galliæ, monet hanc circumscriptionem valituram esse, etiamsi titulares harum Eccle-

siarum consensum denegaverint, quem de facto reverà denegaverunt primùm 36, sed tandem 4 tantùm Episcopi; quorum oppositione non obstante, reipsa tamen vim habuit circumscriptio à S. Sede decreta, ità ut qui noluerunt ei acquiescere habiti fuerint schismatici, et sub nomine *Parvulæ Ecclesiæ* reprobati. Ergo, etc.

25. Corollarium I. — *Ergo potest, si velit, Romanus Pontifex legibus suis universos ligare absque Episcoporum acceptatione.* Est contra Febronium, Quesnellium et quosdem gallicanos.

Probatur iisdem monumentis ac superiores propositiones. Etenim quandò Christus dedit Petro ligandi potestatem, non eam dedit sub conditione quòd consentirent cæteri Apostoli.

Probari potest speciatim ex Concilio VIII œcumenico, in quo est professio fidei per quam reprobandi declarabantur *Sedi Apostolicæ non consentientes* : sed Episcopi qui non acceptarent leges pontificias, casu quo urgeret S. Pontifex, non essent consentientes Sedi Apostolicæ. Ergò, etc.

Præterea eadem Synodus agnovit Papæ exclusivè competere jus dispensandi circa canones : sed si Episcopis esset licitum leges ecclesiasticas integrè rejicere, à fortiori illis competeret jus illas nonnisi ex parte accipiendi, cum facultate ab illis relaxandi per dispensationem. Ergò, etc.

Quomodo tandem explicaretur plenitudo jurisdictionis S. Pontificis in universalem Ecclesiam, si per suas leges non posset obligare nisi post acceptationem earum ab Episcopis ?

Objicies : Saltem sub finem sæculi decimi quarti introductus est mos, apud aliquas gentes, ut Romanorum Pontificum constitutiones non antè vim obligandi haberent quàm de illis Episcopi cognoscerent.

Resp. Ille mos introduci cœpit tempore majoris schismatis, facto ipsiusmet Urbani VI, qui sic voluit impedire in quibusdam locis suæ obedientiæ, executionem litterarum suorum competitorum : hæc concessio postea fuit revocata à Bonifacio IX; quam revocationem confirmavit Martinus V. Tamen Alexander VI concessit Ferdinando V et Isabellæ

reginæ Hispaniarum ut nulla haberetur largitio indulgentiarum apostolicarum quæ non anteà, à locorum Ordinariis, apostolico Nuntio, ac Majore Regis Capellano visa esset et ab omni suspicione immunis comprobaretur : sed exindè minimè concludi debet necessitatem approbationis Episcoporum pro validitate legum pontificiarum. Imò Leo X, anno 1518, damnavit constitutiones quibus Archiepiscopus Toletanus statuerat non esse acceptandas litteras apostolicas nondùm ab ipso vel successoribus probatas.

26. Corollarium II. — *Ergo, à fortiori, ut constitutiones pontificiæ vim obligandi habeant, non requiritur ut à clero secundi ordinis acceptentur.*

Præter rationes suprà allatas probatur insuper ex Bullâ *Auctorem fidei,* nº 11 : « Sententia enuntians veteri majo-« rum instituto ab apostolicis usque temporibus ducto, per « meliora Ecclesiæ sæcula servato, receptum fuisse, ut « decreta, aut definitiones, aut sententiæ, etiam majorum « sedium, non acceptarentur, nisi recognitæ fuissent et « approbatæ à synodo diœcesanâ. — *Falsa, temeraria, dero-« gans pro suâ generalitate obedientiæ debitæ constitutio-« nibus apostolicis, tum et sententiis ab hierarchicâ supe-« riore legitimâ potestate manantibus, schisma fovens et « hæresim.* »

27. Corollarium III. — *Ergò leges pontificiæ obligant absque principis sæcularis acceptatione, aut placito, nisi liberè concesserit Papa.*

Est contra Stokmans, à Febronio magnis laudibus elatum, qui dixit *placitum regium ab omni memoriâ* in usu fuisse. Contra Van Espen, juxta quem dictum *placitum* ab antiquo usu Galliæ, Belgii et aliarum gentium, etiam ad decreta dogmatica aut libros pravos damnantia fuit extensum; contenditque illud esse essentiale supremæ majestati; ac imprescriptibile, nec proindè manans à concessione Ecclesiæ, eò quòd princeps sæcularis jus habeat cavendi ne detrimentum recipiat ipsius auctoritas et pax publica perturbetur. Ita pariter sentiunt moderni philosophi, et multi jurisperiti (Van Espen, t. 3, pars 2 *de Placito.*, c. 1, § 1 et 2).

Præter probationes supra relatas afferri insuper possunt

multa dicta Patrum quorum verba legi possunt ap. Bouix, *de Principiis* (p. 182) : sufficiat hîc transcribere S. Athanasium : « Sit istud judicium Episcoporum : Quid commune cum eo habet imperator? » (*Apol.*, 2.)

Præterea in Concilio Chalcedonensi (act. 3), cùm Eusebius Episcopus nollet comparere nisi adessent judices Imperatoris locum tenentes, declarârunt Patres : « Quandò « agitur de causis canonicis, non debere intervenire neque « judices (Imperatoris) neque laicos ullos. »

Item Gregorius II in epistolâ ad Leonem Isauricum ait : « Quemadmodum Pontifex introspiciendi in Palatium « potestatem non habet ; sic nec Imperator in Ecclesias « introspiciendi. » Ergo, etc.

Unde Vatic. Concil. ait : « Reprobamus illorum sententias qui hanc Supremi Capitis cum Pastoribus et gregibus communicationem licitè impedire posse dicunt; aut « eamdem reddunt sæculari potestati obnoxiam, ita ut contendant quæ ab Apost. Sede, vel ejus auctoritate ad regimen Ecclesiæ constituuntur, vim non habere, nisi potestatis sæcularis *placito* confirmentur. »

Sic autem habet Concilium Parisiense 1849 (p. 32) : « Amplectimur omnes et singulas constitutiones dogmaticas uti et illas quæ *universalem Ecclesiæ disciplinam respiciunt*, specialiter quæ à conclusione Concilii Trident. usquè in hodiernum diem prolatæ et promulgatæ « sunt. Declaramus etiam ac docemus eas *sæculari sanctione* non indigere ut tanquam norma credendorum et « conscientiæ regula ab omnibus suscipiantur. » Vid. insuper Concil. Biturr., p. 28 [1].

Vera Placiti regii origo et historia.

28. Quidquid dicant Stokmans, Febronius, Van Espen, et illorum sequaces, usus Placiti non fuit usurpatus *ab omni*

[1] Sanè lex ecclesiastica effectus civiles ordinariè non potest habere nisi ab auctoritate civili acceptetur, sed conscientias ligare potest absque hujusmodi acceptatione, alioquin princeps sæcularis constitutus fuisset Ecclesiæ caput, quod est contrà evangelica verba : *Euntes docete omnes gentes*, etc. V. card. Gousset, *Exposit. des princ.*, p. 100, etc.

memoriâ. Vetustior enim non est schismate Occidentis. Cùm eo tempore circumferrentur constitutiones à diversis contendentibus de papatu, opportunum Urbano VI visum fuit, ut antequàm executioni demandarentur constitutiones Pontificiæ, Episcopi examinarent an à vero Pontifice profectæ essent; simulque prohibuerunt principes vulgari decreta Pontificum absque suo consensu seu *placito*.

Hæc est vera *Placiti* regii origo : imò Lequeux (n° 20) asserit se nullum cognoscere principem qui generaliter illud præceperit ante Ludovicum XI, anno 1484.

Certum est illud anteà non fuisse adhibitum, etiam in iis circumstantiis in quibus utilissimum judicare potuissent principes : etenim nec imperatores germanici, in suis dissidiis cum SS. Pontificibus, uti *placito* cogitârunt ad impediendam executionem Bullarum ipsis infensarum; nec Henricus Angliæ rex in suâ cum Alexandro III controversiâ, nec Philippus Pulcher, rex Galliæ, in suâ celebri contentione cum Bonifacio VIII; sed maluerunt hi duo principes per custodes ubique appositos, cavere, quamvis hoc difficiliùs esset, ne introducerentur intra regni fines constitutiones pontificiæ.

Porrò Martinus V sustulit dispositionem Urbani VI; et paulatim ad priscam consuetudinem reditum est.

Ante annum 1493, nullus fuit usus placiti in Hispaniâ, ut constat ex suprà dictis de concessione Alexandri VI Ferdinando et Isabellæ factâ, quæ locum habuit tantùm pro rescriptis indulgentiarum.

Necessitatem *Placiti* retinere voluit Lusitania, tempore Joannis II, sed fortiter obsistente Innocentio VIII, abusus cessavit.

Politicorum artibus, protestantismo fovente, iterùm reviviscit in multis locis. Primùm ad rescripta gratiæ et justitiæ privatis data, adhiberi cœpit; posteà illius usus extensus fuit ad decreta disciplinæ; demùm ad Bullas dogmaticas. Sed juxta Zallinger (l. 5, n° 401), in Galliâ constat Bullas dogmaticas, et eas quæ ad prohibitionem librorum spectant, sine *placito* fuisse publicatas [1]. Item in Belgio. In

[1] Attamen sic legitur apud Crouzet (*Du droit ecclés.*, par Philipps.,

Sardiniâ verò Principi concessum fuit à Bened. XIV ut posset animadversiones deferre S. Sedi, circa constitutiones pontificias ad disciplinam spectantes, si eæ minus opportunæ ipsi viderentur, interim suspendendo earum executionem, postea tamen se subjiciendo judicio Romani Pontificis : exceptis nihilominus 1° Constitutionibus et Brevibus quæ fidei vel morum regulas continent vel indulgentias concedunt, vel Jubilæa indicant, 2° Brevibus Sacræ Pœnitentiariæ, 3° litteris SS. Congregationum quæ ad Ordinarios vel alias personas diriguntur ut notitia ecclesiasticorum negotiorum habeatur.

Nunc verò in Galliâ, post Concordatum 1801, promulgati fuêre *Articuli* dicti *organici*, quorum primus sic se habet : « Aucune Bulle, Bref, rescrit, décret, mandat, « provision, signature servant de provision, ni autres ex- « péditions de la Cour de Rome, même ne concernant que « les particuliers, ne pourront être reçus, publiés, impri- « més, ni autrement mis à exécution sans l'autorisation « du gouvernement. »

Contra hanc dispositionem reclamavit Sedes Apostolica per Cardin. Caprara, 18 augusti 1803. Tandem, anno 1810, post multas alias reclamationes, prodiit hoc decretum Napoleonis I : « Les Brefs de la Pénitencerie, pour le for « intérieur seulement, pourront être exécutés sans autre « autorisation. » Varia autem gubernia quæ Napoleoni I in Galliâ successerunt, dispositionem art. 1 suprà relati legis organicæ tenaciter servârunt et adhuc retinent [1].

29. Quærit. 1° Quid sit sentiendum de opinione quæ

t. III, p. 209) : « En France, les Bulles du Pape sont bien véritablement des lois générales de l'Église ; mais elles ne sont exécutoires qu'autant qu'elles ont été reçues par l'Église gallicane. Elles avaient donc besoin, au préalable, d'être promulguées par les Évêques, qui eux-mêmes ne pouvaient faire cette promulgation qu'avec l'agrément des parlements. Il va sans dire que l'on étendait cette condition, même aux décrets dogmatiques, par la raison qu'il pouvait arriver qu'il s'y mêlât quelque chose ayant trait à la discipline. » Citat Héricourt, c. 15, n° 8, p. 290. Contrarium legitur apud de Beausset, *Histoire de Fénelon, ib.* III, n° 93, t. II, p. 301.

[1] Inter errores in Syllabo Pii IX damnatos, reperitur, n° 41, ille quo dicitur *Civili potestati competere jus quod vocatur* EXEQUATUR.

tenet Romanos Pontifices, de facto, nolle suas leges esse obligatorias ante acceptationem ?

Resp. Hæc opinio est licita, modò hoc tribuatur liberæ voluntati S. Pontificis, et dicatur tantùm de quibusdam legibus, non verò de omnibus.

Illa enim sententia est licita quæ tenetur à multis, etiam integræ notæ doctoribus ; porrò res ità se habet in præsenti quæstione : tenetur enim à Cardena, Valentia, Tanner, Lessio, Becan, Reginaldo, Sa, Navarro, Bonacina, Cabassut, Juenin, Card. d'Aguirre, Suarez et aliis multis. Vide nostrum *Manuale*, n° 3.

Quænam verò sint leges quas SS. Pontifices nolunt esse obligatorias ante acceptationem ?

Sic à D. Bouix (*De Princip.*, p. 188, etc.), quæstio resolvitur : « Vel alicujus regionis episcopi existimant se « graves habere rationes ad præsumendum consentire « Romanum Pontificem, ut sua lex statim non obliget, « vel non ; si priùs, licebit illis præsulibus supplicationem « ad S. Sedem dirigere, et interim legis obligatoriam « vim suspendere ; si posteriùs, peccabunt nisi statim legi « pareant. »

30. Notandum est 1° quòd hîc non agatur de Pontificiis constitutionibus dogmaticis, cùm in iis irreformabile sit Romani Pontificis judicium ; nec de constitutionibus quæ sacros respiciunt ritus, cæremonias, sacramenta, clericorum vitam (Bened. XIV, *de Syn.*, lib. 9, c. 8, n° 3.—*Expos. des Principes du droit canonique*, du Card. Gousset, p. 97. — *Revue des sciences ecclésiastiques*, n° 19, p. 77).

31. Notandum est 2° quòd etiamsi lex sit certò de numero earum quas Papa non fecit obligatorias ante acceptationem, Episcopus, qui eas non acceptat, tenetur nihilominùs supplicationem dirigere ad S. Pontificem, in quâ exponit sua non acceptandi motiva : ratio est quòd sine periculo S. Pontifex non posset aliâ conditione Episcopis relinquere facultatem suas leges rejiciendi. Quod quidem praxi firmatur : sic concilii Triburiensis patres, tempore Caroli Magni, cùm postulassent à lege, quæ ipsis durissima videbatur, exemptionem, et non concessisset S. Pontifex,

sic concluserunt : « Licet vix ferendum ab illâ S. Sede « imponatur jugum, tamen feramus et piâ devotione to- « leremus. »

Episcopo legem non acceptante, et supplicationem non mittente, non tantùm peccat ipse, sed omnes de communitate qui legem promulgatam nôrunt, ad illius obligationem tenentur. Quia S. Pontifex non consentit ad suspensionem legis nisi eâ conditione quòd illi exponantur momenta ob quæ non acceptatur.

Si tamen nimiùm onerosa esset lex, à culpâ viderentur immunes subditi eam non observantes.

32. Item, quando major et sanior pars populi legem non observat « quamvis primi non acceptantes peccent si « desuetudo nondùm est præscripta, cæteri tamen non « tenentur ad legem : nam præsumitur princeps nolle « obligare ad hoc observandum quod non est à majore « parte receptum. Ità Salmant., etc. » (S. Liguor., lib. 139).

Toto supplicationis tempore suspenditur eo ipso obligatio legis, ut patet.

In dubio utrùm lex sit de numero earum quæ possunt non obligare ante acceptationem, videtur quòd Episcopus possit agere sicut faceret casu quo lex esset certè de isto numero : quia *in dubiis odia sunt restringenda.*

Si S. Pontifex non approbet rationes non acceptationis, lex statìm est obligatoria : ratio patet.

In suprà expositis supposuimus leges pontificias fuisse sufficienter promulgatas. Expendendum nunc venit quænam debeat esse promulgatio ut sit sufficiens.

33. Quærit. 2° Quænam requiratur promulgatio quoad leges pontificias ?

Resp. Promulgatio est *intimatio legis facta communitati nomine legislatoris, et quidem sat publicè ut moraliter possit ad totius communitatis notitiam pervenire.*

Porrò « necessaria est promulgatio, inquit S. Thomas, « ut lex habeat suam virtutem » (1, 2, q. 90, art. 4). Necesse est enim præceptum intimari ei quem concernit ; atqui lex fertur pro communitate : ergò ipsi intimari debet, id est

promulgari. Undè ut certum et indubitatum admittitur ab omnibus, necessariam esse promulgationem legum quarumcumque : *Leges enim instituuntur cùm promulgantur*, ait Gratianus (cap. *In istis.*, dist. 4).

Consentiunt omnes minimè requiri ut lex innotescat singulis privatis, sed sufficere si sat publicè notificetur communitati, ut omnes pro quibus fertur moraliter valeant illam cognoscere.

Item « non apparet, ait Van Espen (*de Promulg. leg.* « c. 1, § 2), de ratione legis esse... ut ejus promulgatio « certo et determinato ritu fiat, aut certis et determinatis « locis lex publicè affigatur vel proclametur. »

34. Disputatur utrùm legum pontificiarum promulgatio Romæ facta, sufficiens sit, vel an ampliùs requiratur ut promulgatio earum fiat in singulis provinciis vel diœcesibus.

« Olim decretalia Pontificum Siricii, Innocentii, Leonis « ad aliquarum duntaxat provinciarum Episcopos mitte- « bantur : quæ tamen, recepto more, vel adjecto mandato, « subinde cum aliis atque aliis Episcopis communicata, « ac toto orbe dispersa sunt...

« Hodierna promulgandi leges pontificias ratio ferè in « eo consistit, ut Bullæ promulgentur Romæ, affigantur in « acie Campi Floræ, et ad valvas Basilicæ Apostolorum, « nec non in Cancellaria apostolica, et pro publicatis ha- « beantur » (Zallinger, *Inst. jur. natur. et eccles.*, lib. 5, n° 400, 3).

35. Circa propositam quæstionem, duplex est sententia. Prima affirmat promulgationem in singulis provinciis esse necessariam : ità Becan, Natal. Alex., Contin. Tournely, Cabassut. Hanc probabilem vocant Sylvius et alii, quàmvis Sylvius ac Roncaglia habeant ut certum quòd omnes Bullæ in quibus exprimitur sufficere publicationem Romæ factam obligent per se absque aliâ promulgatione : pro eâ citatur etiam Lessius ; sed, ait S. Liguor. (lib. 1, 96), Lessius loquitur tantùm de legibus quæ contractus irritant. Citatur quoque Domin. Soto ; sed iste loquitur potiùs de legibus inhabilitantibus, aut revocatoriis privilegiorum.

Hanc sententiam, utpote faventem opinioni quæ tribuit

Episcopis jus non accipiendi leges pontificias et necessitatem placiti regii sustinet, zelo ardentissimo amplexati sunt et immensis conatibus propugnârunt quotquot exstitere Jansenianæ hæresis et gallicanæ doctrinæ patroni. Inter quos Petrus de Marca, Van Espen, Natalis Alexander, Zalwein. vid. Bouix (*de Princip.*, p. 197, etc.).

Nititur illa sententia 1° Novella *Ut factæ novæ*, juxta quam leges cæsareæ promulgandæ erant in singulis provinciis, nec obligabant nisi post duos menses à promulgatione. Porrò, ubi non adest specialis dispositio legis canonicæ, standum est civili, ut infertur ex cap. de *Nov. oper. nuntiat.* in quo dicitur : « Sacrorum statuta canonum « principum constitutionibus adjuvantur ». 2° Quia publicatio solummodò Romæ facta, non videtur esse intimatio sufficiens erga totam Ecclesiam : nimis enim durum esset fideles totius orbis Christiani adstringere ad servandas leges tantùm Romæ publicatas. « Sed juxta hanc sententiam, ait S. Liguor. (libr. 1, 96), excipi debent Bullæ insertæ bullario; quoniam hæ sunt jam corpus legum; et in hoc omnes conveniunt, ut testatur Card. Petra.

Ex clausulis Bullis insertis juxta quas sufficit earum publicatio Romæ facta, « rectè firmum adduci potest ar- « gumentum pro primæ (hujus) sententiæ probabilitate, « respectu ad Bullas ubi prædictæ clausulæ desunt, inquit « S. Liguor. (libr. 1, 96); nihil enim in legibus frustra « appositum supponendum; et clausulæ omnino essent « superfluæ, si omnes Bullæ Romæ publicatæ, etiam sine « talibus clausulis, obligarent antè quamlibet aliam publi- « cationem in provinciis; modò (excipit Boncaglia) in ali- « quo loco consuetudo non vigeret indifferenter amplec- « tendi Bullas Romæ quocumque modo promulgatas[1]. »

36. Secunda sententia quæ à S. Liguor. vocatur *valdè communior et probabilior*, tenet leges pontificias obligare

[1] « In Galliis, inquit Lequeux (n° 19, 3ª edit.), ordinariè novæ « constitutiones ad disciplinam spectantes non censentur obligare ante « promulgationem in provinciis...

« Dixi *ordinariè* : quia non negamus tales existere posse temporum « circumtantias quæ remedii dilationem non patiantur... Nam, ut

solâ promulgatione Romæ factâ. Juxtà D. Bouix (*de Princip.*, p. 200), De Marca, Van Espen, Zalwein prorsus errârunt affirmando talem promulgationem esse insufficientem ex jure naturali.

Probatur ista sententia : 1° Non solùm tempore Reipublicæ romanæ, sed sub imperatoribus, leges ære sculptæ, ipso Van Espen fatente (*ib. ut suprà*), per tres nundinas exponebantur in locis publicis; et sic instituebantur. Primus Justinianus imperator, anno Christi 538, promulgationem in provinciis indixit. Porrò dici nequit per tot sæcula Romanos sic turpiter errasse circa jus naturale. Ergo jus naturale non exigit promulgationem in provinciis.

In Hispaniâ, juxta Salmanticenses, Matriti tantùm leges promulgabantur; hodiè in Galliâ publicantur per insertionem collectioni dictæ *Bulletin des Lois*, quæ fit Parisiis, cujus deindè exemplaria mittuntur ad singulas communitates, quin tamen in iis necessariò sint publicè legendæ.

2° Promulgatio Romæ facta sufficiens est, modò per talem promulgationem notitia legis facilè ad omnem Ecclesiam pervenire valeat. Atqui res ità se habet : « Romæ enim « conveniunt omnes ferè nationes, ait S. Liguor. (ibid.), « et omnes Prælati habent ibi suos procuratores qui ordi- « nariè satagunt suos principales de novis Bullis, quæ « promulgantur, certiores facere. » Per diaria etiam spargitur facile ubique cognitio decretorum pontificiorum. Ergo, etc.

3° Ab anno 1281, quo Martinus IV excommunicavit Michaelem Paleologum, per sententiam solummodo Urbiventi (Orviète) promulgatam, usque ad hodiernam diem, invaluit usus promulgandi Romæ tantùm leges pontificias : porrò dici nequit per tot sæcula Romanam Ecclesiam er-

« suprà, cum Bossuetio professi sumus, omnia potest S. Pontifex cùn « necessitas id postulaverit.

« Dixi *ad disciplinam spectantes* : quia quandò agitur... de decreto « circa fidem, aut circa jus naturale vel divinum, minimè necessarium « est ut decretum per provincias promulgetur ; sed statim ac innotuerit « judicium solemne quod S. Pontifex... tulit, debetur obsequium à « fidelibus. » Vid. etiam, Reiffenst. lib. 1, n° 132, etc.

rasse circa jus naturale, aut circa disciplinam generalem. Ergo, etc.

4° Dici nequit esse in potestate principum aut etiam Episcoporum, in Ecclesiam rebellium, impedire quominus S. Pontifex procuret executionem legum maximè bono Ecclesiarum necessariarum. Porrò res ita se haberet, si necessariò leges pontificiæ in singulis provinciis publicandæ forent, ut vim obligandi obtinerent. Sic Pius VI non potuisset damnare Constitutionem civilem Cleri Gallicani, nec Leo X errores Lutheri; et sic in innumeris aliis circumstantiis. Ergo, etc.

5° Ideò juxta adversarios publicari debent in singulis provinciis leges pontificiæ, quia sic usitatum fuit in prioribus sæculis, et quia Ecclesia, Novellam Justiniani supra citatam *Ut factæ novæ*, approbavit. Sed 1° incertum est utrùm semper, in prioribus sæculis, SS. Pontifices curaverint sua decreta publicari in singulis provinciis : textus allegati loqui tantùm videntur de publicatione locali et restrictâ. Imò etiamsi constaret SS. Pontifices curasse ubique vulgari sua decreta, probandum esset insuper ab ipsis habitam fuisse ut omnino necessariam, hujusmodi divulgationem. Porrò contrarium erui posse videtur ex ipsismet verbis Siricii Papæ ad Himerium Archiep. Tarraconensem : « Et quamquam statuta Sedis Apostolicæ, inquit...., nulli « sacerdotum Domini ignorare sit liberum, utiliùs tamen... « si ea quæ ad te... speciali nomine generaliter scripta « sunt, per unanimitatis tuæ sollicitudinem, in universo- « rum fratrum nostrorum notitiam perferantur. » Sed si necessaria, et non tantùm utilis fuisset promulgatio in singulis diœcesibus, *liberum fuisset*, inquit D. Bouix (*ibid.* p. 231), *sacerdotibus* decreta ab Himerio propaganda ignorare, donec in uniuscujusque provinciâ facta fuisset publicatio. Idem concludi potest ex epistolâ Zozimi Papæ ad Hesychium Episcopum Salonen. in Illyrico.

2° Nec etiam demonstratur ità probatam fuisse Novellam Justiniani supra citatam, ut ipsius dispositionem observare debeant SS. Pontifices, imò patet SS. Pontifices ad hoc non potuisse se obligare. Ergo non probant momenta ab adversariis allata.

Nota quòd « Constitutiones apostolicæ, Romæ solemniter « publicatæ, licet quantùm ex parte suî, ac in actu primo, « omnem obligandi vim habeant pro toto orbe christiano, « tamen in actu secundo non obligant quoad culpam aut « pœnam, nisi postquam sufficiens earumdem notitia fuerit « habita, vel saltem haberi potuerit. » Ità Reiffenst., lib. 1, n° 123.

Objic. 1°. Semper fieri debet aliqua notificatio authentica in provinciis ; sed talis notificatio est vera promulgatio. Ergo, etc.

Resp. Neg. Minor. Notificatio authentica legis non est necessaria ipsius promulgatio. Etenim si per diaria divulgetur aliquam legem Romæ fuisse promulgatam, et, adeundo nuntium vel Episcopum, certum fiat reverà talem legem fuisse Romæ promulgatam, habetur sic notificatio legis hujus sufficienter authentica ; et tamen tunc vera promulgatio non fit in diœcesi. Pluribus autem aliis mediis cognitio authentica legis obtineri potest quin fiat promulgatio in singulis provinciis. Ergo, etc.

Objic. 2°. Nisi fiat promulgatio in provinciis, alii legem cognoscentes obligantur, dùm alii illam ignorantes, ab illius obligatione erunt immunes, et quidem in eâdem diœcesi et civitate. Ergo, etc.

Resp. Idem evenire posse, etiam post promulgationem in provinciis : nam, juxta Suarez, manifestum est sufficere pro totâ diœcesi publicationem quæ fit in Ecclesiâ matrice (*De Leg.* lib. 4, cap. 15, n° 8). Et juxta Van Espen *non dubium* quin promulgatio legum, quæ fit Romæ tantùm, sufficiens sit respectu populi Romani, aliorumque adjacentium (*De Promulg.*, pars 1, cap. 3, § 2). Porrò per promulgationem solummodò factam in Ecclesiâ matrice, impossibile est, ut statìm in singulis pagis leges cognoscantur. Non est ergo necessarium ut statìm omnibus leges innotescant, sufficit ut earum notitia ad omnes pervenire possit. Porrò, per promulgationem solummodò Romæ factam, ad omnes pervenire potest notitia legum pontificiarum, ut supra demonstratum est. Nonne excommunicatio lata contrà Napoleonem I, etiamsi Romæ tantùm denuntiata,

mox non pervenit ad omnium cognitionem? Ergo, etc.

37. « Quærit autem Sylvius... an Episcopi teneantur « promulgare, aut satagere ut alii observent omnia ponti- « ficia statuta jam Romæ promulgata? »

Sic respondet : « Teneri curare ut observentur quandò « Pontifex significat se velle quòd sua lex ubiquè obliget, « etiam absque promulgatione alibi factâ. Non tenentur « tamen curare ut promulgentur nisi, vel mandatum pon- « tificium ad eos dirigatur, vel rationabiliter judicent pro- « mulgationem in suis diœcesibus esse necessariam. Nihil- « ominus qui legis notitiam habent ad eam obligari « videntur, nisi illa recepta non fuerit, vel per non usum « ejus obligatio desierit. Cæterùm si Pontifex non signi- « ficet esse opus aliâ promulgatione, neque mandatum « dirigat ad Ordinarios, probabile est quòd ipsi non tenen- « tur legem promulgare, vel curare ut observetur nisi « fructum notabilem, ex talis legis promulgatione, in suis « diœcesibus expectent. » (S. Liguor., lib. 1, n° 96.)

38. « Prætereà probabiliter aiunt Suarez, Laymann, « etc., quòd leges pontificiæ, quæ infirmant aliquem con- « tractum suâpte naturâ validum (prout fecit.. Bulla « Pii V quoad contractus censuales), vel quæ juridictionem « auferunt, v. g. in sacramento Pœnitentiæ, circa eos be- « nignè interpretari possumus mentem esse Pontificis, quòd « nolit effectum habere nisi postquam fuerint in diœcesi- « bus promulgatæ... Secus autem est respectu pœnarum... « Sicut etiam secus... in legibus irritantibus actum aliquem « ob defectum solemnitatis » (S. Lig. *ib.*).

39. Quærit. 3° An ut lex obliget, requiratur spatium duo- rum mensium à promulgatione?

Resp. Juxta S. Lig. (*ib.*), tres sunt sententiæ : 1ª tenet quòd statim à promulgatione lex obliget; 2ª quòd statim, vel quasi, obliget præsentes in Curiâ, alios autem post suf- ficiens tempus juxtà distantiam locorum; 3ª quòd nisi tem- pus à lege designetur, nulli ab eâ obligentur nisi post duos menses à promulgatione. Allegatur pro istâ sententiâ No- vella *Ut factæ novæ*, et habetur à S. Lig. ut probabilior; dum è contrà D. Bouix et R. de M. primæ sententiæ adhærent.

40. Quærit. 4° Quotuplicis speciei sint Constitutiones, seu Litteræ Apostolicæ.

Resp. Vel sunt pro totâ Ecclesiâ, aut pro aliquâ saltem illius parte, vel aliquid determinant pro aliquâ personâ duntaxat privatâ, aut pro negotio transitorio.

In primo casu, vocantur *Constitutiones* quando statuunt aliquid modo permanenti pro totâ Ecclesiâ, aut aliquâ ipsius parte.

Vocantur *Decreta* quandò eduntur à S. Pontifice, non ex aliorum ratione aut consultatione, sed motu proprio, adhibito vel non adhibito Cardinalium consilio. Vocantur etiam *motus proprii*. — Non rarò tamen latiori sensu decreta omnem constitutionem significant, imò totam collectionem legum ecclesiasticarum, v. g. *Decretum Gratiani*, etc.

Si verò edantur ex postulatione, vel consultatione aliquorum, vocantur *Decretales epistolæ*, aut etiam *Responsa*. Præterea nomine *Decretalium*, generaliore sensu, designantur etiam quæcumque leges pontificiæ et statuta.

In omnibus suprà dictis casibus, vocantur *Encyclicæ* quando diriguntur ad Episcopos totius orbis, vel alicujus regionis, sive ad exponendam veram in aliquo puncto doctrinam, sive ad tollendum aliquem abusum.

41. In secundo casu, vocantur *Rescripta* quia sunt responsiones ad varias consultationes, relationes, vel supplicationes; et sunt vel Rescripta *justitiæ*, si rescribendo Pontifex munus judicis impleat; vel *gratiæ*, si beneficia elargiatur.

Dicuntur etiam *Diplomata* eò quòd membranæ in duas plicas contrahi soleant. — Multa utilia de Rescriptis essent dicenda; sed ea prætermittimus, necessitate consulendi brevitati. De his vide nostrum *Manuale*, n° 51, etc.

42. Omnes litteræ apostolicæ sunt, aut in formâ solemniori *Bullæ*, aut in formâ *Brevis*.

« Bullæ dicuntur illæ litteræ apostolicæ... quæ expe-
« diuntur per Cancellarium sub plumbo sive sigillo plum-
« beo [1] pendente ex chordulis, conscriptæ in membranâ

[1] Ex eo denominantur *Bullæ*. Quandò verò sigillum est aureum,

« magis nigrâ et rudi, atque antiquo caractere gallico, « usitato scilicet eo tempore quo Curia romana commo- « rabatur Avenione in Galliâ » (Reiffenst., lib. 1, tit. 2, 17).

Sigillum plumbeum exhibet imagines SS. Petri et Pauli ex unâ parte, et Papæ regnantis ex alterâ.

Brevia sunt eæ litteræ quæ destituuntur formis solemnibus. Describuntur in membranis candidis, caractere nitido qui dicitur *latinus* ; subscribuntur non per Pontificem, sed per eum qui præsidet talibus expeditionibus; ipsis imprimitur *annulus Piscatoris* qui exhibet Petrum jacientem retia.

Non multum ante annos quadringentos inventus fuisse videtur annulus *Piscatoris*.

43. Brevia S. Pœnitentiariæ diversam ab his habent formam, sigillum et ministros.

Præter supradictas varias species litterarum apostolicarum sunt adhuc *Oracula vivæ vocis*, seu declarationes, decisiones, seu concessiones à S. Pontifice solâ voce, seu ore tenùs datæ ; alia sunt *authentica*, et alia *non authentica* : *authentica* habentur quando in scripturam rediguntur et testimonio illorum, quibus ex officio incumbit, consignantur. Si careant his conditionibus, authentica non sunt; possunt valere tamen pro conscientiâ.

De gratiis à S. Pontifice concessis attestationem facere possunt ex officio : 1° Cardinales quibus id fuerit commissum; 2° Legati et Nuntii, Notarii apostolici, Prælati, camerarii, Auditores sacri Palatii et Secretarii litterarum apostolicarum. *Prælect. S. Sulpitii* (n° 74, in fine) ubi citantur Reiffenst. (lib. 5, tit. 33, § 7, n°s 149-164) ; Ferraris, v° *Oracula vivæ vocis*.

IV. — De conciliorum decretis.

44. Concilia sunt *cœtus auctoritate legitimâ congregati ad tractanda negotia ecclesiastica, de quibus Episcopi pronuntiant.*

Bulla dicitur *aurea*, quod rarò contingit, et fieri tantùm consueverat in diplomatibus quibus electiones imperatorum à Papâ confirmantur. Sed hodie bullæ caractere latino conscribuntur, et sigillum plumbeum non adhibetur nisi in bullis solemnibus.

Controvertitur an Concilia sint institutionis divinæ. Vide Card. Gousset (*Exposit. des principes du droit canonique*, p. 172), qui probabiliorem reputat sententiam affirmantem. Non ideò tamen Concilia œcumenica habenda sunt ut absolutè Ecclesiæ necessaria, sed duntaxat sunt ipsi utilia, saltem ordinariè.

45. Soli Episcopi in conciliis vocem decisivam seu definitivam ex officio habent; hanc autem ex privilegio tantùm habent Cardinales non Episcopi, aut Abbates aliæque Dignitates in conciliis generalibus.

Circa quod non est prætermittenda sequens propositio à Pio VI in Bullâ *Auctorem fidei* damnata, nº 11, § 2: « Doc- « trina quâ Parochi aliive sacerdotes in synodo congregati, « pronuntiant unà cum Episcopo tanquam judices fidei, « et simul innuitur judicium in causis fidei, ipsis compe- « tere jure proprio, et quidem per ordinationem accepto « — (declaratur): *falsa, temeraria, ordinis hierarchici sub- « versiva, detrahens firmitati definitionum judiciorumve « dogmaticorum Ecclesiæ, ad minus erronea.* »

46. Concilia alia sunt generalia seu œcumenica, alia particularia; quæ iterum sunt, vel nationalia, vel provincialia, vel diœcesana.

Generalia, illa sunt ad quæ convocantur omnes Ecclesiæ universalis præsules. Minimè tamen requiritur ut adsint reverà omnes Ecclesiæ Episcopi, sed sufficit quòd convocentur. Vocari debent auctoritate Romani Pontificis, qui per seipsum vel per suos Legatos præesse debet, et ad quem etiam pertinet acta concilii confirmare. Concilium autem non potest esse verè œcumenicum nisi à S. Pontifice confirmetur, saltem quando ipse non præfuit nisi per Legatos.

47. Quando non convocantur Episcopi totius Ecclesiæ, tunc concilia sunt particularia. Nationalia sunt quidem, si vocentur ad concilium Episcopi totius alicujus nationis; convocari verò debent vel à Patriarchâ, aut à Primate, vel ab alio auctoritatem habente; non autem possunt convocari à Principe sine consensu S. Pontificis, etiam postulantibus ipsismet Episcopis (Card. Gousset, *Exposition*, etc., p. 239-241). Provincialia sunt, quando à Metropolitano

vocantur Antistites unius provinciæ; diœcesana verò quando Episcopus congregat in synodum Clerum suæ diœcesis, ut de his tractet quæ spectant ad curam pastoralem. Bened. XIV, *de Syn. diœces.*, lib. 1, cap. 1.

48. Primis Ecclesiæ sæculis, concilia provincialia bis in anno erant celebranda, ut videre est in canone 36 Apostolorum, can. 5, concilii Nicæni 1, canone 20 concilii Antiochiæ, anno 341. Hanc celebrationem semel tantùm singulis annis, concilia œcumenica Constantinopolitanum III et Nicænum II, præscripsere; quam Concilium Lateran. V et Tridentinum reduxere ad quodlibet saltem triennium (Trid., sess. 24, cap. 2, *de Ref.*). Sed rariùs, varias ob causas, à longo tempore fuerunt congregata.

Tacitè consentire videtur S. Sedes quòd, singulis trienniis, non convocentur concilia provincialia : quippe non solùm in Galliâ, sed et in Germaniâ, Austriâ, Hispaniâ, imò in Italiâ et in Statu Ecclesiastico, perpauca habita sunt, à tribus sæculis, si excipias provinciam Mediolanensem, tempore S. Caroli.

49. Ad concilium provinciale convocari debent : 1° omnes provinciæ Episcopi, qui, legitimo impedimento cessante, convenire tenentur, et si vocati « defuerint, sicut prisca « canonum præcepit auctoritas, usque ad proximam « synodum, à charitate fratrum et Ecclesiæ communione « priventur » (Dist. 18, can. 14). Hujusmodi pœnæ sunt ferendæ sententiæ, juxta S. Congr. Conc. Vide Card. Gousset (*Exposition*, etc., n° 286), et Concil. Trident. (loco supra citato).

2° Convocari debent etiam Capitula cathedralia ut per suos delegatos adsint : constat praxi perpetuâ Ecclesiæ et cap. *Etsi* 10, *de his quæ fiunt à Præl.*

3° Quoad Abbates et alios Prælatos inferiores, si habeant in clerum et plebem jurisdictionem quasi-episcopalem, jus habent ut convocentur et adesse debent; secùs, si hanc jurisdictionem non habeant, quamvis ordinariè invitentur.

4° « Episcopi, qui nulli Archiepiscopo subjiciuntur, ali- « quem vicinum Metropolitanum semel eligant, in cujus « synodo provinciali cum aliis interesse debeant, et quæ

« ibi ordinata fuerint, observent ac observari faciant » (Conc. Trid., sess. 24, cap. 2).

50. Nota quòd, impedito Metropolitano, aut vacuâ ipsius sede, convocari debeat concilium ab antiquiore provinciæ Episcopo (*De Syn. diœces.*, lib. 2, c. 9, nº 8).

51. Non omnes qui convocantur ad synodum provincialem, idcirco jus habent in eo suffragandi; sed hoc competit duntaxat : 1º Episcopis provinciæ præsentibus; 2º Abbatibus, seu Regularibus seu Commendatariis, jurisdictionem quasi-episcopalem habentibus; 3º saltem probabiliter, Vicariis capitularibus, sede vacante. Ita multi ap. *Prælect. S. Sulp.*, nº 202. Majoritate votorum negotia in Concilio sunt definienda. Vocem præponderantem non habet Metropolitanus, etiam casu quo suffragia scinduntur, et tunc res in suspenso manent.

52. Causæ, in Concilio provinciali pertractandæ, sunt præsertim disciplina, reformatio abusuum et criminum repressio.

Plerumque in eo non agitantur causæ ad fidem pertinentes. Si tamen hæreses fuerint subortæ, vel opiniones contra bonos mores, illas potest synodus condemnare; sed ipsius judicium, nonnisi accedente solemni Sedis Apostolicæ confirmatione, reponendum est inter dogmata fidei. Sic concilia Carthaginense et Milevitanum hæresim Pelagii damnaverunt; et Arausicanum profligavit Semipelagianismum. Memores esse debent Episcopi ipsis non licere definire quæ liberæ catholicorum disputationi dimittuntur.

53. Variis monumentis constat concilia provincialia, imò et nationalia, nihil, etiam antiquitùs, decernere potuisse *præter sententiam Romani Pontificis* : quòd tamen, juxta Muzzarelli (*Remarque sur l'histoire de Fleury*, p. 150, etc.), non fuit semper ad praxim rigorosè deductum. Ideò ipsorum acta antequam publicentur, subjicienda sunt Sanctæ Sedis correctioni; sic usitatum fuit in Galliâ, sæculis præteritis, et talem esse hodiernam praxim patet ex novissimis conciliis (Bouix, *Conc. Prov.*, p. 368-405, et Card. Gousset, *Observations sur un mémoire adressé à l'épiscopat*, p. 101). « Nec ullum ratum est, aut erit unquam, concilium,

« quòd non fultum fuerit ejus (Romani Pontificis) auctoritate. » Dist. 17, c. 2. Unde, in Constit. *Immensæ* Sixti V, sancitum est : « Provincialium verò, ubivis terrarum illa celebrentur, decreta ad se mitti præcipiet (Congr. Concilii), eaque singula expendet et recognoscet. »

54. « Non quidem hoc statuit Pontifex, ut postea confirmationem reportent (hujusmodi decreta) à Sede Apostolicâ, sed ut corrigatur, si quid fortasse, in iisdem, aut nimis rigidum aut minùs rationi congruum deprehendatur. Non semel tamen accidit à S. Pontifice, petentibus Metropolitanis..., per apostolicas litteras confirmari. » Ita Bened. XIV (*de Synod.*, lib. 13, cap. 3), qui addit, juxta Suarez et Fagnan, « confirmationem Pontificis, « robur quidem adjicere actui confirmato, sed nequaquam « extendere (ad universalem Ecclesiam); nisi aliter superior expresserit. » Non tamen hæc confirmatio sanat defectus juris si fortè in decretis Concilii provincialis irrepserint, nisi confirmatio fuerit in *formâ specificâ* cum clausulâ ex *motu proprio* et ex *certâ scientiâ*. Unde, præfato casu excepto, ab iis appellari posset. Vide Bouix, *de Episcopo*, t. 2, p. 392; et præsertim, *Revue des sciences ecclésiastiques*, 20 février 1861, p. 152-155. Unde juxta Card. Gousset, *Exposition des principes*, etc., p. 157 : « Le jugement des Cardinaux est... la déclaration qu'un Concile « (provincial) ne renferme rien qui soit digne de censure..., « quoiqu'il arrive quelquefois que ce concile contienne, « même après avoir été corrigé, certains règlements que « la Congrégation tolère plutôt qu'elle n'approuve. Le « Saint-Siége garde le silence quand il ne croit pas opportun de réclamer, attendant que le temps et les circonstances lui permettent de le faire sans inconvénient. » Vide etiam *Prælect. S. Sulpitii*, n° 204; et plura alia circa concilia provincialia, ap. Bouix (*du Concile provincial*), et ap. Card. Gousset (*Exposit.*, etc., n^is^ 265-322).

Quoad concilium seu synodum diœcesanam, vide quæ dicturi sumus infra (411).

55. Sed nota hîc quòd decreta synodalia non sint necessariò submittenda Sacræ Congregationi Concilii, antequam executioni demandentur. V. Bened. XIV, *de Synod.*, lib.

13[1], cap. 3, n° 6, et Bouix, *de Episcopo*, t. 2, p. 391.

56. Quærit. 1° Quænam sit auctoritas Conciliorum?

Resp. Vim legis universalis habent, et sunt unus ex fontibus juris canonici strictè sumpti, si sint œcumenica. Eamdem verò vim non habent quando sunt particularia, nisi S. Pontifex, ea confirmando, ipsorum obligationem extendat ad totam Ecclesiam, aut hujusmodi extensionem obtineant per legitimam consuetudinem; ratio patet.

57. Quærit. 2° Utrum ad derogandum decretis Concilii generalis requiratur expressa hujus mentio?

Resp. Non paucos affirmare, qui et exigunt quòd fiat derogatio similibus verbis : *non obstante quâcumque lege, etiam in Concilio generali editâ.* Imò Sanchez et plures alii dicunt quòd, si agatur de aliquo concilio generali novissimo, ut nunc est Tridentinum, expressa debeat fieri mentio hujus concilii nominatim. Sed Reiffenstuel, citans Fagnanum, dicit quòd si derogetur per posterius decretum Concilii generalis, vel per novas Constitutiones pontificias, nullâ opus sit mentione expressâ concilii cui derogatur; sufficit quòd novum decretum vel nova Constitutio sit eidem directè contrarium vel contraria : quia in his casibus applicari potest decisio, cap. 1, *de Constit.*, in 6°, ubi dicitur : « Licet Romanus Pontifex (qui jura omnia in scrinio pec-« toris sui censetur habere), constitutionem condendo pos-« teriorem, priorem, quamvis de ipsâ mentionem non « faciat, revocare noscatur. Etc. »

58. Si verò derogetur per rescripta apostolica, nisi agatur de Concilio Tridentino, tunc necessariò est expressa mentio Concilii; id est enuntiari oportet quòd derogetur, *cæteris contrariis, etiam in concilio generali statutis.* Ità Glossa[1], cap. *licet* 1, *de Constit.* v° *noscatur* in 6°, et multi canonistæ, inter quos Card. de Luca, qui hanc sententiam appellat indubiam. Vid. etiam Card. Sogl., *Inst. jur. publici*, § 31. Ratio est quia constitutiones et decreta concilii generalis cum summâ maturitate et pro totâ communitate feruntur; non sic autem rescripta quæ diriguntur ad personas particulares, et propter importunitatem pe-

[1] Ubi dicitur : *Rescripta data contra legem non valent nisi in ipsis fiat mentio de lege.*

tentium quandoque contra jus obtinentur; unde S. Pontifex meritò præsumi debet nolle derogare decretis Concilii generalis, nisi de eo mentionem faciat.

59. Dixi *nisi agatur de Concilio Tridentino* : quia tunc sufficit clausula illa generalis : *non obstantibus constitutionibus apostolicis*, vel alia æquipollens; et illud deducitur ex cap. 21, sess. 25 Conc. Trid. *de ref.*, in quo Concilium omnia et singula quæ statuit, *de morum reformatione et ecclesiasticâ disciplinâ*, ita decernit ut *in his salva semper auctoritas Sedis Apostolicæ et sit et esse intelligatur*. Talis est praxis Curiæ romanæ. Imò Fagnanus dicit quòd satis sit ut Papa disponat contrarium ejus quod sancivit Concilium, dummodò supplicatio manu Papæ signata fuerit, prout expressè declaravit S. Pius V, in suo motu proprio diei 23 decembris 1566.

60. Quærit. 3° Utrum concilium Trid. sit receptum in Galliâ quoad disciplinam? Dicitur *quoad disciplinam*, quia quantùm ad decreta fidei, in Galliâ, sicut in universâ Ecclesiâ, summo et venerabundo consensu esse receptum nemo ambigit.

Resp. Ad petitam quæstionem sic respondet Billuart, verbis Joannis Cabassut. et Joannis Pontas utens :

« Cabassutius, *Notitia ecclesiastica* sæculi 16, *de Concilio Trid.* hæc habet : *Postremò, Edictum confirmationis Sacros. Concilii publicatum Romæ 7° Kalendas Februarii, anno* 1564, *universus Clerus gallicanus, in provincialibus... conciliis atque in generalibus sacri Cleri comitiis, Sacrosanctæ hujusmodi Synodi decreta ita amplexus est, ut nefas sit eis refragari.*

« Pontas verò, verbo *Bénéficier*, casu 27, sic loquitur « gallicè : « Le Concile de Trente a été reçu unanimement « par l'assemblée générale du clergé de l'Église gallicane, « convoquée et tenue à Paris en l'année 1615, ainsi qu'on « le voit par les pièces contenues dans les Mémoires du « clergé : *Après une longue et mûre délibération*, disent « les Prélats assemblés, *du commun et unanime consente- « ment de l'Assemblée, la résolution suivante y a été faite : « Les Cardinaux, Archevêques, Évêques, Prélats et autres « ecclésiastiques soussignés, représentant le Clergé général*

« *de France, assemblés par la permission du Roi..., ont una-*
« *nimement reconnu et déclaré, reconnaissent et déclarent*
« *qu'ils sont obligés par leur devoir et conscience à recevoir,*
« *comme de fait ils ont reçu et reçoivent ledit Concile de*
« *Trente, et promettent de l'observer autant qu'ils peuvent*
« *par leurs fonctions et autorité spirituelle et pastorale.* »

« Huic decreto suscripserunt 51 tàm Cardinales quàm
« Archiepiscopi et Episcopi... et 28 alii ecclesiastici depu-
« tati. » (Billuart, *de Regul. Fidei*, diss. 5, art. 5, p. 168.)

Duodecies jam à rege petierant Episcopi gallicani receptionem Concilii Trid. per gubernium, nec obtinere eam potuerant. Sic in comitiis anni 1578, loquebatur orator Cleri Arnaud de Pontac Episcopus Valentinensis : « Le
« clergé a choisi de toutes les règles de réformation celles
« qui ont été dictées et écrites par le Saint-Esprit au saint
« et universel Concile de Trente, *parce qu'ils sont liés et*
« *astreints aux lois ainsi faites* par l'Église universelle sur
« peine d'être tenus pour *schismatiques envers l'Église ca-*
« *tholique*... et d'encourir envers Dieu anathème et perpé-
« tuelle damnation... Il pleure et lamente ce mauvais
« conseil de ceux qui vous en ont divertis jusqu'ici. » Porrò hujusmodi denegatio, nisi dicatur auctoritatem Ecclesiæ essse submittendam civili potestati, legitimè impedire non valuit obligationem Concilii in Galliâ. « Ainsi, quoique de
« fait, inquit Bouix (*du Conc. prov.*, 4e partie, chap. 20,
« p. 507), certains décrets de la discipline de Trente soient
« tombés en désuétude en France, ou même n'y aient
« jamais été mis en pratique, comme cela est arrivé en
« d'autres pays, où la publication du concile a été faite, il
« demeure incontestable que l'autorité ecclésiastique a
« réellement et authentiquement reçu ce concile et quant
« au dogme et quant à la discipline, sans la moindre res-
« triction. » Vid. etiam Card. Gousset, *Exposition des principes*, etc. (nos 409-414).

61. Nota quòd, ante semper lugendam perturbationem 1789, epochis periodicis fiebant in Galliâ Cleri comitia (assemblées du clergé), ad quæ conveniebant tum certi Episcopi deputati à singulis provinciis ecclesiasticis, tum sacerdotes deputati ex Clero secundi ordinis earumdem

provinciarum, ad deliberandum de rebus temporalibus Ecclesiarum, et speciatim de subventionibus gubernio à clero præstandis.

Illa comitia, quamvis non semel quæstiones fidei et disciplinæ tractaverint, à conciliis propriè dictis tamen differebant, tum ratione finis, tum ratione objecti. Et quoad quæstiones ecclesiasticas, evidens est haud potuisse istis comitiis majorem inesse auctoritatem quàm conciliis. Imò reverà nulla iis comitiis inerat vera auctoritas canonica circa hujusmodi negotia, cùm à canonibus nont sint recognita.

V. — De romanis congregationibus quatenus sunt fontes juris canonici.

62. Multiplici numero sunt Congregationes Romanæ, nempe *Inquisitionis*, *Indicis*, *Concilii*, *Rituum*, *Super negotiis Episcoporum et Regular.*, etc. Sunt etiam Romæ plura tribunalia, *Pœnitentiariæ*, *Datariæ*, etc. De singulis agemus infra (371, etc.).

Hìc examinandum est utrum illarum decisiones vim habeant totam Ecclesiam obligandi : quæstio instauratur præsertim quoad decisiones Congregationis Concilii, ob speciales facultates quibus à S. Sede donata fuit.

63. Instituta fuit illa congregatio à Pio IV, anno 1564, ad procurandam observationem decretorum concilii Trid. Huic postea S. Pius V concessit facultatem decidendi causas et controversias interpretationem Concilii spectantes. Sixtus verò V, per Bullam *Immensa æterni*, anno 1589, ei adjecit facultatem, consulto tamen Pontifice, interpretandi dubia et difficultates occurrentes circa reformationem morum, disciplinam, judicia ecclesiastica, etc., reservata tamen semper Sedi Apostolicæ interpretatione decretorum, quæ fidei dogmata concernunt et alia multa.

Ipsius auctoritas ad universam Ecclesiam extenditur : sic enim habet Bulla *Immensa* : « Habeat itidem Congre-« gatio, auctoritatem promovendi reformationem cleri et « populi, nedum in Urbe et Statu Ecclesiastico temporali, « sed etiam in universo christiano orbe, in iis quæ perti-« nent ad divinum cultum propagandum, devotionem exci-

« tandam et mores christiani populi ad præscriptum ejus-
« dem Concilii componendos. »

64. Ut ad propositam quæstionem nunc deveniamus : Nulli dubium est, inquit S. Liguor. (libr. 1, n° 106, q. 2), quòd pro casibus, pro quibus fiunt declarationes, obligent ut leges.

Item quòd si promulgentur eâ solemnitate quâ leges ferri solent, cùm id fiat auctoritate S. Pontificis, procul dubio vim legis perpetuæ habebunt totam Ecclesiam obligantis (Salmant. ap. S. Liguor. *ibid.*).

His suppositis, tres sunt sententiæ juxta D. Bouix (*de Principiis*, p. 308).

65. *Prima* negat decisiones Congr. Concilii vim universalis legis habere : 1° Quia Congregatio non utitur verbis imperativis, sed tantùm verbis *censuit*, *censemus* ; 2° quia non promulgantur ipsius decisiones ; 3° quia sibi non semper concordant. Vide alias rationes, ap. D. Bouix (p. 309).

Unde juxta patronos hujus sententiæ, Pontifex, in hujusmodi decisionibus, non loquitur ut Ecclesiæ caput et Doctor, sed tantùm ut Præses Congregationis, cui non communicat totam suam auctoritatem et infallibilitatem (Vide S. Liguor. ut supra). Hæc sententia est Sanchez, Bonac., Suar., Croix, Salmantic., etc., etc.; probabilis habita fuit à S. Liguor., in primis suæ Theolog. editionibus; sed, in posterioribus, sic suam primam appretiationem revocavit : « Addendum tamen quòd hujusmodi declara-
« tiones, quæ jam in Ecclesiâ universaliter divulgatæ et
« facto sic promulgatæ fuerint usu plurium annorum vel
« relatione auctorum communiter ipsas referentium, hæ
« satis omnes fideles, obstringunt » (*Elench. retractat. addduntur*, etc., q. II).

66. *Secunda* sententia affirmat : 1° Quia illæ decisiones ejusdem auctoritatis sunt, quando sunt authenticæ, ac si à S. Sede immediatè emitterentur, juxta axioma juris : *Qui facit per alium, est perinde ac si faciat per seipsum ;* quippe ad hoc delegata fuit Congregatio, ut constat ex Bullâ Sixti V *Immensa*. Porrò declarationes S. Pontificis vim habent totam Ecclesiam obligandi. Ergo, etc. Alia argumenta legi possunt ap. Bouix (*ibid.*). Vide etiam infra (389).

Nec obstat eas non fuisse promulgatas : quia promulgatione indigent leves novæ, non autem declarationes de legibus jam promulgatis. Dicunt tamen auctores, ait S. Liguor., necessarium esse quòd in ipsâ declaratione exprimatur eam fuisse *latam mandato S. Pontificis*, aut saltem *Pontifice consulto* ; nam in Bullâ Sixti V dicitur : « Interpretandi facultatem (Nobis autem consultis) imper- « timur. » Verumtamen concedunt hujusce sententiæ patroni, saltem duas decisiones Congregationis fuisse immutatas. Illa sententia est Fagnani, Reiffenstuel, Card. Luca, Barbosa, Bouix, *de Principiis*, p. 308-320.

67. *Tertia* sententia distinguit inter declarationes, quæ vocari possunt *comprehensivæ*, quia non recedunt à propriâ verborum significatione ; et declarationes, quæ vocantur *extensivæ*, quia aliquid denotant non comprehensum in propriâ verborum legis significatione. Priores habent ubique vim legis et etiam effectum retroactivum, ob rationes allatas pro secundâ sententiâ, posteriores verò vim non habent, nisi ex speciali mandato Papæ edantur et legitimè promulgentur ; quia sunt novæ leges, auctoritatem legislativam exposcentes ; et effectum retroactivum nequeunt habere. Hæc sententia est Schmalzgrueber. Rationi allatæ à Schmalzgrueber respondent patroni primæ sententiæ, ap. S. Liguor., quòd tales declarationes, quando fiunt de rebus dubiis, in quibus exstare possunt opiniones contrariæ circa intelligentiam legis, se habent ut novæ leges, ideoque promulgandæ sunt. Sed istius tertiæ sententiæ sequaces negant præfatas declarationes esse novas leges, quia, in factâ hypothesi non mutatur lex, sed explicatur ; porrò ut decisio ab auctoritate competenti dimanans obliget, requiritur quidem ut innotescat, non verò requiritur ut promulgetur seu intimetur communitati, prout fit quando de lege statuendâ agitur : decisio enim non est mandatum sicut lex. Ergo, etc. Constare tamen debet de authenticitate declarationum : porrò : « La signature du Cardinal Préfet, « avec celle du Secrétaire et le sceau de la Congrégation, « confère l'authenticité aux résolutions et sentences, et « leur donne force légale devant les tribunaux et magis- « trats inférieurs, qui doivent ajouter foi aux résolutions

« présentées sous cette forme authentique. » Ita *Anal.* l. 16 col. 2378, ubi varia decreta allegantur. Attamen ut in conscientiâ obligent declarationes S. Congr. sufficit hodie, juxta communem sententiam, ut de illis certò constet. Imò juxta Stremler, *Des Peines eccl.*, p. 562, hoc etiam sufficit coram tribunalibus et magistratibus.

68. In suo tractatu *de Principiis* (p. 308) D. Bouix : Concedebat licitum esse denegare declarationibus Congreg. Concilii rationem et vim legis obligantis. Saltem in dubio an ipsæ habeant, nec ne, vim obligantem, eas non obligare dicit Laymann, ap. S. Liguor. ut supra ; sed suam sententiam retractavit D. Bouix in suo Tract. *de Curiâ Romanâ* (pars 3, cap. 7) ; sic enim concludit : « Hodie « probabilem non esse nec in praxi tutam sententiam quæ « S. Congreg. Concilii declarationibus vim legis universa- « lis denegat, eò quòd S. Congreg. non privatâ, sed Apos- « tolicâ auctoritate, urgeat observationem suarum decla- « rationum, et eos redarguat, qui his non obtemperant. »

Sed in omni hypothesi negari nequit hujusmodi declarationes esse summi ponderis, prout satis probat communis canonistarum praxis terminandi quæstiones adducendo decisiones Congregationum Romanarum. Temeritate autem difficilè carere videretur qui suum judicium prævalere vellet sententiis Congregationum, quas amplissimi Cardinales, ecclesiasticæ disciplinæ et sacrorum canonum peritissimi constituunt.

69. Similis est controversia circa auctoritatem decisionum aliarum Congregationum. Nota ex Schmalzgrueber (*Jus eccl. dissert. proœm.*, n° 384) quòd : « Uniformitates « responsorum ac sententiarum super eodem articulo « sæpiùs et uniformiter redditorum, inducit stylum et « praxim Curiæ ; stylus autem et praxis Curiæ jus facit. »

Ita communiter DD. : « Decisiones *Rotæ* minorem utique « quàm declarationes S. Congreg. auctoritatem habent. »

« An verò regulæ Cancellariæ [1] obligent ubique ? negat

[1] Hujusmodi regulæ sunt numero 72, quas unusquisque S. Pontifex pro suî pontificatûs duratione renovat, postridiè suæ electionis. Primus Joannes XXII illas ordinatim collegit ac transcribere fecit. Card. Gousset, *Exposition des principes*, etc., p. 110.

« Lessius.... qui ait obligare tantùm in Curiâ Romanâ, « et huic adhærent Diana et alii. Sed affirmat Mazzot, cum « Azor, Gomez, etc.; quia sic fert praxis. » S. Liguor. lib. 1, 106.

Huic sententiæ fortiter adhæret D. Bouix, qui ait (*de Princip.*, p. 291) : « Regulæ illæ tanquam pars juris com- « munis habendæ sunt, non minus ac cætera Pontificis « decreta, quæ de disciplinâ universali disponunt. » Item Card. Gousset, *Exposition*, p. 114. Sed iis per Concordata in pluribus fuit derogatum.

VI. — De consuetudine quatenus est fons juris canonici.

1° *De natura consuetudinis et variis ipsius speciebus.*

70. — I. Consuetudo de quâ hîc agitur : alia est *facti* et definitur : « *Similium alicujus communitatis actuum frequentia.* Alia est *juris* quæ vocatur *jus non scriptum ;* et definitur ab Isidoro : « *Jus quoddam, moribus institutum quod pro lege suscipitur, cùm defixit lex* » (Cap. *Consuetudo* 3, dist. 1) ; et definiri etiam potest : « *Jus per similium alicujus communitatis actuum frequentiam acquisitum* ».

Dicitur : 1° *Frequentia*, quia actus per plures vices debent esse repetiti juxta prudentium *arbitrium*, ut dicunt Salmant. cum Palao, Bonac., Suar., etc., contra Less., etc., qui contendunt duos vel tres actus sufficere (S. Liguor., lib. 1, n° 107).

Dicitur : 2° *Alicujus communitatis* ; non cujuscumque, sed quæ sit capax potestatis legislativæ pro seipsâ, vel saltem sufficiens ut vera lex illi possit imponi (Suar., *de Leg.* lib. 7, cap. 9, n° 6). Communitas ergo quæ familia dicitur, non esset sufficiens, quia lex vera illi imponi nequit, sed præceptum tantùm.

71. — II. Consuetudo 1° Alia est *secundùm jus*, quæ aut legem dubiam interpretatur, aut confirmat et adjuvat deducendo in opus. Alia *præter jus*, quæ aliquid statuit, ubi deficit lex. Alia *contra jus* quæ legem abrogat. vel non sinit illam obligare, quando nondum est accepta.

72. Dividitur 2° In *generalissimam* quæ vim habet in toto christiano orbe ; *generalem*, quæ in totâ aliquâ provinciâ ; et *specialem*, quæ in aliquâ tantùm urbe, pago, etc.

73. Dividitur 3° In *judicialem*, quæ inducitur pluribus sententiis conformibus super eodem causarum genere : duo judicia conformia intra decennium sufficiunt, modò contrarium, per illud tempus, non sit judicatum. Et *extrajudicialem*, quæ longo populi usu extra judicium inducitur.

74. Non *juris*, quidem cùm mala consuetudo nequeat jus facere, sed *facti* consuetudo dividitur : 4° in *bonam* et *malam*, seu rationabilem et irrationabilem : malam esse consuetudinem duplici modo contingere potest : *Intrinsecè* quidem, quando est contra legem naturalem aut divinam ; *Extrinsecè* autem, quando ipsius actus prohibentur per legem, vel mali sunt propter adjunctam circumstantiam pravam quæ cessare potest.

Consuetudo mala *intrinsecè* dicitur *abusus* seu *corruptela*, et nunquam in jus transire potest, mala *extrinsecè* posset evadere bona per ablationem sive prohibitionis sive pravæ circumstantiæ adjunctæ.

75. Dividitur : 5° In consuetudinem *à jure non repulsam*, et consuetudinem *à jure abrogatam*, *prohibitam et reprobatam ;* quæ tria non sunt confundenda : quando lex *abrogat*, hoc intelligitur de consuetudine antea existente, quæ abrogatur quidem, sed non ideo declaratur mala aut irrationabilis. Quandò lex *prohibet*, illud intelligi debet etiam de consuetudine quæ in futurum introduceretur, quæ tamen non ideò declaratur mala vel irrationabilis Quandò tandem *lex reprobat*, eo ipso declaratur *mala* et *irrationabilis*.

76. Abrogans censetur clausula, *non obstante quâcumque consuetudine*. Prohibens verò censetur : *Nolumus contra hanc legem aliquam consuetudinem valere*. Reprobantes denique habendæ sunt clausulæ sequentes : *consuetudinem illam penitùs improbantes : cùm non tàm consuetudo quàm corruptela meritò sit censenda*.

77. Dividitur : 6° In *legitimè præscriptam* et *non præ-*

scriptam, de quibus infra (quamvis pariter consuetudo non præscripta non faciat jus).

Ex his patet consuetudinem multùm differre à præscriptione, quæ introduci potest à privatis personis et tendit ad acquisitionem juris in particulari; dùm consuetudo introducitur tantùm à communitate et inducit jus commune.

2° De conditionibus requisitis ut vim legis habeat consuetudo.

78. Aliæ requiruntur ex parte Communitatis, aliæ ex parte ipsius Consuetudinis, aliæ ex parte Principis.

I. *Ex parte communitatis.* Consuetudo induci debet à communitate, cui saltem vera lex possit imponi, à majore ipsius parte, ex certâ scientiâ, per actus publicos et etiam liberos, non verò ex vi aut timore elicitos, cum intentione se obligandi, si agatur de consuetudine *præter jus*, aut etiam fortè cum conscientiâ quòd adsit obligatio, et non interrumpantur actus ante consuetudinis completionem. Hæc explicatione indigent :

Dicitur ergo : 1° A *communitate cui saltem*, etc.; de eo jam diximus supra (70, dicitur 2°).

79. — 2° *A majore parte ipsius:* quia obligatio inducitur à communitate, consentiente principe; sed à communitate revera non induceretur, si minor pars tantùm consuetudinem servaret.

In hoc verò notandum est, juxta Suarez (*de Leg.*, lib. 7, cap. 9, n° 13, in fine), quòd « omnes conveniunt esse « computandas tantùm personas habiles ad præstandum « consensum..... Unde excluduntur omnes infantes et « amentes. Aliqui etiam omnino excludunt feminas quæ « non possunt legem ferre; et in viris excludunt omnes « minores 25 annis. Neutrum tamen video sufficienter « ex jure probari, nec ratione convinci. » Ita etiam S. Liguor. (lib. 1, n° 107, I.)

80. — 3° *Ex certâ scientiâ :* Communiter auctores requirunt illam conditionem, quia princeps non intendit acquiescere consuetudini, nisi communitas velit se eximere à lege, vel sibi legem imponere, quod fieri nequit ubi adest error

ex parte communitatis falsò existimantis, vel non adesse legem contra quam agit, vel se teneri ad legem quam per consuetudinem sibi imponit. Sed in hoc aliquod mihi suboritur dubium; nec benè intelligo quomodo conciliari possit illa assertio communis, cum sententiâ multorum qui requirunt bonam fidem in communitate pro stabiliendâ consuetudine legem abrogante. Pro hâc enim sententiâ sunt Glossa, cap. *Non est, de Consuet.*, in 6°, v° *Canonicè*; Suarez, lib. 4, *Defens. fidei*, c. 31, 29; Laymann, Lessius etc., ap. Reiffenstuel; Billuart, t. 11, p. 171, *de Just.*, *dissert.* 4, art. 3, *de Præscript.*, § 8; *Theologia Tolosana, de Legibus*, in fine. Suarez tamen aliter sentit. *Tract. de Leg.* lib. 7, c. 18, n^is 8 et 25. Vide infra (94). Si enim actus eliciti contra hujusmodi leges debeant esse (juxta dictos auctores) immunes à peccato, quomodo præfati actus debent et possunt fieri cum intentione se eximendi ab obligatione legis? Præterea non clarè percipitur cur princeps non deberet auferre obligationem legis in favorem communitatis quæ contra illam à longo tempore agit quamvis ex ignorantiâ. Tunc enim ablatio legis utilis videtur, cùm ordinariè multùm difficile sit adducere populum ad observandam legem, quæ, etiam bonâ fide, in desuetudinem abiit : nec pariter video cur princeps nequeat obligatoriam reddere consuetudinem quam communitas, per tempus præscriptum, observat ut obligantem, quamvis ex errore sic agat. Hæc tamen sapientiorum judicio omnino submittimus.

81. — 4° *Per actus publicos :* ut omnes de populo, vel major pars in præstando consensu possit convenire, et talis consuetudo possit esse nota Principi : ideòque actus debent esse publici, saltem notorietate facti (Suar., *de Leg.*, lib. 7, c. 10, n° 5).

82. — 5° *Per actus liberos*, etc. Quia aliter non censetur consentire superior : præsumi enim nequit velle subditos injusto metu cogi ad sibi imponendas obligationes ad quas non tenentur, vel ad se eximendos ab obligationibus quibus justè obstringuntur. Hæc in multis facilè possunt Galliæ applicari. Vide dicta supra quoad Concil. Trident. (60).

83. — 6° *Cum intentione se obligandi*, etc. Nam si ex

merâ devotione agat populus, vim legis non habebit consuetudo : qualis v. g. audiendi quotidie missam, sæpiùs per annum confitendi, vel communicandi, recitandi ter Salutationem Angelicam, cineres recipiendi Quadragesimæ initio, etc. — In dubio utrum ex merâ devotione, an etiam ex voluntate se obligandi, introducta fuerit consuetudo, præsumendum est quòd potiùs ex devotione : item in dubio an sub gravi vel levi, ad culpam, vel pœnam, fuerit intentio se ligandi, benignior pars est tenenda. Animus se obligandi cognoscitur ex circumstantiis, nempe si consuetudo constanter observetur et cum non levi incommodo, v. g. consuetudo jejunandi in vigiliâ Pentecostes, si transgressores puniantur, etc. (S. Liguor., lib. 1, 107, IV).

84. — 7° *Et non interrumpantur*, etc. Est sententia communis : quia aliter consuetudo non legitimè foret præscripta.

Interrupta autem, etiam per unum actum contrarium, factum ex populo, ex certâ scientiâ, vel per punitionem à superiore inflictam, de novo inchoanda est, alioquin non valebit consuetudo.

Si verò fuerit jam completa et firmata, non revocatur per unum actum populi contravenientis, saltem si esset *præter jus*. Si verò esset *contra jus*, vide infra dicenda de abrogatione consuetudinis per contrariam consuetudinem (102).

85. — II. *Ex parte ipsius consuetudinis.* — Consuetudo debet esse bona et rationabilis, cap. *Cùm tanto* 11, *de Consuetud.*, in quo dicitur : « Licet longævæ consuetudinis non « sit levis auctoritas, non tamen est adeò valitura ut vel « jure positivo aliquod debeat præjudicium generare, *nisi* « *fuerit rationabilis* et legitimè sit præscripta. » Ita omnes : et ratio est quia objectum legis debet esse bonum et utile communitati, quod non esset, si consuetudo non esset rationabilis vel bona.

86. Porrò bona et rationabilis habenda erit consuetudo, quandò tale erit ipsius objectum quod potuisset esse objectum justæ legis. Unde nec debet adversari juri naturali aut divino, nec à jure canonico reprobari, nec præbere licentiam vel occasionem peccandi, nec esse communi utilitati

perniciosa, nec per eam rumpi debet nervus ecclesiasticæ disciplinæ.

87. Hinc 1° non valeret consuetudo non servandi ulla interdicta vel excommunicationes, vel non se subjiciendi visitationi Episcopi ; quia sic rumperetur nervus ecclesiasticæ disciplinæ (Cap. *Cùm inter*, *de Consuet.*, et cap. *Irrefragabilis*, 15, *de Offic. Ordin.*).

88. Item 2° Non valet, sed irrationabilis habenda est, consuetudo adversa libertati et immunitati ecclesiasticæ, nisi nitatur privilegio Sanctæ Sedis. Ita omnes ; si excipias Covarruviam et Julium Clarum; quia talis consuetudo reprobatur à jure (Cap. *Noverit*, 4, *de Sent. excomm.;* cap. *Cùm terra*, 14, *de Elect.*, et Bulla *Cœnæ*). Card. Soglia (*Inst. jur. publ.*, § 21, p. 47).

Dixi : *Nisi nitatur privilegio S. Sedis :* sic in Concilio generali Lugdunensi Gregorius X regibus tribuit jus Regaliæ in quibusdam casibus.

Item 3° Non valet consuetudo *Placiti regii*, quia per eam lædítur libertas ecclesiastica.

89. Item 4° Abusiva est et nullius momenti consuetudo non acceptandi decreta S. Pontificis, nisi antea probata fuerint ab Episcopis, etiam in casu quo aliter præscribit S. Pontifex ; quia per talem consuetudinem, rumpitur nervus ecclesiasticæ disciplinæ, et quia sic adversatur ordinationi à Christo statutæ.

Item 5° Consuetudo quòd Legati S. Sedis non recipiantur in provinciis, est contra libertatem ecclesiasticam (Extrav. *Super gentes*, et Brev. Pii VI *Super Nuntiaturis*).

90. — III. *Ex parte principis.* — Ex hâc parte, requiritur ut consentiat S. Pontifex, si agatur de legibus Ecclesiæ communibus : consuetudo enim est lex ; ergò ab eâdem fonte dimanare debet ac leges ; proinde à S. Pontifice, quandò de legibus communibus Ecclesiæ agitur [1].

91. Triplici modo consentire potest S. Pontifex : *expressè*, *tacitè* et *legaliter*, seu generaliter aut juridicè.

[1] Juxta Suarez (*De Legib.*, lib. VII, cap. XIII) consensus Principis *est præcipua causa efficiens consuetudinarii juris.*

1° Consensus *expressus*, satis intelligitur, et de eo nulla difficultas moveri potest.

92. 2° *Tacitus* consensus locum habet quando Pontifex, videndo consuetudinem, non contradicit, quamvis commodè reclamare posset. Meritò enim tunc præsumitur consentire, si rationabilis sit consuetudo et cognoscatur ab ipso. Ita omnes. — In eâdem hypothesi, si dubitetur utrum consuetudo sit rationabilis, concludi legitimè potest illam esse rationabilem ex eo quòd taceat Pontifex. Si enim illam irrationabilem judicaret, certè contradiceret, cùm ex hypothesi facilè possit reclamare. Si verò Pontifex destituatur commoditate reclamandi, tunc concludi nequit ipsum ideò silere quia acquiescit consuetudini *contra legem* : cùm ratio ipsius silentii sit forsan timor majoris detrimenti orituri ex ipsius reclamatione : nempè, forsan vel schismatis ex parte populi, vel persecutionis ex parte potentium, curiarum, parlamentorum, etc.; ex quo fit ut debeat tunc servare prudens silentium. In hoc ergo casu, consuetudo non præscribit *contra legem*, cùm legislator censendus sit velle suam legem esse servandam quandò legitimè illius abrogationi non potest præsumi consentire; hinc v. g., ex eo quòd per multum tempus siluerit, non ideò S. Sedes censetur consensisse mutationi Breviarii et Missalis Pii V, ut respondit S. Rit. Congr., 10 januarii 1852, D. Lottin, Cenomanensi Canonico.

93. « Meritò tamen (tunc), ait D. Bouix, *de Princip.*, « p. 356, præsumi potest Pontifex consentire ut suspen- « datur obligatio legis, donec mentem suam liberè mani- « festare possit. »

« Si desuetudo, inquit S. Liguor. (libr. 1, n° 139, « Lim. 3°), nondùm sit præscripta, cæteri tamen non « tenentur ad legem : nam præsumitur princeps nolle « hoc obligare ad observandum quod non est à majore « parte receptum. » Ita etiam Billuart, *de Just.*, diss. 4, art. 3, § 8 in fine ; Card. Gousset, *Exposition*, etc., n° 403, *et alibi*.

94. Nec objici valet dictum S. Augustini : *Quæ sunt contra bonos mores, nec facit, nec tacet Ecclesia :* quia non ideò tacet Ecclesia quòd S. Sedes palàm non reclamet,

opportuniora tempora illud faciendi prudenter exspectans: si enim corruptela esset consuetudo, eo ipso quòd adversaretur generali doctrinæ Ecclesiæ, ut damnata habenda esset.

95. Dixi *contra legem :* Nam si consuetudo sit tantùm *præter jus*, etiamsi Papa non habuerit facilitatem reclamandi, censetur consentire, si videndo taceat ; modò tamen sit rationabilis hæc consuetudo, quia S. Pontifex censetur velle populo satisfacere in iis quæ non sunt *contra legem* et *rationabilia* sunt. (D. Bouix, *de Principiis*, p. 355.)

96. 3° Quoad consensum *legalem* seu generalem, præstitus censetur per legem generalem quâ approbantur omnes consuetudines rationabiles et legitimè præscriptæ : unde non requiritur ad talem consensum ut Pontifex cognoscat consuetudinem. (S. Liguor., lib. 1, 107 V.)

Quidquid in contrarium nonnulli dicant, meritò ex can. *Cùm tanto* suprà relato (85) et ex cap. 1, *de Constit.*, in 6°, in quo dicitur S. Pontificem non derogare per suam legem, specialibus locorum consuetudinibus, quamvis illas ignoret, concludendum est consensum legalem sufficere, et ità reverà sentit multò communior DD. sententia (D. Bouix, *de Princ.*, p. 352 *bis*, et S. Lig., loco modò citato).

97. Attamen Card. Gousset, *Exposition des principes*, n^os^ 385, 386, etc., sententiæ oppositæ adhærendum esse putat : quia jus non declarat consuetudinem esse legitimam, postquam per tempus certum et determinatum duraverit : sed in hoc sapientissimus Cardinalis errare videtur : nam cap. *Cùm tanto* suprà relatum, apertè dicit consuetudinem etiam juri positivo posse præjudicium generare, *si fuerit rationabilis et legitimè* PRÆSCRIPTA.

98. Sed hîc quærendum est quandonam Pontifex censeatur consentire ?

Resp. « Ad inducendam consuetudinem *viâ conniventiæ*, « id est, principe sciente et tolerante, cùm facilè posset « resistere introductioni consuetudinis contrariæ.., pro« babiliùs est, non requiri determinatum tempus. Ita Les« sius lib. 2, et alii. Ratio est, quia dum princeps scit suam « legem non servari et silet, jam censetur conniveudo

« consentire... Quot autem actus contrarii... in hoc requi-
« rantur ut censeatur princeps tacitè revocâsse suam
« legem ? Id in dubio, prudentis judicis arbitrio, spectatâ
« materiâ legis aliisque circumstantiis, erit dijudican-
« dum. » (Reiffenst. lib. 1, 4, nis 93 et 95.)

99. Ad inducendam verò consuetudinem per consensum *legalem* seu per præscriptionem, vel agitur de consuetudine *præter jus*, vel de consuetudine *contra jus* : in primo casu, sufficit decennium. Ita communiter contra nonnullos, qui dicunt diuturnitatem temporis relinqui judicio prudentûm (S. Liguor., lib. 1, 107, III). Ratio est quia in jure dicitur revocandum esse *quidquid contra longam consuetudinem fiet* (Dist. 12, can. 7 [1]). Atqui in jure decem anni vocantur *longum tempus*. Ergo, etc.

100. In secundo casu, si agatur de consuetudine *contra jus*, tres sunt sententiæ : *Prima* dicit sufficere decennium : quia hoc tempus sufficit contra legem civilem, et specialis non est dispositio juris in contrarium pro lege canonicâ. Reverà 40 anni requiruntur ad præscribenda bona ecclesiastica : sed lex non est bonum. Si Rota requirat 40 annos, hoc venit quia apud eam semper agitur de præjudicio tertii ac proinde de bonis Ecclesiæ.

Secunda distinguit : requirit quidem 40 annos pro consuetudine contra legem receptam, quia à jure canonico ex cap. *Auditis* 15, *de Præscript.*, statuitur bona Ecclesiæ non præscribi nisi per 40 annos : sed dicit sufficere decennium, si lex nondum sit recepta, quia tunc non præscribitur contra legem, sed impeditur tantùm introductio legis. Certè autem sufficere decennium quando lex non fuit recepta, affirmat S. Liguor. *post Busemb.*, lib. 1, nº 139.

Tertia dicit semper requiri 40 annos : quia etiam lex non recepta vim habet obligandi, et *Rota romana* hanc regulam semper observat.

101. Ex his sequitur 1° Certò requiri decennium (con-

[1] Nihil habetur in jure, tàm canonico quàm civili, quo expressiùs determinetur tempus requisitum ad præscriptionem consuetudinum ; unde Card. Gousset, *Exposition*, etc., nº 375, concludit ad judices competentes pertinere judicare utrum legitimè sit præscripta consuetudo, nec ne.

tradicere tamen videtur Card. Gousset, *ibid.*, nis 382 et 386). 2° Certò sufficere 40 annos. Pro praxi dicendum quod lex non videatur tolli per consuetudinem quæ non habet 40 annos ; consuetudo enim quæ non habet 40 annos est dubia, et in hoc casu lex possidet.

102. Quærit. Utrum requiratur bona fides ad præscribendum contra legem ?

Resp. In hoc dissentire DD. Affirmativè enim opinantur Billuart (*de Just.*, diss. 4, art. 3; *de Præscript.* § 8, t. 11, p. 171). Glossa, caput *Non est* 3, *de Consuet. in* 6°; Suarez, lib. 4. *Defens. fidei*, c. 31, 20; Laymann, Lessius, ap. Reiffenst., lib. 1, tit. 4, n° 142; *Theolog. Tolosana*, *de Leg.*, in fine.

Negativè verò ipse Reiffenst., *ib.*, n° 143, etc.; Suarez, *de Leg.*, lib. 7, c. 18, nis 8 et 25; S. Liguor. lib. 1, 107, qui ait : « Etiam peccando potest fieri consuetudo. Salm., l. 6, « n° 11, cum Suar., Palao, etc. Consuetudo enim triplicem « statum habet : in initio introducentes consuetudinem « *contra legem* omnes peccant; in progressu non peccant « illâ... jam introductâ utentes, sed possunt à principe « puniri; in fine autem, nec peccant, nec puniri possunt, « illâ jam præscriptâ utentes. »

Hæc posterior sententia videtur probabilior, quia vis consuetudinis venit à consensu Principis qui acquiescit consuetudini, quando est *rationabilis*, *et legitimè præscripta*, etsi fuerit mala fides. Tertia est sententia dicens valere consuetudinem contra legem, sive bonâ sive malâ fide introducatur. Ita Bokhen, ap. *Prælect S. Sulp.*, n° 14. Sed fortè dubitari potest quòd fautores secundæ sententiæ reverà exigant malam fidem. Vide supra (80).

3° *Quinam sint effectus consuetudinis.*

103. — 1° Legem interpretatur, et quidem *authenticè* si fuerit legitimè præscripta, alioquin tantùm *conjecturaliter*.

2° Legem inducit, si debitis vestita sit conditionibus.

3° Legem abrogat in iisdem circumstantiis ; porrò illam abrogare potest vel totaliter, vel quoad pœnam tantùm ;

imò quoad obligationem tantùm, adhuc subsistente pœnâ, modò pœna non supponat necessariò culpam, qualis esset v. g. censura.

4° Irritat actus in contrarium gestos, prout potest deduci ex cap. *Cùm tanto*, pluries supra citato.

An autem consuetudo possit abrogare legem quæ prohibet consuetudinem in futurum inducendam? Quæstio est controversa, ut mox videbitur.

4° *De abrogatione consuetudinis.*

104. Quærit. Quomodo abrogari possint consuetudines?

Resp. Abrogari posse vel per legem supervenientem, vel per legem consuetudini anteriorem, quâ consuetudo prohibetur antequam sit orta; vel per consuetudinem contrariam.

Et 1° per *legem supervenientem*. Lex superveniens necessariò abrogat consuetudinem universalem Ecclesiæ ipsi contrariam, etiamsi immemorabilis fuerit illa consuetudo et quamvis de eâ lex mentionem non faciat : alioquin, ut patet, inutilis lex efficeretur : sed non ideò lex superveniens abrogat consuetudines locales, de quibus non loquitur. (Cap. 1, *de Constit.* in 6°. Suarez, *De Leg.*, lib. 7, cap. 20, n^os^ 7, 8.)

105. Consuetudinibus particularibus, quæ non sunt immemorabiles, seu quæ nondum centum annos habent [1] sufficienter derogatur per clausulam generalem, *nullâ obstante consuetudine* : nam illa clausula non requiritur ut aboleantur consuetudines generales Ecclesiæ; ergo inutilis esset si consuetudinibus localibus non derogaret. Est sententia communis. (Cap. 1, *de Consuet.* in 6°.)

106. Episcopi tamen, inquit S. Liguor. (lib. 1, 109), per suas leges « abrogant quamcumque consuetudinem par-« ticularem; quia præsumuntur ipsi plenam habere noti-« tiam consuetudinum suarum diœcesium. »

107. Ad abrogationem consuetudinum particularium immemorabilium specialis mentio requiritur : *Etiam immemorabilis;* ratio est quia hujusmodi consuetudo est instar

[1] Card. Gousset, *Exposition*, etc., n° 104.

tituli, imò *quâ non potest allegari melior titulus de toto mundo*, ut loquitur Fagnanus; et habet semper vim privilegii à principe concessi. Ita communiter contra aliquos.

Excipiendi sunt tamen casus quidam : 1° si lex declararet irrationabiles contrarias consuetudines; 2° si ratio legis militet æquè contra consuetudines immemorabiles ac contra alias; 3° si legislator omnia contraria abroget, uno casu excepto.

108. — 2° Per *legem anteriorem quâ consuetudo prohibetur antequam sit orta*. Disputatur utrum consuetudo possit prævalere contra talem legem prohibentem : 1ª sententia negat, quia alioquin inutiliter apposita fuisset hujusmodi clausula prohibens; 2ª sententia affirmat : quia ex cap. *Cùm tanto*, ad legitimam consuetudinem requiritur solùm quòd sit *rationabilis* et *legitimè præscripta*, porrò ex hoc quòd consuetudo fuerit prohibita, non ideò semper *irrationabilis* est reputanda, ut jam diximus supra (75).

Ad rationem oppositam respondetur quòd non inutiliter dicta clausula apponatur : quia ex illâ concludi potest in dubio, consuetudinem esse irrationabilem; per illam princeps significat se non consentire tacitè hujusmodi consuetudini quamvis ab ipso sit cognita; ac proinde in hoc casu, requiritur longa præscriptio, etc.

Hanc posteriorem sententiam ut probabiliorem amplectuntur Suarez (*de Leg.*, lib. 7, c. 19, 20, 21), S. Liguor., lib. 1, 108, etc.

Certè in dicto casu prævalebit consuetudo, si legislator positivè consentiat. Card. Gousset, *Exposition*, etc., nis 406, 416, 423.

109. Quærit. An modò dicta decretis concilii Trident. possint applicari?

Resp. Affirmare Jesuitam Soll (*de Præscript.*, part. 2, cap. 4, § 12), citantem Covarruviam (lib. 3, chap. 13, n° 4). Sed negare plures auctores magnæ auctoritatis, inter quos Bened. XIV (*Inst.* 60, n° 7); Cardin. Luca, Devoti (*Proleg.*, § 50), Bouix (*de Principiis*, p. 372), quia praxis tribunalium et Congregationum romanarum, Rotæ nempe et Congregat. Concilii, satis demonstrat S. Pontificem nullo modo

consentire, nec tacitè, nec legaliter, consuetudinibus contrariis Concilii Trident. decretis.

In Bullâ enim confirmatoriâ Concilii dicitur : « Decer- « nentes nihilominus irritum et inane, si secus super his, « à quoquam, quâvis auctoritate, scienter vel ignoranter « contigerit attentari. »

Item in Bullâ Pii IV, *In principiis : irrita nulliusque valoris* declarantur omnia « vigore privilegiorum, exemp- « tionum, etc., et aliarum quarumcunque gratiarum hu- « jusmodi, post id tempus quo concilium obligare cœpit, « facta et gesta quomodolibet fuerunt, et in posterum fient. »

« Ergo, ait D. Bouix (*ib.*, p. 379), hoc ipso quòd aliqua « consuetudo contraria sit decretis Tridentinis, saltem du- « bium est an habeat consensum S. Pontificis, in quo du- « bio possidet lex Trident... Ergo... recurrendum est ad « S. Sedem » pro exemptione legitimâ. Attamen idem auctor videtur aliud suasisse in suo Tract. (*du Conc. provinc.*, p. 505), ubi ait quædam decreta disciplinæ Concilii Trident. in desuetudinem venisse, aut etiam nunquam fuisse ad praxim reducta in Galliâ, non secùs ac in aliis regionibus in quibus promulgatum fuit hujusmodi Concilium : quænam sint illa decreta non explicat. Auctor *Prælect. S. Sulpitii* probabiliorem quoque habet sententiam quæ dicit posse consuetudine abrogari quædam decreta Concilii Trident. (n° 17).

110. — 3° Quoad abrogationem consuetudinis *per aliam consuetudinem contrariam*, certum est eam fieri posse, et in hoc casu, si agatur de consuetudine *præter jus*, sufficit decennium; quia non videtur S. Pontifex plus requirere temporis ad destruendam hujusmodi consuetudinem, quàm fuit requisitum ad illam statuendam; si verò agatur de consuetudine *contra jus*, iterum multi DD. decennium requirunt, et dicunt illud tempus sufficere, quia in hoc casu fit reditus ad jus; ac proinde non agitur *contra jus*. D. Bouix (*de Principiis*, p. 381, etc.) rectiùs sentire videtur, dicendo sufficere tunc *quòd major pars communitatis* non ampliùs servet consuetudinem contra jus quia meritò præsumi debet Pontifex non consensisse tali consuetudini, nisi hâc restrictione : *donec ita optabit populus cui displicere nolo.*

ART. III.

DE JURE CANONICO NATIONALI.

§ I.

De jure nationali in genere.

111. Quærit. 1° Quid et quotuplex sit jus canonicum nationale?

Resp. Jus canonicum nationale est *complexio legum ecclesiasticarum alicui genti propriarum.* Posse legitimè vigere hujusmodi leges exceptionales apud singulas gentes nemo negat.

Jus nationale duplici viâ introduci potest: vel per derogationem juri communi factam, vel per conservationem ejusdem juris communis in aliquâ natione, casu quo ubique, ipsâ exceptâ, fuit mutatum.

Iterum jus quod fuit introductum per derogationem, vel concessum fuit per simplex privilegium auctoritatis competentis, vel per contractum onerosum, ob aliquod onus quod sibi natio illa imposuit, v. g. fundandi beneficia, aut alia præstandi.

Demum exemptio concessa fuit vel per consensum expressum superioris, vel per tacitum, medio consuetudinis *in jus* evectæ.

112. Quærit. 2° Utrum legitimum esse possit jus nationale canonicum, sine consensu vel auctoritate S. Pontificis?

Resp. Negative, si agatur de jure nationali derogatorio.

Vel enim res ita se habet, vel jus nationale derogatorium introduci potuit à sæculari principe, aut ab aliâ potestate à Papâ diversâ: atqui duo hæc posteriora dici nequeunt. — Non primum: Cùm de fide sit principem sæcularem haud posse leges canonicas condere, nec ab ipsis eximere. — Non secundum: — Nam illa potestas esset vel Concilium œcumenicum, aut particulare, vel Patriarcha, vel alia potestas inferior, vel consuetudo. Sed illæ omnes potestates à S. Pontifice pendent: ipsummet Concilium generale à Papâ debet approbari, sicut etiam consuetudo. Ergo

jus nationale derogatorium legitimè subsistere nequit sine auctoritate S. Pontificis. De hoc convenit etiam auctor cujusdam libri Memorialis gallicè scripti, *Sur le droit coutumier*, in suâ responsione ad Card. Gousset (p. 16) ; sic enim habet : « Où avons-nous dit qu'il fallait établir ou conserver un « droit national indépendant du Saint-Siége, c'est-à-dire « sans le consentement exprès ou tacite du Saint-Siége? »

113. Attamen, inquit D. Bouix (*de Principiis*, 78), tolerantur sæpe consuetudines variarum regionum legibus generalibus oppositæ, ad compatiendum infirmis, et ut non extinguatur linum adhuc fumigans. — Quoad autem jus nationale non derogatorium, patet quòd possit statui à legitimâ auctoritate, sine consensu S. Pontificis.

114. Quærit. 3° Utrum S. Pontifex valeat irritare quodcumque jus nationale?

Resp. Affirmativè : et quidem 1° potest irritare jus nationale quod fuit ab initio merum privilegium expressè vel tacitè per consuetudinem concessum; nam qui concessit privilegium potest illud revocare.

2° Potest irritare jus nationale quod tale evasit per mutationem juris communis ubique factam, aliquâ regione exceptâ : quia S. Pontifex plenam habet potestatem in singulis regionibus orbis catholici, sine ullâ exceptione, ac proinde singulas potest ligare.

115. 3° Potest S. Pontifex, justâ exigente causâ, jus nationale irritare, etiam concordatis firmatum.

Ratio dubitandi esset quòd servanda sit fides data ; at Concordata sunt pacta et quidem publica, mutuo consensu inita; ergo, etc.

Tali quidem argumento probatur non debere S. Pontificem, levibus de causis, Concordatis derogare, neque ipsum censendum esse iis contraire, nisi specialem et expressam eorum ac justæ causæ mentionem faciat : adeòque rescriptum adversus Concordata obtentum, sine hâc mentione, pro subreptitio et invalido habendum, ut advertit Engl. (*de Præb. et Dignitat.*, n° 54).

« Nihilominus tamen, inquit Biner (ap. Bouix, *de Prin-* « *cipiis*, p. 81 et 82), non evincitur non posse S. Pontifi- « cem, ex plenitudine suæ potestatis, Concordatis contra-

« venire iisque derogare, quando justa id exigit causa, « prout agnoscunt ecclesiastici juris interpretes : nam « Pontifex Romanus summam potestatem... nunquam ità « potest... à se abdicare, aut alteri cuicumque ita commu- « nicare, ut non majorem adhuc retineat. »

Nec obstat, inquit, quòd Concordatum sit pactum et pactis sit standum. — Nam : 1° controvertitur utrùm Concordata dicenda sint vera pacta. — Qui negant, dicunt spiritualia sub contractum non posse cadere : unde potius dicenda sunt privilegia ; porrò privilegia ex gravi causâ revocari possunt. 2° Princeps supremus, juxta complures doctores, derogare potest iis saltem pactionibus quas cum subditis iniit, si gravissima boni publici causa exigat ; et in omnibus pactis, quæ init S. Pontifex, semper includitur hæc conditio : *nisi aliud requirat causa gravis et extraordinaria boni communis Ecclesiæ* (Suar., *de Legib.*, lib. 8, cap. 37, n° 5; S. Liguor., *de Privileg.*, xv). 3° Vel tale est Concordatum quod nihil aliud exigatur à gente, quâcum initur, nisi quòd aliunde ipsa debet Ecclesiæ, vel per Concordatum imponitur huic genti onus indebitum : in primo casu, Concordatum non tàm est pactum ex parte Pontificis quàm concessio privilegii. In secundo casu, non est etiam contractus propriè dictus, cùm spiritualia temporalibus comparari nequeant. Standum tamen est promissis, sed subaudienda semper conditio : *nisi aliud exigat causa gravis et extraordinaria boni communis*. Vid. insuper *Prælect. S. Sulpit.*, n° 64 ; et Card. Soglia, *Inst. jur. publ.*, § 60, ubi dicitur : « Concordata rationem habent non « privilegii, sed pacti ; estque illud pactum non tempora- « rium vel personale, sed reale ac perpetuum, quod reli- « giosè observandum est... nisi aliud exigat commune « bonum Ecclesiæ. »

§ II.

De Jure gallicano.

116. Quærit. 1° Quænam sit recta notio juris gallicani ? Resp. « Quidam, inquit D. Bouix (*de Principiis*, p. 84), « finxerunt 1° jus gallicanum non niti auctoritate S. Pon-

« tificis, sed stare per seipsum firmum. 2° Talem esse « istius juris vim, ut non possit à Papâ infirmari. 3° Huic « juri multa annexuerunt quæ non jura, sed injuriæ « erga Ecclesiam reputandæ sunt. 4° ...Falsò opinati sunt « ad jus gallicanum pertinere quatuor articulos famosæ « declarationis anni 1682. Porrò hæc quatuor à rectâ no- « tione juris gallicani removenda sunt [1]. »

Primum quidem: quia nullum jus legitimè derogare valet juri communi, sine consensu, saltem tacito aut legali, S. Pontificis. *Secundum* quoque : modò enim probavimus S. Pontificem posse quodcumque jus irritare etiam Concordatis firmatum. Item *tertium :* sic multa à parlamentis, à regibus, à sectâ Jansenisticâ ut jus Galliæ prætenduntur absque fundamento, quæ à Clero etiam in Galliâ rejiciuntur. *Quartum* denique : Quia vel veri sunt in se quatuor illi articuli, et tunc non magis sunt jus Galliæ quam cæterarum gentium ; vel falsi sunt, et tunc nullo modo jus Gallicanum aut aliud jus constituere possunt.

Unde *Jus Gallicanum* non potest consistere nisi in quibusdam derogationibus juri communi legitimè factis, aut consuetudinibus præter jus. In quo sensu rectè videtur posse definiri : *Variæ apud Gallicæ Ecclesias juri communi derogationes aut consuetudines auctoritate S. Pontificis firmatæ.*

Meritò igitur excludi debent à legitimo jure gallicano, sive articuli organici contra quos pluries protestata est S. Sedes, sive leges à potestate civili emanatæ, nisi ab Ecclesiâ approbarentur, sive decisiones Concilii Statûs et aliorum tribunalium sæcularium. Quamvis enim sileat Ecclesia, non sequitur quòd eas approbet, cùm non possi supprimere.

[1] Hujusmodi sunt quatuor illi articuli :

1° SS. Pontifices non acceperunt à Christo potestatem rerum tempo ralium ; proinde nec directè nec indirectè principes seculares ulli i temporalibus subjiciuntur potestati ecclesiasticæ. 2° Concilium gene rale est supra Papam, etiam extra schismatis tempora. 3° Potestati Apostolicæ usus per sacros canones est moderandus. 4° Irreformabil non est judicium S. Pontificis nisi Ecclesiæ consensus accesserit.

117. Quærit. 2° Utrum priscum jus Galliæ, per Concordatum anni 1801 et subsequentes actus S. Sedis, omnino fuerit extinctum ?

Resp. Affirmare D. Bouix (*de Principiis*, p. 87 et 557) et cum eo Card. Gousset (*Observat. sur un mémoire adressé à l'Episcopat... sur le droit coutumier*, p. 40). Editor Card. Soglia (*App.*, p. 8), qui dicit certum videri ex praxi Ecclesiæ Romanæ. Item Card. Orioli Præfectum Congr. Episc. et Regul., occasione consultationis in quâ postulabatur utrum liceret in Galliâ pluries celebrare nocte Nativitatis Domini et in eâdem communicare, ob consuetudinem apud nos servatam. Imò D. Jacquenet (*Revue des Sciences ecclés.*, 15 août 1860, p. 118, etc.) asserit illud ita esse certum, ut in controversiam non possit ampliùs reduci.

Nituntur illi omnes præsertim Bullâ *Qui Christi Domini*, anni 1801, in quâ dicitur : « Supprimimus, annullamus « et perpetuò extinguimus titulum, denominationem, « totumque statum præsentem infra scriptarum Ecclesia- « rum, Archiepiscopalium et Episcopalium, unâ cum res- « pectivis earum Capitulis, juribus, privilegiis et præro- « gativis cujuscumque generis... ita ut (deleto etiam omni « jure Metropolitico cujuscumque Metropolitanæ ubicum- « que existentis) omnes supra dict. Archiepiscopatus et « Episcopatus, cum Abbatiis... haberi debeant in poste- « rum tanquam non ampliùs in primo eorum statu exis- « tentes, quia aut omnimodo extincti, aut in novam « formam redigendi... *non obstantibus... earumdem Eccle- « siarum... statutis et consuetudinibus, etiam immemoriali- « bus, privilegiis quoque, indultis, concessionibus*, etc.»

Ex his verbis certum est, inquit D. Bouix, extinctas fuisse omnes Galliæ Ecclesias, tempore hujus Bullæ existentes : porrò, extinctis Ecclesiis, non potuit existere jus ipsis proprium, nec proinde consuetudines in iis vigentes, præsertim cùm illæ Ecclesiæ fuerint suppressæ *cum respectivis earum juribus, privilegiis et prærogativis cujuscumque generis, et non obstantibus consuetudinibus, etiam immemorialibus*. Sunt ipsamet Bullæ verba. Ergo, etc.

Non tantùm Bulla suppressit jura, privilegia, prærogа-

tivasque inhærentes singulis Galliæ Ecclesiis, inquit Card. Gousset, sine ullâ distinctione jurium communium vel particularium, sed suppressit *perpetuò titulum*, *denominationem, totumque statum præsentem infra scriptarum Ecclesiarum*, *unâ cum respectivis earum juribus*, *non obstantibus earumdem consuetudinibus etiam immemorialibus*. Porrò hæc, præsertim destructio totius statûs præsentis Ecclesiarum Galliæ, manifestè includunt suppressionem omnium ipsarum consuetudinum, ac proinde extinctionem totius juris prisci gallicani. Ergo, etc.

118. Quantacumque sit vis præfatorum argumentorum, fateor, veniâ tantorum Doctorum, non mihi videri omninò convincentes allatas rationes. Quamvis enim S. Pontifex suppresserit omnes Ecclesias Galliæ, cum omnibus ipsarum juribus, privilegiis, etc., mutaveritque totum illarum statum præsentem, non sequitur inde quòd suppresserit populum fidelem in Gallià existentem, nec ipsius Clerum, imò nec Ecclesias, quatenus simpliciter Ecclesias; eas quidem suppressit ut Metropoles, Cathedrales, etc., non verò simpliciter ut Ecclesias; alioquin eo ipso cultui divino inservire ampliùs non possent, quod absonum videtur. Fatente ipsomet D. Bouix (*de Regular.*, t. 1, p. 377), suppressi non fuere per Concordatum et Bullas subsequentes, religiosi, nec monasteria, nec illorum jura et privilegia, nec etiam parochiæ quæ postea succursales institutæ fuêre (*ib.*, t. 2, p. 359). Idem D. Bouix, *de Parocho* (p. 586 et 587), non habet ut suppressa per Concordatum festa patronorum ab immemorabili, ante annum 1802 constitutorum.

His suppositis certis, et non facilè videtur quomodo in dubium vocari possent, cur, apud fideles, apud clerum et religiosos in Galliæ Ecclesiis existentes tempore Concordati, anno 1801, cur, inquimus, non potuissent retineri consuetudines apud eos legitimè introductæ si quæ fuerint tales? Cur hujusmodi consuetudines necessariò fuissent suppressæ eò quòd tituli, denominationes, totusque status præsens illarum Ecclesiarum extincti fuissent?

Quia, inquiunt, illæ consuetudines sunt jura ipsarum Ecclesiarum extinctarum; sed, etsi multùm veneremur

auctoritatem talia asserentium, et maximi ponderis sit apud nos praxis Romæ observata, non adhuc intelligimus quomodo omnes consuetudines vigentes apud populum et clerum alicujus Ecclesiæ, sint necessariò jura illius Ecclesiæ et non potius aliquando jura solius populi, vel cleri apud quos vigent : quod v. g. fideles possint, nec ne communicare nocte Nativitatis Domini, quod liceat recitare certas litanias ad Indice prohibitas, ob consuetudinem alicubi vigentem, quòd ecclesiasticâ sepulturâ non priventur morientes ex duello, si dederint signa pœnitentiæ, non obstante Constit. *Detestabilem* Bened. XIV, quòd medici non observent præscriptiones cap. *Cùm infirmitatem* et Constit. S. Pii V, *Super gregem*, tales consuetudines et plures aliæ, si reverà legitimæ fuissent tempore Concordati (quod hic non expendimus), suntne jura alicujus Ecclesiæ? Nonne potiùs sunt jura eorum apud quos sunt in usu?

Hujusmodi consuetudines sunt quidem jura illarum Ecclesiarum in eo sensu quod sint leges apud eas vigentes ; sed non in hoc sensu videtur S. Pontifex intellexisse verbum *jus* quando dixit : *Extinguimus titulum*, etc., *infra scriptarum Ecclesiarum cum respectivis earum... juribus.* Videtur potiùs intellexisse in sensu legitimæ facultatis aliquid agendi, vel omittendi, prout intelligitur in tractatu *de Justitiâ et Jure.*

Reverà quidem, leges particulares ab auctoritate locali Ecclesiarum suppressarum statutæ, extinctæ necessario fuerunt per illarum suppressionem : cùm non videatur quomodo potuissent subsistere, destructâ auctoritate à quâ fuerant institutæ ; sed non ideo est idem dicendum de consuetudinibus in iisdem locis legitimè vigentibus, cùm hujusmodi consuetudines vim obligandi non hauriebant ex auctoritate locali, sed à populo fuerant introductæ et aliquo modo à S. Pontifice fuerant approbatæ.

119. Dico ergo : vel quæstio est de consuetudinibus quæ aliquod jus, privilegium aut prærogativam aliquam conferebant Ecclesiis suppressis, aut illarum Capitulis, et hujusmodi consuetudines indubiè fuerunt suppressæ per Bullam *Qui Christi Domini* ; vel est quæstio de cæteris consuetudinibus, quæ nullum jus propriè dictum, nullum privile-

gium conferebant prædictis Ecclesiis, sed tantùm populo aut clero apud eas residentibus, et tunc nihil apparet in Bullâ propter quod tales consuetudines dicendæ sint per eam suppressæ.

Ideò Bulla *Qui Christi*, etc., intelligenda esset in sensu D. Bouix et aliorum ut supra, quia sic Romæ interpretantur; sed hoc minimè probatur, imò contrarium apparet ex decisione S. Cong. Indulgentiarum 14 mai 1853 [1], juxta quam indulgentiæ concessæ confraternitatibus Galliæ ante perturbationem 1789 non fuerunt revocatæ per Concordatum 1801 et Bullas subsequentes.

Nec objicias hîc non agi de consuetudinibus, sed potius de privilegiis Ecclesiis concessis. Nam Bulla *Qui Christ* eodem modo loquitur de privilegiis ac de consuetudinibus, unde si, non obstante Bullâ, certa privilegia olim Ecclesiis concessa adhuc subsistunt, non est ratio cur non sit idem dicendum de certis consuetudinibus quæ Ecclesiis suppressis nihil juris aut privilegii conferunt.

Præterea in ipsâmet Bullâ *Qui Christi*, etc., dicitur: « In ipsis autem *statutis*, vel condendis, vel immutandis « (quæstio est ibi de statutis capitulorum), religiosa sacro- « rum canonum observantia retineatur, usuumque ac lau- « dabilium consuetudinum antea vigentium præsentibus- « que circumstantiis accommodatarum ratio habeatur. » Quæ verba non supponunt omnes consuetudines esse à Bullâ suppressas.

Ut robur præfatorum argumentorum destruat D. Jacquenet (*Rev. des sciences ecclés.*, 20 février 1861, p. 127-141) congessit multas decisiones Congregationum romanarum; sed parum feliciter, ut nobis videtur, cùm illæ decisiones seu declarationes omnes respiciant tantùm casus in quibus agitur de juribus Ecclesiarum vel Capitulorum suppressorum; nihil proinde probant contra consuetudines

[1] Vid. Opus : *Le Chrétien éclairé sur la nature et l'usage des Indulg.*, par le P. A. Maurel, Jésuite, p. 171. Decisiones in hujusmodi opere relatæ declarantur authenticæ à Card. Asquinio, Præfect. ejusdem Congregationis, 11 Julii 1856.

quæ nihil juris conferunt hujusmodi Ecclesiis aut Capitulis [1].

120. Fatetur etiam Card. Gousset potuisse legitimè introduci consuetudines à tempore Concordati 1801. V. p. 46 operis supra memorati (117). Si quæ ergo exstent consuetudines in Gallià à dicto Concordato legitimè introductæ, hæ novum jus gallicanum meritò constituunt. Seriò tamen consuetudines illæ sunt examinandæ ad discernendum utrum habeant omnes conditiones supra enumeratas (112, etc.).

Non inopportunè hîc subjicerentur plura scitu admodum utilia, circa privilegia à S. Sede concessa; sed ne nimiùm excrescat opus, cogimur ea prætermittere. De iis vide nostrum *Manuale*, à nº 156 usque ad nᵐ 172.

ART. IV.

DE HISTORIA JURIS CANONICI.

121. Initio, id est duobus vel tribus prioribus Ecclesiæ sæculis, solâ Scripturâ et regulis Apostolorum aut virorum apostolicorum velut per manum traditis administrata fuit Ecclesia. Regulam ab Apostolis traditam circa Episcoporum successionem memorat S. Clemens, S. Petri discipulus et successor; S. Ignatius martyr in suis epistolis populos, per quos iter faciebat, hortabatur ut *diligentiùs* ac *tenaciùs Apostolorum traditionibus inhærerent*. In controversiâ de die celebrationis Paschæ et aliâ de Baptismate ab hæreticis collato, contendentes ex utràque parte allegabant traditiones Apostolorum. Paulatim verò multiplicatis pro variis Ecclesiæ necessitatibus conciliis, varii conditi sunt

[1] Nec decisoria est sententia Card. Orioli, Congregationis Episcop et Regul. Præfecti, ap. D. Bouix relata (*de Principiis*, p. 557), ubi agens partes *Cardinalis Ponentis* dicit quòd : « Quamvis (in dictâ Bullâ *Qui* « *Christi*) nihil expressè statuatur quoad pristinarum consuetudinum « abrogationem, *hæc tamen abrogatio* tanquam quid necessariò conse- « quens admittenda videtur. » Nam 1º hæc sententia non est ipsius Congregationis, sed Cardinalis Ponentis opinio; 2º suam sententiam Cardinalis non dat ut omnino certam, sed solùm dicit ipsi videri esse admittendam. Ergo, etc.

canones ex quibus efformatæ fuêre diversæ juris canonici Collectiones.

De plerisque nihil dicemus in hoc Compendio : de quibus, si lubet, vide nostrum *Manuale*, à n° 174. Loquemur tantùm :

§ I.

De Isidori Mercatoris Collectione et de Falsis Decretalibus nono sæculo.

122. Celebris evasit illa collectio, ob insertionem in eâ factam multarum falsarum decretalium. Plures enim in eâ reperiuntur litteræ evidenter suppositiæ SS. Pontificum, à S. Clemente usque ad S. Sylvestrum. Item Pontificibus subsequentibus usque ad S. Gregorium Magnum, plures aliæ attribuuntur, de quibus nulla facta fuerat mentio in cæteris collectionibus, et in quibus inveniuntur multa indicia falsitatis.

Collectio tamen ista accepta fuit, nemine fraudem suspicante : quamvis enim Hincmarus visus fuerit non admittere auctoritatem decretalium quæ in collectione *Adrianâ* seu *Codice* canonum non reperiebantur, nunquam tamen dixit illas fictitias esse; imò prout ei objiciebat Nicolaüs I, illis decretalibus utebatur Hincmarus in iis quæ sibi favebant.

Ita autem invaluit impostura, ut subsequentes collectores Buchardus nempe, S. Yvo Carnutensis et præsertim Gratianus, suas fecêre illas falsas decretales, quin exhinc ulla reclamatio exorta fuerit usque ad dimidiam partem decimi quinti sæculi.

Primus omnium Card. Nicolaüs Cusanus, circa annum 1450, ut suspectas denuntiavit : idem sensit Erasmus. Eas rejiciendas esse dixerunt Centuriatores Magdeburgenses; et quamvis eos confutare tentaverit Franciscus Torres, ita manifestam exhibuerunt imposturam calvinista David Blondellus et multi alii catholici, inter quos De Marca, Baluzius, Card. Norisius, Labbe, Natal. Alexander, fratres Ballerini, Zaccaria et alii multi, ut hodie apud omnes eruditos constet de illarum decretalium suppositione.

Ex hoc facto tam stupendo, ansam clamitandi contra Ecclesiam arripere non omiserunt Protestantes, contendentes per falsas decretales deturpatam fuisse doctrinam catholicam, et inde ortam fuisse hodiernam opinionem de S. Pontificis auctoritate antiquis ignotam. Jansenistæ quoque, et ex Gallicanis multi ex hoc innuunt, conscià et connivente Romanâ Sede, indebita accessisse pontificiæ auctoritati incrementa, diminuta verò Episcoporum et provincialium conciliorum jura, eversam denique et obnubilatam veram Ecclesiæ disciplinam. Ita Fleury, Van Espen, Febronius. Hæc sunt hîc refellenda; sed prius examinandum est :

123.— I. Quis fuerit Isidorus, quo tempore, et quem in scopum scripserit.

1° Codex Vaticanus, qui videtur omnium antiquissimus, hunc præ se fert titulum : « *Incipit præfatio sancti Isidori Episcopi. Isidorus Mercator, servus Christi, conservo suo.* » Idem legitur in Codice Parisiensi et Modenensi, etc. Undè parum probabilis videtur esse opinio Petri De Marca qui legendum putat : *Isidorus Peccator.*

Isidorus ille non potest esse S. Isidorus Hispalensis : cùm ipse obierit ante epocham plurium decretorum in collectione istâ relatorum; nempe ante Synodos Toletanas à sextà usque ad decimam tertiam, ante concilium Bracarense et sextum œcumenicum.

Imò hispanus fuisse non videtur, quidquid asseruerit Hincmarus; sed potiùs gallus aut gallo-germanus, ut ostendit D. Bouix (*de Principiis*, p. 420, etc.), post Ballerinos. Quis reverà tandem fuerit, omninò ignoratur : « Si « in re tam obscurâ et incertâ, inquit Devoti (*Proleg.*, c. 5. « § 64, n° 2), dandus est conjecturæ locus, valde simile « veri esse videtur Mercatorem sumpsisse Collectionem « Isidori Hispalensis, cujus magna celebritas erat..., eam- « que vulgâsse ejusdem Hispalensis nomine... Fortè totius « fraudis architectus fuit Benedictus Levita Moguntinus, « qui Capitularium libros vulgavit circa annum 845.» (Vide insuper André, v° *Decretales*, § IV.)

2° Quoad tempus suppositionis, cùm in libro videantur contineri, de verbo ad verbum quædam sententiæ de-

promptæ ex Conc. Parisiensi, anno 829, et ex epistolâ Jonæ Aurelianensis ad Carolum Calvum, qui regnum obtinuit anno 839, his annis collectio est necessariò posterior. Ex aliis autem indiciis, Zaccaria concludit in lucem editam fuisse Collectionem circa annum 846. Constat enim illâ usam fuisse Synodum Carisiarensem (Quiercy) anno 857 (André, v° *Décrétales*, § 3).

3° Falsum est scopum falsarii fuisse amplificare Sedis Apostolicæ auctoritatem, prout immeritò contendunt Fleury, Van Espen, etc. Econtra ipsius mens fuisse videtur difficiliora reddere Episcoporum judicia, ut colligi potest ex ipsâ præfatione et ex ipsismet falsis decretalibus. Id confitetur ipse Fleury, *Hist. eccl.*, liv. 44, n° 22; Van Espen, *Proleg.*, c. 5, § 71; Lequeux, t. 4, p. 9; Feller, v° *Isidore*.

124. — II. Dici nequit imposturam Isidori, conscià et connivente Sede Romanâ, fuisse contextam. Hæc calumnia, frequens apud Protestantes et Jansenistas imò et quosdam Gallicanos, obtruditur præsertim ab Ægidio Vette et Nicolao de Hontheim sub nomine Febronii, qui affirmat falsas decretales compositas fuisse post annum 744, et *Romæ quidem, ut gravis fert suspicio*; et refert quòd « Gasparus Barthol. observat Isidorianum Codicem, urgente « vehementissimè Nicolao I, à totâ Ecclesiâ.... receptum « esse. » Porrò hæc duo sunt falsa :

1° Falsum est Isidorianas Decretales Romæ, annuente vel etiam auctrice Romanâ Curiâ, conflictas esse : etenim jam confectæ erant illæ decretales, anno 846, fatente ipsomet Febronio, qui existimavit illas multò antea prodiisse. Ergo, si Romæ conflictæ fuerint, Romanâ Curiâ auctrice, debuit illas cognoscere et commendare Leo IV, qui S. Sedem occupavit anno 847; porrò ille Pontifex, in sua ad Britannos epistolâ, dum declarat quisnam codex esset Romæ receptus, quemque sequi omnes deberent, non Isidorianum, sed Dionysianum describit (dist. 20, c. 1). Ergo, falsum est Isidorianas Decretales annuente et auctrice Curiâ Romanâ, conflictas esse.

2° Falsum est Isidorianam Collectionem, urgente vehementissimè Nicolao I, fuisse à totâ Ecclesiâ receptam : et-

enim ille Pontifex, in epistolis quas direxit, sive ad Photium, sive ad Hincmarum, sive ad Imperatorem Michaelem, annis 863 et 865, quamvis totus sit in asserendis et vindicandis S. Sedis prærogativis, nunquam allegat falsas Decretales Isidori, sed semper citat veras, quales reperiebantur in Collectione Dionysianâ. Re quidem verâ, in suâ ad Episcopos Galliæ epistolâ circa annum 865, illos redarguit quòd contenderent non esse accipiendas veteres constitutiones SS. Pontificum, sub prætextu quòd in Codice Adriano non reperiebantur; sed incertum est utrum Pontifex voluerit his verbis designare falsas decretales : de hoc disputant eruditi : et quidquid sentiendum sit de hâc quæstione, exinde non probatur Nicolaüm I vehementissime ad receptionem falsarum Decretalium impulisse : Ait enim tantùm constitutiones S. Sedis recipiendas esse, etiamsi non inserantur alicui codici : quod quidem extra controversiam haberi debét, ut patet.

Quamvis in Galliâ primùm et Germaniâ, et sensim in cæteris regionibus, magnam obtinuerit auctoritatem collectio Isidoriana; quamvis à multis conciliis allegata fuerit et admissa tandem fuerit in decreto Gratiani, à nullo tamen Papâ nulloque Concilio œcumenico approbata fuit authenticè.

125. — III. Dici nequi per falsas Decretales perturbata fuisse Episcoporum jura, novam disciplinam fuisse introductam, etc.

His querelis pleni sunt Jansenistarum imò et Gallicanorum libri. Sic Fleury (3e disc., n° 2) : « Mais de toutes ces « pièces fausses, les plus pernicieuses furent les *Décrétales* « attribuées aux Papes des quatre premiers siècles qui ont « fait une plaie irréparable à la discipline de l'Église, par « les maximes nouvelles qu'elles ont introduites touchant « les jugements des évêques et l'autorité du Pape. » Similia dicunt Racine, Quesnel, Van Espen. Porrò hæc proferuntur absque ullo fundamento. Etenim circa tria præsertim fuit innovatum ab Isidoro, juxta Fleury (Discours 7, n° 6): 1° circa *Concilia*, quæ ampliùs haud potuerunt celebrari *præter sententiam Papæ*; 2° circa *judicia* Episcoporum, quæ ad S. Pontificem fuerunt reservata; 3° circa

appellationes, quæ in infinitum tuerunt extensæ. Sed hæc, inquimus, sine fundamento proferuntur.

1° Non fuit innovatum circa concilia dicendo, *præter sententiam Romani Pontificis non posse celebrari : eadem* enim dicuntur quinto sæculo à Socrate et Sozomeno, occasione Synodi Antioch. in quâ S. Athanasius fuerat depositus. Anno 451, in Concilio Chalcedonensi (art. 1), Legatus S. Pontificis Dioscori damnationem postulans, pro causâ assignavit quòd ausus fuisset concilium facere absque auctoritate Sedis Apostolicæ, *quod nunquam licuit*, aiebat, *nunquam factum est*. Ergo dicendo *præter sententiam Romani Pontificis concilia non posse celebrari* nihil *inauditum* asseruit Isidorus, nec innovavit.

2° Nec innovavit circa *judicia Episcoporum*, illa reservando ad S. Sedem : jam enim, quarto sæculo, Papa Julius, scribendo ad Eusebianos, illos reprehendit quòd Athanasium deposuissent, inconsultâ Romanâ Ecclesiâ, quod vocat insuetum, novum, Patrumque traditionibus contrarium.

3° Nec denique Isidorus innovavit circa *appellationes*, indefinitè illas extendendo. — Nam si legantur epistolæ SS. Pontificum, præsertim SS. Leonis Magni et Gregorii Magni, brevi manifestum erit quàm frequenter, longè ante falsas Decretales, appellaretur ad Sedem Apostolicam, non in causis tantùm Episcoporum, sed etiam sacerdotum aut clericorum ordinis inferioris[1]. — Attamen Fleury præsumpserat de iisdem SS. Leone et Gregorio Magno asserere : « Il est bien certain, dans le fait, qu'ils n'ont *jamais exercé* « cette autorité marquée dans les Décrétales d'Isidore » (appellationes excipiendi). Ex quo posset concludi Fleury, numquam aut admodum malè legisse epistolas SS. Leonis et Gregorii Magni.

[1] De S. Leone legendæ sunt 20ª ad Flavianum pro appellatione Eutichetis ; litt. 40ª pro appellatione Flaviani ; litt. 89ª ad Pulcheriam ; litt. 105ª Anatolii Patriarchæ Constantinopolitani, etc. — De S. Gregorio legendæ sunt litt. ad Natalem, lib. I, ep. 19 et lib. II, ep. 14 aliàs 18. — Ad Hilarium Monach. Africanum, lib. 1, 82, alias 84. — Ad Januarium Episcop., lib. II 34 aliàs 48, et aliæ multæ à Muzzarelli citatæ. (*Remarq. sur l'Hist. eccles. de Fleury*, n. 37-70.)

126. — IV. Quomodo fieri potuerit quòd suppositio tot Decretalium per multa sæcula non fuerit recognita?

Illud evenit 1° Ex eo quòd Falsæ Decretales erant quidem falsæ quoad attributionem factam iis sub quorum nomine intitulantur, sed in seipsis nihil novi aut falsi continebant, nullum punctum disciplinæ immutabant; imò jam antea existebant, magnâ saltem ex parte, vel in Historiis Rufini et Cassiodori, vel in *Libro Pontificali*, vel in Scripturâ Sacrâ, in conciliis, in operibus SS. Patrum, quin etiam in veris Decretalibus recentiorum Pontificum: « Après « tout, inquit Philipps (*Droit eccl. dans ses sources*, p. 60), « il était, au fond, bien indifférent que telle ou telle pro- « position eût été formulée par Anaclet ou Léon, par Eva- « riste ou Grégoire, par Télesphore ou Nicolas. »

2° Quia his temporibus, ante inventionem typographiæ, ars de scriptis judicandi nondum suos progressus fecerat; suspicatus tamen fuit error: « Ut antiquiores (Vide Epist. « Card. Deus-Dedit ad Victorem III, quam ediderunt « Ballerini in Appendice ad S. Leonem, p. 4, c. 14) cri- « ticos missos faciamus, qui in Isidorum censoriam vir- « gulam distrixerunt, Petrus Comestor, sæculo XII (in « *Hist. Schol. ad Act. Apost.*) atque sæculo XV Gobe- « linus... Card. Cusanus, etc... Isidorum de falsi crimine « postulârunt. » (Politi, *Jurisprud. Eccles. universalis*, t. 1, *Proœm.*, quæst. 7.) Immeritò igitur Protestantes gloriantur quasi primi imposturam detexerint.

Cæterum Ecclesia nunquam tulit judicium de authenticitate Collectionis Isidorianæ. Attributio verò scriptorum facta alicui auctori vero vel fictitio, non est quid ad dogma vel mores pertinens, quando præsertim nihil, nec in fide nec in disciplinâ, innovatur.

§ II.

De Collectione Gratiani.

127. Gratianus, Clusii in Etruriâ (Chiusi en Toscane) natus, monasticam vitam, sub regulâ S. Benedicti, amplexatus est Bononiæ, in monasterio SS. Felicis et Naboris. Celeberrimam Collectionem suam ibi edidit circa ann. 1151.

Opus suum compegit ex locis Scripturæ Sanctæ, ex 50 canonibus Apostolorum, ex Conciliis, ex SS. Pontificum Constitutionibus, ex sententiis Patrum et plurium scriptorum ecclesiasticorum, ex jure civili romano, ex Capitularibus regum Francorum, ex Historiâ Ecclesiasticâ, ex libro Diurno et Ordine Pœnitentiali, ex Pontificali Romano. Vocari solet *Decretum Gratiani*.

Dividitur in tres partes : Prima pars constat Distinctionibus 101, in Canones et Capita distributis : statutis enim principiis generalibus juris ecclesiastici in viginti prioribus distinctionibus, in cæteris 81 tractatur de Personis, earum juribus, obligationibus, dotibus, etc.— Secunda pars constat causis (seu judiciis) 36, quarum unaquæque subdividitur in quæstiones, quæ iterum subdividuntur in canones seu capita. Quæstio tertia causæ 33 agit de Pœnitentiâ, et subdividitur in septem distinctiones. — Tertia pars, sub titulo de Consecratione, subdividitur in 5 distinctiones et tractat de Rebus sacris, seu de ecclesiis, sacramentis, etc.

Vix percipi potest, inquit Devoti, cur Gratianus has varias divisiones admiserit.

Plus quàm centum canones inscribuntur nomine *Palea*. Nec constat apud eruditos de sensu hujus vocis [1].

Non autem à Gratiano, sed ab alienâ manu, inserti fuerunt hujusmodi canones, primùm in margine, et quidem non omnes qui nunc exstant, sed postea in contextu, sicut nunc positi sunt.

Magno plausu excepta fuit Collectio Gratiani, ita ut, cæteris collectionibus neglectis, sola in scholis legeretur et interpretaretur, ac in foro tanquam pars communis juris proponeretur.

Multæ tamen in eâ reperiuntur mendæ. Non enim ex veris fontibus, sed mendosis collect. Burchardi, Yvonis, imò Isidori Mercatoris, deprompta sunt ejus monumenta; multa in eâ confunduntur : v. g. Concilium *Quini-Sexti* cum sextâ Synodo œcumenicâ; sententiæ Patrum traduntur tan-

[1] Juxta opus Walter. *Manuel du droit ecclésiastique, traduit de l'allemand, par A. de Roquemont*, p. 159, plerorumque illorum canonum auctor fuit Pauca palea, Gratiani discipulus.

quam SS. Pontificum; corrumpuntur auctorum et locorum nomina.

A SS. Pontificibus Pio V et Gregorio XIII designati fuêre multi correctores, quorum curis multæ mendæ deletæ sunt; sed remanent adhuc multa spuria et dubia, quorum catalogus legi potest ex Berardi apud Phillipps (*Droit eccl. dans ses sources*, p. 100, etc.). Vide etiam Cardin. Gousset, *Exposition des principes*, p. 17.

Memoriâ excidere non debet nunquam à S. Sede auctoritate publicâ fuisse donatum Decretum Gratiani.

§ III.

De Collectione decretalium sub Gregorio IX.

128. Exemplum Justiniani imperatoris imitari volens, Gregorius IX Codicem jussit exarari, in quo, resecatis quæ vel antiquata erant vel minus utilia vel confusione laborabant in veteribus collectionibus, aptè disponeretur totius juris ecclesiastici Corpus, quique vi legis polleret. Quo in opere conficiendo usus fuit operâ S. Raymundi de Pennafort, sic vocati ab oppido ejusdem nominis propè Barcinonem in Hispaniâ, in quo ortus fuit. Is S. Dominici Institutum amplexus, munere SS. Pontificis Cappellani et Pœnitentiarii fungebatur. Triennio opus suum absolvit, non tantùm Decretales pontificias à S. Gregorio I ad Gregorium IX, sed etiam colligendo loca S. Scripturæ, canones Apostolorum, decreta conciliorum ab Antiocheno usque ad Lateranense IV, multas SS. Patrum et scriptorum ecclesiasticorum sententias. Illi tamen titulum indidit Decretalium D. Gregorii Papæ IX, quia sua fecit hæc omnia Pontifex ipse, opus suo nomine publicando et dirigendo, anno 1233, ad Universitates Bononiensem et Parisiensem.

Opus distributum fuit in quinque libros : Primus tractat de Judicibus ecclesiasticis seu de Prælatis; Secundus de Judiciis civilibus; Tertius, de Rebus ecclesiasticis quæ ad forum episcopale deducuntur in civilibus causis; Quartus, de Connubiis; Quintus, de Judiciis criminalibus, delictis et censuris. Quæ omnia hoc versiculo comprehenduntur :

« Judex, Judicium, Clerus, Connubia, Crimen. »

129. Ipsimet Decretalium tituli sunt authentici, et quidem tan quam juris regulæ allegantur : v. g. *Ut lite non contestatâ, non procedatur ad judicium. Ne sede vacante, aliquid innovetur.* Confundi tamen non debent tituli cum summariis ; ista enim utpote fœtus privatorum non sunt authentica; attamen utilia sunt.

130. *Partes decisæ*, de quibus identidem habetur mentio, sunt partes Decretalium suppressæ à S. Raymundo, et quæ ab auctoribus privatis fuerunt insertæ ad dilucidanda quædam obscura. Facilè discerni possunt.

§ IV.

De Sexto decretalium, Clementinis et Extravagantibus.

131. Novis quotidie in lucem editis constitutionibus, novam Collectionem authenticam faciendam curavit Bonifacius VIII operâ Guillelmi de Mandagoto Archiepiscopi Eberodunensis, Berengarii Fredoli Episcopi Biterrensis et Cardin. Richardi de Senis, anno 1298. Continet illa Collectio tum decretales Gregorii IX post ipsius collectionem promulgatas et sequentium Pontificum, tum canones duorum Conciliorum œcumenicorum Lugdunensium, annis 1245, 1274; dividitur in 5 libros, eâdem servatâ titulorum et materiarum serie ac in Collectione Gregorii IX: vocata est *Sextus* quia est addimentum quinque libris Decretalium. Directa fuit ad Universitatem Bononiensem et probabiliter ad alias Universitates. Vim legis habet, in iis quæ non fuerunt legitimâ auctoritate immutata, sicut Collectio Gregorii IX.

Clementinæ à Clemente V collectæ promulgatæ fuerunt post ipsius mortem, curâ Joannis XXII, anno 1317. Continent Decretales post Sextum evulgatas et statuta Concilii Viennensis œcumenici. Eodem modo dividuntur ac Sextus et Collectio Gregoriana.

132. Clementinæ vim legis habent, non secus ac quinque libri Decretalium et Sextus, hâc tamen differentiâ, quòd Decretales Gregorii IX et Sextus Bonifacii VIII, revocaverunt omnes Decretales in his libris et in Decreto Gratiani non insertas aut non reservatas; dum nihil simile statutum

fuit in publicatione Clementinarum (*Droit ecclés. dans ses sources*, par *Phillipps*, p. 265).

133. *Extravagantes* duplicis generis sunt : Extravagantes Joannis XXII, et *Extravagantes Communes* usque ad Sixtum IV, numero 25. Vocatæ sunt *Extravagantes*, quia fuerunt *vagantes extra Corpus juris*. Collectæ quidem fuêre, privatâ industriâ, sed quia nunc habentur ut insertæ *Corpori juris*, immeritò vocari videntur *Extravagantes*; sed usu consecrata est hujusmodi denominatio.

§ V.

De corpore juris canonici.

134. Constat illud : 1° Decreto Gratiani, ad cujus calcem adjici solent Canones Pœnitentiales et Canones Apostolorum ; 2° quinque libris Decretalium Gregorii IX ; 3° Sexto Bonifacii VIII ; 4° Clementinis ; 5° Extravagantibus Joannis XXII ; 6° Extravagantibus Communibus.

In pluribus editionibus adjiciuntur : 1° Liber Septimus Decretalium Petri Matthæi Lugdunensis; 2° Institutiones Lanceloti.

135. Sic autem allegari solent textus deprompti ex Corpore juris canonici :

« I. Quæ citantur ex Decreto Gratiani, allegantur per « Canones (et etiam aliquando per Capitula) ; quæ verò ex « Decretalibus, per Capitula.

« II. Quæ citantur ex primâ parte *Decreti Gratiani*... « allegantur sic : C. *Audite*, dist. 34 : quod indicat cano- « nem 6, distinctionis 34, qui incipit per vocem *Audite* : « unde ad inveniendum hunc locum, quærenda est dis- « tinctio 34, et dein, oculis percurrendo initialia verba « canonum hujus distinctionis, facilè reperitur canon « *Audite*, qui est sub n° 6. Aliquando canon non indicatur « per verbum initiale, sed per numerum sub quo jacet in « distinctione, v. g. C. 6, dist. 34. Hodierni aliqui auc- « tores utrumque ponunt, v. g. C. *Audite* 6, dist. 34.

« III. Quæ citantur ex 2ª parte Decreti Gratiani... sic « allegantur : C. *Omnibus*, c. 2, q. 5, quod indicat in « quæstione 5 causæ secundæ, canonem cujus initiale

« verbum est *Omnibus*. Loco verbi initialis, aliquando « ponitur tantùm numerus; undè ad indicandum prædic- « tum canonem *Omnibus*, qui est sub n° 19, sic poni po- « test, C. 19. C. 2, q. 5; id est canon 19, Causæ 2, « quæst. 5. Auctores aliqui veteres indicant causam per « solum numerum, omissâ litterâ C.; v. gr., C. *Apertè* « 24, q. 1. Id est, can. *Apertè*, Causa 24 quæstionis 1.

« IV. Monuimus supra aliquid peculiare reperiri in « Causâ 33. Tertia nempe hujus causæ quæstio est trac- « tatus quidam de Pœnitentiâ divisus in septem speciales « distinctiones, et ideò modus etiam specialis adhibetur « ad allegandos hujus tractatûs canones : citantur sic : C. « *Perniciosè*, *De Pœnit.* dist. 1, id est : canon *Perniciosè*, « distinctionis 1, in tractatu *De Pœnitentiâ*.

« V. Quæ citantur ex tertiâ Gratiani parte... sic allegari « solent : C. *Triforme de Consecr.* dist. 2; hoc est : canon « *Triforme* distinctionis 2, in tractatu *de Consecratione*. « Vel etiam, loco verbi initialis, poni potest canonis nu- « merus C. 22, *Consecr.* dist. 2.

« VI. Ad calcem Decreti Gratiani reperiuntur Canones « Pœnitentiales et Canones Apostolorum : citantur autem « sic : C. *Pœnit.* 14. C. *Apost.* 15.

136. « VII. Ad allegandos quinque libros Decretalium, « indicatur 1° Capitulum per initialem ejus vocem; deinde « scribitur titulus libri; tunc additur vox *Extra* vel *Supra* « quæ monent textum inveniri extra Decretum Gratiani, « id est, in quinque libris Decretalium et vox *Extra* sup- « pleri potest per litteram X : v. g. Cap. *Quotiens X*, *de* « *Pactis* : id est capitulum cujus primum verbum est « *Quotiens* inter Decretales et sub titulo *de Pactis*. Quis- « nam autem sit numerus hujus tituli et in quo ex quinque « libris Decretalium inveniatur, non indicari solet. Et ideò « in omnibus editionibus *Corporis juris* apponitur indi- « culus alphabeticus omnium titulorum. Quærendus ergo « primùm est titulus in isto indiculo. Pro indicatione citatâ, « v. g. descendo per istum indiculum usque ad litteram « P, et ibi reperio titulum *De Pactis* esse titulum 35, libri 1 « Decretalium. Aliquoties autem citatio fit sine voce *Extra*, « et sine X, Cap. *Quotiens*, *de Pactis*.

137. « VIII. Ad allegandum *Sextum Decretalium* poni « tur in fine citationis, in 6°, id est, in libro 6° Decreta « lium, v. g., C. *Gratia*, *de Rescriptis* in 6°. Id est capit « *Gratia* in titulo *de Rescriptis*, in sexto libro Decreta- « lium. Quærendus ergo est in indiculo alphabetico titulo- « rum Sexti, ad litteram R, titulus *De Rescriptis*, et indi- « culus docebit hunc titulum esse tertium primi libri in « Sexto.

138. « IX. Clementinæ allegantur sic : *Clem. Multo-* « *rum*, *de Pœnis :* id est inter Clementinas, capitulum « *Multorum* tituli *de Pœnis* ; quærendus titulus *de Pœnis* « in indiculo titulorum pro Clementinis, et ibi monetur « hunc titulum esse 8, libri quinti Clementinarum.

139. « X. Extravagantes Joannis XXII allegantur sic : « Extrav. *Ecclesiæ*, *de Major. et Obed.* ; id est, inter Ex- « travagantes Joannis XXII, capitulum *Ecclesiæ* in titulo « *de Majoritate et Obedientiâ.*

140. « XI. Extravagantes Communes sic allegantur : « Extrav. Comm. *Etsi*, *de Præbend.* et *Dignit.* ; id est : « inter Extravagantes, capitulum *Etsi*, in titulo *De Præ-* « *bendis et Dignitatibus*, qui titulus quæsitus in indiculo, « reperitur esse secundus libri tertii Extravagantium « Communium.

« XII. Liber Septimus Decretalium allegatur, sicut Sex- tus, excepto quòd pronatur in-7°.

« Institutiones Lanceloti rariùs allegantur, cùm auctori- « tatem non habent. » Ita Bouix, *de Principiis*, p. 465-467.

Cæterùm tanquam regula generalis haberi debent hæc verba Cardin. Soglia (*Just. Jur. publici*, § 58 in fine) : « Manet... jus ecclesiasticum Decretalium in suâ posses- « sione, et illis, qui jus particulare contrarium prætendunt, « incumbet probatio. »

§ VI.

De jure novissimè statuto.

141. Extra corpus juris extant multæ sive antiquæ sive recentes. SS. PP. constitutiones, quæ, in iis quæ non fue- runt revocata, jus faciunt. In libro nuncupato *Magnum*

Bullarium continentur; sed hæc publicatio, quæ vitiis non caret, auctoritate privatâ prodiit; secus est dicendum de Bullario Bened. XIV, quod ab ipsomet authenticè fuit editum. Major pars juris communis, hodie vigentis, legi potest in decretis Concilii Tridentini.

142. Item ad jus Novissimum pertinent Decisiones Congregationum Romanarum, et Regulæ Cancellariæ, quæ scriptis consignatæ à Joanne XXII, per varias additiones ad numerum 72 excrevêre. Vim obligandi habent tantùm vivente Pontifice : sed quia à singulis Pontificibus statim confirmantur, perinde est ac si vim legis perpetuam obtinerent; sed iis in pluribus derogatum fuit per *Concordata*.

Partem præcipuam Juris Novissimi constituunt Concilii Tridentini decreta; nec omittenda sunt decreta anteriorum conciliorum ut Constantiensis, Florentini, Lateranensis V. De his omnibus vide Bouix, *de Principiis* (p. 382-472).

§ VII.

De variis juris gallicani documentis.

143. Multa referri possent juris nostri gallicani documenta, prout canones conciliorum, quæ variis temporibus in Galliâ coadunata sunt; Edicta nostrorum regum pro tuendis personis aut rebus ecclesiasticis; Capitularia Caroli Magni; Pragmaticæ sanctiones, tàm ea quæ S. Ludovico immeritò videtur tribui, quàm altera quæ Carolum VII habuit auctorem; Concordatum Leonem X inter et Franciscum I; Famosa Cleri gallicani declaratio anni 1682, et multa alia; sed quia longum esset hæc omnia recensere, brevitatis causâ lectorem, qui ea voluerit cognoscere remittimus ad nostrum *Manuale*, ubi legi poterunt à n° 204 usque ad n^m^ 236; omnino tamen necessarium existimamus oculis juniorum Levitarum hic submittere Concordatum anni 1801, utpote statum adhuc hodie vigentem apud nos regulans, quodque proinde ipsis ignorare non licet.

144. « Conventio inter Gubernium Gallicanum et S. « Pontificem Pium VII :

« Gubernium Reipublicæ recognoscit Religionem Catho-
« licam, Apostolicam, Romanam, eam esse religionem
« quam longè maxima pars civium Gallicanæ Reipublicæ
« profitetur.

« S. Pontifex pari modo recognoscit eamdem Religio-
« nem, maximam utilitatem maximumque decus perce-
« pisse, et hoc quoque præstolari ex catholico cultu in
« Galliâ constituto, nec non ex peculiari ejus professione,
« quam faciunt Reipublicæ Consules.

« Hæc cùm ita sint, atque utrinque recognita, ad Reli-
« gionis bonum, internæque tranquillitatis conservationem,
« ea quæ sequuntur inter ipsos conventa sunt :

« Art. 1. Religio Catholica, Apostolica, Romana, liberè
« in Galliâ exercebitur. Cultus publicus erit, habitâ tamen
« ratione ordinationum quoad politiam, quas Gubernium
« pro publicâ tranquillitate necessarias existimabit.

« Art. 2. Ab Apostolicâ Sede, collatis cum Gallico Guber-
« nio consiliis, novis finibus Galliarum diœceses circum-
« scribentur.

« Art. 3. S. Pontifex titularibus Gallicanarum Ecclesia-
« rum Episcopis significabit se ab iis, pro bono pacis et
« unitatis, omnia sacrificia firmâ fiduciâ expectare, eo non
« excepto quòd ipsas suas episcopales sedes resignent.

« Hâc hortatione præmissâ, si huic sacrificio, quod
« Ecclesiæ bonum exigit, renuere ipsi vellent (fieri id au-
« tem posse S. Pontifex suo non reputat animo), guber-
« nationi Gallicanarum Ecclesiarum novæ circumscrip-
« tionis de novis titularibus providebitur, eo qui sequitur
« modo.

« Art. 4. Consul Primus Gallicanæ Reipublicæ, intra
« tres menses qui promulgationem Constitutionis Aposto-
« licæ consequentur, Archiepiscopos et Episcopos novæ
« circumscriptionis diœcesibus præficiendos nominabit;
« S. Pontifex institutionem canonicam dabit juxta formas,
« relativè ad Gallias, ante regiminis commutationem sta-
« tutas.

« Art. 5. Item Consul Primus ad Episcopales Sedes, quæ
« in posterum vacaverint, novos Antistites nominabit,

« iisque, ut in articulo præcedenti constitutum est, Apos-
« tolica Sedes canonicam dabit institutionem.

« Art. 6. Episcopi antequam munus suum gerendum
« suscipiant, coram Primo Consule juramentum fideli-
« tatis emittent quod erat in more, ante regiminis commu-
« tationem, sequentibus verbis expressum : *Ego juro, et*
« *promitto, ad sancta Dei Evangelia, obedientiam et fide-*
« *litatem Gubernio per constitutionem Gallicanæ Reipu-*
« *blicæ statuto. Item promitto me nullam communicationem*
« *habiturum, nulli consilio interfuturum, nullamque sus-*
« *pectam unionem neque intra neque extra conservaturum,*
« *quæ tranquillitati publicæ noceat ; et si, tam in diœcesi*
« *meâ, quàm alibi, noverim aliquid in statûs damnum tra-*
« *tari, Gubernio manifestabo.*

« Art. 7. Ecclesiastici secundi ordinis idem juramentum
« emittent coram auctoritatibus civilibus à Gallicano Gu-
« bernio designatis.

« Art. 8. Post divina officia, in omnibus catholicis Gal-
« liæ templis, sic orabitur : *Domine, salvam fac Rempubli-*
« *cam ; Domine, salvos fac Consules.*

« Art. 9. Episcopi, in suâ quisque diœcesi, novas parœ-
« cias circumscribent ; quæ circumscriptio suum non sor-
« tietur effectum, nisi postquam Gubernii consensus
« accesserit.

« Art. 10. Iidem Episcopi ad parœcias nominabunt ; nec
« personas seligent nisi Gubernio acceptas.

« Art. 11. Poterunt iidem Episcopi habere unum Capi-
« tulum in Cathedrali Ecclesiâ, atque unum seminarium
« in suâ quisque diœcesi, sinè dotationis obligatione ex
« parte Gubernii.

« Art. 12. Omnia templa Metropolitana, Cathedralia,
« Parochialia, atque alia quæ non alienata sunt, cultui
« necessaria, Episcoporum dispositioni tradentur.

« Art. 13. Sanctitas Sua, pro pacis bono, felicique reli-
« gionis restitutione, declarat eos, qui bona Ecclesiæ alie-
« nata acquisiverunt, molestiam nullam habituros, neque
« à se, neque à Romanis Pontificibus successoribus suis ;
« ac consequenter proprietas eorumdem bonorum, reddi-

« tus et jura iis inhærentia, immutabilia penès ipsos « erunt, atque ab ipsis causam habentes.

« Art. 14. Gubernium Gallicanæ Reipublicæ in se sus- « cipit tum Episcorum tum parochorum, quorum diœceses « atque parochias nova circumscriptio complectetur, sus- « tentationem quæ cujusque statum deceat.

« Art. 15. Idem Gubernium curabit ut catholicis, in « Gallià, liberum sit, si libuerit, Ecclesiis consulere novis « fundationibus.

« Art. 16. Sanctitas Sua recognoscit in Primo Consule « Gallicanæ Reipublicæ eadem jura ac privilegia quibus « apud S. Sedem fruebatur antiquum Regimen.

« Art. 17. Utrinque conventum est, quòd, in casu quo « aliquis ex successoribus hodierni Primi Consulis catho- « licam religionem non profiteretur, super juribus et pri- « vilegiis in superiori articulo commemoratis, nec non « super nominatione ad Archiepiscopatus et Episcopatus, « respectu ipsius, nova conventio fiet.

« Ratificationum traditio Parisiis fiet quadraginta die- « rum spatio.

« Datum Parisiis, die 15 mensis julii 1801.

« Hercules Card. Consalvi, J. Bonaparte. Joseph Archiep. « Corinthi, Bernier, F. Carolus Caselli, Cretet. »

145. Varias Bullas aut Brevia promulgavit S. Pontifex pro executione hujusce Concordati, videlicet Bullam *Ecclesia Christi*, 15 augusti 1801, pro illius confirmatione; Bullam *Qui Christi Domini* ad novarum diœcesium circumscriptionem ordinandam.

Pro felici executione præfati Concordati missus fuit etiam Card. Caprara tanquam *Legatus à latere* cum amplissimis facultatibus, qui, suo indulto 9 aprilis 1802, ad quatuor tantùm festos dies præter Dominicas reduxit, etc., etc.

146. Simul cum Concordato, 8 aprilis 1802, Gubernium promulgavit quasi Codicem Ecclesiasticum sub nomine : *Articles organiques du culte catholique*. In iis proclamantur Libertates prætensæ Ecclesiæ Gallicanæ; necessitas *Placiti* imponitur pro omnibus expeditionibus Romanæ Curiæ, etiam privatos tantùm respicientibus;

appellationes *de abusu* admittuntur ; jubetur edoceri in seminariis declarationem Cleri Gallicani 1682, etc.

Contra illos *articulos organicos* pluries reclamavit Sancta Sedes ; sed à Gubernio non fuerunt revocati, nisi ex parte, et post plures annos.

147. *Nota.* In calce libri Decretalium Gregorii IX, referuntur juris regulæ, numero 11, et in calce sexti numero 88, quarum usus est frequens apud canonistas. Legi etiam possunt in nostro *Manuali*, n° 241, etc.

Supra, et jam ab initio, monuimus totam materiam, quam nobis explanare superest in hoc volumine, in tres libros esse partiendam : de personis nempe, de rebus et de judiciis ecclesiasticis. Sit igitur hîc liber primus de Personis.

ELEMENTA

JURIS CANONICI

AD USUM

GALLIÆ SEMINARIORUM.

LIBER PRIMUS.

DE PERSONIS ECCLESIASTICIS.

148. Ecclesia est Societas à Christo instituta ut fideles usque ad finem mundi ducat ad supremam beatitudinem. Instituta fuit ab eodem *completa*, id est, habens omne quod ipsi est necessarium ad suum finem assequendum, ac etiam omnino independens à quâcumque alterâ societate, proinde ab auctoritate civili (S. Matth., c. 28, v. 19; c. 18, v. 18; 2 Cor., c. 10, v. 16)[1].

149. Unde malè diceretur Ecclesia esse in statu civili, si talibus dictis intelligi daretur eam ab auctoritate civili dependere : econtra enim auctoritas civilis ab ipsâ dependet, non tantùm quoad ea quæ directè sunt spiritualia, sed etiam quoad ea quæ talia sunt indirectè, ut probabitur infra ; unde ab eâ dependet etiam quoad temporale quatenus istud ordinatur ad finem spiritualem ; et ita fuit definitum à Bonifacio VIII, per bullam *Unam Sanctam*.

[1] Inter errores in Syllabo Pii IX recensitos, habetur iste nº 19 · « Ecclesia non est vera perfectaque societas planè libera, nec pollet « suis propriis constantibus juribus sibi à divino Fundatore colla- « tis, etc. » Vide etiam nº 20.

Cæterùm sæcularis potestas sub reliquis respectibus est independens ab Ecclesiâ : sunt enim duæ potestates à se invicem distinctæ, spiritualis videlicet et temporalis.

In Ecclesiâ diversa sunt membra : alia enim sunt ad hierarchiam pertinentia, alia non pertinentia.

150. Per hierarchiam, seu sacrum principatum, intelligitur series personarum in aliquo participantium potestati ecclesiasticæ, seu potestati à Christo datæ Apostolis eorumque successoribus, docendi omnes, Ecclesiam regendi et res sacras peragendi. Ex hâc quidem definitione colligi potest triplicem existere hierarchiam ; communiter tamen in duas dividitur tantùm species : *Jurisdictionis* scilicet, in quâ etiam *Magisterii* continetur, et *Ordinis*. Proinde hic primus liber partiendus esset in tres sectiones : nempe de Personis 1° ad hierarchiam jurisdictionis ; 2° ad hierarchiam ordinis ; 3° ad neutram hierarchiam spectantibus. Omittemus tamen hanc tertiam sectionem, brevitatis causâ, et non nisi præcipuas quæstiones expendemus duas alias sectiones respicientes.

SECTIO PRIMA.

DE PERSONIS AD HIERARCHIAM JURISDICTIONIS SPECTANTIBUS.

DISSERTATIO PRIMA.

DE HIERARCHIA JURISDICTIONIS IN GENERE.

CAPUT PRIMUM.

DE JURISDICTIONE ECCLESIASTICA IN GENERE.

ART. I.

DE NATURA ET OBJECTO JURISDICTIONIS ECCLESIASTICÆ IN GENERE.

151. I. Georgius Sicardus et cum eo suspectæ doctrinæ fautores alii multi contendunt non differre, nec à se invi-

cem separari possè jurisdictionem et potestatem ordinis. Dicunt enim quòd Episcopi possident plenitudinem jurisdictionis, eò quòd habeant Sacerdotii plenitudinem : quo supposito, funditus evertitur suprema et universalis potestas, S. Pontifici à Christo tradita, pascendi omnes tàm fideles quàm Episcopos.

152. Contra illos, multis argumentis à nobis in *Manuali* relatis, probatur : 1° potestatem ordinis nec auferri nec minui posse in Episcopis, dum in eis restringi valet jurisdictionis potestas; 2° potestatem ordinis episcopalis stare posse sine jurisdictione, et vicissim jurisdictionem episcopalem sine episcopali caractere.

Sufficiat referre, pro 1ª parte, Conc. Trid. (Sess. 23, c. 4) : « Quoniam verò in Sacramento Ordinis, sicut in « baptismo et confirmatione caracter imprimitur, qui nec « deleri nec auferri potest, meritò S. Synodus damnat « eorum sententiam qui asserunt novi testamenti sacer- « dotes temporariam tantùmmodo potestatem habere et « semel ritè ordinatos, iterum laicos effici posse, si verbi « ministerium non exerceant. »

Certum est econtra restringi posse jurisdictionem episcoporum, sive quoad loca, sive quoad materias, sive quoad personas. Dicitur enim in can. 2, Conc. œcumenici Constantinopolitani I : « *Secundùm regulas constitutas,* Alexan- « driæ quidem Episcopus ea quæ sunt in Ægypto *tantùm* « gubernet ; Orientis autem Episcopi *solius* Orientis curam « gerant... Sed et Asianæ diœcesis episcopi *ea quæ sunt in* « *Asiâ* et *quæ ad Asianam tantùmmodo Ecclesiam* perti- « nent, gubernent : Ponti autem episcopi Ponticæ *tantùm* « diœcesis habeant curam ; Thraciæ verò ipsius *tantùm-* « *modo* Thraciæ. »

Constat pariter existere posse Episcopum caractere episcopali insignitum sine ullâ diœcesi, ac proinde sine jurisdictione ; et talis est qui episcopatui renuntiavit ; prout etiam constat præconizatum ad episcopatum posse cum plenâ jurisdictione gubernare suam diœcesim, statim ac suas bullas obtinuit et Capitulo præsentavit, etsi nondum fuerit consecratus. Ergo verè

à se invicem differunt potestas ordinis et potestas jurisdictionis.

Diximus jurisdictionem separari posse à potestate ordinis, non verò necessariò à se invicem esse separatas ; imò sæpe hæ duo simul concurrere debent, etiam ad validitatem actûs : v. g., ad validitatem absolutionis, ut constat ex Trid., sess. 24, c. 7.

Ut clariùs perspiciatur discrimen quod interest inter potestatem ordinis et jurisdictionis, observandum est quòd prior : 1° confertur per ordinationem ; 2° æqualis est in iis qui eumdem ordinem habent ; 3° perpetua manet in quolibet ministro ; 4° delegari *præcisè* non potest. Dum potestas jurisdictionis èontra : 1° Non confertur necessariò per ordinationem, imò ante ordinationem obtineri potest, sed confertur per missionem legitimam ; 2° inæqualis est in variis subjectis etiam ejusdem ordinis et dignitatis ; 3° non est perpetua sed variis modis retrahi vel tolli potest ; 4° propriè potest delegari.

Dixi quòd potestas ordinis delegari præcisè non valeat : nam etiamsi per delegationem seu commissionem possit, v. g. sacerdos conferre sacramentum Confirmationis, non ideò ipsi *propriè* delegatur potestas hoc sacramentum conficiendi, sed ponitur conditio per quam sacerdos fit capax confirmandi : simplex enim caracter sacerdotalis indiget hâc commissione ut sit sufficiens ad conficiendum hujusmodi sacramentum.

153. Potestas autem jurisdictionis ecclesiasticæ definiri solet : *Potestas regendi et gubernandi subditos in ordine ad vitam æternam.*

154. Duo hîc imprimis ante oculos habenda sunt catholica dogmata à Concilio Tridentino definita, sess. 23, can. 7 et 8 : alterum est : « Si quis dixerit eos, qui nec ab Eccle« siasticâ et canonicâ potestate ritè *ordinati*, nec *missi* « *sunt*, sed aliundè veniunt, legitimos esse verbi et sacra« mentorum ministros, anathema sit. »

« Itaque, inquit Devoti (lib. 1, tit. 2, § 6), ut Episcopus « et ordinis habeat et jurisdictionis potestatem, utramque « habere debet, scilicet et ordinationem et legitimam

« missionem per quam ei assignentur subditi, in quos « imperium exerceat. »

Alterum autem est : « Si quis dixerit Episcopos, qui « auctoritate Romani Pontificis assumuntur, non esse « legitimos et veros Episcopos, sed figmentum humanum, « anathema sit. » Undè idem Concilium (*ib.*, cap. 4) statuit : « Eos qui tantummodò à populo aut sæculari « potestate, ac magistratu vocati et instituti ad hæc eccle- « siastica ministeria exercenda ascendunt, et qui ea pro- « priâ temeritate sibi sumunt, omnes non Ecclesiæ mi- « nistros, sed fures et latrones per ostium non ingressos « habendos esse. »

155. Quærit. Utrum Ecclesiæ tribui possit jurisdictio propriè dicta ?

Negârunt quidem, et etiam nunc negant plures jurisperiti sæculares, eò quòd jurisdictio propriè dicta necessariò includat *jus coercitionis externæ*, juxta legem *Cui jurisdictio* ff. *de Jurisdict.* Porrò, inquiunt, Ecclesia hoc *jus coercitionis* non possidet. Sed affirmandum certè est ; nam etsi Ecclesia non habeat *jus coercitionis* sic intellectum quòd habeat potestatem vi apprehendendi per seipsam corpora vel bona, non ideò tamen illi desunt media cogendi subditos ad obtemperandum : illos enim potest cogere per privationem bonorum spiritualium, denegando sacramenta aut sepulturam ecclesiasticam, spoliando beneficiis et officiis ecclesiasticis, variis censuris plectendo, etc. Undè dicit Apostolus, 2 ad Cor., cap. 10, v. 6 : « In promptu ha- « bentes ulcisci omnem inobedientiam » ; et 2 ad Thess., cap. 3, v. 14 : « Si quis non obedit verbo nostro per « epistolam, hunc notate et ne commisceamini cum illo, « ut confundatur. » Facultas Theologica Parisiensis damnavit *ut hæreticam* propositionem Ant. de Dominis, quæ denegabat Ecclesiæ *veram jurisdictionem*, *hoc est vim coactivam* et subjectionem externam ; et Bulla *Auctorem fidei*, n° 4, hoc idem damnat ut *inducens in systema aliàs damnatum ut hæreticum*[1].

[1] In Syllabo Pii IX reprobatur propos. 24, sic habens : « Ecclesia

156. II. Duplicis esse conditionis objecta ecclesiasticæ jurisdictionis : alia enim *directè* pertinent ad auctoritatem ecclesiasticam, alia tantum *indirectè*.

Directè pertinent actus et res essentialiter spirituales. Porrò non ex eò quòd sint visibiles, res temporales à spiritualibus secernuntur, inquit Phillipps (c. 9, § 10, p. 395); sed distinguuntur per ipsarum destinationem : temporalia enim sunt quorum finis immediatus est objectum temporale ; spiritualia verò quorum finis præcipuus est spiritualis (*Ibid.*, p. 397), ut sunt, v. g. quæ pertinent ad doctrinam, ministerium et cultum divinum, ad disciplinam ecclesiasticam ; item quæ avertunt à fine supernaturali, qualia sunt peccata.

157. *Indirectè* verò pertinent res temporales, quatenus esse possunt materia supernaturalium actuum, aut virtutum aut etiam vitiorum. « Quia ferè tota materia temporalis, « inquit Suarez (*De Leg.*, lib. 4, c. 11, n° 9), ad spiri- « tualem finem ordinari potest, et illi subest..., sub illo « respectu inducit quamdam rationem spiritualis materiæ, « *et ità potest ad leges canonicas pertinere.* »

158. « Et hinc intelligitur, pergit idem (n° 11), quâ ra- « tione contingat, ut lex canonica et civilis interdum ver- « sentur circa eamdem materiam : quia nimirum materia « per se temporalis est, et sub eâ ratione potest lex civilis « circa illam versari ; habet tamen aliquem respectum ad « spiritualia, et sub eâ ratione potest ad legem canonicam « pertinere ; atque hoc modo multa delicta dicuntur esse « mixti fori, quia ad utramque potestatem pertinere pos- « sunt et in eis datur locus præventioni. »

Igitur inter illa objecta, alia sunt quæ ad solum ecclesiasticum forum pertinent ; alia quæ etiam ad forum sæculare possunt pertinere, sive per concessionem Ecclesiæ, sive quia *de se* sunt *mixti fori :* Illa recenset Bened. XIV, *De Syn. diœces.*, lib. 9, cap. 9, n° 2 : ut videre est etiam in nostro *Manuali* à n^m^ 266 usque ad n^m^ 275.

159. Quoad hæc verò nota, cum Card. Soglia (*Inst. jur. publ.*, § 58), quòd « sive divino, sive humano jure, à foro « vis inferendæ potestatem non habet, neque potestatem ullam tem- « poralem directam vel indirectam. »

« laicali exempti fuerint (clerici), apud omnes certum est « eam immunitatem nec tolli posse, nec abrogari...; licet « (S. Pontifex) optimè possit eam exemptionem quoad « quosdam clericos et quoad quasdam causas revocare. » Vide etiam S. Liguor., *de Privilegiis*, nº XVIII, ubi addit quòd clerici « teneantur in conscienciâ illis legibus civi- « libus, quæ non repugnant eorum statui, non vi *coerci- « tivâ*, ut dicitur, sed *directivâ*, ut uniformentur commu- « nitati. Est commune cum Salmant. »

160. Insuper notandum est « nullâ theologicâ notâ carpi « debere opinionem quorumdam catholicorum Doctorum, « qui docent ex merâ duntaxat principum concessione, « suum clericis obvenisse fori privilegium in causis tem- « poralibus; modò tamen simul sustineatur, non posse « Ecclesiam hoc jure semel accepto unquam legitimè spo- « liari (posse enim principes hoc privilegium repetere « communiter à DD. catholicis tanquam omninò falsum « reprobatur), et modò prædicta opinio Romanum Ponti- « ficem non comprehendat. *Inter catholicos*, ait Suarez, « *Palatius asserere ausus est Papam non esse exemptum à « potestate civili jure divino vel canonico, sed jure tan- « tùm civili, seu ex privilegio Imperatorum... Verumta- « men hæc sententia, quatenus totum hoc privilegium re- « vocat in solam donationem Imperatorum, etiam de aliis « clericis Summo Pontifice inferioribus perniciosa est et « minimè probanda... De Summo autem Pontifice omninò « reprobanda et minimè toleranda est* (*Defens. fidei*, lib. 4, « *de Immunit.*, c. 4, nº 2)... Ita Bouix, *de Judiciis*, t. 1, « p. 89 et 90 », ubi insuper addit, in tractatu *de jure Ec- clesiæ relativè ad potestates civiles*, « 2º Probamus dictam « opinionem, quæ clericale fori privilegium à solâ Impe- « ratorum concessione repetit, etsi nequeat censurâ theo- « logicâ percelli (eò quòd... nondum expressè ab Ecclesiâ « damnata fuerit), esse tamen *omnino falsam, pernicio- « sam et deserendam* [1]. »

[1] Damnatur in Syllabo Pii IX propositio sequens, quæ est 30 : « Ec- « clesiæ et personarum ecclesiasticarum immunitas à jure civili ortum « habuit. » Item prop. 25 : « Præter potestatem episcopatui inhæren-

ART. II.

DE DIVISIONE JURISDICTIONIS ECCLESIASTICÆ.

161. Dividitur Jurisdictio ecclesiastica : 1° In jurisdictionem *fori interni* et *fori externi;* per *forum* autem intelligitur *locus exercendarum litium* (cap. *Forus*, *de verb. signif.*), et etiam ipsummet justitiæ exercitium.

Jurisdictio *fori interni* est illa quæ *primariò et directè refertur ad privatam uniuscujusque fidelis utilitatem :* exercetur autem per sacramenta aut sacramentalia; talis est jurisdictio parochorum. — Subdividitur in jurisdictionem *fori pœnitentialis*, quæ intra tribunal pœnitentiæ tantùm usurpatur, et in jurisdictionem fori interni *extrapœnitentialis*, quæ extra illud tribunal exerceri potest, quando, v. g., superior dispensat in voto, irregularitate, etc...

162. Jurisdictio *fori externi* est illa quæ *primariò et directè publicam corporis fidelium utilitatem respicit :* ut, leges ferre, decidere controversias circa doctrinam vel disciplinam, et similia.

Ex his intelligi valet quid sit aliquem ligare aut absolvere in conscientiâ, dispensare in foro interno vel utroque foro. Aliquis absolvitur vel dispensatur tantùm in foro interno, quando ipsius absolutio vel dispensatio vim non habet nisi pro conscientiâ : tunc si casus deferatur ad forum externum, superior minimè tenetur acceptare hanc absolutionem vel dispensationem ; secus, quando pro utroque foro gratia impertitur.

Ex his etiam videtur quomodo intelligendum sit vulgare adagium : *Ecclesia de internis non judicat :* illud nempe intelligendum est de foro externo, non interno.

163. « Magnâ opus est prudentiâ, inquit Berardi à D. « Bouix citatus (*de Principiis*, p. 525), in definiendo quæ« nam ad fori externi jurisdictionem pertineant... Exem« plum præbeo : facultas prædicandi..., absolvendi à pec« catis (et) à censuris..., est fori interni... At facultas

« tem, alia est attributa temporalis potestas à civili imperio, vel « expressè vel tacitè concessa, revocanda propterea, cùm libuerit, « à civili imperio. »

« concedendi potestates prædicandi, absolvendi à peccatis « sive à censuris, ad forum externum pertinet; quia hæc « in bonum communitatis directè refertur. »

164. Dividitur 2° in *Universalem* quæ nullo arctatur limite, nec quoad personas, nec quoad loca, nec quoad materias : talis fuit jurisdictio Apostolorum, et nunc talis est jurisdictio Summi Pontificis. — In *Particularem* quæ restringitur aliquo ex illis tribus modis, nempe vel quoad personas, vel quoad loca, vel quoad materias.

165. Dividitur 3° in *voluntariam* et *contentiosam* seu in *extrajudicialem* et *judicialem*. *Voluntaria*, quæ etiam vocatur *extrajudicialis*, illa est quam superior exercere potest, etiam erga invitos, absque formis pro judiciis à jure præceptis : in eâ includitur potestas censuras ferendi extrajudicialiter. — *Contentiosa* verò seu *judicialis* illa est, quæ juxta formas pro judiciis à jure præscriptas exercetur.

Contentiosa jurisdictio, extra territorium Prælati eam exercentis, non potest licitè nec validè exerceri, quia tale exercitium *sinè strepitu* fieri nequit. Ita cap. *Ut animarum*, *de Const.*, in 6°, in quo dicitur : *Extra territorium jus dicenti impunè non paretur*. — Voluntaria verò potest etiam extra territorium exerceri, nisi ministerium ordinis Episcopalis exigat ut intra diœcesim exerceatur, quemadmodum contingeret si Pontificalia exercerentur, si, v. g., sacramenta Ordinis et Confirmationis diœcesano suo conferret Episcopus.

166. Dividitur 4° in *ordinariam* et *delegatam*. *Ordinaria* dicitur ea quæ alicui, jure proprio, ratione officii aut dignitatis suæ, ex lege, consuetudine, aut privilegio vim legis habente, competit : talis est jurisdictio Parochi, Pœnitentiarii, Episcopi, Capituli, Abbatis, S. Pontificis in totâ Ecclesiâ, Legati, etc. Qui possident jurisdictionem ordinariam in foro externo sunt Ordinarii; quo nomine vocantur non solùm Episcopi, sed eorum Vicarii Generales et Prælati, qui in certis locis jurisdictionem quasi-episcopalem exercent. Sed dicto nomine non designantur Parochi, quia non habent jurisdictionem in foro *externo*. V. Conc. Trident., sess. 24, c. 1, *de Reform. matrim.*, ubi *Parochus* distinguitur ab Ordinario propriè dicto.

167. Jurisdictio *delegata* est ea quam quis non habet jure proprio, id est, non ratione sui officii aut dignitatis, à lege, consuetudine, aut privilegio vim legis habente, sed solùm per commissionem alterius; quæ dari tamen potest non tantùm ab homine, sed etiam à jure, prout potestas absolvendi in articulo mortis, quæ, ex consuetudine, data reputatur omnibus sacerdotibus.

168. Duplicis generis est jurisdictio *delegata*, alia *particularis*, alia ad *universitatem causarum*. *Particularis* est, quando una causa vel altera committitur. Est verò *ad universitatem causarum*, quando causæ omnes, vel saltem certum genus causarum, sub uno collectivo nomine committuntur, quamvis delegatio restringatur sive quoad tempus, sive quoad loca.

Delegatus ad *universitatem causarum* dicitur *quasi-Ordinarius* [1], et potest subdelegare, non quidem totam suam jurisdictionem, sed unam vel alteram causam. Secus est de delegato ad causam particularem, qui non potest subdelegare, nisi sit delegatus à Supremo Principe (c. *Causam* 62, *de Appell.*). Vide tamen infra (195).

Delegatus tenetur suam missionem probare (Cap. *Cùm in jure*, 31, *de Officio Delegati*).

169. Delegari potest quis vel ab homine vel à jure : delegatur ab *homine* qui suam delegationem immediatè accipit ab Ordinario, vel ab alio facultatem delegandi habente. Delegatur *à jure*, qui delegatam jurisdictionem habet ex commissione juris communis, vel etiam ex consuetudine : exemplum habetur in cap. *Ad abolendum*, § fin., *de Hæreticis*, ubi facultas contra exemptos procedendi in causâ hæreseos, datur Episcopis tanquam à Sede Apostolicâ delegatis. Plura alia sunt exempla in Concilio Trident., v. g. sess. 5, cap. 1 ; sess. 6, cap. 2, *de ref.*, etc. Non tamen hujusce generis reputari debet deputatio facta sine expressione *tanquam delegati à S. Sede* ; qualis est, v. g.

[1] « Delegatus ad *universitatem causarum* dicitur quando ei genus « causarum committitur sub uno *nomine collectivo*, quamvis non sit « generalissimum sed subalternum, licet sit restrictum quoad tempus... « vel quoad quantitatem, ut causæ decem librarum et infra, vel quoad « locum. » Ita Sanchez, *de Matrim.*, disput. 31, nº 4. Vid. infra (195).

ea de quâ agitur in cap. *Liceat*, sess. 24, de quâ v. S. Liguor., lib. 6, n^is^ 566 et 1125; Carrière, *de Matrimonio*, n° 1075.

Ne dicas jurisdictionem à jure datam esse *ordinariam* : nam licet à jure deferatur modò dicta jurisdictio, vocanda est *delegata*, quia defertur per modum *commissionis*, ut demonstrant ipsamet verba : *tanquam delegatus Sedis Apostolicæ :* idipsum à sensu contrario colligi potest ex cap. *Licet in corrigendis*, 12, *de Officio Ordin. :* « *Ab Episcopo,* « *non tanquam delegato, sed tanquam Ordinario faciendis.* »

170. Effectus autem clausulæ *tanquam Sedis Apostolicæ delegatus* est quod, in hoc casu, non possit appellari ab Episcopo ad Archiepiscopum, sed solummodo ad S. Pontificem, tanquam a delegato ad delegantem; propterea in Galliis, huic clausulæ repugnabant jurisperiti; dicebant enim sic causas subduci judicibus earum naturalibus.

171. Aliquando additur verbum ETIAM *tanquam delegatus*, etc.; et tunc Episcopus habet duplicem potestatem, unam scilicet *ordinariam*, et alteram *delegatam* : et potest unâ vel alterâ uti, prout maluerit. In dubio censetur voluisse uti delegatâ, quia potestas Papæ magis est honorifica (cap. *Sane quia nos*, 11, *de Off. et potestat. Jud. deleg...*). In hoc tamen casu licitum est ad Archiepiscopum appellare juxta Fagnan., etiamsi Episcopus processerit tanquam delegatus Sanctæ Sedis : sic decisum fuit à S. C. C., 18 aug. 1860.

Jurisdictio ordinaria est *favorabilis*, delegata verò *odiosa*, quia derogat ordinariæ, ideòque est strictè interpretanda.

172. Dividitur 5° In *immediatam* et *mediatam; immediata* jurisdictio illa est quæ potest exerceri generaliter et independenter à casu necessitatis. S. Pontifex in totâ Ecclesiâ, Episcopus in suâ diœcesi, Parochus in suâ parochiâ jurisdictionem immediatam possident. *Mediata* verò est quæ exerceri non valet nisi in certis casibus determinatis à jure : talis est potestas Archiepiscoporum in suffraganeorum subditos.

Dixi *in subditos* : nam secus est dicendum de ipsis Episcopis suffraganeis, in quos Metropolitanus ordinariam habet jurisdictionem.

ART. III.

DE SUBJECTO JURISDICTIONIS ECCLESIASTICÆ.

173. Subjectum jurisdictionis duplici modo intelligi potest : *passivè* vel *activè*. Subjectum *passivum* est ille qui subjacet jurisdictioni ; *activum* autem ille in quo residet potestas jurisdictionis.

Porrò 1° : Omnes et soli baptizati subjacent jurisdictioni ecclesiasticæ : *omnes* quidem, ac proindè etiam hæretici, schismatici, excommunicati, etc. ; siquidem, ex regulâ juris ff. *Nemo ex suo delicto meliorem suam conditionem facere potest* ; *soli* verò, quia ex Concil. Trident. (sess. 24, c. 2) : « Ecclesia in neminem judicium exercet, qui non « priùs in ipsam per Baptismi januam ingressus fuerit. » « Quid mihi, inquit Apostolus (1 Cor., c. 5, v. 12), de iis « qui foris sunt judicare? Eos qui foris sunt Deus judi- « cabit? »

174. 2° Jurisdictio ecclesiastica, in iis solis activè residet qui illam per vias canonicas receperunt, sive accipiendo *officium*, et talis jurisdictio est *ordinaria* ; sive per delegationem ab habente officium datam, et talis jurisdictio dicitur *delegata*.

Qui sinè missione canonicâ, ex propriâ audaciâ, vel ex mandato Principis sæcularis, invadunt potestatem ecclesiasticam, dicuntur *intrusi*. Illis applicanda sunt verba Christi (Joan., c. 10, v. 1) : « Qui non intrat per ostium « in ovile ovium, sed ascendit aliundè, ille fur est et « latro. » Illorum actus sunt pleno jure irriti. V. Breve Pii VI, 13 apr. 1791. Exponendæ sunt igitur viæ legitimæ ad adipiscendam jurisdictionem ; sit ergo :

CAPUT II.

DE ACQUISITIONE JURISDICTIONIS ECCLESIASTICÆ.

175. Datis quibusdam notionibus circa titulum et ipsius necessitatem, dicemus : 1° de adeptione jurisdictionis delegatæ; 2° de adeptione jurisdictionis ordinariæ : unde tres erunt articuli :

ART. I.

DE TITULO ET IPSIUS NECESSITATE.

176. Titulus in genere est actus quo confertur potestas peragendi munia ecclesiastica :

Titulus est *verus* aut *falsus* : *verus* est qui nullo laborat vitio; porrò, ut verus sit, tria requiruntur : 1° concedentis libera potestas, 2° recipientis habilitas, 3° debita forma in actu concessionis.

Falsus est ille qui laborat vitio circa unum ex tribus modò indicatis. Dicitur etiam *putativus* relativè ad eos qui, ignorantes, vitium legitimum reputant.

177. Titulus falsus potest esse vel *fictus*, vel *coloratus*, vel *simpliciter nullus*.

Fictus est ille qui non fuit concessus à superiore, vel non pro casu, aut loco, aut tempore, vel denique pro personâ de quibus agitur.

Coloratus est ille qui fuit concessus à legitimo superiore, et *de se* esset aptus ad jurisdictionem conferendam, si non irritaretur propter defectum occultum; porrò ille defectus occultus potest contingere : 1° in *concedente*, v. g. si ignoraretur mors Episcopi, ipsius Vicarius Generalis haberet titulum coloratum tantùm; 2° in *recipiente*, sive aliquod vitium præcesserit, v. g. irregularitas occulta, vel excommunicatio, sive titulo suo sit spoliatus, et id ignoretur; 3° in *actu*, ut si intercesserit simonia occulta, ratione cujus actus sit irritus.

Simpliciter nullus est, vel qui fuit concessus à superiore

ad quem non pertinet concedere, v. g. ab Archiepiscopo, extra casus in quibus ipsi tribuitur facultas supplendi negligentiam suffraganeorum; vel si fuerit concessus ab eo ad quem pertinet concedere, laborat vitio manifesto. Non tamen requiritur ut omnes incolæ noverint vitium, sed sufficit si multi cognoscant.

178. Quærit. 1° Utrum aliquando sufficiens sit titulus falsus?

Resp. Ubi deest titulus verus, sufficit *falsus* seu *putativus*, ad exercendam validè jurisdictionem tàm delegatam quàm ordinariam, in utroque foro externo et interno; modò 1° existat error *communis* et *probabilis* circa vitium tituli; 2° ejus sit naturæ vitium cui Ecclesia mederi possit; 3° titulus sit saltem *coloratus*.

Probatur responsio ex I. *Barbarius*, *ff. de Offic. Prætor.* « Qui textus, etsi civilis, inquit S. Liguor. (lib. 6, n° 572), « tamen, cùm non sit reprobatus à jure canonico, vim « habet etiam in illo, ut habetur in cap. 1, *de Nov. op.* « *nunt...* »

« Probatur etiam ex cap. *Infamis*, 3, q. 7, ubi dicitur: « Si *Servus* (qui est incapax jurisdictionis) *dum putaretur* « *liber, ex delegatione sententiam daret, quamvis posteà in* « *servitutem depulsus sit, sententia ab eo dicta rei judicatæ* « *firmitatem tenet*. Ratio, quia ex benignâ interpretatione « præsumitur eo casu pia mater Ecclesia ad bonum anima- « rum supplere jurisdictionem. »

Dicitur 1°: *Ad exercendam validè*, quia non semper est sufficiens ad exercendam licitè, præsertim in eo qui non ignorat sui tituli vitium, nisi in casu necessitatis.

179. Dicitur 2°: Jurisdictionem *tàm delegatam quàm ordinariam*. Quidam DD. putârunt titulum putativum sufficere cum errore communi ad exercendam jurisdictionem *ordinariam*, non verò *delegatam*, quia bonum commune non exigit, inquiunt, quòd suppleatur jurisdictio in casu delegationis, quæ non respicit nisi unum vel alterum casum; sed, inquit Sanchez (*de Matr.*, disp. 22, n° 16): « Sententia multò probabilior, docet valere gesta, sive « judex sit ordinarius sive delegatus. Probatur ex cap.

» *Infamis* (modo relato)... Ubi apertè sermo est de judice » delegato. »

Ad argumentum adversariorum respondetur, cum eodem (*ib.*, n° 20), quòd in casu jurisdictionis delegatæ, « agitur de utilitate publicâ, licet intersit unius tantùm, « quia interest Reipublicæ cuilibet justitiam ministrari. »

180. Dicitur 3° : *In utroque foro externo* et *interno*. Quidam dubitaverunt de foro interno, ut videre est ap. eumdem Sanchez (*ib.*, n^is 12 et 55) ; sed meritò ipsemet Sanchez, cum innumeris aliis, propositionem tuetur tàm pro *interno* quàm pro *externo* : « Quia, inquit, eadem et « majora inconvenientia, et scandala sequuntur, si gesta « in foro *interno* nulla essent, ac si gesta in foro externo », et quod valet pro foro externo, valet et pro interno, nisi sit ratio secus decidendi.

181. Dicitur 4° : *Modò existat error communis*, et *probabilis circa vitium tituli*. Illud constat ex leg. *Barbarius* et can. *Infamis* supra citatis. Non sufficeret ergo error unius vel alterius, quia ex tali errore non sequuntur inconvenientia et scandala, quibus voluit occurrere jus, quando error esset communis ; unde sufficiens non esset error solius concedentis titulum, existimantis illum cui concedit esse habilem.

182. « Non sufficit error communis si crassus vel supi- « nus sit (sed oportet esse probabilem), quia ille error « scientiæ æquiparatur, à c. 2, *de Constit.*, in 6° ; ut si in « eo oppido publicè aliquis damnatus esset, vel denuntia- « tus de aliquo impedimento, ob quod esset incapax officii « illius. » (Sanchez, *ib.*, n° 8.)

183. In casu modò à Sanchez allato, videtur agi de errore juris quo ignoratur an quis, propter defectum aliquem, inhabilis fiat; porrò plures exigunt quòd error communis legitimans titulum putativum, sit error probabilis *facti* juxta regulam juris, 13, in 6° : « *Ignorantia* « *facti, non juris excusat.* » Secus opinatur D. Bouix, *De Judiciis* (p. 133, t. 1), ubi asserit Ecclesiam supplere jurisdictionem in casu erroris communis juris.

184. Sufficit quòd error sit communis in loco ubi actus gestus fuit, quamvis in alio notorius esset, modò ita sit dis-

tans hic locus, ut verisimiliter notitia non potuerit venire ad locum ubi actus peractus fuit (Sanch., *ib.*, n° 9). — Imò etiamsi notorius fuisset olim in loco ubi peractus fuit, si tantùm temporis spatium intercessisset ut jam ab hominum memoriâ lapsus esset, talis error communis sufficiens esset (Sanchez., *ib.*, n° 10).

185. Juxta sententiam probabiliorem, contra Fagnanum et alios, sufficit error communis, etiam respectu scientium vitium tituli, quia leges non considerant quæ in particulari casu contingunt, sed communiter accidentia (Sanch., *ib.*, n° 42). Attamen, inquit idem auctor (n° 45), sic gesta retractanda sunt in odium illius scientis, quando ipse deliquit adeundo talem judicem. Imò si ageretur de tribunali pœnitentiæ, confessio esset nulla defectu dispositionis requisitæ; secus si non esset in culpâ pœnitens sic se confitendo non ignorans confessarium carere legitimo titulo. Ad talem enim confessarium recurrere aliquando ei licet, quando nempè est suus parochus, et non habet alium cui possit confiteri, absolvique indiget. Ita Sanch. (*ib.*, n° 46).

186. Dicitur 5° : *ejus naturæ sit vitium cui Ecclesia mederi possit.* Quidquid senserint nonnulli à Sanchez citati (*ib.*, n° 21), error communis non præbet jurisdictionem nisi ejus naturæ sit vitium tituli, cui Ecclesia mederi possit; porrò non potest mederi vitio juris naturalis aut divini. Undè rationis usu carens, quantumvis sanæ mentis existimetur, ejus acta erunt irrita; si audiens confessiones non sit sacerdos, absolutio erit semper nulla; et « contraria « opinio, ait Sanchez (*ib.*, n° 27), est prorsus à veritate « aliena [1]. »

187. Dicitur 6° : *titulus sit saltem coloratus.* « Benè ad- « vertit Sanchez, inquit S. Liguor. (lib. 6, n° 572), quòd...

[1] « Jason infert, de l. *Barbarius*, n° 64, valere gesta per feminam « errore communi ad summum Pontificatum provectam; et refert « Baldum... ; sed Baldus non ita generaliter loquitur : ait enim valere « gesta temporaliter, non autem spiritualiter per Pontificem ineligi- « bilem. » Sanch. (*ib.*, n° 21), qui addit (n° 28) : « Non esse verum « quod asseruit Jason... cùm femina jure divino sit incapax Pontifi- « catûs. »

« non sufficit titulus fictus, sed requiritur titulus, qui licet « sit tantùm putativus (quia fortè est ex aliquâ causâ inva « lidus), tamen sit reverà collatus à legitimo superiore, « etsi huic vetitum sit aliundè illum conferre. » Porrò talis titulus, ubi error est communis, est titulus *coloratus*.

Hinc 1° : Si mors Episcopi adhuc ignoretur, perseverant facultates Vicarii Generalis, quia cognoscitur titulus indefinitè perseverans, ignoratur verò ipsius extinctio. Ita judicavit Rota Romana.

2° Valeret, v. g. Matrimonium si licentia sacerdoti data consensum recipiendi, occultè fuisset revocata, stante communi revocationis ignorantiâ.

188. — 3° Si error sit de personâ delegantis, quia errore communi existimatur verus Prælatus, cùm tamen sit absque superioris auctoritate intrusus, gesta per ejus delegatum sunt irrita, juxta Sanchez (*ib.*, n°51); sed vide infra (189).

4° Si peccetur in electionis formâ, eò quòd solemnitas jure præscripta omittatur in electione vel collatione, gesta per electum non valent : quia titulus deficit. Sanch. (*ib.*, 53). Vid. infra (189).

5° Si quis approbatus pro uno anno, eo elapso, putetur errore communi adhuc approbatus, dicit Sanchez (*ib.*, n° 58), valere absolutiones ab eo datas : sed meritò observat D. Carrière (*de Matrim.*, n° 135), in eo casu, non videri adesse *titulum coloratum*. Idem putant Collat. Andeg., 6° *confér. sur le sacrement de Pénit.*, p. 217 ; et Pontas, v° *Approbation*, c. 7. Vid. num. seq.

189. Controvertitur utrum hujusmodi *titulus coloratus* sit omninò necessarius. Plures dicunt sufficere errorem communem sinè titulo ; et hanc sententiam ut probabilem habet S. Liguor. (*ib.*), quia etiam in hoc casu præsumi potest Ecclesia supplere, pro bono animarum, jurisdictionem ; contraria tamen sententia est *communior* juxta eumdem, et reverà L. *Barbarius* et cap. *Infamis* titulum coloratum supponunt.

190. Existimat S. Liguor., quòd, in casu gravis necessitatis vel magnæ utilitatis, confessarius possit uti hujusmodi probabili jurisdictione errore communi collatâ sine

titulo : quia Ecclesia in tali casu necessitatis vel utilitatis censetur supplere jurisdictionem, ob praxim universalem confessariorum absolventium in hujusmodi circumstantiis (*ib.* 573) ; à fortiori in eisdem circumstantiis licet uti titulo colorato.

Refert Bened. XIV (*Inst.* 84, n° 32) decisionem S. C., 11 decemb. 1683, pro casu particulari qui evenerat in diœcesi Patavinâ, ubi sine jurisdictione quidam sacerdotes exceperant confessiones : declaravit Congregatio *non esse inquietandos illos qui bonâ fide confessi fuerant : attamen, si ipsi confessi hoc resciverint, vel de invaliditate dubitaverint, eosdem teneri reiterare confessionem.* Non adfuisse titulum coloratum in casu supponitur.

ART. II.

DE ADEPTIONE JURISDICTIONIS DELEGATÆ.

Jam diximus jurisdictionem delegatam oriri posse tum ab homine tum à jure (167, 169).

191. Quærit. 1° Quis possit delegare ?

Resp. 1° Generatim quicumque habet ordinariam potestatem valet delegare. Illud constat ex l. *More*, ff. *de Jurisd.*, et ex regulâ juris 68, in 6°, ubi dicitur : « Potest quis per « alium quod potest facere per seipsum. »

192. — 2° Quoad delegatos : vel à Papâ delegati sunt vel ab aliis : si à Papâ vel à Sacris Congregationibus quis sit delegatus [1], subdelegare potest ex cap. *Pastoralis*, 28, *de Offic. Deleg.* : « Delegato à Principe, jurisdictio seu po- « testas dandi judicem sit à lege concessa. » Excipe 1° nisi præsumptio sit electam fuisse à principe seu à Papâ *industriam ipsius delegati* (cap. ultimum, § *Is autem, de Offic. Jud. deleg.*). Quandonam autem censeatur *electam fuisse industriam personæ*, sic explicat Monacelli apud *Analecta Jur. pontif.* (27e livr., col. 863) : « 1° Quando ratione « confidentiæ committitur ; 2° quando conscientia onera- « tur ; 3° quando præstatio consilii requiritur in certo « actu ad tempus ; 4° quando mandatur negotium non « determinatum ; 5° quando delegatus esset datus ad partis

[1] Sic decisum fuit à S. Cong. Conc. juxta Ferrar., v° *Delegatus*, n° 88

« instantiam... ; 6° quando agitur de re et controversiâ, « quæ ingenium et hominis peritiam respicit. » Dicit autem D. Bouix, censeri electam industriam, si in rescripto dicatur : *per seipsum*, vel *personaliter*. Excipe 2°, nisi facultas delegata sit *nudum ministerium*, seu simplex executio, ut quando datur Officiali potestas dispensandi in matrimoniis vel aliis. Attamen etiam in hoc casu, potest Officialis subdelegare informationem et testium receptionem supra quæstionem *an preces veritate nitantur*. V. C. *Quoniam*, 43, *de Off. Jud. deleg.*

193. Quoad delegatos ab aliis quam à Papâ et Sacris Congregationibus, si sint delegati *ad universitatem causarum*, ipsi possunt delegare juxta communissimam sententiam quæ nititur leg. 1, § *Ab eo*, ff. *Quis et à quo*. Vid. Sanch. (*de Matrim.*, lib. 3, disp. 31, n° 2). Hîc tamen notanda est restrictio apposita à S. Liguorio in additione ad Elenchum quæst. retractatarum, ubi dicit : « Quær. IV « an delegatus Principis, vel Delegatus *ad universitatem* « *causarum* possit subdelegare? Affirmatur lib. 1, n° 193; « sed hoc est limitandum juxta id quod dicitur lib. 6, « n° 559; nempe hoc intelligi cùm delegatio facta est tan- « quam per officium, aut cùm delegatur alicui jurisdictio, « uti privilegium, perpetuò suo officio sive dignitati an- « nexum. »

194. Si verò delegati sint *particulares* seu ad certas causas tantùm, non possunt subdelegare, nisi eis à delegante fuerit concessum, quod ultra tunc extendi non debet ex cap. *Cùm causam*, 62, *de Appell.*, ubi dicitur : « Nonnisi « delegatus à Principe causam alii valet delegare. »

195. Ex notione superius datâ (168) Delegati *ad universitatem causarum*, ut tales habendi videntur Decani rurales et presbyteri in pluribus diœcesibus vocati *Archiprêtres cantonaux*, quibus, modo collectivo, certum causarum genus committitur, v. g.. dispensandi in toto aliquo districtu super unius aut duorum bannorum promulgatione, aut quædam alia peragendi. Proindè isti videntur posse subdelegare unam vel alteram causam, non verò omnes causas, quæ accidere poterunt.

D. verò Bouix (*de Judiciis*, t. 1, p. 146) non habet

certum quòd delegatus *ad universitatem causarum* possit subdelegare. Unde juxta ipsum « tutò non videtur agere « delegatus ab Ordinario non Principe, etiamsi ad universale « aliquod genus causarum commissionem acceperit, si « alteri subdeleget : *nisi certò constet de legitimâ quoad « regionem consuetudine* » ; sed juxta S. Liguor., lib. 6, n° 573, licet uti, cum causâ rationabili, jurisdictione verò probabili. Sacra autem Cong. Concilii, 22 jun. 1839, decrevisse videtur contra opinionem D. Bouix. Vid. *Analecta* janv. 1856, col. 1879.

196. Nec superior ordinarius, nec delegati *ad universitatem causarum*, qui habentur ut *Quasi Ordinarii*, possunt, inconsulto Principe, totam suam jurisdictionem alteri committere. Ita communiter ; quia, inquit Reiffenstuel (lib. 1, tit. 29, n° 56), loquendo de Judice ordinario : « Judex inferior principe non potest, propriâ auctoritate, « loco suî, alium Judicem ordinarium constituere. »

« Quamvis delegatus ad causam particularem, inferior « principe, non possit subdelegare articulum aliquem « jurisdictionalem, potest nihilominus is subdelegare arti« culum non jurisdictionalem : ex. causâ, informationem « aliquam committere. » Desumitur ex c. *Super quæstionem*, § *Nos autem*, *De Offic. Jud. deleg.*

197. Quærit. 2° Quibusnam jurisdictio deleganda sit ?

Resp. Iis solis, qui immunes sunt à vitiis quæ excludunt à jurisdictione et habent dotes ad eam possidendam requisitas, deleganda est jurisdictio.

Porrò 1° : Vitia quæ excludunt, vel sunt à *naturâ*, ut defectus rationis ; vel à *lege*, ut excommunicatio non tolerata. Si sit tolerata, inhabilem quidem reddit ad officia secundùm *veriorem* sententiam, sed non privat valido usu jurisdictionis in favorem eorum qui ad tales excommunicatos toleratos recurrunt. Controvertitur autem an irregularitas, etiam denuntiata, reddat inhabilem ad officia ecclesiastica (S. Liguor., lib. 7, n° 343) ; vid. infra (595, etc.). Vel à *moribus seu* consuetudine, ut feminæ et laici, cap. *Decernimus*, 2, *de Judiciis* : « Decernimus ut laici « ecclesiastica tractare negotia non præsumant. »

198. Quoad *dotes*, aliæ requiruntur in omni delegatione,

aliæ in quibusdam tantùm... Præter solertiam, discretionem, etc., jam diximus ex laudato cap. *Decernimus* quòd omnis delegandus à Judice ecclesiastico debeat esse *clericus* : « Episcopi aliique Prælati Papâ inferiores non possunt « laico delegare causam aliquam spiritualem vel criminalem « lem clericorum.... Est communis. » (Reiffenst., lib. 1, tit. 29, n° 88.)

199. An autem laico possit Episcopus causam temporalem alicujus clerici judicialiter cognoscendam delegare, controvertitur : Glossa in cap. *Decernimus* affirmat : contrarium verò putat probabiliùs Reiffenstuel cum quibusdam aliis (*ib.*, 89) ; et hoc conformius videtur cap. 1, *Significasti* 18, *de Foro compet.*, in quo Gregor. IX dicit : « Cle- « rici in judicem non suum (nisi fortè sit persona eccle- « siastica, et Episcopi diœcesani voluntas accedat) consen- « tire non possunt. » Sed cap. *Decernimus* favere videtur sententiæ Glossæ dicendo : « Episcopi... de negotiis « ecclesiasticis (*maximè* de illis quæ *spiritualia* esse nos- « cuntur) laicorum judicio non disponant. »

200. Non solùm causas temporales clericorum potest S. Pontifex delegare laicis, sed etiam quasdam spirituales, propter plenitudinem potestatis in eo residentis (vide cap. *Hadrianus*, et can. *In synodo* dist. 63, ac can. *Illud*, q. 3). « Quâ ratione defenduntur à nonnullis privilegia Regis « Francorum pro conferendis beneficiis regni sui, et pri- « vilegium Reipublicæ Venetæ procedendi in aliquibus « casibus contra clericos..., si tamen hæc privilegia exis- « tant. » Ita Reiffenst., *ib.*, n° 92.

Rescripta quæ privilegia hujusmodi continent, pro nullis sunt habendi, nisi contineant clausulam *ex certâ scientiâ*, vel aliam juri consueto derogantem. Bouix, *de Judiciis*, t. 1, p. 149.

201. Ut quis tanquam Judex valeat delegari à Sede Apostolicâ requiritur ut sit constitutus in Dignitate ecclesiasticâ aut in Personatu, v. g. sit vel Vicarius Generalis, vel canonicus Ecclesiæ Cathedralis, vel Prior Conventualis. Constat ex cap. *Statutum* 2, *de Rescriptis*, in 6°, ubi dicitur : « Sancimus, ut nullis nisi dignitate præditis, aut Personatum obtinentibus, seu Ecclesiarum Cathedralium

Canonicis, causæ auctoritate litterarum Sedis Apostolicæ de cætero committantur [1].

Item constat ex Clem. *Etsi principalis* 2, *de Rescriptis* : « Etsi Principalis Officialis Episcopi, aut religiosus Con- « ventualem obtinens Prioratum, à Sede Apostolicâ valeat « dari legatus, in Officiali tamen Foraneo, aut *Priori* « *Claustrali*, nequaquam hoc volumus observari. » Priores Conventuales sunt qui canonicè electi et confirmati præsunt monasterio, et sunt inamovibiles; dum Priores Claustrales sunt ii quibus Abbates committunt partem administrationis et ab ipsis possunt revocari.

202. Nomine *Prioris Conventualis* veniunt etiam Præpositi, Rectores, Guardiani aliique omnes, quocumque nomine nuncupentur, Superiores Conventuales regularium.

203. Quærit. 3° Qualis debeat esse actus delegationis *ab homine*?

Resp. 1° Vel facultas delegata necessaria est ad valorem actûs, prout v. g., jurisdictio et approbatio pro impertiendâ absolutione, aut licentia à parocho vel Ordinario concedenda sacerdoti in cujus præsentiâ celebrandum est matrimonium; vel illa facultas delegata requiritur tantùm pro actûs liceitate; sicut, v. g.,in administratione baptismi vel aliorum sacramentorum præter pœnitentiam et matrimonium.

204. In primo casu, actus delegationis debet esse *positivus*, id est expressus, vel saltem ita præsumptus ut quibusdam signis indicetur consensus *de præsenti* : quare, inquit S. Liguor., consensus merè internus non sufficit ex communi, lib. 7, 570, pro Pœnitentiâ, et n° 1088, pro Matrimonio [2]. Ratio est quia aliter actus esset invalidus utpote carens conditione necessariò requisitâ ad ipsius

[1] Dignitas est officium annexam habens præcedentiam cum jurisdictione.

Personatus verò est officium annexam habens præcedentiam sinè jurisdictione.

[2] Sufficit verò merè externus (S. Liguor., 545, 1088). Vitium enim tituli in hoc casu latet et communiter ignorari debet, proinde jurisdictionem supplet Ecclesia (Sanch., *ibid.*, disp. 22, no 64).

existentiam : futurus enim consensus non dat jurisdictionem pro præsenti tempore. Actus autem *positivus* delegationis pro Matrimonio potest includi in generali delegatione. Sed quandonam adsit generalis delegatio, judicandum ex circumstantiis : v. g. si parochus discedens committat alicui administrationem sacramentorum, censetur comprehendere Matrimonium : secus si præsens permittat alicui dare dare sacramenta in parochiâ ; ordinariè tunc censebitur loqui tantùm de Pœnitentiâ et Extremâ Unctione. Carrière, *de Matrim.*, nº 1333.

205. In secundo casu, sufficit licentia rationabiliter præsumpta, vel ratihabitio rationabiliter sperata : ita S. Liguor. tenet ut probabilius, pro Baptismo, lib. 6, nº 11 ; pro confirmatione, nº 173 ; et pro Eucharistiâ ministrandâ, nº 235 ; *probabiliter* pro Extremâ Unctione, nº 722. Veriùs tamen ratihabitio sperata non sufficit pro conferendis ordinibus, quia Concil. Trident. exigit licentiam expressam (Sess. 14, cap. 2) ; sed probabile est quòd sufficiat ratihabitio vel licentia præsumpta de præsenti, nº 789.

206. Resp. 2º Actus delegationis pluribus aliis dotibus pollere debet : 1º à delegante intimari debet delegato : non enim aliter delegans consentire videtur ; 2º acceptari debet saltem implicitè, sicut donatio : *implicitè* acceptatur si delegandus miserit nuntium vel litteras ad delegantem, tunc enim, etiam nondum accepto responso, acceptatur implicitè delegatio : videtur tamen parum prudens agere ante receptionem facultatum, nisi urgeant circumstantiæ.

In dubio autem utrum delegatio præcesserit actum pro quo postulata fuit licentia, præsumi potest delegationem præcessisse, si eodem die, utraque peracta sunt ; quia in dubio, pro valore actûs præsumendum est (Sanch., *de Matr.*, lib. 3, disp. 35, nº 19).

3º Debet esse *liber* : unde si non adesset advertentia, vel si actus esset patenter contra omnem voluntatem, nulla esset delegatio; sed si metu, etiam gravi et injusto, obtineretur, non ideò invalida esset : « quia *verius* « *est* jurisdictionem metu extortam validè transferri », inquit Sanch. (*ib.*, disp. 39, nº 13). Imò valida esset delegatio, etiamsi dolo obtineretur: si dolus non esset causa

finalis, sed solùm impulsiva concessionis prout semper evenit in matrimonio juxta Sanch., *ib.*, nº 14 : quia concedens non vult eam esse irritam ex petitione falsum continente, ne contingat matrimonium esse irritum. S. Liguor. lib. 6, nº 1088.

4º Minimè requiritur ut actus delegationis scriptis consignetur, nisi in casibus à jure expressis.

207. *Nota* quoad usum jurisdictionis delegatæ necessarium esse ut delegatus indicet actum à se peragi auctoritate delegantis; quia, si secus fiat, de legitimitate aut etiam sæpe validitate dubitari poterit cum perturbatione animarum. Hanc expressionem præscribunt sæpè SS. Pontifices, præsertim in indultis facultatum pro dispensationibus matrimonialibus.

ART. III.

DE ADEPTIONE JURISDICTIONIS ORDINARIÆ.

§ I.

De constitutione officiorum quibus annexa est jurisdictio ecclesiastica.

208. Quærit. 1º Quo jure annectatur jurisdictio officiis ecclesiasticis?

Resp. Certum esse jurisdictionem super universalem Ecclesiam obvenire immediatè à Christo ei, qui eligitur in Summum Pontificem. Statim enim ac canonicè est electus à Cardinalibus, sinè aliquâ aliâ institutione, confirmatione aut collatione, non à Cardinalibus, qui talem non habent jurisdictionem, sed à Christo, Papa universalem jurisdictionem obtinet. In hoc consentiunt catholici omnes.

209. Quoad Episcopos, non ita concordes sunt, ità ut diù et acriter agitata quæstio in Concilio Tridentino, utrum immediatam à Deo, vel mediatam tantùm jurisdictionem haberent in suis diœcesibus, tandem indecisa remansit. Vide infrà 394.

210. Quidquid sit de controversiâ circa modum quo jurisdictio ad Episcopos pervenit, ipsimet patroni senten-

tiæ tenentis illam immediatè à Christo ipsis derivari, exigunt : « Tanquam essentialis conditio, ut *debito modo* « aliquis in primum pastorem designetur, ut *determine-* « *tur* grex ab eo pascendus; ut *designetur* materia circa « quam *exerceri* debet ejus auctoritas; ut *conferatur* « titulus..... Hâc conditione positâ, inquiunt, Electus « designatus, à Christo potestatem rectoriam accipit, « exercendam tamen, ex ipsâ Christi institutione, cum « reverentiâ et obedientiâ erga S. Sedem. » Ita Lequeux, n° 75.

211. Quoad parochos, fuit doctrina Scholæ Parisiensis, parochos esse successores 72 discipulorum, et ab ipso Christo immediatè obtinere potestatem functiones hierarchicas exercendi : huic doctrinæ, anno 1408, Fr. Gorel, et anno 1429, F. Sarrazin subscribere compulsi sunt à Sorbonnâ; non eo sensu tamen quòd curati sint instituti à Christo eo ritu quem nunc servat Ecclesia, sed, inquit Bossuetius (*Def.*, lib. 8, c. 14) : « Ut ille ordo sit in Eccle- « siâ necessarius, et secundo loco sub Episcopis, jurisdic- « tionem exercent, quam.... non ab alio quàm à Christo, « secundùm canones et præscripta Episcoporum, exercen- « dam accipiat. »

Hæc autem opinio, ut dicemus infra (489, etc.), non solido nititur fundamento : 72 enim discipuli non erant parochi, imò nec sacerdotes; et, nedum Ecclesia habuerit parochos tanquam ordinem necessarium, per plura sæcula ipsiècontra omninò incogniti fuêre; in quarto tantùm sæculo existere cœperunt in ecclesiis ruralibus; in urbibus verò, ubi Episcopi sedebant, si Romam et Alexandriam excipias, nulli instituti fuêre ante annum 1000. Sed in eis, prout opus erat, ipsimet Episcopi, per se aut per delegatos ab ipsis revocabiles, functiones parochiales exercebant. « Dandi « quidem baptismi, inquit Tertullianus (*de Baptism.*, c. 17), « jus habet Summus Sacerdos, qui est Episcopus; dein « Presbyteri et Diaconi, *non tamen sinè Episcopi aucto-* « *ritate.* »

212. Alia officia sunt certò institutionis ecclesiasticæ : nulli enim sunt, si Papam excipias, qui jure divino sint aliis Co-Episcopis superiores. Undè quòd sint Patriarchæ,

Primates, Archiepiscopi, etc., hoc tantùm ab auctoritate Ecclesiæ procedit.

213. Quærit. 2°. Quinam in Ecclesiâ possint instituere officia ecclesiastica ?

Resp. Primordiis Ecclesiæ, non solùm Petrus, sed cæteri etiam Apostoli sedes episcopales instituebant, ut colligi potest ex verbis S. Pauli ad Titum, cap. 1, v. 5. Universalis autem potestas singulis Apostolis à Christo tributa, transmissa non fuit ad eorum in Episcopatu successores; sed sola potestas Petri, utpote ordinaria, ad ipsius successores, seu Summos Pontifices, debuit transire. Undè defunctis Apostolis, nullibi institui potuerunt Sedes Episcopales, Patriarchales, Primatiales, Archiepiscopales, etc., sine consensu Papæ, vel expresso, vel saltem generaliter dato per legem aut consuetudinem ab ipso sufficienter approbatam. Exhinc, nemine reclamante, in suâ Epistolâ ad Decent. Eugubin., S. Innocentius I scribebat : « Præ« sertim, cùm sit manifestum, in omnem Italiam, Gallias, « Hispanias, Africam atque Siciliam, Insulasque adja« centes, nullum instituisse Ecclesias, nisi eos quos vene« rabilis Petrus, aut ejus successores constituerunt sacer« dotes. » Sic omnes Sedes Patriarchales à Sanctâ Sede constitutæ fuêre : « Nihil Alexandriæ Sedi », inquiebat S. Leo (*Epist.* 104 *ad Anatol.*, c. 5), « ejus quam per « S. Marcum Evangelistam B. Petri discipulum meruit, « pereat dignitatis... Antiochena quoque Ecclesia, in quâ « primùm, prædicante Beato Apostolo Petro, Christianum « nomen exortum est, in paternæ constitutionis *ordine* « perseveret, et in *tertio gradu* collocata, nunquam se fiat « inferior. » (*Trad. des Évêques*, t. 1, p. 5, etc.) Quoad Ecclesiam Constantinopolitanam, ut patriarchalis haberetur, necessarium duxerunt Patres Concilii Chalcedonensis scribere ad S. Pontificem S. Leonem, qui tamen noluit ut talem agnoscere, et reverà talis non fuit recognita, nisi tempore Concilii Lateran. IV, ab Innocentio III (*ibid.*, p. 20-34). Non indè tamen inferendum est quòd, etiam primis Ecclesiæ sæculis, Sedes Episcopales fuerint semper immediatè institutæ à Romano Pontifice; nam, inquit Card. Soglia, ex Natali Alexandro, « ab incunabulis Eccle-

« siæ ad sæculum VI novi erigebantur episcopatus à sy-
« nodis provincialibus, consentiente Metropolitano, pos-
« tulante Episcopo vel annuente, ad cujus diœcesim
« pertinebat Ecclesia in quâ sedes episcopalis collocabatur.
« Id ex canone Concilii 15 Africani compertum est, et ex
« facto S. Augustini, qui, Fussalensi Castello, militibus 40
« ab Hippone sejuncto, Episcopum ordinari curavit à Pri-
« mate Numidiæ, Romano Pontifice inconsulto, ut constat
« ex ipsius Augustini epistolâ 261. » (*Inst. Jur. publ.*,
p. 223.) Et reverà P. Thomassinus sentit cum Natali Alexandro : « *Maximè antè sæculum sextum non semper*
« *accessisse Romani Pontificis expressum* consensum in
« novorum Episcopatum erectione. *De nov. et vet. discipl.*,
« pars 1, l. 1, c. 54. »

214. Poterant ergo novi Episcopatus creari à Conciliis, Metropolitis, modò servarentur leges ecclesiasticæ à S. Pontifice sancitæ vel approbatæ : cùm verò in iis servandis minus religiosi fuissent Antistites Africani, Episcopos etiam in exiguis pagis creando, illos de hoc redarguit S. Leo, epistolâ 87, jussitque minutulos hujusmodi Episcopatus, cùm deinceps vacarent, omninò supprimi.

In Ecclesiâ Orientali erigendorum Episcopatuum tota cura ac sollicitudo concredita fuit Patriarchis.

215. A sexto verò sæculo, in Ecclesiâ Latinâ, Episcopatus non fuerunt erecti sinè Sedis Apostolicæ expressâ auctoritate.

Sic, octavo sæculo, S. Gregorius II ad S. Bonifacium scribebat : « Præcipimus, ut, secundùm canonum statuta,
« ubi multitudo excrevit fidelium, *ex vigore Apostolicæ*
« *Sedis*, debeatis ordinare Episcopos. »

« Plenitudo potestatis, super universas orbis Ecclesias,
« inquit S. Bernardus (Epist. 131), singulari prærogativâ,
« Apostolicæ Sedi donata est... Potest, si utile judicaverit,
« novos ordinare Episcopatus, ubi hactenus non fuerint.
« Potest eos qui sunt, alios deprimere, alios sublimare,
« prout ratio sibi dictaverit; ita ut de Episcopis creare Ar-
« chiepiscopos liceat, et è converso, si necesse visum
« fuerit. »

Ad Summum ergo Pontificem duntaxat hodie pertinet,

in Ecclesiâ saltem Latinâ, creare novos Episcopatus. A fortiori ad Summum Pontificem pertinet omnia etiam alia officia instituere.

216. Quoad parochias, certum est illas posse ab Episcopis institui, positis tamen quibusdam conditionibus. Quænam verò sint illæ conditiones, illud pendet à modo erectionis, quæ tripliciter præsertim fieri potest; *Creationis* nempe, *Dismembrationis* et *Unionis*.

217. Eriguntur parœciæ : 1° per viam *Creationis* quando non ex portione, vel portionibus parochiarum jam existentium efformantur, sed ex populo vel territorio nondum ulli parochiæ adscripto, sicut contingit in *partibus infidelium*, aut sicut evenit in Galliâ, statim post Concordatum anni 1801, suppressis per Bullam *Qui Christi*, aut per alios Card. Legati actus subsequentes, omnibus veteribus parœciis;

2° Per viam *Dismembrationis* quando ex unâ vel pluribus parochiis jam existentibus, aliquæ partes distrahuntur ut efformentur novæ parochiæ;

3° Per viam tandem *Unionis* quando plures parochiæ, vel plura beneficia ad unam parochiam aliquatenus novam reducuntur. De singulis hujusmodi parochiarum erectionibus est hîc seorsim disserendum.

I. — De erectione parochiarum per viam creationis.

218. Nihil speciale dicendum est de hoc modo parochias erigendi, nisi quòd, jure communi, debeat Episcopus providere, in quantùm fieri potest, de sufficienti parochi sustentatione : duo tamen sunt hîc expendenda.

219. Quærit. 1° Quomodo in Galliâ parochiæ sint erigendæ?

Resp. Ex articulo 9 Concordati 1801, suam partem Gubernium habere debet in erectione novarum parochiarum; hic est enim tenor hujusce articuli 9 : « Episcopi in suâ « quisque diœcesi, novas parœcias circumscribent : quæ « circumscriptio suum non sortietur effectum, nisi post- « quam Gubernii consensus accesserit. »

In Galliâ parochiæ distinguuntur in *curatas* (cures) seu propriè dictas, quarum titulares inamovibiles sunt; et *suc-*

cursales, quæ à propriè dictis in hoc tantùm, quoad potestatem spiritualem, differunt, quòd ipsarum titulares possint revocari ; sunt insuper *capellæ* quarum multæ vocantur *vicariales*, licet illarum titulares, in multis saltem diœcesibus, habeantur ut veri parochi, et omnes saltem essentiales verorum parochorum habeant facultates ; ab aliis qui desserviunt succursalibus non differunt nisi quantùm ad emolumenta à Gubernio præstita et quædam alia jura merè temporalia. Imò in pluribus locis, ut veri parochi etiam habentur qui ecclesiis vulgò dictis *annexes* desserviunt quamvis nullum subsidium recipiant à Gubernio.

Sic autem Dieulin, in suo opere *Guide des curés* (p. 808, 3e édit.), exponit formalitates observandas, ut à Gubernio obtineatur erectio parochiarum tam propriè dictarum quàm succursalium :

« 1° Pour obtenir l'érection d'une succursale (et idem « est dicendum pro obtinendâ erectione parochiæ propriè « dictæ) il faut observer les formalités suivantes :

« Le Conseil municipal, s'il n'y a qu'une commune ; « les conseils municipaux, s'il y en a plusieurs ; ou les « principaux habitants, s'il n'y a qu'une section de com- « mune, conformément au décret du 31 mai 1804 et à la « circulaire ministérielle du 11 mars 1809, expriment à « l'Évêque et au Préfet le vœu de voir ériger leur église « en succursale (*vel* en cure).

« 2° Les pièces à fournir... au gouvernement à l'appui « de cette demande, sont : — Un procès-verbal de *com-* « *modo* et *incommodo* dressé par des commissaires nom- « més par l'Évêque ; — Un certificat du Sous-Préfet faisant « connaître le nombre des habitants de la paroisse actuelle « et de la paroisse projetée ; — Un certificat de l'Ingénieur « ordinaire des ponts et chaussées qui établit la distance « de cette dernière à l'église de l'autre, et la difficulté des « communications ; — Un certificat du maire ou une déli- « bération du Conseil municipal qui constate que la com- « mune, ou la section de commune, qui veut être érigée « en succursale, possède un presbytère et un cimetière « en bon état ; que l'église est assez grande pour contenir « la population ; qu'elle est propre, pourvue des orne-

« ments, vases sacrés et autres objets nécessaires au culte, « ou qu'elle a des ressources pour y pourvoir de suite ; — « —Les observations du conseil municipal et de la fabrique « de la paroisse dont il s'agit de détacher le territoire qui « doit former la circonscription de la nouvelle succursale.

3° « L'Évêque et le Préfet donnent leur avis, et le gou- « vernement prononce. » Attamen « C'est l'Évêque qui « confère le titre, parce que l'érection est un acte de juri- « diction essentiellement spirituelle ».

Quoad formalitates pro erectione Capellarum et Annexarum, cùm rariùs hujusmodi erectiones à Gubernio postulentur, remittimus ad eumdem Dieulin (*ibid.*, p. 810-814). Vide etiam DD. Affre : *Traité de l'administration temporelle*, p. 42, etc., 4e édit.—Evidens est quòd Ecclesia velut essentiales non habeat præfatas formalitates. Sufficit quòd Gubernium suum præbeat assensum quomodocumque illum præstet [1].

220. Quærit. 2° Utrum parochia cujus Rector est amovibilis possit ex solâ auctoritate Episcopi, sinè alterius interventu, mutari in parochiam cujus Rector inamovibilis sit, et vice versâ.

Resp. 1° In Galliâ certè requiritur ad hoc etiam consensus Gubernii. Si verò quæstio expendatur ex solo jure canonico : « Est regula, inquit Bouix (*De Parocho*, p. 420), « apud Jurisperitos recepta, non posse beneficiorum « naturam, eorumque leges fundamentales ab Episcopo « immutari ; sed ad hoc Pontificiam requiri auctoritatem. « Unde beneficium quod semel tanquam *manuale* erectum « est, jam nequit ex Ordinarii decreto perpetuum fieri, « nec vice versâ. » Ita etiam auctor *Analectorum juris*

[1] Circa formalitates à lege civili in Galliâ præscriptas, pro erectione parochiarum, sic habet idem DD. Affre, *ib.*, p. 38 : « Un arrêt du Conseil d'État du 8 mars 1827 a décidé que l'omission de quelques-unes, ou même de toutes les formalités que nous venons d'indiquer, ne pouvait invalider l'érection d'une succursale faite par Ordonnance du roi ; on ne peut, par conséquent, l'attaquer devant le Conseil d'État par la voie contentieuse, attendu que c'est un acte de juridiction gracieuse. » Secùs de formalitatibus à jure canonico præscriptis, quarum omissio posset probabiliùs annullare erectionem aut dismembrationem. Vide Bouix, *de Parocho*, p. 265, et S. Lig., lib. 4, n° 187, not. v.

pontificii (sept. 1855, col. 1645), ubi dicit Episcopos hanc immutationem non posse facere, nec per statutum generale, nec per particulare mandatum; et in probationem affert verba Gregorii XVI ad Episcopum Leodiensem, anno 1845 : ubi S. Pontifex prohibet *ne ulla immutatio fiat* (quoad parochias succursales), *donec aliter à Sede Apostolicâ statutum fuerit.* Vide etiam Ferraris, v° *Beneficium*, art. 2, n° 17. Nihilominus, inquit D. Bouix, modò citatus (*ibid.*, p. 239) : « In Galliâ obtinuit usus, ut Epis-« copi, absque Sedis Apostolicæ interventu, et cum solo « Gubernii assensu... succursales seu *manuales* parochias, « in perpetuas transmutent. Quæ praxis inde videtur in-« ducta, quòd existimatum sit includi hanc potestatem in « facultate, vi Concordati anni 1801 ipsis tributâ, novas « parochias, assentiente Gubernio, erigendi et circum-« scribendi. »

II. — De erectione parochiarum per viam dismembrationis.

221. Quamvis ex cap. *Majoribus* 8. *De Præbendis*, prohibitum sit divisionem præbendarum facere, attamen, in quibusdam circumstantiis, Episcopi possunt, invitis etiam parochis, dismembrare parœcias ut novæ efformentur. Illud constat ex cap. *Ad audientiam*, *De ecclesiis ædificandis*, ubi Alexander III ait : « Ad audientiam nostram noveris « pervenisse quòd villa quæ dicitur H., tantùm perhibetur « ab ecclesiâ parochiali distare, ut tempore hyemali, cùm « pluviæ inundant, non possint parochiani, sine magnâ « difficultate, ipsam adire : unde non valent, congruo « tempore, ecclesiasticis officiis adesse. Quia igitur dicta « ecclesia dicitur redditibus abundare, quòd, præter illius « villæ proventus, minister illius convenienter valeat sus-« tentationem habere, mandamus quatenus, si res ita se « habet, ecclesiam ibi ædifices, et in eâ sacerdotem, « sublato appellationis obstaculo, ad præsentationem Rec-« toris ecclesiæ majoris, cum canonico fundatoris assensu, « instituas, ad sustentationem suam ejusdem villæ obven-« tiones ecclesiasticas percepturum : providens tamen ut « competens in eâ honor, pro facultate loci, matrici

« ecclesiæ servetur... Si verò persona matricis ecclesiæ « virum idoneum præsentare distulerit, vel opus illud « voluerit impedire, tu nihilominus facias idem opus ad « perfectionem deduci, et virum bonum, appellationis « cessante diffugio, instituere non omittas. »

Innovata fuit præfata Constitutio Alexandri III à Concilio Trid., sess. 21, cap. 4, ubi legitur : « Episcopi, *etiam tan-* « *quam Apostolicæ Sedis delegati*, in omnibus ecclesiis pa- « rochialibus vel baptismalibus, in quibus populus ita nu- « merosus sit ut unus rector non possit sufficere ecclesias- « ticis sacramentis administrandis et cultui divino pera- « gendo, cogant rectores, vel alios ad quos pertinet, sibi « tot sacerdotes ad hoc munus adjungere, quot sufficiant « ad sacramenta exhibenda et cultum divinum celebran- « dum. In iis verò in quibus, ob locorum *distantiam* sive « *difficultatem*, parochiani sine *magno incommodo* ad per- « cipienda sacramenta et divina officia audienda accedere « non possunt, *novas parochias, etiam invitis rectoribus*, « juxta formam Constitutionis Alexandri III, quæ incipit « *Ad audientiam*, constituere possint. Illis autem sacerdo- « tibus, qui de novo erunt ecclesiis noviter erectis præfi- « ciendi, competens assignetur portio, arbitrio Episcopi, « ex fructibus ad Ecclesiam matricem quomodocumque « pertinentibus ; et si necesse fuerit, compellere possit « populum ea subministrare, quæ sufficiant ad vitam dic- « torum sacerdotum sustentandam. »

222. Ut ergo novæ parochiæ per dismembrationem erigantur, plura sunt necessaria : et quidem, ante omnia, requiritur justa causa : nempe distantia vel locorum difficultates, ex quibus evenit ut parochiani nequeant, sinè magno incommodo, ad percipienda sacramenta vel divina officia audienda accedere. Ingens populi multitudo non est *per se* causa sufficiens, nisi fortè esset exorbitans : quippe propter populi multitudinem, ex Concilio Trident. supra relato, rectores solummodo sunt cogendi ad sibi adjungendos tot vicarios quot requirit parochiale ministerium.

Quoad cæteras conditiones et formalitates observandas in hujusmodi dismembrationibus, vide nostrum *Manuale*, n° 344, etc.

223. In Galliâ, vi Concordati, ut supra diximus (219), pro circumscriptione ac proinde pro dismembratione parochiarum, requiritur gubernii assensus. Diximus ibidem quænam formalitates à lege civili sint tunc observandæ.

224. Quærit. 1° An Episcopo liceat partem parochiæ dismembrare ut alteri jam existenti adjungat?

Resp. Hîc non agi de dismembratione fructuum parochiæ, quæ licet sit regulariter prohibita, in cap. *Cùm causam, De Præbendis*, ubi dicitur : « Respondemus... quòd « nostræ intentionis non exstitit ut, pro integratione præ« bendæ supra dicti canonici, præbenda de novo aliqua « scinderetur », attamen in certis casibus licitè etiam ab Episcopis fieri potest, ut patet ex Concil. Trident. (Sess. 24, cap. 13). De tali dismembratione agitur in nostro *Manuali* (5357-5360, 5395); vide etiam infrà n° 780. Sed quæstio est hîc de dismembratione parochiæ quoad ipsius territorium, et respondetur quòd S. Carolus visus sit opinari quòd Episcopi, justis de causis, possint dictam dismembrationem operari; siquidem in secundâ parte constitutionum sui 1 Concilii Provincialis, statuit ut, quando « parochiales « ecclesiæ habent partem sui populi extra mœnia urbium, « vel oppidorum, vel alibi, quò fiat ut parochus, præser« tim nocturno tempore, illis hominibus sacramenta com« modè administrare non possit, in illis Episcopi, aut « *eam partem commodiori parochiæ* uniant, aut etiam... « novas constituant parochias. » Eamdem sententiam amplectitur auctor *Prælect. S. Sulpitii*, qui dictam dismembrationem Episcopis permittit ob malè dispositos fines parochiæ : in probationem adducit Concil. Trident. (sess. 24, cap. 13); sed nihil est in dicto capite quòd debeat intelligi de dismembratione parochiarum in sensu de quo nunc agimus, ut attentè legenti patebit. Immeritò etiam ab ipso citatur Reiffenstuel qui etiam de solâ dismembratione fructuum loquitur in gratiam parochiæ ita pauperis ut sibi providere non valeat (Vid. lib. 3, tit. 12, n^is^ 24 et 28). Sed huic sententiæ favere videtur decisio S. Congr. Concilii in causâ Bellun., datæ 23 apr. 1864. Contrà verò hanc sententiam adest eadem S. Congr., quæ « die 12 aug. « 1628, teste Aldano, in *Compendio canonicar. resolut.*,

« lib. 3, t. 8, nº 20, decrevit quòd dismembrare non liceat « à parochiâ sitâ extra muros civitatis partem parochiano- « rum habitantium in civitate, sub prætextu quòd illis non « detur aditus de nocte, sed est constituenda cappella... « intra civitatem...; quo casu rector persolvere debet « mercedem vicario ob... impedimentum deputato. »

Iterùm consulta eadem Congregatio : « An.., quibus in « casibus ex decreto Concilii (sess. 21, cap. 4), potest « Episcopus novas parochias erigere, possit etiam, loco « erectionis faciendæ, certam partem populi separare ab « antiquâ parochiâ, et alteri commodiori applicare, si vel « exiguus numerus populi, vel inopia, vel alia causa « impediat erigi novam parochiam? Responsum est non « posse ex decreto Concilii. » Ita Fagnan., in cap. *Ad audientiam*, et ita reperies communiter à DD. traditum, inquit D. Bouix, *De Parocho*, p. 264. Et ratio est quia dismembratio ecclesiæ non est licita Episcopo nisi eâ conditione ut nova parochia erigatur.

Usus tamen contrarius videtur invaluisse, saltem in pluribus Galliæ diœcesibus. An verò hujusmodi usus sit legitimus, non audemus pronuntiare.

225. Quæri hîc obiter potest an præscribi valeant limites parochiarum et diœcesium?

Respondet negativè Luc. Ferraris (vº *Usucapio*, § 1, nº 12) : « Dummodo constet, inquit, tales fines fuisse legi- « timâ auctoritate præfixos et constitutos. *Communis*, textu « expresso in cap. *Super eo* 4, *De Parochis*; cap. *Quicum- « que* 4, causa 16, q. 3, ubi hujus ratio redditur : *Ne pro- « vinciarum termini confundantur* : et concordant cap. « *Licet* 5, cap. *Inter memoratos* 6, cap. *Dilectio tua* 7, « ead. causa 16, q. 3. Si autem non constet tales fines « fuisse legitimâ auctoritate præfixos et constitutos, tunc « procedit et valet præscriptio. Abbas.., Engel.., Reiffenst., « *De Judiciis*, lib. 2, *Decret.*, tit. 26, § 2, nº 10, et alii « passim. » Vide etiam Reiffenstuel, *ibid.*, nis 40-42. Attamen S. C. Conc., cum approbatione Clement. XI, declaravit, *die* 14 *jan.* 1721, posse acquiri à Prælatis *nullius* territorium *separatum* cum jurisdictione in eo per clarum et undequaque subsistens apostolicum privilegium,

aut per consuetudinem immemorabilem cum suis omnibus requisitis ritè probatam. V. Bouix, *De Episcopo*, t. 1, p. 540. Multa inveniuntur circa hanc materiam in Decreto Gratiani, causa 16, q. 3. Vide etiam titul., *de Præscript.*, in Decret. Gregorii IX.

III. — De unione parochiarum.

226. Unio parochiarum, sicut et aliorum beneficiorum, triplici modo fieri potest : 1° *modo extinctivo :* cùm ex duabus ita una efficitur, ut neutra alteri uniatur, sed ambo simul uniantur ; 2° *modo accessorio :* quando ita uniuntur ut non coalescant in unum corpus, sed una alteri subjiciatur ; 3° *per unionem æquè principaliter factam :* cùm neutra alteri subjicitur nec ambæ coalescunt in unum corpus.

227. Episcopus potest, ex legitimis causis, unire beneficia et ecclesias suæ diœcesis. Archiepiscopus nequit unire beneficia diœcesium suorum suffraganeorum.

Capitulum, sede vacante (ac proinde Vicarius Capitularis), potest unire ea beneficia quæ potest Episcopus, dummodo per eam unionem jurisdictioni episcopali nihil detrahatur, et non ea sibi uniat.

Vicarius Generalis Episcopi non potest beneficia unire, nisi id ipsi specialiter ab Episcopo committatur.

228. Ut *uniones* legitimè ab Episcopo fiant, tres præsertim requiruntur conditiones : 1° justa causa, id est Ecclesiæ necessitas vel utilitas ; 2° citatio omnium interesse habentium qui, si consensum recusent, cogi possunt ad præstandum necessaria ecclesiæ quæ unione indiget ; 3° consensus Capituli. « Unio (tamen) fieri potest, inquit « Ferraris (*ibid.*, n° 17, etc.), sinè requisito tali consensu, « si adsit alicubi consuetudo legitimè præscripta ipsam « faciendi sine requisitione dicti consensûs [1].

[1] Juxta D. Bouix duo sunt casus in quibus Episcopus potest uniones facere absque Capituli consensu : 1° si talis adsit consuetudo : sed dicit plures canonistas exigere ad hoc consuetudinem immemorabilem vel quadragenariam cum titulo ; 2° si capitulum recusaret consentire absque rationabili causâ (*De Capitulo*, p. 397).

« Inter eos qui citandi sunt... non comprehenditur rector « beneficii uniendi : nam cùm unio suum effectum non « habitura sit nisi post ejus mortem (nisi velit beneficio « renuntiare), nullum ei damnum... infertur.

« Item non requiritur consensus plebis » (Bouix, *De Parocho*, p. 286). Ex Conc. Trident. (sess. 21, cap. 5), unio fieri debet sine *præjudicio obtinentium*. In Galliâ requiritur consensus Gubernii : juxta enim Concordatum 1801, circumscriptiones parochiarum à Gubernio approbandæ sunt.

229. Quoad potestatem Episcoporum circa uniones, sic habet Concilium Trident. (sess. 21, cap. 5) : « Possint « Episcopi, etiam tanquam Apostolicæ Sedis delegati, « juxta formam juris, sinè tamen præjudicio obtinen- « tium, facere uniones perpetuas quarumcumque Eccle- « siarum parochialium et baptismalium, et aliorum bene- « ficiorum curatorum vel non curatorum, cum curatis, « propter earum paupertatem, et in cæteris casibus à « jure permissis, etiamsi dictæ ecclesiæ vel beneficia essent « generaliter vel specialiter reservata, aut qualitercumque « affecta. »

In sessione verò 24, cap. 13, sic statuit : « Ecclesiæ pa- « rochiales monasteriis quibuscumque aut Abbatiis, seu « Dignitatibus, sive præbendis ecclesiæ Cathedralis vel « Collegiatæ, sive aliis beneficiis simplicibus, aut hospita- « libus militiisve non uniantur. »

Inde Ferraris (*ibid.*, n° 54) concludit quòd « non potest « Episcopus unire ecclesiam parochialem Capitulo Cathe- « dralis ob tenuitatem canonicatuum et ob difficultatem, « sive impossibilitatem etiam uniendi beneficia simplicia, « et ob id quòd non deceat eorum numerum minui, juxta « mentem Concil., cap. 15, sess. 24, *De Reform.* Sic refe- « runt decisum in unâ Alexandrinâ, 30 Martis 1594. Al- « don... et Ventriglia. »

Imò, juxta Clement. V decretum in Concil. Viennensi latum, nulla ecclesia uniri potest *Mensæ episcopali aut ipsi Capitulo*. « Quòd si Episcopus, sui etiam Capituli acce- « dente consensu, *Mensæ suæ vel ipsi Capitulo* aliquam « duxerit ecclesiam uniendam, hoc irritum esse decerni-

« mus.... contrariâ quâvis consuetudine non obstante. » (Clem., lib. 3, tit. 4, c. 2.)

Etiam in Galliâ vigebat olim prohibitio uniendi Capitulis ecclesias parochiales : sic enim habet Rousseaud Lacombe (*Recueil de Jurisprudence canonique*, v° *Union*, sect. 5) : « Nous trouvons bien (dans le droit) que deux églises « paroissiales... peuvent être unies, *mais non pas une « église paroissiale à un Chapitre* ou à un autre bénefice... « Les Évêques du Concile de Trente trouvèrent l'union « des cures si peu canonique que dans la sess. 24, chap. 13 « *De reform...* ils défendirent d'unir aux églises canoniales « des bénéfices-cures ; disposition si sainte que les États « de Blois l'ont embrassée dans les art. 22, 23 » : et reipsa art. 23 Edict. Blesensis permittit tantùm *unire beneficia simplicia* Capitulis et collegiis.

Ad ergo uniendum Capitulo parochiam cathedralem, indultum Pontificium est omnino necessarium.

230. Hanc tamen necessitatem agnoscere non videntur plures auctores apud nos, et eò usque progressus est D. André (*Cours de droit canon*, v° *Union*) ut dixerit : « Rien n'empêche qu'on unisse une cure à un canonicat « de cathédrale, si la cure et la Prébende sont dans la « même ville », et pariter DD. Affre, in suo opere *Admin. tempor. des paroisses*, nullam reperit difficultatem in admittendis hujusmodi unionibus ; sic enim habet (p. 40, édit. 4e) :

« Cette décision est fondée sur un grand nombre d'ar- « rêts ; elle est incontestable. Vide *Jurispr. canon. de « Lacombe*, v° *Erection* (Nihil tamen de hoc inveni loco « citato). Une ordonnance du roi, rendue le 14 juillet 1824, « en conseil d'État, a décidé les points suivants contestés « entre l'Évêque de Chartres et le curé de la Cathédrale de « la même ville :

« 1° Un Évêque peut, sans abus, opérer la réunion d'une « cure au Chapitre de son diocèse ;

« 2° Cette union peut avoir lieu du vivant du titulaire de « la cure et sans son consentement, et l'Évêque peut « ordonner que les fonctions seront exercées par un

« vicaire amovible (Hæc omnia tamen apertè contradicunt « juri communi Ecclesiæ) ;

« 3° Cette union étant opérée, l'Évêque a pu interdire, « *de plano* et sans jugement, au curé qui desservait la « cure réunie au Chapitre, la prédication et l'administra- « tion des sacrements. » Quæ pariter potestatem Ordinarii excedunt.

CASUS SPECIALIS.

231. Sunt in Galliâ quædam parochiæ adeò pauperes et miserabiles ut parochos habere nequeant, quia in eis deest domus presbyteralis, nec valent incolæ indemnitatem in hoc casu præscriptam solvere. Porrò sæpè contingit quòd hujusmodi parochiæ conferantur titularibus non residentibus, imò nec residere valentibus, prout, v. g., professoribus seu lectoribus seminariorum, quæ hoc modo exonerantur obligatione iisdem lectoribus solvendi debita pro docendâ juventute emolumenta; quæritur autem utrum illud sit Episcopis licitum?

Resp. Vel hujusmodi parochiæ considerantur tanquam unitæ seminariis, vel non : si priùs, hujusmodi unio vetita est sub duplici respectu: 1° quia non licet unire seminariis ecclesias parochiales, sed tantùm aliquot beneficia simplicia (Concil. Trident., sess. 23, c. 18); 2° quia non est perpetua, et ex eodem Concilio (sess. 21, cap. 1.), Episcopis licet tantùm facere uniones perpetuas.

Si posteriùs, professores ad has parochias nominati, sunt veri titulares; proinde ad residentiam tenentur nisi legitimè excusentur; quæstio ergo hìc est an à residentiâ excusentur : porrò ab illâ excusari possunt vel quia sunt professores, vel quia non adest in parochiâ domus presbyteralis : sed 1° dubium est quòd excusentur quatenus professores : ex unâ parte enim Ferraris, v° *Parochus* (art. 2, n° 26), ait : « Parochus non potest abesse à suâ « parochiâ, etiam relicto in eâ idoneo vicario approbato « cum congruâ mercede, ut doceat in civitate grammati- « cam, etiamsi non inveniretur alius idoneus ad legen- « dum et ipse singulis diebus ad suam ecclesiam accedere « vellet (S. Congr. Conc. testibus Gonzalez, Barbosa... etc.).

« Parochus autem habens in civitate suam ecclesiam po-
« test inibi in publicâ universitate Sacram Scripturam
« legere, ita tamen, ut cura animarum, per ipsum exer-
« cenda, nihil detrimenti patiatur. » Ex quibus verbis professor non dispensatur super residentiâ etiam ad docendam Sacram Scripturam. Attamen S. Liguor. (lib. 4, n° 132) tanquam probabile admittit quòd docentes Sacram Scripturam, theologiam, jus canonicum, eximi possint à residentiâ : non verò docentes grammaticam.

2° An à residentiâ excusentur professores in casu, eò quòd in parochiâ desit domus presbyteralis, nec valeant incolæ indemnitatem præscriptam solvere, dubitari adhuc posse videtur eò quòd non semper constet quòd titulares in hujusmodi locis non possint, sive ex stipendio à Gubernio præstito, sive ex aliis proventibus aliquam domum locare. Sed quia ex hoc oriri possent difficultates pro generali diœcesis regimine propter quas non expediat, pro certo tempore, ut Episcopus permittat parochis residere in parochiis non habentibus domus presbyterales et non dantibus indemnitatem in hoc casu præscriptam, nihil videtur sapientius, in tali dubio, quàm totum negotium relinquere prudentiæ Ordinarii, qui tamen debet sufficienter providere ut benè fiat servitium hujusmodi parochiarum, et ut pro earum incolis applicetur, diebus dominicis et festis, missæ sacrificium. Vide tamen dicenda infra (539).

§ II.

De institutione canonicâ promovendorum ad officia ecclesiastica.

PUNCTUM I.

DE INSTITUTIONE CANONICA IN GENERE.

232. Verbum *institutio* duplici sensu accipitur : *strictè* et *latè* : *stricto* sensu sumitur pro concessione beneficii factâ per legitimum superiorem, ad præsentationem patroni. *Lato* sensu est concessio cujuscumque officii per legitimum superiorem, quocumque legitimo modo facta. Hoc posteriori sensu verbum *Institutio* hîc accipimus.

233. Quærit. 1° An omninò sit necessaria institutio canonica ei qui obire vult aliquod officium ecclesiasticum?

Resp. Affirmativè, et probatur 1° ex verbis Christi (Joann., cap. 10, v. 1) : « Qui non intrat per ostium in ovile ovium, « sed ascendit aliunde, ille fur est et latro. » Intrare per ostium est certè intrare per legitimam missionem superioris, seu per institutionem canonicam. Ergo, etc.

Item ex verbis S. Pauli (ad Hebr., c. 5, v. 4) : « Nec « quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur à Deo « tanquam Aaron. » Sed qui invadit officia ecclesiastica sinè institutione, sumit sibi honorem, nec vocatur à Deo. Ergo, etc.

Probat. 2° Ex Concil. Trident. (sess. 23ª, can. 7) : « Si « quis dixerit eos qui nec ab ecclesiasticâ et *canonicâ potestate ordinati*, nec *missi sunt*, sed aliunde veniunt, « legitimos esse verbi et sacramentorum ministros, anathema sit. » Porrò missio, procedens ab ecclesiasticâ potestate, est ipsamet institutio canonica de quâ loquimur. Ergo, etc.

Probat. 3° Ex cap. 1, *De regulis juris* in 6° : « Beneficium ecclesiasticum non potest *sine canonicâ institutione* « possideri. » Porrò hoc dictum est de beneficiis, præsertim quia iisdem annectitur officium ecclesiasticum. Ergo, etc.

Corollaria. — Ex præcedenti responsione concludi potest quid sit sentiendum :

234. 1° *De Investituris.* Investituræ nomine intelligebatur abusus mediâ ætate invectus, quo principes sæculares electis ad beneficia majora, nempe ad Episcopatus et Abbatias, tradebant baculum pastorale et annulum. Damnatæ sunt autem Investituræ à S. Gregorio VII et Calixto II, in primo Concilio Lateranensi œcumenico : licet enim multi contenderent illis signis designari tantùm jurisdictionem sæcularem, tunc temporis beneficiis ecclesiasticis annexam, timendum erat ne, eâ ratione, ipsi principes viderentur conferre etiam potestatem ecclesiasticam, his beneficiis inhærentem.

235. 2° *De Jure Regaliæ.* Hoc jus, tempore Ludovici XIV, reponebatur potissimùm in eo quòd, vacante

Sede Episcopali, Rex administraret ejusdem Sedis bona temporalia, omniaque beneficia ad Episcopi collationem pertinentia conferret, quorum etiam plura, Archidiaconatus nempe, Decanatus, Pœnitentiaria, etc., annexam habebant jurisdictionem et curam animarum ordinariam.

Ludovico XIV hoc jus extendere volente ad omnes regni sui diœceses, etiam antea exemptas à dicto jure, reclamantibusque ex iis pluribus, convocata fuerunt, anno 1681, comitia : congregatique Prælati ita negotium componere tentârunt, ut jam Rex nulla posset conferre beneficia jurisdictionem sibi annexam habentia, cætera verò pleno jure conferret in cunctis regni ecclesiis : sed Innocentius XI, cujus approbationi res delata fuit, ægrè tulit hanc comitiorum conniventiam, præsertim quia *non solùm per hoc evertebatur disciplina, sed etiam fidei integritas in discrimen vocabatur; si quidem intelligebatur, ex ipsis regiorum decretorum verbis, quòd jus conferendi beneficia Regi vindicabatur, non tanquam profluens ex aliquâ Ecclesiæ concessione, sed tanquam ingenitum et coævum regiæ coronæ.* Vide opera Bossuetii, t. 7, p. 195.

236. 3° *De Collatione laicâ*, seu concessione factâ à laico absque concursu auctoritatis ecclesiasticæ. Hujusmodi jura, veteri consuetudine sibi tribuebant non solùm Rex in Galliâ, sed et plures alii Domini temporales; circa quæ hæc observant Memoralia Cleri : « *Quoique nous vivions dans « cette discipline depuis plusieurs siècles, il n'y parait pas « moins de difficultés à la concilier avec les maximes cano- « niques : étant certain que, suivant l'ordre établi de J.-C., « il appartient aux supérieurs ecclésiastiques de donner la « mission et institution requises pour exercer ces titres ecclé- « siastiques.* »

4° Ex responsione superiùs datâ (233) potest pariter concludi tanquam intrusum habendum esse illum, qui, repulsus, etsi injustè, à legitimis superioribus, ad sæcularem potestatem, sub abusùs prætextu, recurrit, ut, ipsius auxilio, officia ecclesiastica invadat.

237. Quærit. 2° Utrum electus, præsentatus, aut nominatus ad Prælaturam possit, sub aliquo titulo, sese ingerere

ipsius administrationi, ante obtentam à S. Sede canonicam institutionem?

Resp. Negativè : *Nullo titulo, sive œconomatûs, vel procurationis, aut alio de novo quæsito colore, per se aut alium, licet electo, præsentato, aut nominato sese immiscere, pro parte vel in totum, administrationi spirituali aut temporali Prælaturæ ad quam electus, præsentatus vel nominatus fuit;* secus jure per electionem quæsito excidit, omniaque ab eo gesta nullius roboris sunt, et indignus evadit qui in posterùm eligatur. Card. Soglia, *Inst. jur. priv.*, § 36.

Illud constat ex capite *Avaritiæ* 5, *De electione et electi potest.*, in 6°, ubi dicitur : « Nonnulli... ad regimen ecclesiarum electi, quia eis, jure prohibente, non licet se, « ante confirmationem electionis celebratæ de ipsis, « administrationi ecclesiarum ad quas vocantur ingerere, « ipsam sibi, tanquam procuratoribus seu œconomis, « committi procurant. Cùm itaque non sit malitiæ hominum indulgendum, Nos hâc Constitutione sancimus, ut « nullus de cætero administrationem Dignitatis ad quam « electus est, priusquam celebrata de ipso electio confirmetur, sub œconomatûs vel procurationis nomine, aut « alio de novo quæsito colore, in spiritualibus vel temporalibus, per se aut per alium, pro parte vel in totum, « gerere vel recipere, aut illis se immiscere præsumat. « Omnes illos qui secus fecerint, jure, si quod eis per electionem quæsitum fuerit, decernentes ipso facto privatos. »

Constat etiam ex Brevi Pii VII 4 decemb. 1810, ad Archidiaconum Florentinum, qui ipsum consuluerat an Episcopus Nanciensis, ad Sedem Florentiæ per Napoleonem I. electus, posset eligi in Vicarium Capitularem. Respondit Pontifex nequaquam id fieri posse, et probat ex cap. *Avaritiæ*, modò relato, ex Concilio Trident. (sess. 28, c. 16, *De Reform.*), et ex decretali *Injunctæ* infra referendâ (242). « Et hæc adeò sunt vera, inquit Reiffenst. (lib. 1, *de* « *Elect.*, n° 37), ut etiam non valeat consuetudo quòd « possit electus administrare ante obtentam confirmationem. Idque desumitur ex cap. *Cùm venerabilis* 7, *De*

« *consuet.*, ubi talis consuetudo reprobatur ut corruptela. »

Quidquid ergo dicant nonnulli ap. Lequeux, nº 82, consuetudine legitimari non potuit, etiam tanquam Vicariorum Capitularium, administratio nominatorum ad sedes episcopales tempore Ludovici XIV, quibus Sancta Sedes denegabat institutionem canonicam antequam retractassent suam adhæsionem famosæ declarationi 1682, inter quos erant Huet Episcopus Abricensis, Godet Desmarais Carnutensis, Fléchier Nemausensis, etc. Idem est dicendum de iis qui à Napoleone I fuerant nominati ad sedes episcopales, tempore captivitatis Pii VII, quique se ingesserant administrationi diœcesium earumdem tanquam Vicarii Capitulares, prout præsertim fuit Card. Maury ad Sedem Parisiensem nominatus.

Unde non licet electo ante obtentam confirmationem, concedere honores, beneficia; disponere de rebus Ecclesiæ; excommunicare; absolvere, etc.

238. « Porrò hactenus dicta, procedunt, inquit Reif-
« fenstuel, etiam in eo qui ante electionem exstiterat pro-
« curator, vel œconomus ecclesiæ : nam si contingat œco-
nomum ecclesiæ eligi in Prælatum (ejusdem), statim a tem-
« pore electionis tenetur ipse abstinere ab administratione
« œconomiæ » (*ibid.*, 43).

Secus sentit non solùm Lequeux (nº 82), sed etiam auctor *Prælect. S. Sulpitii*, nº 133 in fine. Ratio ejus est quòd cap. *Avaritiæ*, suprà relatum, loquatur duntaxat de eis qui se ingerere præsumunt, quales non sunt qui jam electi Vicarii Capitulares postea ad eamdem sedem à Principe nominantur Episcopi. In eodem sensu, anno 1832, respondisse Gregor. XVI ad D. Blancard de Bailleul Vicarium Generalem diœcesis Versaliensis asserit idem auctor, post RR. DD. Bouvier, in tractatu *De Ordine*, c. 7, sect. 2.

239. Quædam aliæ exceptiones sunt admittendæ : 1º si dicta administratio fieret de consensu *Superioris* : ratio patet. Unde potest electus administrare ante confirmationem, si hoc habeat ex privilegio ut habent Cistercienses, teste Abbate, cap. *Cùm venerabilis*, *De consuetud.*

240. 2º Plures excipiunt valde remotos à Curiâ Romanâ,

ut puta constitutos ultra *Italiam*, *modò electi fuerint in concordiâ*, id est qui electi fuerint nemine prorsus discrepante, vel saltem, juxta alios, nemine electioni se opponente. Illud probant ex cap. *Nihil est* 44, § fin., *De Electione*.

241. Quærit. 3° Utrum institutio canonica scripto authentico consignari debeat.

Resp. Vel de iis agitur qui instituendi sunt à S. Pontifice, vel de iis qui ab Episcopis instituuntur : in primo casu, institutio consignari debet in scripto, seu instrumento authentico et debitâ formâ confecto : hoc probatur *Extrav. Communi*, *Injunctæ* 1, *De Electione*, mox referendâ; hujusmodi litteræ vocantur *Provisiones*.

In secundo casu, Devoti (lib. 1, tit. 5, sect. 4, § 45 et 46) affirmat provisiones debere esse scriptas et à Cancellario episcopali obsignatas, et hoc saltem est convenientissimum ; Cardinalis verò Soglia (*Inst. jur. priv.*, § 95) dicit hoc esse necessarium, si non certâ lege, saltem consuetudine. Attamen juxta D. Bouix (*De Parocho*, p. 306) : « Ad valorem *Institutionis* non requiritur scriptura ». Nota autem quòd in Galliâ jus ad stipendium à Gubernio solvendum, inchoetur tantùm à die sumptæ possessionis.

242. Quærit. 4° Utrum instituti ad officium ecclesiasticum qui provisiones scriptas debent habere, possint sua munera exercere antequam *provisiones* ostenderint, saltem in casu necessitatis?

Resp. Negativè, ex Extrav. Comm. *Injunctæ* 1, *De Electione*, quæ sic se habet : « Præsenti itaque Constitutione « sancimus ut Episcopi et alii Prælati superiores, nec non « Abbates, Priores.., qui apud dictam Sedem promoventur, « aut confirmationis, consecrationis, vel benedictionis « munus recipiunt, ad commissas eis ecclesias et monas- « teria, absque dictæ Sedis litteris ejusmodi eorum pro- « motionem, confirmationem, consecrationem seu bene- « dictionem continentibus, accedere, vel bonorum eccle- « siasticorum administrationem accipere non præsumant ; « *nullique eos absque dictarum litterarum ostensione reci-* « *piant*, aut eis pareant, vel intendant. Quòd si forsan « contra præsumptum fuerit, quod per Episcopos, Præ-

« latos, Abbates... medio tempore actum fuerit, irritum « habeatur. »

Et hæc quidem locum habent etiam in casu *necessitatis vel longæ distantiæ*, etiamsi certum esset litteras casu periisse; sic decisum fuit à S. Cong. Concilii, anno 1644, pro quodam Episcopo urbis Assumptionis in Americâ, qui in similibus circumstantiis consecrationem susceperat.

243. *Possessionis assumptio*, quidquid nonnulli dicant, non videtur necessaria, cùm præfata Extrav. *Injunctæ* requirat solummodo *litterarum ostensionem*.

Per procuratorem autem fieri possunt litterarum *ostensio* et *possessionis assumptio*; et hoc etiam antequam institutus consecrationem episcopalem acceperit, ostensis verò litteris, statim potest iste jurisdictionem suæ Dignitati annexam exercere. Ita omnes.

In Galliâ juxta Concordatum 1801, « Episcopi, antequam « munus suum gerendum suscipiant, coram Primo Con- « sule (hodie coram Præs. Reip.) juramentum fidelitatis « emittent. »

Idem præscribitur quoad ecclesiasticos secundi ordinis; sed hoc in desuetudinem abiit.

244. Quod diximus supra (206), acceptationem saltem implicitam esse necessariam pro exercendâ jurisdictione delegatâ, illud est applicandum ei qui promovetur ad officium cui annectitur jurisdictio ordinaria, et etiam ad quodcumque aliud officium. Constat ex cap. *Si tibi, De Præbendis*, in 6°.

PUNCTUM II.

DE VARIIS MODIS QUIBUS OBTINERI POSSUNT OFFICIA ECCLESIASTICA IN GENERE.

245. Illi modi sunt : *Electio*, *Postulatio*, *Præsentatio*, *et Collatio*.

I. — *De Electione.*

246. *Electio* dupliciter accipitur : 1° *latissimè* : et hoc respectu comprehendit varios modos adipiscendi ecclesiastica officia, videlicet : *Electionem* propriè dictam, *Postu-*

lationem, etc. ; 2° *Strictè*, et sic est modus distinctus obtinendi hujusmodi officia

Electio, in hoc secundo sensu accepta, definitur : *Personæ idoneæ ad Ecclesiam vacantem, per eos quibus jus eligendi competit, canonica vocatio, auctoritate superioris confirmanda.* Locum non habet hodie electio nisi pro Pontificibus Supremis, pro Prælatis Regularibus, pro Vicariis Capitularibus, et pro Episcopis in quibusdam tantùm Germaniæ locis.

247. Tribus autem modis duntaxat fieri potest electio : per *scrutinium, compromissum*, et per *quasi inspirationem.* Ita cap. *Quia propter* 42, *De Electione*, quod sanciverat Concilium Lateran. IV, anno 1214 : « Quia, propter diver-
« sas formas electionum, multa impedimenta proveniunt,
« et magna pericula imminent Ecclesiis viduatis, statuimus
« ut cùm electio fuerit celebranda, præsentibus omnibus
« qui *debent* et *volunt* et *possunt* commodè interesse, assu-
« mantur tres de collegio fide digni, qui *secretò* et *sigillatim* vota cunctorum diligenter exquirant, et in scriptis
« redacta, mox publicent in communi, nullo prorsùs
« appellationis obstaculo interjecto, ut is, collatione habitâ,
« eligatur, in quem omnes, vel *major* et *sanior pars*
« Capituli consentit (en *scrutinium*), vel eligendi potes-
« tas aliquibus viris idoneis committatur, qui vice omnium
« Ecclesiæ viduatæ provideant de Pastore (en *compromis-*
« *sum*) ; aliter electio non valet nisi fortè communiter
« esset ab omnibus *quasi per inspirationem*, absque vitio
« celebrata. »

Electio *per quasi inspirationem* tunc censetur fieri, quando, nullo præcedente tractatu, omnes electores communiter et quasi uno corde ac ore, in unum eumdemque consentiunt.

« Sed, inquit D. Bouix (*De Capit.*, p. 205), electio non
« potest hoc modo fieri in iis Capitulis in quibus per sta-
« tutum speciale requiruntur tacita suffragia, cum clau-
« sulâ irritante electionem aliter factam. »

Electio per *compromissum* tunc fit quando Capitulares præsentes, nemine discrepante, facultatem eligendi in

unum vel plures idôneos viros conferunt, qui vice omnium eligant.

Electio per *formam scrutinii* illa est quæ, præsentibus omnibus qui *debent*, *volunt* et *possunt* interesse, fit per collectionem suffragiorum circa eum in quem major et sanior pars Capituli consentit.

Ex verbis præfati Capitis *Quia propter*, patet quòd hæc triplex electionis forma sit obligatoria, duntaxat quando agitur de eligendis Prælatis *pro Ecclesiis viduatis*, videlicet Episcopis vel Abbatibus ; adhiberi tamen potest in cæteris electionibus, prout eis poterit accommodari.

248. Quærit. 1° Quinam ad electionem debeant vocari?

Resp. Vocandos esse omnes jus eligendi habentes; nempe omnes qui *debent*, *volunt* et *possunt commodè interesse* (cap. *Quic propter*, jam citat.). Si unus contemneretur, id est, non vocaretur, iste posset irritationem electionis reclamare, quamvis valida possit esse, si taceat : siquidem electioni plus contemptus unius quàm contradictio multorum obsistit, ut dicitur in cap. *Venerabilem* et cap. *Bonæ memoriæ* 36, *De Electione*. Qui autem neglectus fuit habet sex menses ad reclamandum, quibus elapsis, censetur confirmare actum capitularem. Decisum à Rotâ.

Dicit. 1° *Qui debent* : ad excludendum eos qui de jure non debent suffragari electioni, ut impuberes, vel pleno usu rationis carentes, item excommunicati majori excommunicatione denuntiati, ab officio suspensi quique ne eligant personaliter sunt interdicti, infames infamiâ juris si sint denuntiati, scienter eligentes indignum. Insuper excipientes laicos ad suffragium ferendum, operam electioni intra tempus à jure requisitum non dantes, aut canonicam formam non observantes, jure eligendi pro primâ vice privantur et jus ipsum reliquis electoribus accrescit.

Electores esse nequeunt, quoad Prælaturas et Dignitates ecclesiasticas, qui non sunt clerici vel religiosi (cap. *Nullus* et cap. *Sacrosancta* 51, *De Elect.*); et in Ecclesiis Cathedralibus vel Collegiatis, qui necdum in ordine sacro sunt constituti, non obstante contrariâ consuetudine (Conc. Trid., sess. 22, cap. 4, *De Ref.*).

Ipso jure autem prohibentur eligere qui per abusum

potestatis sæcularis faciunt electionem; et insuper suspendi possunt per triennium ab officiis et beneficiis.

Dicit. 2° *Qui volunt*: quia ratio non est habenda eorum qui nolunt interesse. Unde si is, ad quem spectat convocatio, omnes de jure vocandos vocaverit, præsentes ad actum Capitularem legitimè procedere possunt, quantumvis parvus sit eorum numerus; nec ex hoc titulo, rescisioni obnoxius est actus capitularis. Similiter si, cœpto electionis tractatu, aliqui vocales egrediantur et redire nolint, possunt alii sine ipsis procedere; dummodo non major pars Capitularium fuerit egressa. Ita clarè ex cap. *Cùm nobis*, *De Electione*.

Dicit. 3° *Qui possunt commodè interesse* : quia nimiùm remoti, non sunt necessariò vocandi. De rigore juris communis vocandi sunt tantùm qui in provinciâ existunt: cap. *Coram* 35, *De Elect.* Dicit tamen Bouix (*De Capit.*, p. 196) vocandos esse etiam longè absentes quando eligendus est Prælatus, vel recipiendus est quis in canonicum, aut indicenda cessatio à divinis, vel quando agitur de notabiliter arduis. Et pro Galliâ dicitur in cap. *Genesi* 55, *De Electione*, quòd ad Electiones faciendas, *de toto regno Franciæ* vocantur absentes consuetudine Ecclesiæ Gallicanæ; « si tamen, ut addit cap. *Quod sicut* 38, *De Elect.*, sinè periculo potuerint convocari » : quia si, ob moram, immineret periculum schismatis, seditionis, intrusionis, vel abusus laicæ potestatis, aut alterius gravis mali, longè absentes tunc non essent expectandi. Vide alia in nostro *Manuali*, n° 398, etc.

249. Quærit. 2° Quot numero præsentes esse debeant electores, et à quânam parte eorum fieri debeat electio, ut valida sit habenda?

Resp. 1° Electionem fieri non debere nisi sint præsentes duæ partes vocalium : hoc deducitur ex leg. civ. *Nulli et planè*, ff. *Quod cujusque univers. nom.* In hoc verò duarum partium numero sunt duntaxat computandi ii qui *debent*, *volunt* et *possunt commodè interesse*. Unde citatis et non comparentibus in solito vel designato loco omnibus qui jus habent eligendi, tres etiam explere possunt actum, quin imò duo, vel unus, rem perficiendo coram scribâ et tes-

tibus. Non quòd unus sit Capitulum, sed quia jura Capituli devolutivè resident in ullo uno. Idipsum procedit omnibus voce privatis, vel interdictis, sive excommunicatis, vel mortuis præter unum : si quidem non dissolvitur Capitulum nisi per mortem omnium capitularium, vel auctoritate Papæ; sed ab initio Capitulum per unum non potest constitui.

Resp. 2° Regulariter non requiritur ut omnes præsentes consentiant, sed sufficit votum majoris partis respectu præsentium, modò omnes, qui de jure adesse debent, vocati fuerint. Probatur ex cap. *Quia propter* suprà relato.

Electio à minore parte præsentium peracta, non tantùm invalida est, sed per subsequentem consensum aliorum validari nequit, ex cap. *Audistis* 29, *De Elect.* Vide tamen infra (251).

Diximus *regulariter;* dantur enim casus in quibus major pars non sufficit : « nempe 1° dum capitulum gratiam « alicui facit; 2° dum negotium de quo agitur principali- « ter et directè, et non tantùm in consequentiam, *singulos* « separatim concernit; in his duobus casibus requiritur « consensus *omnium capitularium* ; 3° si major pars decer- « neret aliquid cedens in damnum Ecclesiæ vel in præju- « dicium minoris partis (V. exceptiones ap. D. Bouix, *ib.*, « p. 189) : in quo casu, pars minor contradicere et res- « cisionem actuum persequi potest; 4° si major pars « statueret in præjudicium unici capitularis; tunc ille « unicus jus habet... sese opponendi; 5° in electione « Papæ... necesse est consentire duas tertias partes præ- « sentium Cardinalium. » Bouix, *De Capit.*, p. 188.

In cap. *Quia propter*, non tantùm requiritur *major* pars, sed et *sanior*. At minor pars, etiamsi esset sanior, probare deberet majorem partem irrationabiliter egisse; nec quidquam decernere valebit, quamdiù remanebit numero minor. Ita communiter. Hoc ipso, quòd una pars sit major, censetur etiam *sanior*, juxta Leurenium, nisi contrarium probetur.

« Quando vota porriguntur secretò, nulla habetur ratio « sanioris partis, sed attenditur solummodo major suffra- « giorum numerus. » Bouix, *De Capitulis*, p 204.

250. Quærit. 3° Quænam adhuc præscribantur circa electionem ?

Resp. Plura adhuc requiri, nempe : 1° Ut electio fiat infra tres menses à die vacationis : cap. 41, *De Electione.*

2° Ut electio sit *libera*, ac proinde absit vis aut fraus : « Quisquis electioni de se factæ *per sæcularis potestatis* « *abusum*, consentire præsumpserit contra canonicam « libertatem, et electionis commodo careat, et ineligibilis « fiat, nec absque dispensatione ad aliquam valeat eligi « dignitatem : qui verò electionem hujusmodi, quam ipso « jure irritam censemus, præsumpserint celebrare, ab « officiis et beneficiis, penitus suspendantur, et per trien- « nium eligendi sint potestate privati. » Ita cap. *Quisquis* 43, *De Elect.*, ex Concil. Later. IV. Pro *fraude et dolo*, v. cap. *Cùm dictus* 23, *De Electione* ;

3° Ut absit omnis simonia.

4° Ut non accedant voti incapaces : quinam sint incapaces dictum fuit supra (248);

5° Ut vota ferantur *absolutè* et *determinatè* : vota enim conditionata, alternativa et incerta habenda sunt ut nulla : ex cap. 2, *De Elect.*, in 6° ;

251. 6° Ut *publicato scrutinio*, non varient electores : cap. *Publicato* 58, *De Elect.* Attamen, quando, publicato scrutinio, apparet non validè peractam fuisse electionem (secus si esset per judicem irritanda), vel si electus non acceptaret, vel si esset ineligibilis, tunc liceret ad novam electionem procedere, et à priori voto recedere. Speciale aliquid est in monialium electionibus, scilicet quòd, casu quo à majore quidem parte, sed non à duabus ex tribus partibus capituli electæ fuerint, possint aliæ moniales partis minoris ad votum majoris partis accedere, sicque variare post publicatum scrutinium. Cap. *Indemnitatibus* 43, *De Elect.* in 6°.

Item, si ageretur de casu in quo rigorosè non esset servanda forma per cap. *Quia propter* præscripta, v. g. si eligendus esset Vicarius Capitularis, et primùm non adessent vota sufficientia, valeret tunc accessus minoris partis ad majorem, vel æqualis ad æqualem, etiam publicato scrutinio.

252. 7° Quamvis id non sit de præcepto, optandum

tamen est quòd electio fiat per suffragia secreta. Nisi verò statuta Capituli præcipiant suffragia secreta sub *clausulâ irritante*, validum est quod canonici vivâ voce concludunt.

In electione tamen superiorum regularium, vel superiorissarum monialium, imò in electione quorumcumque officialium religiosorum utriusque sexûs, sub pœnâ nullitatis præscribitur à Concil. Trid., sess. 25, cap. 6, quòd vota sint secreta. Id factum est ut præscinderentur inimicitiæ inter confratres, qui perpetuò simul vivere tenentur : hæc constitutio tam strictè obligat, ut electio sit nulla, si vel unus electorum votum suum, permittente Capitulo, publicaret : secus tamen si id contingeret, inscio aut non consentiente Capitulo, et id quidem in ipsâ electione; postea tamen perdurat obligatio secretum servandi, quamvis, per ejus violationem, deinceps commissam, electio non annulletur.

253. 8° Electio fieri nequit per sortem, ex cap. 3, *De Sortileg.*; Bouix tamen (*De Capitul.*, p. 207), citans Ceccoperium, excipit casum in quo, post binum vel ternum scrutinium, staret paritas votorum inter duos candidatos; sortem tunc solùm permittit S. Liguor. (lib. 3, n° 11), quando fit ex auctoritate judicis pro decidendis litibus circa officia aut beneficia ecclesiastica.

254. Quærit. 4° Quid agendum sit, peractâ electione?

Resp. Absolutâ et patefactâ electione, conficitur decretum quod subscribunt eligentes, quibus tunc omnis variandi potestas adimitur. Cap. 20, 21 et 58, *De Electione.*

Mox electo, id est intra octo dies, notificari debet electio.

Electi consensus petendus est, et ipse, infra mensem, ne suo jure cadat, debet illum emittere (cap. 6, *De Elect.*, in 6°).

Præterea, intra alios tres menses à Superiore petenda est confirmatio electionis ex eod. cap. : alioquin electio viribus eo ipso vacuatur.

Obtentâ verò confirmatione, intra tres menses à die habitæ notitiæ confirmationis numerandos, consecrandus est Episcopus; alioquin ad *fructuum perceptorum restitutionem tenetur, et si intra totidem menses postea id facere*

neglexerit, *Ecclesiâ suâ*, *ipso jure*, *est privatus.* Ita Concil. Trid. (sess. 23, cap. 2, *De ref.*)

II.—*De Postulatione.*

255. « Si fortè contigerit, inquit Card. Soglia (*Inst. jur.* « *priv.*, § 37), ut, qui Ecclesiæ utilissimus fore videtur, « ob... canonicum impedimentum eligi nequeat, tunc « electoribus extraordinarium præsidium datur, modò nu- « merus postulantium duplò excedat numerum eligentium « (cap. 40, *De Elect.*), nimirum postulatio... Duplex est... « *simplex* et *solemnis*.

« *Simplex* est petitio apud superiorem, ut consentiat in « electionem ejus qui suæ potestati subest, velut si mona- « chum eligere velis, opus est veniâ sui Abbatis : quæ qui- « dem non vera et propria est postulatio, dum persona, « hoc modo postulanda, nullo canonico impedimento te- « neatur quominus eligi possit.

« *Solemnis* et vera postulatio est, dum à Romano Pon- « tifice petitur, ut ex indulgentiâ et dispensatione, in Epis- « copum assumat qui per canones eligi nequit... Satis « intelligitur impedimentum ejus generis esse oportere, « super quo Pontifex dispensare possit et soleat, qualis « est defectus natalium, ætatis, ordinis, libertatis ob vin- « culum spirituale cum aliâ ecclesiâ, et hujusmodi. »

« Non solùm, inquit Reiffenstuel (lib. 1, tit. 5, n^is 37- « 39), Archiepiscopus et Episcopus consecratus, sed etiam « confirmatus tantùm..., ad alium Episcopatum nequit « eligi, sed solùm postulari. Ita communis... Electus verò « duntaxat in Episcopum..., ante factam ejus confirma- « tionem, sicut potest suæ electioni... liberè renuntiare..., « ita ad alium Episcopatum eligi potest... » (sine postula- tione).

« Episcopus qui renuntiavit Episcopatui, potest ad aliam « Ecclesiam eligi, nec debet postulari, nisi aliud quid « canonicum obstiterit... quia talis non ampliùs est alli- « gatus cuipiam Ecclesiæ... »

III.—*De Præsentatione.*

256. « Præsentatio est personæ ad Episcopum vel alium

« cui competit institutio, per patronum legitimè facta « exhibitio, ut ei de beneficio vacante provideat. »

Nominatio regia, in locis ubi viget, aliquid habere videtur de naturâ *Præsentationis*, et ad ipsam referri potest.

IV. — *De Collatione.*

257. Collatio est concessio beneficii vacantis ab habente potestatem facta. Duplicis speciei est : *libera* nempe et *necessaria.*

Necessaria ea est quæ fit ex necessitate juris, videlicet ob præsentationem aut electionem alicujus, vel ob mandatum superioris, aut ex causâ permutationis beneficiorum.

Libera quæ fit solo jure Prælati : proinde est gratuita concessio beneficii.

Differt collatio ab electione maximè in eo quòd per collationem acquiratur *jus in re*, dum per electionem acquiritur duntaxat jus *ad rem.*

Provisio, seu Pronuntiatio Papæ in Consistorio, habet vim electionis et confirmationis. Innoc., in cap. *Cùm olim*, etc.

Ex his patet Confirmationem, Institutionem, etc., referendas esse ad Collationem.

Sic autem proceditur in Episcoporum Institutione. In consistorio Cardinalium, prævia fit causæ cognitio, « quæ « versatur super natalibus, ætate, morum honestate, « scientiâ, aliisque quæ in Episcopo desiderantur. Si « electus vel nominatus extra Italiam commoretur, in- « quisitio de ipsius qualitatibus à Nuntio Apostolico, vel « ab Ordinario, de speciali Pontificis mandato instituitur, « et processus inde confectus Romam mittitur. In Italiâ « verò atque Insulis adjacentibus, electi vel nominati co- « ram ipso Pontifice periculum doctrinæ faciunt, eorum- « que processus in urbe conficitur; quibus absolutis, « totius inquisitionis et examinis acta Cardinali relatori seu « proponenti traduntur, atque tum ab ipso, tum ab aliis « tribus Cardinalibus ordinum capitibus seriò expensa, et « subscriptione roborata, ab eodem Relatore in Consistorio

4*

« referuntur, quod dicitur *præconizare*[1]. Dein in eodem « Consistorio nisi Pontifici expedire videatur in alterum « Consistorium rem differre ut melius Cardinales possint « dotes candidati dispicere, judicium de ipsius idoneitate « profertur, quod *propositionem* appellant : tum denique « Pontifex, consultis cardinalibus, et solemni verborum « formulâ, decretum *confirmationis* emittit. » Ita Card. Soglia, *Inst. juris priv.*, § 39.

Deinde plures conficiuntur Bullæ : una, quæ continet *Provisiones*, dirigitur ad Promotum ; aliæ verò ad Consecratorem, ad Metropolitanum, ad clerum populumque quibus præficiur Promotus.

Præter fidei professionem, quæ in processu fieri debet, tenetur novus Episcopus, post suam in Consistorio promotionem, Romano Pontifici fidelitatis et obedientiæ juramentum præstare; et quidem, extra Romam, in manibus Episcopi consecratoris.

PUNCTUM III.

AD QUEM VEL AD QUOS PERTINEAT PROMOTIO AD DIGNITATES ET OFFICIA ECCLESIASTICA, ET INTRA QUODNAM TEMPUS AD HANC SIT PROCEDENDUM.

258. Dicemus infra, ubi de S. Pontifice, ad quos pertineat electio Papæ et simul de modo quo illa sit facienda.

Quærit. Hîc tantùm 1° ad quem diversis temporibus pertinuerit promotio Episcoporum ?

Resp. Initio, ipsemet Christus per semetipsum Apostolos elegit (Luc., c. 6, v. 13). Apostoli verò, sine populi concursu, suos cooperatores et successores elegerunt : « Hujus rei gratiâ, inquit Paulus ad Titum (cap. 1, v. 5), « reliqui te Cretæ, ut constituas per civitates presbyteros, « etc. » Varias subindè formas, pro diversis temporibus, expertæ sunt electio et promotio Episcoporum, semper tamen de consensu, saltem implicito Sanctæ Sedis ; tres verò epochæ sunt distinguendæ :

259. *Prima epocha.*—In hâc, ad electionem Episcoporum

[1] Quædam eorum recenter immutata sunt : hodie enim promovendus, non à Cardinale, sed à Papâ proponitur in Consistorio.

concurrebant tùm Metropolitanus et Episcopi provinciæ, tùm Ecclesiæ viduatæ clerus et populus, plus minusve distinctè. Id constat variis canonibus à Gratiano relatis, dist. 61, 62, 63. Sic autem habet can. *Nulla* 1, dist. 62, ex epistolâ S. Leonis ad Rusticum : « Nulla ratio sinit, ut inter « Episcopos habeantur, qui nec à clericis sunt electi, nec « à plebibus expetiti, nec à provincialibus Episcopis eum « Metropolitani judicio consecrati. »

Jus verò erat Metropolitano et comprovincialibus Episcopis rejiciendi votum populi, imò et Cleri, si ipsis irrationabile videretur. « Docendus est populus, non sequen- « dus, inquit canon. 2, dist. 62 ; nosque, si nesciant, eos « quid liceat, quidve non liceat commonere debemus. » Quam sententiam electioni Episcoporum applicat cap. *Nosse* 12, dist. 63. Igitur, inquit S. Cyprianus (epist. 68), eo sensu populi et Cleri inferioris consensus requirebatur, ut *Sacerdos, plebe præsente, sub omnium oculis deligeretur, et dignus atque idoneus publico testimonio comprobaretur.*

Non omnino constans fuit, ac uniformis in totâ Ecclesiâ, præfata electionis forma : nam, in Oriente, sic modificata fuit à Justiniano (*Novell.*, 123, c. I) : « Sancimus ut quoties « opus fuerit Episcopum ordinari, Clerici et *Primates* « civitatis, cujus est Episcopus ordinandus, de tribus « personis decreta faciant, dicentes quòd, neque propter « amicitiam, neque, etc... hos elegerint, ut melior ordi- « netur electione et periculo Ordinantis. » In Occidente autem, mos invaluit, præsertim post barbarorum invasionem, expetendi regis consensum, ut patet ex pluribus canonibus à Gratiano relatis, dist. 63.

Quidquid sit de his, in hâc epochâ, regulariter Episcopi orientales non ordinabantur absque Patriarcharum consensu [1] : ipsimet Patriarchæ confirmationem à Sede Apos-

[1] « Antiqua consuetudo servetur per Ægyptum, Lybiam, et Penta- « polim ; ità ut Alexandrinus Episcopus omnium horum habeat potes- « tatem, quia et Urbis Romæ Episcopo pariter mos est. Similiter « autem et apud Antiochiam cæterasque provincias, suis privilegia « serventur Ecclesiis... Si quis *præter sententiam Metropolitani fuerit* « *factus Episcopus, hunc Magna Synodus* definivit Episcopum esse non

tolicâ obtinere debebant ut eorum auctoritas firmaretur [1].

Sed in Occidente in quo, exceptâ Africâ, per quatuor priora sæcula nondum erant Metropolitani, solus Summus Pontifex Episcopos ordinabat. Sed postea, constitutis Metropolitanis, paulatim concessisse videntur Papæ ut, in remotioribus provinciis, electio et consecratio Metropolitarum fierent in Concilio Provinciali. Sic enim habet S. Leo (can. 19, dist. 63) : « Metropolitano defuncto, cùm in ejus « loco alius fuerit subrogandus, provinciales Episcopi ad « civitatem Metropolim convenire debebunt, ut omnium « clericorum atque civium voluntate discussâ, ex presby- « teris ejusdem Ecclesiæ vel diaconis, optimus ordinetur. » Tunc tamen probabiliùs obtinenda erat confirmatio à S. Sede, saltem mediatè per Vicarios nempe Apostolicos, v. g. Illyriæ, Galliæ, etc. V. ap. D. Bouix, *De Episcopo*, t. I, p. 166, qui idem sentit de singulis Episcopis occidentalibus.

260. *Secunda epocha.* — Circa duodecimum sæculum, reservata fuit Capitulis Episcoporum electio [2], confirmatione eorum duntaxat et consecratione adhuc ad Metropolitanum pertinentibus. Hoc constare videtur ex cap. *Cùm terra* 14, *De Elect.*, in quo agitur de Ecclesiâ Hierosolymitanâ ; evidenter autem demonstratur per caput *Quia*

« oportere. » Concil. Nicæn., can. 6. Per Metropolitanum hîc Patriarcha intelligitur. V. *Tradit. de l'Église*, etc., t. 1, p. 53.

Innocentius I scribens Alexandro Episcopo Antiocheno dicebat : Sicut Metropolitanos auctoritate ordinas singulari, sic et cæteros non sine permissu conscientiâque tuâ sinas episcopos procreari. » *Trad. de l'Église, ib.*, p. 24 et 49.

[1] Pro confirmatione Patriarcharum à S. Pontifice, vide epistolam S. Bonifacii I *Ad Rufum*, et plura alia relata in opere citato, *Tradit. de l'Egl.*, t. 1, p. 93, 151, etc. Vide etiam Bouix, *De Episcopo*, t. 1, p. 153, etc.

[2] « Separatis progressu temporis clericis à religiosis, qui omnes ad « electionem Episcoporum concurrebant, ex claro et expresso textu in « cap. *Obeuntibus* 35, dist. 63, fuit exinde statutum ut religiosi suorum « Abbatum aliorumque Superiorum, canonici verò Cathedralium suo- « rum Episcoporum facerent electionem, cap. *Nullius*, cap. *Cùm* « *terra*... et per totum tit. *De Elect.*, etc. Et sic tota facultas eligendi « Episcopos fuit redacta ad solos cathedralium canonicos... » Ferraris, v° *Episcopus*, art. 2, n° 5.

propter 42, *De Electione*, ex Concil. Lateran. IV, anno 1215 desumptum. Sed, ut modò diximus, ante hanc epocham, sæculo nono, multi Episcopi, si non omnes, à Romano Pontifice confirmabantur (V. *Tradit. de l'Église*, t. 3, p. 11, etc.). Ita præsertim Metropolitæ, qui, ut *plenitudinem ecclesiasticæ potestatis* obtinerent, pallium à Sanctâ Sede postulabant : vide cap. *Nisi*, *De auctorit. et usu Pallii*, in quo sic loquitur Innocent. III : « Si postulatio Episcopi « Trojani ad Panormitanam Ecclesiam fuisset admissa, « non tamen deberet se Archiepiscopum appellare, prius- « quam à Nobis Pallium suscepisset, in quo Pontificalis « Officii plenitudo cum Archiepiscopalis nominis appella- « tione confertur, etc. »

261. *Tertia epocha.* — A tempore Benedicti XII, qui, anno 1334, ad Supremum Pontificatum evectus est, Summi Pontifices Episcoporum institutionem sibi reservârunt [1] ; imò paulatim ubique intermissæ fuêre electiones à Capitulis peractæ, ità ut hodie in quibusdam Germaniæ partibus solùm subsistant.

Nisi paulatim ad hanc reservationem processêre SS. Pontifices : primùm quidem Dignitatem Episcopalem non contulerunt nisi prout casus deferebantur ad Sedem Apostolicam, sive quia propter certos defectus in electis, necessaria erat dispensatio, sive quia dirimendi erant lites inter varios contendentes exorti. Postea verò, Joannes XXII per regulas Cancellariæ, Paulus II per Constit. *Ad Romani Pontificis providentiam*, anno 1467 (Extrav. Comm. 14, *De Præb. et Dignit.*), sibi indistinctè et absolutè reservârunt omnium omnino Ecclesiarum Cathedralium, Metropolitanarum Patriarchaliumque electionem et collationem.

Porrò hæc disciplina evidenter approbationem obtinuit à Concil. Trident. : sic enim habet canon 8, sess. 23 : « Si quis dixerit Episcopos, qui auctoritate Romani Ponti- « ficis assumuntur, non esse legitimos, anathema sit » ; et cap. 1, sess. 24, idem Concilium jubet ut « Instructio

[1] Juxta Ferraris, vo *Episcopus*, no 4, hæc reservatio cœpit tempore Clementis V.

« de personâ promovendâ quamprimum ad Sanctiss. « Roman. Pontificem transmittatur, ut *Ipse*, plenâ perso- « narum notitiâ habitâ, pro gregis Dominici commodo, « de illis, si idonei reperti fuerint, Ecclesiis possit utiliùs « providere. »

« Hæc jurisdictionis conferendæ potestas, ait Pius VI « (Brev. 12 apr. 1791), ex novâ disciplinâ à pluribus « sæculis jam recepta à conciliis generalibus, et ab ipsis « concordatis confirmata, ne ad Metropolitanos quidem « potest ullo modo attinere, utpote quæ, illuc reversa « unde discesserat, unicè resideat apud Sedem Aposto- « licam. »

262. Variis tamen temporibus insectata est hæc disciplina :

1° Jam, sæculo decimo quinto, reponebatur inter abusus qui erant tollendi per reformationem Ecclesiæ in Capite et membris : unde concilium Basileense (sess. 12) anno 1433, jubebat ut : « Per *electiones* et confirmationes cano- « nicas, secundùm juris communis dispositionem, Eccle- « siis Metropolitanis et Cathedralibus vacantibus debitè « provideretur » : quæ dispositio inserta fuit celebri Pragmaticæ Sanctioni, quæ in comitiis Bituricensibus edicta fuit.

Sed expetentibus per multos annos SS. Pontificibus, tandem abrogata fuit dicta Pragmatica per Concordatum Leonem X inter ac Franciscum I initum, quo omnino in Galliâ suppressæ fuêre electiones, et jus nominandi Episcopos et Abbates Regi fuit tributum (Concord., tit. 3).

2° Item, anno 1791, Cœtus nationalis, per Constitutionem civilem Cleri Gallicani, antiquas electiones à populo factas restituere conatus est : sed quàm dissimiles forent illæ novæ electiones à veteribus facile est discernere, percurrendo articulos 3, 16, 19 dictæ Constitutionis, quæ ut schismatica, propter hoc et alia, damnata fuit à Pio VI.

3° Tandem Napoleo I, quærens viam quâ posset obtinere institutionem Episcoporum, non obstante oppositione Sedis Apostolicæ, Concilium Parisiis anno 1811 convo-

Quandiu libertate potitum fuit Concilium, sese incompetentes ad solvendam difficultatem declarârunt Patres Concilii; ideòque violenter à Napoleone dissoluta fuit Synodus. Mox verò, iterùm congregatis Episcopis, post incarcerationem quorumdam, emissum fuit à majoritate decretum sequens :

« Les six mois expirés, sans que le Pape ait accordé « l'institution, le métropolitain procédera à l'institution « de l'Évêque. Le présent décret sera soumis à l'approba« tion de N. S. Père le Pape. »

Nihil prætermisit Napoleo quin S. Pontificem, quem detinebat in captivitate, adduceret ad sanciendam præfatam dispositionem : optatum finem se assequi existimavit per Concordatum 25 januar. 1813, cui Pontifex morbo et durâ captivitate debilitatus, subscripsit. At verò, absque longâ morâ, contra hoc Concordatum, vi à se ereptum, strenuè ac magnanimiter reclamavit Pius VII, quod reverà executionem non obtinuit.

Hodie in Galliâ Episcoporum electiones fiunt juxta dispositionem Concordati 1801, cujus articulus quintus innovat in hâc parte dispositiones Concordati inter Leonem X et Franciscum I initi, et cujus tenor hic est :

« Consul Primus ad Episcopales sedes, quæ in posterùm « vacaverint, novos Antistites nominabit; iisque, ut in « artic. præcedenti constitutum est, juxta formas relativè « ad Gallias ante regiminis commutationem statutas, Apos« tolica Sedes canonicam dabit institutionem[1]. »

Per artic. verò 17 conventum fuit, ut præfata dispositio locum non esset habitura in casu quo *aliquis ex successoribus Primi Consulis catholicam religionem non profiteretur.* Similia Concordata cum pluribus aliis regnis catholicis inita fuerunt à SS. Pontificibus.

263. Quærit. 2° Ad quem pertineat Collatio beneficiorum et officiorum quæ à Prælaturis diversa sunt?

[1] Hîc est referenda propositio 50, in Syllabo damnata : « Laica auc« toritas habet per se jus præsentandi Episcopos, et potest ab illis « exigere ut ineant diœcesium procurationem, antequam ipsi canonicam « à Sede institutionem et apostolicas litteras accipiant. »

Resp. Quæstio est expendenda sub duplici respectu : 1° relativè ad jus commune ; 2° relativè ad specialem Ecclesiæ Gallicanæ præsentem statum :

I. Quoad *Jus commune*. Primarius et supremus omnium beneficiorum et officiorum Collator est S. Pontifex : accepit enim ab ipsomet Christo plenam et independentem potestatem pascendi et gubernandi universalem Ecclesiam ; proinde conferendi beneficia et officia ecclesiastica. Unde hoc disciplinæ punctum ad ipsam fidem pertinet, et à nemine catholico negari potest. « Neque prærogativam « hanc et potestatem ullum ei Concilium adimere et « minuere potest, aut etiam Papa concedens Ordinariis « aliisque facultatem conferendi beneficia, se privat aut « privare potest dictâ facultate à Christo acceptâ. » Leuren. *Forum benef.*, part. 2, p. 512.

264. Multiplici modo Papa jus beneficia conferendi exercere valet ; videlicet :

1° *Jure concursûs*, quatenùs concurrit cum cæteris collatoribus inferioribus : semper enim sic concurrere potest, cùm eâ facultate nequeat privari.

2° *Jure devolutionis* : dum ex aliquâ causâ à collatoribus inferioribus ad Papam fit devolutio juris conferendi : casus specialiter contingeret si collatores inferiores neglexissent, intra tempus à jure præfixum, beneficium conferre, vel si contulissent eo modo quem jus irritat et propter quem devolutionem decernit.

3° *Jure præventionis* : dum nimirum, ante vacationem beneficii, Pontifex mandat ut illud, vacatione superveniente, conferatur, vel etiam ipsemet confert determinatæ personæ. Sed quoad hoc punctum, notandum est quòd juxta « Concil Trident. (sess. 24, cap. 19, *De ref.*).... « mandata de providendo, et gratiæ expectativæ, et aliæ « quæcumque gratiæ ad vacatura beneficia sublata sunt, « simul et reservationes mentales quibus Pontifex benefi- « cium aliquod in gratiam alicujus personæ reservabat, « reticito et quasi in mente servato nomine ipsius personæ.. « quæ quidem Tridentini decreta..., per regulas Cancella- « riæ, [Pontifices] curaverunt ut in posterùm religiosè « custodirentur. » Card. Soglia, *Inst. jur. priv.*, § 89.

265. — 4° *Jure reservationis* : dum Papa confert certa beneficia quæ Ipse sibi privativè reservavit.

Cùm de facto Sedes Apostolica uti non soleat jure *concursûs* et *prœventionis* et sufficiant modò dicta de jure *devolutionis*, dicendum nunc tantùm de *jure reservationis*.

Quando S. Pontifex sibi reservavit beneficium pro uno tantùm casu vacationis, ille reservationis modus non dicitur propriè *reservatio* sed *affectio*. Si verò sibi reservaverit quoad omnes in perpetuum vacationes, tunc propriè vocatur *reservatio*.

Juxta Canonistas cœpit S. Sedes hujusmodi reservationes sibi tribuere sæculo XIII.

In Sexto decretalium beneficia quæ *vacant apud Sedem Apostolicam* seu *in Romanâ Curiâ*, reservantur S. Pontifici. Ita cap. *Licet* 2, *De Prœbendis et Dignit.* et cap. *Præsenti* 34, ejusdem tituli. Porro beneficia vacant in Curiâ Romanâ, quando beneficiatus moritur in loco ubi residet Papa vel Cancellaria ejus, aut moritur in loco non plus distanti quàm duabus diætis, idest 40 milliaribus italicis.

Item cessat hæc reservatio si beneficium, intra mensem à die vacationis computandum, non conferatur à S. Pontifice (cap. *Statutum* 3, *De Præb.*, in 6°). — Sed hoc extendi non debet ad cæteras reservationes infrà recensendas, juxta Card. Sogl. (*Inst. jur. priv.*, § 90).

Per primam regulam Cancellariæ, Sedi Apostolicæ reservantur omnia beneficia quæ ab Ordinariis aliisque collatoribus, contra prærciptam à Tridentinâ Synodo formam, collata sunt.

266. Juxta Card. Soglia (*Inst. jur. priv.*, § 90), « sunt « quinque reservationum genera : namque beneficia reser- « vantur vel *ratione qualitatis* ipsorum beneficiorum, qua- « lis est reservatio Episcopatuum, Primarum Dignitatum « et beneficiorum majorum ; vel *ratione personarum* « eadem beneficia obtinentium, uti beneficia Cardinalium, « Curialium et Sedis Apostolicæ Officialium ; vel *ratione* « *modi* quo vacant, veluti beneficia vacantia ob privationem, « depositionem, collationem alterius incompatibilis ; vel « *ratione loci* ubi vacant, cujusmodi est reservatio vacan- « tium apud S. Sedem aut in Curiâ; vel denique *ratione*

« *temporis* quo vacant, unde orta distinctio inter menses « papales et ordinarios.

Inter beneficia, in Curiâ romanâ vacantia, solæ parochiales ecclesiæ in Curiâ vacantes post obitum Pontificis, aut, eo vivente, vacantes et non collatæ, à reservatione eximuntur, quia Bonifacius VIII, cap. 35, *De Præbend.*, in 6°, earum sic vacantium collationem Ordinariis non ademit.

267. Post Romanum Pontificem, nobiliorem locum inter collatores obtinent Episcopi et locorum Ordinarii : sic enim habent can. *Regenda* 4, causa 10, q. 1 : « Regenda « est unaquæque Ecclesia, sub *provisione* ac tuitione, « Episcopi, per sacerdotes vel cæteros clericos quos ipse « cum Dei timore provideret » ; et can. *Nullus* 2, causa 16, q. 7 : « Nullus omninò Archidiaconus aut Archipres- « byter... animarum curam, vel præbendas Ecclesiæ, sinè « judicio vel consensu Episcopi, alicui tribuat : imò, sicut « sanctis canonibus constitutum est, animarum cura... in « Episcopi judicio et potestate permaneat. » V. insuper cap. *Conquerente*, *De Officio*, et cap. *Ex frequentibus*, *De Instit.*

Ex quibus inferendum est quòd, quando beneficium vacans, neque est reservatum Sedi Apostolicæ, neque ullus alius probare potest jus suum illud conferendi, eo ipso ipsius collatio ad Episcopum pertinet.

Præter Episcopos et Ordinarios sunt insuper alii, qui ex indultis vel legitimâ consuetudine, saltem jure delegato, beneficia vel officia conferunt.

Ut certum nunc habetur canonicatuum et præbendarum Cathedralis collationem *regulariter* ad Episcopum simul et Capitulum pertinere (Bouix, *De Capitulis*, p. 224). Jure autem communi jus eligendi Canonicos in Collegiatis ad Capitulum spectat ; jus verò instituendi, ad Episcopum. Decisum à Rotâ, ap. Bouix, *De Capit.*, p. 264.

Nominatio verò Vicarii perpetui Curati in Cathedralibus pertinet ad Capitulum, approbatio verò ad Episcopum.

Jure communi ad Episcopum pertinet Theologalis et Pœnitentiarii electio in Capitulis.

268. II. Hæc quidem de jure communi : deveniendo

nunc ad partem responsionis quæ spectat præsentem Ecclesiæ Gallicanæ statum, nempe à tempore Concordati 1801.

Dicimus : 1° Ad Episcopos, absque ullâ ad Sedem Apostolicam vel ad alios reservatione, pertinere parochiarum collationem. Sic enim legitur in Concordato 1801, art. 10 : « Episcopi ad parœcias *nominabunt*, nec personas seligent, « nisi Gubernio acceptas. »

Porrò hæc vox *nominabunt* non intelligenda est tantùm de simplici *nominatione*, sed etiam *de verâ collatione*, quia in Galliâ hunc sensum habet vox *ils nommeront*, quæ adhibita fuit in priori Concordati redactione. Hoc constat ex decreto Card. Caprara 9 apr. 1802, executorio Concordati, ubi dicitur : « Neque ullus, præter novos parochos « ... à novis Antistibus *institutos*, illarum ecclesiarum « parochus... haberi.... ampliùs possit. » Vide insuper quibus verbis idem Cardin. Legatus utebatur in singulis decretis erectionis diversarum diœcesium, conferendo Episcopis *collationem* parœciarum. Et sic res à 77 annis intellecta fuit et nunc intelligitur. Id etiam concludi potest ex analogiâ cum Concordato inito, quatuor post annis, inter eumdem Pium VII ac Napoleonem I pro Republicâ Italicâ. Inibi enim legitur : « Sanctitas Sua concedit Epis- « copis jus conferendi parœcias, quæ quovis anni tempore « erunt vacaturæ. »

Quod de Galliâ dicitur, extendendum etiam est ad eas regiones, quarum Ecclesiæ juxta dictum Concordatum 1801 reguntur, prout, v. g. Belgium.

Quoad alia beneficia, ex decretis erectionis singularum diœcesium, deduci posse videtur quòd Cardin. Caprara voluerit ut adhuc vigerent reservationes quæ apud nos exstabant. Sed illæ reservationes non ampliùs fuerunt observatæ à tempore Concordati. Unde, non solùm Canonicos, Primas Dignitates soli Episcopi Galliæ nominant, sinè concursu Capituli aut indulto Pontificio, sed etiam sic pariter soli nominant Vicarios Curatos Cathedralium unitarum Capitulis.

Utrum autem hoc legitimè fiat in diœcesibus ubi adest consuetudo quadragenaria, dubitat D. Bouix (*De Capitul.*,

p. 257-260) ; quia, inquit, hæc consuetudo carere videtur conditionibus omninò requisitis ut legitima sit ; nempe quòd introducta fuerit ex *certâ scientiâ et per actus liberos* : nonnisi enim propter ignorantiam sui juris contra illam reclamare sese abstinuerunt canonici.

In gratiam tamen Episcoporum dici posset , quoad Vicarios Curatos Cathedralis , quòd Concordatum, sinè distinctione , Episcopis solis tribuat nominationem ad *quascumque parœcias* ; et si res dubia remaneret, explicanda videtur per consuetudinem quæ est optima legum interpres , præsertim cùm non reclamet S. Sedes , quæ certè talem consuetudinem non ignorat ; consensus autem etiam tacitus S. Sedis legitimat consuetudinem quamvis non quadragenariam (98). Quòd autem S. Pontifex non ignoret præfatam consuetudinem , constat ex actis Concilii Remensis anno 1850, ubi dicitur : « Quorum (Canonicorum) « unus *ab Episcopo* demandatur ad regimen animarum , « qui et ab eodem revocari potest, retento canonici titulo » (p. 107). Adde non constare quòd consuetudo debeat introduci ex certâ scientiâ, juxta dicta supra (80).

Præterea, juxta declarationem S. Congr. Concilii anni 1593, nominatio *vicariorum sæcularium ad tempus* (seu revocabilium) *in beneficiis unitis*, spectat *ad Episcopum* , et quidem vi Conc. Trident., sess. 7, cap. 7 , *De reform.* Porrò, in Galliâ, vicarii curati Cathedralium unitarum sunt amovibiles, et ab Episcopo revocantur. Ergo, etc.

Vi præfati decreti Concilii possent etiam Episcopi nominare vicarios perpetuos in Cathedralibus Capitulis unitis; sed in hoc Concil. Trident., per Bullam S. Pii V, *Ad exequendum* fuisse reformatum tenent DD. et S. Congregatio.

269. Major difficultas adesse videtur pro nominatione Canonicorum et Primæ Dignitatis in singulis Capitulis, quam etiam soli Episcopi peragunt in Galliâ per totum annum, quamvis nihil in Concordato reperiatur quòd illis tribuat hujusmodi facultatem. Imò à Cardinali Legato non fuerunt delegati Antistites Galliæ ad erigenda Capitula *nisi juxta præscriptum sacrorum conciliorum, juxta formam à sacris canonibus conciliisque præscriptam et ab Ecclesiâ hùc usque servatam*, et quod magis decretorium est, non videntur

Episcopi, etiam primâ vice, elegisse Dignitates et Canonicos sui Capituli, nisi virtute indulti S. Sedis, prout constat de diœcesi Cenomanensi, ap. Bouix (*De Capit.*, p. 666). Sed adhuc allegari potest in gratiam Episcoporum quòd S. Sedes illam agendi rationem cognoscat, et tamen, per suum silentium, videatur habere Canonicos ut legitimos et legitimas pariter Primas Dignitates, in Galliâ existentes.

270. Capellani Monialium non exemptarum, quales sunt hodie ferè omnes in Galliâ, nominari debent ab Episcopis.

Pro capellanis hospitiorum, generatim observatur decretum regium 31 oct. 1821, art. 18 : « Les aumôniers « sont nommés par les Évêques diocésains, sur la présen- « tation de trois candidats par les commissions adminis- « tratives. » Non tamen, sinè aliquâ usurpatione spiritualis auctoritatis, hæc facultas capellanum præsentandi dictæ commissioni administrativæ tributa fuit.

Usurpatio adhuc major videtur in regulis 30 oct. 1841, art. 40, ubi dicitur, quoad institutionem capellanorum carcerum : « Un aumônier, *nommé par le Préfet*, sur la pro- « position de l'Évêque, est attaché à la prison. » V. *Législation civ. eccl. d'André*, v° *Aumônier des prisons*. Illi enim capellani solâ auctoritate ecclesiasticâ constitui possunt.

Quoad capellanos collegiorum, dicitur pariter, in regio decreto 8 apr. 1824, quòd à Ministro Instructionis publicæ *nominentur*; sed patet quòd necessariò missionem et facultates, necessarias ad suum munus obeundum, ab Episcopis recipere debeant.

Capellani militum magis canonicè à legibus instituuntur. Suppressi quidem fuerant decreto Regis 20 novemb. 1830, excepto casu quo, in præsidiis vel in castris, clerus parochialis huic ministerio non esset sufficiens; sed postea, restituti fuêre primùm capellani pro servitio rei nauticæ, pro quo constitutus fuit apud Ministrum Capellanus Primarius, cujus officium est ordinare et dirigere servitium spirituale in navibus. Hoc peractum fuit præsertim per decretum 31 Martii 1852.

Tandem, 17 jun. 1857, prodiit Decretum Napoleonis III, acceptans Breve Apostolicum *Quæ superni* 31 martii præce-

dentis, quo in Galliâ restituitur Supremus Eleemosynarius (*le Grand Aumônier*), et omnia ordinantur quæ ad cultum divinum et curam pastoralem pertinent, in domo imperiali et variis palatiis et residentiis imperialibus.

Juxta præfatum Breve, ab Imperatore deligendus est Supremus Eleemosynarius, qui deinde potest constituere, in locis præfatis, sacerdotem qui ejus nomine exerceat functiones parochiales.

Ex eodem Brevi, Supremus Eleemosynarius facultatem habet conferendi jurisdictionem necessariam, et varia privilegia in eodem enumerata, Capellanis militum, pro tempore quo extra regiones imperialis ditionis copiæ versantur, nisi tamen Romæ aut in Statu Pontificio exercitus inveniretur.

In ditione verò imperiali, capellani militum approbari et jurisdictionem accipere debent à respectivis Ordinariis locorum, in quibus copiæ commorantur. Dictum Breve nihil explicitè continet quoad nominationem hujusmodi capellanorum.

Nec idem Breve videtur posse extendi ad capellanos rei nauticæ, de quibus omnino silet. Sic autem habet de ejusmodi capellanis decretum imperiale 31 martii 1852 : « Art. 4. L'Aumônier en chef s'entendra avec les Évêques « pour le choix des ecclésiastiques destinés à être embar- « qués sur la flotte. Il les désignera ensuite au Ministre de « la marine.—Art. 5. Les aumôniers de mer continueront « à recevoir leurs pouvoirs spirituels de l'Évêque du dio- « cèse duquel ressortit le port d'embarquement. »

271. Quærit. 4° Intra quodnam tempus conferenda sint beneficia seu officia ecclesiastica?

Resp. Sic statui à Concilio Lateran. III : « Cùm præben- « das ecclesiasticas, seu quælibet officia in aliquâ ecclesiâ « vacare contigerit, non diù maneant in suspenso : *sed* « *intra sex menses* (pro sedibus episcopalibus vide supra « 254, 250), personis quæ dignè administrare valeant, « conferantur. Si autem Episcopus.... conferre distulerit, « per Capitulum ordinetur... Si omnes fortè neglexerint, « Metropolitanus de ipsis secundùm Deum absque illorum « contradictione disponat. » (Cap. *Nulla* 2, *De Conc.*

Præb.) Non autem in usu videtur esse hodie quòd Capitula, officiis vacantibus, ob Episcoporum negligentiam provideant.

272. *Nota* quòd ad Episcopum collatorem spectet mittere in possessionem per seipsum aut per delegatum. « Cæ« terùm, inquit Cardin. Soglia (*Inst. jur. privat.*, § 96), « qui possessionem tradit, clericus sit oportet, aut etiam « Notarius, qui tamen à Sede Apostolicâ vel ab Episcopo « creatus sit; sæpe verò ac ferè semper presbyter in pos« sessionem immittit, et Notarius de hâc immissione « instrumentum conficit, præsentibus saltem duobus « testibus.

« Possessio beneficii traditur vel ipsi beneficiario præ« senti, vel ejus procuratori speciale mandatum habenti; « et quanquam certa forma capiendæ possessionis nullo « jure sancita sit, aliqua tamen externa signa usu recep« ta sunt, quibus possessionis traditio et acceptio signifi« caretur. Igitur possessio arripitur per ingressum in « Ecclesiam, ubi est titulus beneficii, occupando sedem « convenientem, veluti stallum in choro, aut campanam « pulsando, altare osculando, missale aperiendo vel clau« dendo, aliaque id genus agendo quæ officium et potes« tatem beneficiati significent. Canonicatûs autem et Præ« bendæ capitularis possessio coram Capitulo accipienda « est. »

§ III.

De qualitatibus in promovendis ad Dignitates vel officia ecclesiastica requisitis.

273. In promovendis ad Prælaturas et ad alia officia ecclesiastica tres generatim qualitates à Cap. *Cùm in cunctis* 7, § 1, *De Elect.*, requiruntur, videlicet *ætatis maturitas, gravitas morum, et litterarum scientia* : « Cùm in cunctis « sacris ordinibus et ecclesiasticis ministeriis, sint *ætatis* « *maturitas*, *gravitas morum*, *et scientia* requirendæ, « multò fortiùs in Episcopo, hæc oportet requiri. » His dotibus duæ aliæ adjiciuntur à Glossâ, nempe quod promovendus sit legitimè natus, et quòd constitutus sit in sacris

ordinibus; de electo Episcopo Glossa loquitur. Vide adhuc Conc. Trident., sess. 7, c. 1, *De reform.*

274. — 1° *Ætatis maturitas.* Pro quocumque beneficio ecclesiastico obtinendo, ad minimum requiritur ætas anni decimi quarti inchoati : « Nullus, inquit Trident. « (sess. 23, c. 6, *De reform.*), ante decimum quartum « annum beneficium possit obtinere. » — In promovendis autem ad regimen parœciarum requiruntur 25 anni ad minus inchoati. Ita cap. *Licet* 14, *De Electione*, in 6°, et Concil. Trident., sess. 7, cap. 3. At circa hoc, nota quòd ex eo quòd alicui concessa fuerit dispensatio super ætate ad recipiendos ordines, non ideo pariter cum eo dispensetur ad recipiendum parochiale beneficium.

Nota insuper pro Galliâ, quòd hoc non sit applicandum succursalium deservitoribus ; quia succursales in Galliâ non habentur ut beneficia strictè dicta ; aut saltem de hoc non benè constat.

Ut quis in Episcopum eligi possit, requiruntur 30 anni completi, ex cap. citato *Cùm in cunctis*, § 1. Huic consonat art. 16, legis organicæ.

Collatio facta non habenti ætatem requisitam, est omninò invalida, etiamsi desierit modicum tempus, etiam unica hora.

275. — 2° *Gravitas morum*, et talis quidem quæ 1° excludat vitia, ea potissimum quæ scandalum generant, ut sunt luxuria, ebrietas, etc. ; 2° quæ sit ornata virtutibus ædificationem generare valentibus.

Excluduntur ergo irregulares, excommunicati, aut aliâ censurâ irretiti, infames, qui essent privati voce passivâ, quales sunt, qui non servant interdictum, vel qui simoniacè promoventur, cap. 1, *De Postul. Præl.*, et cap. *Nobis fuit* 27, *De Simoniâ*; vel rejecti ab electione, cap. *Super eo*, 12, *De Elect.*

276. — 3° *Litterarum scientia.* — Triplex autem scientia distingui potest : *eminens*, *mediocris* et *sufficiens*.

Eminens dicitur quando quis in promptu, absque librorum revolutione, scit explicare etiam quæstiones difficiles.

Mediocris est per quam difficiles quæstiones resolvuntur, cum deliberatione tamen et inquisitione in libris.

Sufficiens seu competens vocatur ea per quam quis potest explere ea quæ ad officium suum pertinent, habitâ ratione loci et personarum.

Generatim loquendo, certum est, ad Prælaturas et officia ecclesiastica, tantam requiri scientiam seu rerum agendarum notitiam, quanta est necessaria et sufficiens ad ritè explendum munus suum : « Quia tu scientiam repulisti, « repellam te, ne sacerdotio fungaris mihi. » (Osee, c. 4, v. 6.) Non tamen absolutè requiritur eminens etiam in Episcopis : sic enim habet cap. *Nisi cùm pridem*, § *Pro defectu*, *De Renunt.* : « Quanquam, et desideranda sit « eminens scientia in Pastore, in eo tamen sit compe- « tens toleranda : quia secundum Apostolum, *scientia* « *inflat*, *charitas autem ædificat* ; et ideo imperfectum « scientiæ potest supplere perfectio charitatis. » Vide etiam Concil. Tridentin., sess. 22, cap. 2, *De reform.*

Quoad alia officia requiritur pariter scientia quæ sit saltem sufficiens, juxta naturam officii, si præsertim ei adjungatur cura animarum; et aliquando etiam requiritur gradus academicus, nempe pro Episcopis, Vicariis capitularibus, Theologali, etc. Vide nostrum *Manuale*, n° 472.

277. 4° *Thorus legitimus.* Id constat ex titulo *De filiis presbyt.* et titulo *Qui filii sint legitimi* ; constat etiam ex Concil. Trident., sess. 7, c. 1.

Si quis illegitimus dispensationem obtineret ad recipiendos sacros ordines, non ideò poterit ad Episcopatum promoveri, sed novâ indiget Sedis Apostolicæ dispensatione.

Item requiritur ut electus in Episcopatum sit e parentibus catholicis oriundus. Ita Const. *Onus Apostolicæ* Greg. XIV, 1 maii 1590.

278. 5° *Ordo seu status clericalis.* Ex jure communi, ad beneficium simplex sufficit prima tonsura (cap. *Ex litteris* 6, *De Transact.*); nisi agatur de Canonicatibus, pro quibus requiritur ordo sacer, ex Concil. Trident., sess. 24, c. 12, *De Ref.*

Sufficit etiam prima tonsura pro adipiscendo parochiali beneficio (cap. *Si pro clericis* 8, *De Præbendis*, in 6°), sed talis promotus debet *intra annum, a die adeptæ possessionis*

computandum, *presbyteratûs* ordinem recipere (cap. *Licet.* 14, *De Elect.*, in 6°).

Nemo eligi potest in Episcopatum, nisi sit saltem subdiaconus (cap. *A multis* 9, *De ætate*), etiam à sex mensibus, juxta Concil. Trident., sess. 22, c. 2, *De ref.*

279. Quærit. 1° Utrum stricta sit obligatio ad officia ecclesiastica dignum eligendi?

Resp. Affirmativè. Ita DD. unanimiter ex capite *Grave nimis* 29, *De Præb.* : « Grave nimis est, inquit Alexan-« der III in Concilio generali, et absurdum quòd quidam « Ecclesiarum Prælati, cùm possint viros idoneos ad eccle-« siastica beneficia promovere, assumere non verentur « indignos, quibus nec morum honestas, nec litterarum « scientia suffragantur, carnalitatis sequentes affectum, « non judicium rationis. Unde quanta Ecclesiis damna « proveniant, nemo sanæ mentis ignorat. » His concordat Concil. Trident., sess. 14, c. 3, *De ref.*

Porrò per indignos intelligendi sunt ii quibus saltem deest una ex qualitatibus supra enumeratis.

280. Quærit. 2° An promotio indigni sit irrita?

Duplici modo actus potest esse irritus : ipso quidem jure et ante omnem sententiam, et post sententiam tantùm, in quo casu actus non est præcisè irritus sed irritandus. Quæritur ergo utrum promotio indigni sit ipso jure irrita, aut solùm irritanda?

Resp. Aliquando indigni promotionem esse irritam, aliquando duntaxat irritandam. Quandonam verò irrita sit, quandonam solùm irritanda, hoc ex verbis quibus lex utitur est judicandum. — Juxta cap. *Dudum* 22, *De Elect.*, in triplici præsertim casu irrita videtur promotio : nempe si promotus, « electionis tempore pateretur, vel in ordi-« nibus vel in scientiâ, vel in ætate defectum. » Item, juxta Concil. Trident., sess. 5, cap. 5, de Theologali, dicitur : « Præbenda, præstimonium... hujusmodi, nonnisi personis « idoneis... conferantur... et aliter facta provisio *nulla sit* « *et invalida.* »

Nulla est collatio, excommunicato facta, beneficii et etiam Dignitatum habentium jurisdictionem, prout Episcopatûs, Prioratûs, etc., uti et præsentatio, vel electio, ins-

titutio et confirmatio, nisi in concessione excommunicatus absolvatur ad effectum provisionis consequendum.

Juxta veriorem sententiam, hoc etiam de excommunicato tolerato intelligendum est. Ità S. Liguor., lib. 7, nº 181.

Dubitatur autem an beneficium validè, quamvis illicitè, suspenso conferatur. S. Liguor. (lib. 7, nº 316, dub. 3) ut probabiliorem habet sententiam affirmantem.

Item dubitatur an collatio beneficii sit ipso jure nulla, quando est facta in gratiam illius qui jam est irregularis : sententia communior affirmat. Vide ipsius momenta ap. S. Liguor. (*ibid.*, nº 343).

Quando autem irrita est beneficii collatio, ipsius fructus malâ fide percepti sunt restituendi, imò etiam restituendi sunt fructus bonâ fide percepti, nisi etiam bonâ fide consumpti fuerint, aut retineri possint ob laborem ; et hoc est applicandum statui præsenti Galliarum , non obstante art. 549 codicis civilis nostri, etsi quidam negent.

Hîc autem notanda est regula XXXVI Cancellariæ Romanæ : « Si quis quæcumque beneficia, absque simoniaco « ingressu, aut apostolicâ aut ordinariâ collatione, aut « electione, per triennium, pacificè possiderit, super ejus- « modi beneficiis molestari nequeat. » Communiùs canonistæ dicunt hanc regulam valere, tàm in foro interno quàm externo, modò sit bona fides, titulus coloratus, et ablata fuerit causa incapacitatis, v. g. irregularitas, censura, etc.; in eodemque casu legitimari per præfatam regulam retentionem fructuum.

281. Quærit. 3º An sufficiat eligere dignum ad Prælaturas, aut alia beneficia vel officia ecclesiastica?

Resp. Pro Prælaturis et beneficiis parochialibus, certum est non sufficere eligere dignos, et « nullo modo excusari « à peccato mortali eos qui promovent minus dignos » (S. Lig., lib. 4, nis 91, 92). Nititur ea sententia præsertim verbis Concil. Trident., sess. 24, cap. 1, *De reform.*, ubi dicitur : « Alienis peccatis communicantes *mortaliter peccant*, « qui, nisi quos *digniores et Ecclesiæ magis utiles* ipsi « judicaverint... præfici diligenter curaverint. »

« Ex quo patet, inquit S. Liguor. (*ibid.*, 91), peccari

« graviter Pontifices et Reges, qui ad præfatas Dignitates « non digniores promovent. »

Idem dicit D. Bouix (*De Episcopo*, t. 1, p. 312) de Ministro cultuum, qui in Galliis nominandos Imperatori proponit, et de Episcopis qui à gubernio consuluntur, nisi eos suggerant quos digniores et Ecclesiæ utiliores existimant.

Pravam verborum Concilii Trident. interpretationem à nonnullis datam, Innocent. XII, decreto 9 Martii 1679, damnavit in sequenti propositione : « Cùm dixit Concil. « Trident., eos alienis peccatis communicantes peccare, « qui, nisi quos digniores et Ecclesiæ magis utiles, ipsi « judicaverunt, ad Ecclesias promovent : Concilium vel « 1° videtur per hoc *digniores* non aliud significare velle, « nisi dignitatem eligendorum, sumpto comparativo pro « positivo ; vel 2° locutione minùs propriâ ponit digniores « ut excludat indignos, non verò dignos ; vel tandem lo- « quitur 3° quando fit concursus. »

Quoad verò alia beneficia simplicia aut officia ecclesiastica quibus non subest cura animarum, controvertitur utrum sit peccatum mortale illa conferre dignis, omissis dignioribus : affirmantem sententiam S. Liguor. (lib. 4, n° 93) communiorem et probabiliorem vocat, adjiciendo quasdam limitationes quæ legendæ sunt n^is^ 94-95, etc.

Porrò per *dignos*, respectu beneficii vel officii ecclesiastici, intelligendi sunt qui habent sufficienter omnes qualitates jure requisitas ad munus obeundum. *Digniores* verò censentur qui, comparatione aliorum, majorem sufficientiam aptitudinemque ad ministrandum habere dignoscuntur.

« Et quidem isthæc major sufficientia dignitasque, inquit « Reiffenstuel (lib. 1, t. 6, n° 236), non præcisè mensu- « randa est ex majori doctrinâ, vel majori vitæ probitate, « aut generis nobilitate, sed conjunctim ex omnibus animæ « et corporis dotibus, ipsâque aptitudine ad regendum ; « adeo ut, omnibus his insimul consideratis, Ecclesiæ... « cui præficitur, cæteris utilior fore credatur. Unde « S. Thomas, 2, 2, q. 185, art. 3... sic inquit : « *Et ideo* « *ille qui debet aliquem eligere in Episcopum, vel de eo* « *providere, non tenetur assumere meliorem simpliciter;*

« *quod est secundùm charitatem, sed meliorem quoad regi-*
« *men Ecclesiæ, qui scilicet possit Ecclesiam et instruere*
« *et defendere et pacificè gubernare.* »

282. Quærit. 4° Utrum valida sit electio digni, digniore prætermisso?

Resp. cum S. Liguor. (lib. 4, n^is 102 et 103) : « Si bene-
« ficium est simplex, certum est valere, ex communi DD...
« Dubium est si sit curatum... Affirmant... probabiliùs
« Lugo, etc. »

283. Quær. 5° An teneantur ad restitutionem eligentes dignum, omisso digniore?

Resp. Quæstionem hanc esse controversam ; de eâ, vide S. Liguor. (*ibid.*, n^is 106-110), qui plures casus discutit. In casu autem concursûs, sententia affirmans communiùs tenetur, et est valde probabilior.

284. Quærit. 6° An et quales pœnas incurrant eligentes indignum?

Respondet Reiffenstuel (lib. 1, t. 6, n° 262) : « Eligentes
« scienter indignum in Episcopum vel eo superiorem, sunt
« ipso jure à beneficiis ecclesiasticis suspensi per trien-
« nium. Ita habet expressum cap. *Cùm in cunctis*, 7,
« § *Clerici*, *De Elect.* » In aliis electionibus præfata pœna locum non habet. Suppressa est dicta susp. C. *Ap. Sed.*

CAPUT III.

DE CESSATIONE ET RESTRICTIONE JURISDICTIONIS ECCLESIASTICÆ.

ART. I.

DE CESSATIONE JURISDICTIONIS DELEGATÆ.

285. Variis modis cessare potest jurisdictio delegata :

1° *Renuntiatione* delegati, quæ sit tamen à superiore acceptata, ut constat ex cap. *Licet*, *De Procur.*, in 6° : « Licet is, qui procurator instituitur ab absente, dixerit se « nolle suscipere mandatum, quamdiu constituens in eâ

« perstiterit voluntate, ipsum acceptare valebit, quando-
« cumque placebit. »

2° *Revocatione*, quæ pro arbitrio à delegante fieri potest; in quo nota propositionem à Clero Gallicano, anno 1700, damnatam : « In ministro Pœnitentiæ requiritur appro-
« batio Ordinarii, quæ potest limitari, sed non revocari
« sinè causâ. »

Revocatio tamen non parit effectum, nisi notificetur delegato, prout constat ex cap. *Audita*, *De restit. spol.* :
« Quia non intelleximus nec intelligi debuit, ut revocare-
« tur quod per vos factum esset auctoritate Litterarum nos-
« trarum, mandamus quatenus sententiam quam protu-
« listis *ante posteriorum Litterarum receptionem*, *occasione*
« *ipsarum nullatenus revocare tentetis.* »

3° *Lapsu temporis*, si, nempe, pro tempore determinato data fuerit. Cessat pariter finito negotio pro quo fuit concessa, ut constat ex cap. *In litteris*, *De offic. jud. deleg.*

Notandum hîc est quòd jurisdictio data cum clausulâ : *usque ad beneplacitum*, per mortem concedentis expiret, ex cap. *Si gratiosè*, *De Rescriptis*, in 6° : quia per obitum extinguitur beneplacitum. Contra tamen sentit D. Bouix, de privilegiis ab Episcopo concessis (*De Regul.*, t. 2, p. 249); et S. Liguor. (*De Privil.* XIII) *velut probabile* reputat quòd privilegia sub conditione, *donec voluero*, concessa, non cessent per mortem concedentis. Certè tamen per mortem Papæ non cessat jurisdictio data sub clausulâ, *usque ad beneplacitum S. Sedis*, vel, *donec revocavero*, quia mors non est actus revocationis.

286. Quærit. 1° Utrum et quatenus jurisdictio delegata cesset per mortem delegati, aut per ejus quamlibet mutationem?

Resp. Dicunt communiter auctores, loquendo de privilegiis, quòd si privilegium sit personale, cesset per mortem privilegiati; si verò sit reale, transeat ad hæredes seu successores illius. Id conforme est regulæ juris 7, in 6°, quæ sic se habet : « Privilegium personale personam se-
« quitur et extinguitur cum personâ. »

Non cessat tamen delegatio personalis per quamlibet delegati mutationem, sed ordinariè ipsius personam sequi-

tur, etiamsi sit delegatus à Papâ et amiserit Dignitatem quæ ad talem delegationem requiritur, nisi eâ privatus fuerit in pœnam delicti, vel nisi amiserit transeundo ad statum incompossibilem, v. g. matrimonium contrahendo, aut ingrediendo religionem in cujus constitutionibus prohibeatur delegatarum causarum cognitio. Ratio patet: cùm enim talis delegatio sit personalis, debet sequi personam, nec extinguitur nisi extinctâ personâ. Difficultas in hoc puncto est posse discernere quandonam delegatio sit personalis, quandonam verò sit realis. Ad hoc discernendum, inquit Sanchez (lib. 8, disp. 37, nº 3) : « Non principaliter « spectandum... an delegatio fiat expresso nomine delegati, « an expressâ ejus dignitate : sed hanc considerationem esse « ultimum remedium, quando nempe ex subjectâ materiâ, « vel ex aliis verbis in dispensatione contentis deduci nequit. « Quare priùs sunt alia verba et subjecta materia perpen- « denda ; et quando, illis perpensis, res adhuc dubia ma- « net, id dijudicandum ex nominis proprii delegati aut « ejus dignitatis expressione. » Et si in delegatione exprimantur simul nomen proprium delegati et nomen dignitatis, qualecumque primum exprimatur, tunc, juxta Sanchez (*ib.*, nº 20), qui tamen tres alias sententias refert, delegatio habenda est ut personalis, supposito semper quòd ex aliis circumstantiis secus non sit judicandum.

« Si verò, inquit Reiffenst. (lib. 1, tit. 29, nº 129), pen- « satis omnibus, adhuc remaneat dubium an facta delegatio « sit personalis vel realis, tunc ejusmodi delegatio cen- « senda est personalis, seu intuitu personæ concessa, ac « proindè non transiens ad successorem...: ratio est quia « jurisdictio delegata est odiosa et strictè interpretanda. »

Si parocho cuidam concederentur facultates extraordinariæ, v. g. absolvendi à quibusdam casibus reservatis, etiam modo indefinito, non inde concludendum esset illas facultates post mortem ipsius aut mutationem fore transituras ad ipsius successorem ; quia ex usu non intelliguntur concessæ nisi tali parocho, quamvis non suo nomine designaretur. Item facultates à S. Sede concessæ Episcopis dispensandi in certis impedimentis, aut communicandi confraternitatibus indulgentias, aut alia similia per unum

aut plures annos, non transeunt ad Capitulum, nec ad successorem, et ità in praxi servatur.

Reverà, quoad facultatem dispensandi ab Apostolicâ Sede delegatam, Episcopis aut eorum Vicariis Generalibus pro determinatis casibus, dubitari posset : 1° utrum tales delegationes sint personales; 2° utrum, etiamsi essent reales, censeantur commissæ Vicariis Capitularibus : id est, utrum Vicarii Capitulares vocari possint successores Episcoporum aut eorum Vicariorum Generalium. In Gallià multi tenent tales delegationes esse reales, et executioni, mortuis Episcopis, posse mandari à Vicariis Capitularibus. Ità Carrière, *De Matrim.*, n° 1142; Lequeux, n° 113, quibus consentit ipsemet Sanchez, *De Matrim.*, lib. 8, disp. 27, n° 33. Aliter autem sentiunt multi extranei, varias allegantes Congregationum Romanarum declarationes. Id ut certum etiam docere videtur Bened. XIV, *De Syn.*, lib. 2, cap. 9, n° 3. « Ideo, inquit, Vicarius Capitularis exequi « nequit præfatas Litteras, quia istæ directæ sunt Episcopo « vel Episcopi Vicario Generali; et Capitularis, quanquam « exerceat episcopalem jurisdictionem, non tamen est « Episcopus aut Vicarius Generalis Episcopi. »

Quoad delegationem transitoriam à Papâ factam Episcopo pro aliquo negotio particulari, communi sensu docent canonistæ illam cum Episcopo extingui, nec transire ad Capitulum.

287. Quærit. 2° An et quatenus cesset delegatio per delegantis mortem aut ipsius quamlibet amotionem?

Resp. Vel agi de foro contentioso, vel de gratioso :

In primo casu, expirat jurisdictio delegata, si, re adhuc integrâ, è vivis excedat delegans, aut aliquo alio modo suum officium amittat. Constat ex variis juris capitibus, prout cap. *Licet*, *De offic. deleg.* Res verò desinit esse integra per citationem, ut communiùs tenetur ex cap. *Relatum*, *De offic. deleg.*, vel saltem per litis contestationem, ex cap. *Gratum*, *de cod.*

In secundo casu, si delegatio alicui data habenda sit ut gratia facta, non expirat morte aut mutatione delegantis, ut constat ex cap. *Si cui*, *De Rescriptis*, in 6°. et regulâ 16 juris in 6°, ubi dicitur « *Decet concessum à principe bene-*

« *ficium esse mansurum.* » — Si verò habenda sit ut gratia facienda, nempe si non in recipientis commodum sit præstita, sed duntaxat in alterius favorem, tunc, re integrâ, cessat jurisdictio per delegantis mortem aut mutationem.

Delegatio verò habetur ut gratia facta, quoties alicui datur pro personis indeterminatis (cap. *Si cui, De Præbend.*, in 6°); quia sic habere potestatem conferendi aliis gratiam est vera prærogativa. Si autem persona, in cujus favorem jurisdictio est exercenda, determinatur, tunc jurisdictio adhuc quidem est censenda gratia facta, si delegatus haberi debeat velut necessarius executor prout contingit quando à S. Sede obtinetur dispensatio super impedimento matrimonii, facta enim est tunc gratia ei cum quo est dispensandum, unde delegatio non cessat tunc morte Pontificis. Si verò delegatus non sit necessarius executor, si videlicet possit pro arbitrio personæ determinatæ impertiri vel denegare gratiam, delegatio tunc non est gratia facta, sed potius facienda, et, re integrâ, per mortem vel mutationem delegantis cessat.

ART. II

DE CESSATIONE JURISDICTIONIS ORDINARIÆ ET VACATIONE OFFICIORUM ECCLESIASTICORUM.

288. Multiplici modo vacare possunt officia ecclesiastica et proinde jurisdictio ordinaria. Non solùm enim vacant per mortem, sed etiam, 1° per dimissionem; 2° per translationem; 3° per privationem aut revocationem; 4° per quosdam alios eventus infra recensendos.

§ I.

De dimissione seu renuntiatione officiorum ecclesiasticorum.

289. Dimissio quæ vocatur etiam *renuntiatio, resignatio, cessio*, est *spontanea officii ecclesiastici derelictio, facta coram legitimo Superiore eam acceptante.*

Dividitur in *tacitam* et *expressam. Tacita* est ea quæ fit facto resignationem significante, vel ex dispositione juris

eam importante absque aliâ verborum prolatione; si, v. g. clericus beneficiarius, in minoribus constitutus, contrahat matrimonium, ipsius beneficium ipso jure vacat (c. 1 et 3, *De Cler. Conj.*). Item censetur suum beneficium abjicere si factus sit miles; si religionem solemniter profiteatur (cap. *Beneficium 4, De Regul.*, in 6°), vel si recipiat aliud beneficium incompossibile cum priore, cap. *Multa* 28, *De Præb.*; et Extrav. *Execrabilis*, eod. inter Communes.

Expressa ea dicitur quæ fit expressis verbis aut scriptis; quæ iterum duplex est : *pura* quæ absque ullâ conditione; et *conditionalis* quæ fit sub aliquâ conditione : ut, v. g., si dimittatur beneficium eâ tantùm conditione ut determinatæ personæ conferatur, quod propriè est *resignatio in favorem*, et fieri nequit absque S. Pontificis auctoritate; vel si permutetur beneficium cum alio, quo in casu permutans non dimittit nisi sub conditione quòd superior consentiat, vel denique si renuntians sibi reservat *jus regrediendi*, factâ quâdam hypothesi, aut sibi stipulet jus ad partem fructuum beneficii vel pensionem. De his vide nostrum *Manuale*, nis 503, 5450, etc., et 6165, etc.

290. Quærit. 1° Quis possit officio suo renuntiare ?

Resp. Regulariter loquendo quilibet clericus potest in manus legitimi superioris renuntiare suo officio, ex causâ justâ. Ita communiter ex cap. *Nisi cùm pridem* 10, *De renuntiatione.*

Dictum fuit 1° *regulariter* : Nam 1° ex Const. S. Pii V, 58 *Quanta Ecclesiæ*, § 3 : « Nullus sacro ordini mancipatus, « nisi religionem ingressurus » (ingressuri religionem non valent tamen sua beneficia resignare nisi intra bimestre professionem præcedens : Concil. Trid., sess. 25, c. 16, *De Regular.*) « valeat ullo modo beneficium vel officium « ecclesiasticum resignare, nisi aliunde ei sit quo in vitâ « possit commodè sustentari. » Vide etiam Concil. Trident., sess. 21, c. 2, *De reform.* — 2° Ex regulâ 19 Cancellariæ, clericus infirmus nequit suo beneficio renuntiare infra 20 dies quæ suam mortem præcedunt, sive permutationis causâ, sive in favorem determinatæ personæ. Vid. Card. Soglia, *Inst. Juris priv.*, § 99.

Dictum fuit 2° *Ex justâ causâ*, nam si cuique pro arbi-

trio licitum esset munus suum deserere, hoc vergeret in ruinam disciplinæ et maximum animarum detrimentum. Ita omnes.

291. Quærit. 2° Quænam conditiones requirantur ut valeat renuntiatio officii.

Resp. Ut valeat renuntiatio officii tria requiruntur : 1° Quòd sit libera ; 2° quòd sit immunis ab omni pactione simoniacâ ; 3° quod à legitimo superiore acceptetur :

1° Debet esse *libera* ; proinde non extorta per vim aut dolum, alioquin esset nulla, si error esset substantialis, aut si omnino per vim perimeretur liberum arbitrium ; si verò adsint advertentia et libertas modo sufficienti, renuntiatio valida quidem esse poterit (nam coacta voluntas est tamen voluntas) ; sed rescisioni locus esse poterit, ex cap. *Super hoc*, *De Renunt.;* Glossa, v° *Resignationis*, et ex cap. *Abbas* 2, *De his quæ vi aut metu*, etc. ; ubi dicitur : « Quæ metu et « vi fiunt debent in irritum revocari. »

« Non autem, ait Lequeux (n° 116), vim propriè dictam « pati censetur, is qui, criminis cùm sit reus, timet, vel « cui timor incutitur ne juridicè accusetur et ne per sen- « tentiam ignominiosam privetur. Imò pluries rejecta fuit « eorum reclamatio, qui dicebant se *renuntiasse* eò quòd « ipsis incuteretur accusatio circa ea crimina, quæ non « importabant privationem juridicam beneficii. »

S. Pius V, in Const. *Quanta Ecclesiæ*, prohibuit tamen ne renuntiationes ab Episcopis aut aliis admitterentur, ultra casus à se in hâc Bullâ determinatos, inter quos recensetur crimini obnoxietas, sed crimini quod impediret ecclesiæ inservire, quod proinde depositionis pœnam mereri posset.

2° *Immunis esse debet ab omni pactione simoniacâ ;* constat ex pluribus capit. juris canonici, nempe ex cap. *Super hoc* 6, *De Renunt. ;* ex cap. *Matthæus* 23, *De Simoniâ* ; et Extrav. *Cùm detestab.*, *De Sim.*, inter communes.

292. Permutatio beneficiorum est illicita si privatâ auctoritate fiat, et sic permutantes privandi sunt suis beneficiis, ex cap. *Cùm olim*, *De rerum permut.* Si verò fiat auctoritate legitimi superioris ex justo motivo, licita est juxta cap. *Quæsitum* 5, *De rerum permut.*, positis tamen quibus-

dam conditionibus quas videre est ap. Reiffenst. (lib. 1, tit. 9, nis 100 et seq.).

« Licet clerici propriâ auctoritate nequeant inter se be-
« neficia sua permutare..., licitè nihilominus possunt
« iidem inter se tractare et convenire de permutatione fa-
« ciendâ, si erit accessura auctoritas superioris. » (Reiffenst., *ib.*, nº 102.)

Sed renuntiatio facta in favorem tertii, si fiat cum pacto in manus Episcopi, est simoniaca; secus si non adsit pactum et liber sit Episcopus, etsi resignans suum desiderium quòd certæ personæ conferatur beneficium Episcopo manifestet. An autem, permutatione postea effectum non habente, possint permutantes propriâ auctoritate ad sua beneficia redire, controvertitur. Vide S. Liguor., lib. 3, 72 in fine. Controvertitur etiam, an factâ resignatione in manus Episcopi cum conditione in favorem tertii, possit Episcopus admittere resignationem, conditione rejectâ. Vide S. Liguor., lib. 3, 84.

Plures autem sunt casus in quibus ex solâ auctoritate Episcopi, beneficia, saltem probabiliter, dimitti possunt cum impositione pensionis in gratiam resignantis, nempe, v. g., ne remaneat sine alimentis quibus eget, ob bonum pacis, ut lis finiatur, etc. V. S. Lig., lib. 3, 74, 78-80, etc.

293. — 3º *A legitimo Superiore acceptanda est*, ut constat ex cap. *Si qui verò*, et cap. *Si quis presbyter* 7, q. 1; secus resignatio non est valida, cap. *Non oportet*, 7, q. 1; et sic renuntians potest compelli ad reassumendum : cap. *Admonet* 4, *De renuntiat.*; quia per acceptationem officii et confirmationem manet quis ecclesiæ alligatus, quæ detrimentum pateretur, si cuilibet pro libitu, vèniente lupo aut instante tribulatione, instar mercenarii, liceret aufugere et creditas sibi oves derelinquere.

Quidem tamen casus sunt excipiendi; videlicet :

1º S. Pontifex eò quòd non habeat superiorem (cap. 1, *De renunt.*, in 6º);

2º Qui est quidem electus vel nominatus, sed nondum est confirmatus, quia nondum est ligatus;

3º Qui renuntiat beneficio verè litigioso in favorem alterius litigantis;

4° Clerici Episcopis inferiores qui divinâ inspiratione volunt religionem ingredi.

Diximus *à legitimo superiore dimissionem esse acceptandam* : videlicet : 1° à Papâ, si agatur de Dignitate Episcopali (cap. 1 et 2, *De Translat. Episcop.*); unde non sufficit quòd Episcopus abdicet inter *manus regis* ; et propter hoc invalida fuit abdicatio trium Episcoporum DD. de Boulogne Trecensis, de Broglie Gandavensis, Hirn Tornacensis, à quibus, anno 1812, Napoleo I extorserat renuntiationem suarum sedium, inconsulto nec consentiente S. Pontifice.

2° Ab Episcopo in ordine ad ecclesias suæ diœcesis. Cap. *Admonet* 4, *De renuntiat.*— Vicarii autem Generales non possunt renuntiationem acceptare, nisi specialiter id fuerit ipsis commissum (cap. *Licet* 4, *De Off. Vic.*, in 6°).

Vide nostrum *Manuale*, n° 509 quoad Capitulum et Vicarios Capitulares, et formalitates in casu observandas.

294. Subsidiariè hîc quæri potest quandonam dimissio habenda sit ut acceptata à legitimo superiore, proindè quandonam renuntians debeat ab exercitio officii dimissi se abstinere.

Resp. Hujus quæstionis solutionem fuisse datam à Sacrâ Cong. Concilii per resolutionem approbatam ab Urbano VIII, 20 martii 1625 : « S. Congregatio, S. D. N. « approbante, censuit Ecclesiam, à quâ volens transfertur, « seu quam dimittit Episcopus, vacare ab eo tempore quo « idem Episcopus ab illius vinculo absolvitur in Consistorio « Sanctitatis Suæ, etiam ante expeditionem Litterarum vel « adeptam possessionem secundæ Ecclesiæ, et posteaquam « hujus absolutionis notitiam Episcopus habuerit, etiam « ex testimonio seu documento Secretarii S. Collegii, vel « *alio modo*, illicò teneri eum abstinere ab exercitio « ordinariæ jurisdictionis, eamque transire in Capitulum, « tanquam sede vacante; et ita posse et debere Capitulum « statim eâ jurisdictione uti, ac Vicarium juxta Tridentinum Decretum eligere, sedemque vacantem publicare. »

Vacat ergo sedes episcopalis ab eo tempore quo Episcopus renuntians ab illius vinculo *absolvitur in Consistorio*

Sanctitatis Suæ. Non tenetur tamen idem Episcopus ab exercitio ordinariæ jurisdictionis se abstinere, nisi eo momento quo præfatæ absolutionis, in Consistorio peractæ, notitiam habuerit, vel ex testimonio Secretarii Sacri Collegii, vel *alio modo* æquivalenti : « Sed Capitulum, inquit « D. Bouix, *De Capit.*, p. 539), antequam illam exerceat, « debet exspectare notitiam *certam* de notitiâ certâ transla- « lationis ad Episcopum perlatâ... Si verò (quod Deus « avertat) certior de suâ translatione factus, aliquis Epis- « copus pergeret administrare, non monito Capitulo, et « hoc aliunde certò scirent Capitulares, deberent ipsi statim « administrationem assumere et Episcopum omni potestate « destitutum declarare. »

Quamvis Episcopus renuntians non teneatur se abstinere ab exercitio ordinariæ jurisdictionis, nisi eo momento quo addiscit, per nuntium certum, dissolutum fuisse, in Consistorio Suæ Sanctitatis, suum cum Ecclesiâ dimissâ vinculum, attamen, juxta Bened. XIV (*De Syn.*, lib. 13, cap. 16, n^is^ 7 et 10), idem Episcopus nequit percipere fructus Ecclesiæ dimissæ et ipsius beneficia conferre, nisi usque ad momentum quo perfecta fuit præfata dissolutio in Consistorio.

Nulla videtur esse difficultas quoad dimissionem aliorum officiorum : suos effectus producit statim ac fuit à legitimo superiore acceptata.

295. Quærit. 3° Ex quibus causis renuntiationes fieri valeant ?

Resp. Sex præcipuæ enumerantur, videlicet: 1° Conscientia criminis, quod post actam pœnitentiam impediat executionem officii. 2° Imbecillitas corporis per quam quis impotens redditur ad exequendum officium pastorale. 3° Defectus scientiæ competentis. 4° Malitia plebis, ob quam interdum ipsi præpositus cogitur ab ipsius regimine declinare. 5° Grave scandalum quod aliter sedare non potest. 6° Irregularitas personæ.

Hujusmodi causis S. Pius V, in suâ Constitutione *Quanta Ecclesiæ*, certas alias adjunxit, et insuper vi ejusdem Constitutionis vetantur Episcopi beneficia resignata

consanguineis, affinibus vel familiaribus resignantium conferre...

296. Quærit. 4° Utrum propter illas omnes causas, habens officium teneatur in conscientiâ illi renuntiare?

Resp. Rarò eum ad id teneri in conscientiâ ante sententiam superioris.

1° Non tenetur *ob imbecillitatem corporis*; imò nec superior ob hanc causam potest aliquem suo beneficio privare ut constat. ex cap. *Ex parte 4, De Clerico ægrotante,* et cap. *De Rectoribus, eod.*

2° Non tenetur *ob defectum scientiæ* : nam vel est capax addiscendi scientiam competentem, et ad hoc tantùm tenetur, providendo interea suo muneri per idoneum vicarium; vel est incapax addiscendi, et adhuc sufficit quòd provideatur officio per coadjutorem : « Quia illiterati et impe-« riti, inquit Trident. (sess. 21, c. 6, *De Reform.*), paro-« chialium ecclesiarum rectores sacris minus apti sunt « officiis... Episcopi, etiam tanquam Apostolicæ Sedis « delegati, iisdem illiteratis et imperitis, si aliàs honestæ « vitæ sint, *coadjutores vicarios pro tempore deputare*, par-« temque fructuum eisdem pro sufficienti victu assignare, « vel aliter providere possint, quâcumque appellatione et « exemptione remotâ. »

3° Quoad alias causas, vel potest provisus muneri suo providere per idoneum coadjutorem, vel non : in primo casu, non videtur teneri ad dimittendum officium ante sententiam definitivam superioris; in secundo casu, solutio pendet à variis circumstantiis causarum : nam quando causa procedit *ex solâ malitiâ plebis* seu ex scandalo pharisaico, non est obligatio dimittendi officium : imò, præsertim post sufficientem monitionem, non videtur esse obligationem dimittendi ob scandalum pusillorum, nisi tamen hanc dimissionem, justâ causâ interveniente, peteret S. Pontifex. Si causa *sit irregularitas*, tenetur provisus dispensationem obtinere aut dimittere officium, si per substitutum non valeat adimplere; ratio patet.

§ II.

De Translatione.

297. Translatio est canonica mutatio personæ ecclesiasticæ de uno officio ad aliud. Hoc nomine præsertim vocatur mutatio Episcopi de unâ ad aliam Sedem Episcopalem. Translatio Episcoporum solâ Romani Pontificis auctoritate fieri potest; quia ejusmodi translatio inter causas majores est recensenda, et quia vinculum spiritualis matrimonii quod Episcopus contraxit cum priori Ecclesiâ, privatâ auctoritate dissolvi nequit (Cap. *Inter corporalia* 2, *De Translat.*). Insuper in Gallià juxta Concordatum (art. 5), requiritur gubernii consensus.

Antiquioribus sæculis vetitæ fuêre Episcoporum translationes; sic enim legitur in canone 13 Apostolorum, qui Nicæno Concilio anterior habetur ab eruditis : « Episcopo « non liceat, suâ relictâ parochiâ (diœcesi), ad aliam tran- « silire, etiamsi à pluribus cogatur : nisi sit aliqua causa « rationi consentanea, quæ eum cogat hoc facere, utpote « ad majus lucrum...; idque non ex se, sed multorum « Episcoporum judicio et maximâ exhortatione. »

Regulariter Episcopus non potest transferri nisi à minore ad majorem seu digniorem Ecclesiam. Ita cap. 1, *De Translatione*, ubi Innocentius III ad Antiochenum Patriarcham ita scribit : « Miramur quòd novo quodam muta- « tionis genere parvificasti majorem, et magnum quodam « modo minorasti, episcopare Archiepiscopum imò potiùs « dearchiepiscopare præsumens. »

Diximus *regulariter*, quia illud fieri potest ex peculiari causâ, v. g. ob aeris insalubritatem, vel ob metum hostium. Can. *Pastoralis* 7, q. 1; cap. *Ad supplicationem* 9, *De renunt.*

298. Quærit. 1° An et quænam causæ requirantur ad legitimam translationem?

Resp. 1° Ad legitimitatem translationum causas justas requiri : detrimentum enim paterentur Ecclesiæ vel munera, si titulares eorum sinè causâ sufficienti amoverentur, etsi ad aliud munus promoti essent; unde in can. *Muta-*

tiones, c. 7, q. 1, dicitur : « Mutationes Episcoporum scitote « communi *utilitate* atque *necessitate* fieri licere. » — « Ne- « que enim, inquit Bellarminus, ap. Bened. XIV (*De Syn.*, « lib. 13, c. 16, nº 5), institutæ sunt Ecclesiæ propter « Episcopos, sed Episcopi propter Ecclesias : nunc autem « quotidie translationes fieri videmus eâ solùm de causâ, « ut Episcopi vel honore vel opibus augeantur. »

Resp. 2° Causas legitimas translationis eas esse de quibus fit mentio in præfato canone *Mutationes*, nempe *communem utilitatem* atque *necessitatem*.

Est *communis utilitas*, si ex translatione speretur majorem fructum eventurum fore universali vel particulari Ecclesiæ; hoc accidit, si ex translatione bonum pacis et concordiæ proveniat, si ab iis quibus competit jus eligendi vel nominandi, puta à principe, postuletur unius Ecclesiæ Episcopus pro aliâ Ecclesiâ, aut si à Summo Pontifice, ob meritorum prærogativam aut ex causâ specialis necessitatis transferatur.

Est *necessitas* si, ob persecutionem hostilem, odium civium, aeris inclementiam, etc., Episcopus in propriâ Ecclesiâ tutò commorari nequeat. Can. *Pastoralis*, c. 7, q. 1.

Objici posset cap. *Inter corporalia*, *De Translat.*, ubi expressè declarat Innocentius III, quòd sicut Deus dissolutionem carnalis conjugii sibi reservavit, sic etiam conjugii spiritualis inter Episcopum et Ecclesiam. Et reverà sententia *communior* et quæ S. Liguorio videtur *longè probabilior* (lib. 4, nº 104), tenet translationes Episcoporum esse vetitas jure divino.

Huic objectioni respondetur cum S. Liguor. (*ibid.*), quòd « licet Episcopatus comparetur matrimonio carnali, non « tamen ita verum est, ut non possit dissolvi hoc conju- « gium spirituale per dispensationem Pontificis, justâ et « valdè gravi causâ interveniente, ut omnes fatentur. » Et id affirmat ipsemet Innocentius III, dum adjicit : « Non « enim humanâ sed potiùs divinâ potestate conjugium « spirituale dissolvitur, cùm per translationem... auctori- « tate Romani Pontificis, quem constat esse Vicarium Jesu « Christi, ab Ecclesiâ removetur. »

Quomodo autem sint intelligenda hæc verba cap. *Inter corporalia* : « Cùm ergo fortius sit spirituale vinculum quàm « carnale? » — Non omni modo, sed quoad certos tantùm respectus, vinculum spirituale est fortius carnali; v. g., carnale vinculum, nondum consummatum, dissolvitur per solemnem religionis professionem, non item spirituale vinculum.

299. Quærit. 2° An Episcopus possit invitum parochum ab unâ parochiâ ad aliam transferre?

Resp. Vel agitur de parocho amovibili, prout sunt hodie in Galliâ succursalistæ; vel quæstio est de parocho inamovibili : si prius, sicut inviti possunt amoveri à parochiâ, ita ab eâ ad novam parochiam transferri possunt; sacerdos enim, non legitimè impeditus, tenetur acceptare ministerium animarum si illi ab Episcopo, cui in suâ ordinatione obedientiam promisit, præficiatur. Si posterius, non possunt quidem inviti transferri sinè gravi motivo, sed plures sunt casus in quibus sic transferri valent : legitur enim in Concilio Carthaginensi IV : « Placuit ut quicumque clerici, « vel diaconi pro necessitatibus Ecclesiarum non obtempe- « raverint Episcopis volentibus eos ad honorem amplio- « rem in suâ Ecclesiâ promovere, nec illi ministrent in « gradu suo unde recedere noluerunt. »

Insuper dicitur, in cap. *Quæsitum* 5, *De rerum permutatione* : « Si Episcopus causam inspexerit necessariam, « licitè poterit de uno loco ad alium transferre personas, « ut quæ uni loco sunt minus utiles, alibi se valeant uti- « liùs exercere. » Hoc contingere potest, v. g. si quis causaverit scandalum in populo, si inimicitias et persecutiones patiatur, etc.; unde cùm Episcopus Limburgensis parochum, qui à se alienaverat parochianos suos suâ asperâ indole, à parochiâ ejus dimovisset, proposita fuerunt Sacræ Congreg. Concilii dubia sequentia : 1° An sustineatur decretum amotionis latum à Curiâ Episcopali Limburgensi; 2° an sint infirmandæ pœnæ canonicæ inflictæ in casu?

Responsum fuit : « Ad 1^um^ Affirmativè; ad 2^um^ scribatur « Episcopo ut sacerdotem absolvat ac rehabilitet, eumque « provideat de aliâ parœciâ, seu beneficio redditûs æqui- « valentis. »

300. Quærit. 3° Quo instanti in casu translationis cesset jurisdictio in priori Ecclesiâ?

Resp. Vel agitur de translatione Episcopi ab unâ diœcesi ad aliam; vel de clerici alterius translatione ab uno officio, ut puta à parochiâ ad Episcopatum; vel tandem de clerici cujuscumque translatione ab uno officio ad aliud Prælaturâ inferius, v. g. ab unâ parochiâ ad aliam.

In primo casu, si translatio fiat, sciente Episcopo et de ipsius consensu expresso vel tacito, translati jurisdictio in priori Ecclesiâ cessat statim, ut supra diximus, ac notitia certa dissolutum fuisse in Consistorio papali ipsius cum eâdem vinculum, ad ipsum pervenit (V. Declar. S. Cong. Conc., 14 decemb. 1624). Imò ab ipso instanti quo dissolutum fuit in Consistorio prædictum vinculum, idem Episcopus facultatem amittit conferendi beneficia quæ ab hoc momento vacare contigissent (Bened. XIV, *de Syn.*, lib. 13, c. 16, n^is 9 et 10). Si verò fiat translatio à S. Pontifice, Episcopo penitus ignorante, non censetur vacare prior Ecclesia, nisi translatus resciat et consensum præstet, excepto casu quo contrarium Papa exprimeret; quia, nisi secus exprimat S. Pontifex, non censetur transferre Episcopum invitum ab unâ diœcesi ad aliam.

In secundo casu, electi ad Episcopatum beneficia censentur vacare *ipso facto*, per consecrationem episcopalem, vel quando decursum est *tempus consecrandis Episcopis à canonibus definitum*, nempe tribus mensibus elapsis post receptam confirmationem electionis; tuncque is ad quem spectant beneficia, de illis disponendis liberam habet facultatem. Ita ex cap. *Cùm in cunctis*, *De Elect.*

In tertio casu, certum est quòd, statim ac translatus novæ parochiæ possessionem pacificè assumpsit, vel per illum stetit quominus assumpserit, prior parochia alteri dari potest. Ita enim se habet cap. *Licet Episcopus* 28, *De Præbend. et Dignit.*, in 6° : « Licet Episcopus beneficium « quod cum animarum curâ tenebas (postquam aliud reci- « pisti consimile, ac ipsius possessionem habuisti pacificam, « vel per te stetit, quominus haberes eumdem) *possit alteri* « *de jure conferre :* illum tamen cui contulerit, non de- « bebit, te non vocato (cùm tibi forsitan jus possit com-

« petere retinendi), in possessionem ipsius inducere cor-
« poralem. »

Non ideò tamen translatus perdit omnem jurisdictionem in priorem parochiam : ad hoc requiritur ex præfato capite ut novus titularis possessionem assumpserit, quod fieri nequit, nisi vocato titulari translato, et tunc istius cessat jurisdictio : idem videtur dicendum si in priori parochiâ nominaretur vicarius.

301. Quærit. 4° Quousque translatus fructus ac redditus ecclesiæ à quâ discedit, possit percipere?

Resp. Si agatur de Episcopo translato ab unâ diœcesi ad aliam, cùm ipsius vinculum cum priori diœcesi solvatur tantùm in Consistorio Suæ Sanctitatis, « necessariò sequi-
« tur, inquit Bened. XIV (*De Syn.*, lib. 13, cap. 17, n° 7),
« licere Episcopo redditus prioris Ecclesiæ percipere
« usque ad illud tantummodo temporis momentum quo à
« S. Pontifice in Consistorio ab illius vinculo absolvitur.
« Si quos verò fructus post illud tempus decursos perce-
« perit, ad eosdem restituendos teneri. »

« Si verò, pergit Bened. XIV (*ibid.*, n° 13), hujusmodi
« (vinculi) solutio fiat inscio planè Episcopo, isque trans-
« feratur sinè prævià suâ scientiâ..., videtur... Episcopus
« tunc rectè fructus percipere, tunc etiam validè beneficia
« conferre, quousque, sibi nuntiatâ vinculi solutione,
« suum ipse consensum eidem accommodaverit; vel, eo
« denegato, S. Pontifex, justis urgentibus causis, illius
« consensûs defectum suppleverit. »

Si agatur de ecclesiastico ad Episcopatum promoto, jus retinet percipiendi fructus muneris ecclesiastici à quo discedit, usque ad suam consecrationem Episcopalem, vel quoadusque effluxerint tres menses post receptam confirmationem electionis, cui consensum præbuit[1].

Si agatur de aliis clericis translatis, possunt ipsi percipere fructus prioris tituli, quousque possessionem novi

[1] In Galliâ tamen non posset percipere pensionem à Gubernio solvendam pro munere à quo discedit, nisi usque ad diem possessionis assumptæ suæ diœcesis. Ita *Ordonn. du 4 sept.* 1820. (*Journ. des Fabr.*, t. 4, p. 322.)

inierint : si tamen novi tituli possessionem procrastinent, vetus dari potest alteri titulari qui, monito prædecessore, statim percipit fructus beneficii [1].

302. Quærit. 5° Ad quos pertineant fructus beneficii tempore vacationis?

Resp. Illos pertinere ad Ecclesiam vacantem, ita ut si, solutis debitis et his quæ fuerint necessaria pro deservientibus eisdem ministris et aliis oneribus, aliquid supersit, hoc reservandum sit successoribus, nisi alia sit consuetudo : sic enim habetur in cap. *Præsenti* 9, *De Officio Ordinarii,* in 6° : « Vacantibus Dignitatibus... vel Ecclesiis « quibuscumque..., eorumdem bona.... vacationis ipso- « rum tempore obvenientia, quæ *in utilitatem eorumdem « expendi vel futuris debent successoribus reservari*, [Epis- « copi] occupare, aut in usus suos convertere quoquomodo « [non] præsumant. Nisi de speciali privilegio vel consue- « tudine jam præscriptâ, legitimè, seu aliâ causâ rationa- « bili, hoc eisdem competere dignoscatur... Ubi ex privi- « legio, vel consuetudine, seu aliâ de causâ rationabili, « sibi aliquis prædictorum asserit bona competere præ- « dicta, hoc de illis bonis solùm debet intelligi, quæ, solutis « debitis, si quæ sint, et his quæ fuerint necessaria pro « servitoribus et ministris ac incumbentibus oneribus « usque ad novos redditus supportandis congruè reser- « vatis, ex ipsis reperta fuerint superesse. »

303. Quærit. 6° Quomodò fructus beneficii sint dividendi inter primum titularem, translatum aut resignantem, aut, si defunctus fuerit, inter ipsius hæredes, et successorem primi dicti titularis?

Resp. Quæstionem esse valdè controversam, tam in foro canonico, quàm apud nos in foro civili.

Duo potissimùm sunt systemata : alii enim volunt ita esse dividendos fructus ut prædecessor jus habeat fructus solùm collectos retinendi; cæteri verò fructus nondum collecti pertineant ad successorem, vel ad fabricam si non-

[1] In Galliâ solet determinari ab Episcopis dies quo cessat vel incipit possessio beneficii, quo proinde Gubernium cessat vel incipit solvere pensionem à se præstandam.

dum successor inierit possessionem. Unde prædecessor nullum jus habet, juxta hujusmodi canonistas, ad fructus adhuc pendentes, prout contingit in expiratione usufructûs, ex l. *Defuncto*, § *De Usufructu*; cui etiam conformis est art. 585 Codicis nostri civilis. Ita Rota in causâ *Phar.*, 19 jun. 1573; — Barbosa et multi alii, ap. Garcias (pars 2ª, cap. 1, nº 95); Reiffenst., lib 1, tit. 7, nº 56; — Ferraris, vº *Episcopus*, art. 3, nº 65.

Alii verò malunt hîc esse applicandam legem *Divortio*, *De solut. matrim.*, cui concordat art. 1571 nostri Codicis civilis, sic habens : « A la dissolution du mariage, les « fruits des immeubles dotaux se partagent entre le mari « et la femme ou leurs héritiers, à proportion du temps « qu'il a duré pendant la dernière année. » Ratio est quia beneficium datur propter officium et servitium Ecclesiæ, sicut dos propter onera matrimonii; unde ipsius fructus eodem modo dividendi sunt, quando vacat beneficium. Hanc sententiam sequitur Garcias citans Covarruviam et alios multos (*ibid.*, nº 97).

Opponi posset Constit. 9, Julii III, in quâ declaratur beneficiorum fructus, tempore obitûs beneficiatorum inexactos, ad successores in beneficiis pertinere, non verò ad hæredes; et sic fuit resolutum à Rotâ 4 junii et 19 nov. 1593 : sed in unâ Mediolan., 9 martii 1592, dicitur quòd præfata Constitutio non sit ubique recepta, nempe in statu Mediolanensi, Garcias ex Novarro refert (*ibid.*, nº 13) illam non esse receptam in Hispaniis, nec quoque in usu videtur esse in Galliâ.

Sententiam Garciæ sequi videtur Decretum Napoleonis, 6 nov. 1813, eamque amplectuntur Consiliarii Diarii gallicè dicti *Journal des Fabriques* (t. 4, pag. 337), ubi, materiâ seriò discussâ, sic concludunt : « Le Conseil, après « avoir entendu, etc... a été d'avis : 1º que toutes les fois « que le curé ou desservant d'une paroisse reçoit une nou- « velle destination, et qu'il est remplacé, soit immédiate- « ment, soit après un certain temps de vacance, par un « nouveau titulaire, les fruits et revenus des biens de la « cure ou succursale, pendant l'année où la vacance a « lieu, doivent être attribués à l'ancien et au nouveau

« titulaire proportionnellement au temps pendant lequel « ces ecclésiastiques ont rempli, dans cette année, les fonc- « tions curiales, et à la fabrique, proportionnellement au « temps pendant lequel la vacance a duré ; 2° que les « fruits et revenus des jardins et dépendances des presby- « tères, appartenant aux fabriques et aux communes, « doivent être partagés de la même manière ; 3° que pour « opérer ce partage, on doit prendre pour point de départ « le 1er janvier de l'année de la vacance ; 4° qu'enfin avant « le partage, les frais de semence, culture et autres, doi- « vent toujours être déduits du montant du produit des « fruits, et qu'il n'y a lieu de partager que le surplus ou « le revenu net ».

Juxta hanc sententiam, fructus pendentes dividuntur pro ratâ parte temporis uniuscujusque possessionis. Vide exempla hujusmodi partitionum in eodem Diario, p. 345 *in notâ*.

« Pour procéder à ce partage suivant la règle du pro- « rata, inquit Durand de Maillane, v° *Partage*, on prend « l'année du 1er janvier : cette règle est aujourd'hui « constante. » Non tamen fuit semper eadem, ut videre est apud Garcias, pars 2, cap. 1, nis 79 et 100; *Journal des Fabriques*, t. 4, p. 344.

Exstante autem præfatâ controversiâ circà divisionem fructuum, standum esse videtur locorum consuetudini, ut dicitur apud Ferraris, v° *Episcopus*, art. 3, n° 66.

« Idem jus obtinet (inquit idem Ferraris, v° *Fructus*, « nis 11 et 12), si beneficiatus beneficium resignaverit. « Illud verò peculiare in resignatione occurrit, quòd resi- « gnatario debentur fructus beneficii resignati à die admis- « sæ resignationis, etiamsi ipse resignatarius possessionem « beneficii resignati non apprehenderit. »

In Galliâ verò sic sancitur, in art. 165 *du Règlement sur la comptabilité publique du* 31 *mars* 1838 : « En cas de « démission, si le fonctionnaire a continué l'exercice de « ses fonctions, en attendant l'installation de son succes- « seur, il est réputé avoir continué d'exercer par suite de « son ancien titre, et, en conséquence, il continue d'être « payé jusqu'au jour de la cessation de ses fonctions ».

Ut nihil alicujus momenti omittamus circa partitionem fructuum beneficiorum in casu translationis aut alterius generis mutationis, dicendum cum Reiffenstuel (lib. 1, tit. 3, n° 50), quòd non liceat beneficiario mutato secum asportare quæ destinata erant beneficii culturæ aut ipsius necessitatibus, v. g. certa animalia, boves, equos, etc., vel instrumenta aratoria, etiamsi suis sumptibus illa in locum deficientium ipse beneficiarius subrogasset, vel in vitium aut arborum demortuarum vicem alias substituisset.

§ III.

De Revocatione et Privatione Officiorum ecclesiasticorum.

304. Duplici modo Superior removere potest aliquem ab officio, *simplici* nempe *revocatione* seu *destitutione*, et *privatione juridicâ*.

Simplex revocatio seu *destitutio* locum habet quando clericus ab officio suo removetur absque judicio et sententiâ juridicâ, quod regulariter fieri nequit, erga invitum, nisi quoad officia ad nutum amovibilia.

Privatio juridica è contra est sententia juridica privans clericum, etiam invitum, officio suo vel beneficio.

Dupliciter clericus juridicè privari potest officio suo aut beneficio, *simplici* quidem *privatione* et *depositione propriè dictâ*; inter utramque hoc est discrimen quòd *depositus* inhabilis efficiatur ad alia beneficia, non item *simpliciter privatus*.

Dicitur in Tract. *De Judiciis* quomodo sit procedendum ad privationem juridicam : hic sufficiat expendere quænam sint officia quæ auferri nequeunt nisi per sententiam juridicam, et quænam sint ad nutum amovibilia.

I. —De officiis inamovibilibus.

305. Talia sunt præcipuè munera Episcoporum, canonicorum et Parochorum propriè dictorum.

1° *Quoad Episcopos*, contendit Febronius post De Marca, in hoc Calvinistas ac Jansenistas sequens, quòd « innumera « novem priorum sæculorum exempla, decretis Genera-

« lium Conciliorum innixa, demonstrent Episcopos in « provincialibus synodis, tanquam ordinario eorum tribu- « nali, *ultimatò* judicatos fuisse : historiæ ecclesiasticæ « omninò ignorantem esse, qui sibi imaginatur nullum « unquam Episcopum judicari potuisse nisi Romæ, aut « per Commissarios ab Urbe missos. » Imò Febronius eò usque progreditur ut dicat : « In antiquis canonibus « (exceptis iis quæ posteriùs et ex specialibus causis... per « Sardicense Concilium Romano Pontifici *supereroganter* « attributa fuerunt), ne vestigium quidem appareat de « minimo jure quod Papæ unquam in his potuerit com- « petere. »

At quantum falsa sint talia asserta innumeris monumentis demonstrari potest : sufficiat hîc referre verba Julii I : Julius I, in causâ S. Athanasii ab Arianis depositi, ait: « Oportuit omnibus nobis (Ecclesiæ Romanæ ejusque sy- « nodo) scripsisse, ut ita ab omnibus quod justum esset « decerneretur. Episcopi enim erant qui patiebantur... « An ignoratis hanc esse consuetudinem, ut primùm « Nobis scribatur, et hinc quod justum est decernatis ? » Ergo, juxta consuetudinem quarti sæculi, non in Provincialibus synodis ultimatò judicabantur Episcopi, sed nihil erat tunc definiendum erga ipsos, nisi priùs causa Romæ exposita fuisset, ut hinc quod justum erat decerneretur. Idem probari potest ex Epistolâ Gelasii ad Episcopos Dardaniæ. Vide plura alia in nostro *Manuali*, n° 541, etc.

Exhinc in Concil. Trident. (sess. 24, cap. 5) sancitum fuit ut « Causæ criminales graviores contra Episcopos, « etiam hæresis, quod absit, quæ depositione aut priva- « tione dignæ sunt, ab ipso tantùm Romano Pontifice « cognoscantur et terminentur. Quòd si ejusmodi sit causa « quæ necessariò extra Curiam Romanam sit committenda, « nemini prorsus committatur, nisi Metropolitanis aut « Episcopis à Beatissimo Papâ eligendis. Hæc verò com- « missio sit specialis, et manu ipsius Sanctissimi signata ; « nec unquam plus his tribuat quàm ut solam facti instruc- « tionem sumant ; processumque conficiant quem statim « ad Pontificem transmittant, reservatâ eidem Sanctissimo

« sententiâ definitivâ... Minores verò causæ criminales « Episcoporum in Concilio tantùm Provinciali cognoscan- « tur, et terminentur, vel à deputandis per Concilium « Provinciale. »

A Febronio objicitur canon 15, Concilii Antiocheni, sic se habens : « Si quis Episcopus criminaliter accusatus, ab « omnibus qui sunt intra provinciam Episcopis exceperit « unam consonamque sententiam, ab aliis ulteriùs judicari « non poterit. » Vid. etiam canon 14 (apud *Antifebr. vindicat., ibid.*, nº 8.)

Respondetur multùm probabile esse ab Eusebianis conditum fuisse hunc canonem; præterea loquitur de casu tantùm in quo tam evidenter reus sit Episcopus ut *ab omnibus* sinè exceptione damnatus fuerit : unde in aliis casibus *ulteriùs* etiam à S. Pontifice judicari poterit. Cæterùm à Concilio Sardicensi correctus fuit dictus canon, teste Aristeno, ita ut Patres Concilii Chalcedonensis, sinè hæsitatione, ut legitimè absolutum habuerunt Theodoretum Cyrensem Episcopum, qui ab Orientali Synodo damnatus fuerat, eò quòd à S. Pontifice, Leone Magno, absolutus fuerat (Vid. *Antifebr. vindicat.*, nº 8, etc.).

Item objicitur id quod scribendo ad Britonnum regem præscripsit Nicolaus I : « Censeo, inquit Pontifex, nec ullum « posse sui honoris sustinere jacturam, quos non constat « fuisse à duodecim Episcopis, præsente primamque sen- « tentiam Metropolitano Episcopo obtinente cùm exami- « narentur, auditos. »

Respondetur quòd hæc fuit quidem vulgata episcopalium depositionum disciplina; sed hæc intelligenda sunt sinè præjudicio Romanæ Ecclesiæ : et quidem ipsemet Nicolaus I, in Epistolâ ad universos Galliæ Episcopos, eos graviter redarguit, quòd Rothaldum Suessionensem Episcopum exauctorassent : « Etsi, inquit, Sedem Apostolicam « nullatenus appellasset... tamen... *Episcopum, inconsultis « Nobis, deponere nullo modo debuistis.* » Ergo, etc.

Graves exortæ sunt controversiæ in Galliâ circa præsens disciplinæ punctum : aliis volentibus Episcopos esse judicandos in Concilio Provinciali juxta disciplinam Concilii Sardicensis, salvo jure appellationis ad Sedem Apostoli-

cam; aliis propugnantibus Episcopos debere, in Galliâ prout in cæteris gentibus, judicari à Sanctâ Sede, etiam in primâ instantiâ. Huic sententiæ adhærebat Bossuetius: « Quant au jugement des Évêques (lettre à M. Dirois), j'ai « toujours été convaincu que leur déposition était réser- « vée au Pape. Le chap. *De Concubinariis* (Concord. Leo- « nis X cum Francisco I) m'a toujours paru le supposer, « et la discipline en est si constante depuis 600 ans, qu'à « peine peut-on trouver des exemples du contraire durant « tant de siècles. »

Ad Romanum ergo Pontificem pertinet deponere Episcopos; sed hoc non potest, saltem licitè, sinè legitimâ causâ : « Episcoporum jurisdictio, sive sit immediatè à « Christo, sive à S. Pontifice, inquit Bened. XIV, ita huic « subest, ut, consentientibus omnibus catholicis, ejusdem « auctoritate et imperio limitari, atque ex legitimâ causâ, « omnino auferri possit. » (*De Syn.*, lib. 7, c. 8, n° 7.)

Cæterùm ordinariè non debet deponi Episcopus sinè judicio, ut constat ex verbis Nicolai I suprà relatis. Dicitur *ordinariè*, quia tales possunt emergere circumstantiæ quòd etiam sinè judicio possint Præsules exauctorari propter necessitatem populi christiani, prout contigit tempore Concordati 1801. *Nihil enim*, inquit Bossuetius, *non potest Papa cùm Ecclesiæ necessitas aut evidens utilitas postulaverit.* In his asserendis concordare videntur DD. catholici. Suspensum in perpetuum potest S. Pontifex Episcopum cogere ad dandam suam dimissionem, et si renuerit, eum deponere. Imò quamvis Episcopus de crimine non fuerit convictus nec suspensus, id potest Papa, justâ causâ interveniente, gravi v. g. scandalo in populo exstante quod sedari nequeat. Congrua tamen huic Episcopo dari debet.

306. — 2° *Quoad Canonicos.* Canonici et plerique beneficiati sunt etiam inamovibiles, sed ex institutione ecclesiasticâ tantùm. Unde nequeunt removeri inviti sinè sententiâ juridicâ, proux mox dicemus de parochis inamovibilibus.

307. — 3° *Quoad Parochos*, Parochi sunt duplicis conditionis : alii enim sunt perpetui seu inamovibiles; alii verò ad nutum amovibiles : de essentiâ enim curatorum non est

quòd sint perpetui et omnes inamovibiles ab Ecclesiâ fuerint constituti, ut dicetur infra (495).

Frustrà in contrarium allegaretur cap. unic. *De Cappellis Monach.*, in 6°, ubi dicitur : « Presbyteri qui ad curam « populi per monachos in eorum ecclesiis præsentantur « Episcopis, et instituuntur ab ipsis, cùm debeant esse « perpetui, ab iisdem nequeunt ecclesiis (nisi per Episco- « pos, et ex causâ rationabili) amoveri. »

Respondetur enim quòd in hoc capite agatur de Parochiis quarum titularis perpetuus esse debebat, quippe dabantur in titulum, ut probant hæc verba : *et instituuntur ab ipsis*; sed illud non probat non alias exstitisse parochias, quæ non dabantur in titulum, proinde poterant esse amovibiles: sic communiter DD.

Frustra itidem in contrarium opponeretur canon *Sanctorum*, dist. 70, in quo legitur : « In quâ ecclesiâ quis est « *institutus* in eâ *perpetuò* perseveret. »

Ex isto enim canone rectè quidem concludi potest neminem esse ordinandum sinè titulo perpetuo, proinde exstare titulos perpetuos; sed malè exinde concluderetur omnem titulum parochialem esse perpetuum.

Item quando dicitur in canone *Satis perversum*, dist. 56 : « Non debet quis sinè culpâ beneficio privari », hoc intelligendum est de beneficiis propriè dictis seu perpetuis, quamvis quædam sint alia amovibilia quibus privari possunt titulares.

Præfata parochorum perpetuorum et amovibilium divisio, præsertim apud nos locum habet : in Galliâ enim Episcopi sese accommodârunt articulis 60 et 61 legis Organicæ, et ubique curatos utriusque conditionis instituerunt.

Igitur quandò tituli parochiales vel alii sunt perpetui seu inamovibiles, rectores ipsis nequeunt privari nisi propter causam gravem, *notoriam*, et servato juris ordine. Ita can. *Inventum* 38, causa 16, q. 7, ubi dicitur : « Quam « Ecclesiam, si justè adeptus fuerit, hanc, nonnisi gravi « culpâ suâ, et coram Episcopo, canonicâ severitate amit- « tat. » Item cap. *Conquerente* 7, *De restitut. spol.*, in quo legitur : « Non decet... clericos tuæ jurisdictionis, sinè « *manifestâ causâ et rationabili, suis beneficiis spoliare.* »

Dictum est *propter causam notoriam* : *notoria* autem est causa quando reus est confessus crimen, aut de eo in judicio fuit convictus. Aliquando, sed rarissimè, vehemens diffamatio sufficere posset, ut, v. g., in delictis scandalosis.

Unde Ordinarius non potest procedere ad privationem beneficii *ex informatâ conscientiâ*, seu *extrajudicialiter*; et reverà Concil. Trident. (sess. 14, c. 1) Episcopis non tribuit hanc facultatem nisi quoad suspensionem.

Vide in nostro *Manuali*, nº 547, solutionem object.

308. Quod diximus de Parochis inamovibilibus, applicari debet Vicariis perpetuis, v. g. Cathedralium, qui pariter removeri non debent sinè judicio et sententiâ juridicâ.

Quoad curatos ad nutum amovibiles, dicemus in puncto sequenti.

309. Quærit. 1º Quale debeat esse crimen ut quis, propter illud, suo beneficio vel Officio privetur?

Resp. Hoc crimen in genere debere esse *grave*, ut dictum fuit supra in canone *Inventum*; imò cùm juridica privatio sit una ex gravioribus pœnis, nonnisi ob graviores culpas infligi debet. Non tamen requiritur ad hoc ut in jure dicatur quòd propter tale crimen quis poterit deponi vel suo officio privari. Hujusmodi expressio requiritur quidem pro degradatione reali, juxta Bened. XIV, *De Syn.*, lib. 9, cap. 6, nº 10; aut saltem opus est quòd quis sit incorrigibilis; sed juxta eumdem (nº 3) hæc non requiritur pro *depositione* : « Communis DD. sententia, inquit doctus « Pontifex, indubitanter affirmat, ad actualem clerici « cujuscumque criminis rei degradationem, præter in- « numeros casus, à jure speciatim expressos, non posse « procedi, nisi ille sit incorrigibilis, hoc est... nisi Eccle- « siæ monita sibique gradatim inflictas canonicas *deposi-* « *tionis* et excommunicationis pœnas, pervicaciter con- « tempserit. » Ergo juxta Bened. XIV depositio potest infligi præter casus à jure expressos, et ad hoc non requiritur ut quis sit incorrigibilis.

Contrarium tamen dicit Lequeux, nº 1406, citatque Auboux, *Pratique civile et criminelle*, p. 108; Ducasse,

Gohard, Fagnanum, etc. Sed Ducasse (2e part., p. 259) solummodo dicit : « Un clerc ne doit jamais être déposé « qu'en punition de quelque crime atroce et public, et « qu'il ne soit exprimé dans le droit que ce crime mérite « la déposition, *ou qu'il n'est pas moins énorme que ceux « que le droit punit avec cette rigueur.* »

310. Quærit. 2° Utrum dimittenda sint officia ante judicis sententiam quando pœna privationis in jure exprimitur ?

Resp. Duplici modo pœna privationis in jure exprimitur : vel tanquam incurrenda ipso facto, vel tanquam imponenda per sententiam : si priùs, minimè necessaria est sententia ad pœnam damnans, cùm à jure infligatur : sed ordinariè (nisi tam notorium sit crimen ut nullo modo denegari possit) necessaria est saltem sententia declarans crimen fuisse commissum ; et tunc, quamvis validi fuerint actus jurisdictionis, talis sententia effectum habet à momento patrati delicti, et fructus beneficii etiam percepti ab hoc momento sunt restituendi juxta omnes.

Si posteriùs, necessaria est sententia, etiam ad pœnam damnans ; si quidem pœna, à jure determinata, ab ipso tamen non imponitur, sed relinquitur imponenda à judice : proinde tunc privatio officii effectum non habet nisi à momento prolatæ sententiæ.

311. Quærit. 3° Quænam sint crimina quibus ipso jure annexa est pœna privationis officii, aut quibus hæc pœna non est annexa nisi post judicis sententiam ?

Resp. I. Ipso facto à jure annexa est pœna depositionis in casibus sequentibus :

1° Propter crimen hæreseos (cap. *Ab abolendum, De Hæreticis*).

2° Si parochi « infra annum à sibi commissi regiminis « tempore numerandum, non se faciant ad sacerdotium « promoveri, ecclesiâ sibi commissâ, nulla etiam præ- « missâ monitione privantur. » Ita cap. *Licet*, canon. 14, *De Elect.*, in 6°.

3° Si clericus detineretur ad extorquendam ab eo renuntiationem sui beneficii, vel impediendum quominus Romam adeat et coram tribunali Papæ se sistat (Clement.

Multorum 2, *De Pœnis*, § *Quòd si inferior*, et Constit. *In eminentis Sedis* Alexandri VI).

4° Ipso jure vacant beneficia illius qui, ante expeditionem Litterarum Apostolicarum, beneficii à Papâ sibi collati possessionem apprehendit (Const. Julii III, 27 maii 1553. Vid. etiam cap. *Eum qui* 18, *De Præbendis*, in 6°).

5° Item illius qui Litteras Apostolicas falsificat (cap. *Ad falsariorum*, *De crimine falsi*).

6° Item illorum qui malè promoti ad ordines, v. g. per saltum, vel absque titulo, aut dimissoriis, aut ante legitimam ætatem, in receptis ordinibus ministrare præsumunt (Const. *Sanctum et salutare* Sixti V).

7° Item eorum qui bona Ecclesiæ suæ, extra casus à jure permissos, absque Sedis Apostolicæ consensu alienant (Extravag. *Ambitiosæ*, inter comm.).

8° Item propter crimen assassinii, non tantùm in iis qui pretio conducti occidunt, sed in iis qui pretio conducunt (Cap. 1, *De Homicidio*, in 6°).

9° Item occidentes vel percutientes Cardinalem aut Episcopum, et occidentes rectorem vel beneficiatum illius ecclesiæ in quâ homicida suum habet beneficium.

10° Item crimen procurantis abortum (Const. Sixti V, IV Kalendas nov., 1588).

11° Sodomia, ex Constit. *Horrendum* S. Pii V, 3 Kalendas sept. 1568; propter hoc crimen etiam degradationi reali locus esset.

12° Simonia realis, confidentialis et mixta.

13° Duellum, etiam morte non secutâ (ex variis Bullis et Conc. Trident., sess. 25, c. 19).

Resp. II. Ex jure imponi potest pœna depositionis in sequentibus casibus :

1° Ob omissam habitûs clericalis gestationem (Conc. Trid., sess. 14, c. 6, *De reform.*).

2° Ob omissam residentiam (Trident., sess. 23, cap. 1; sess. 24, cap. 12, *De Reform.*).

3° Quando post sex menses ab obtento beneficio, beneficiarius, legitimè admonitus, contumaciter omittit, saltem bis per quindecim dies, recitare horas canonicas (Ita Concil. Later. V, ap. Labbe, t. 14. col. 227).

4° Si excommunicatus, vel suspensus insordescat per annum in suâ excommunicatione, vel suspensione. Ita communiter ex Conc. Trid., sess. 25, cap. 3.

5° Si quis sit irregularis ex delicto privatione beneficii digno.

6° Ob homicidium, furtum, perjurium, etc. (cap. *Cùm non ab homine*, *De Judiciis*).

7° Ob sacrilegium cum moniali : imò dubitatur in hoc casu an privatio non incurratur ipso facto (Can. 28, *Si qua monacharum*, causa 27, q. 1ª).

8° Ob concubinatum (Conc. Trid., sess. 25, c. 14, et sess. 21, cap. 6, *De reform.*). Quando solummodo constat de frequenti conversatione cum muliere suspectâ, non potest statim procedi ad privationem officii, sed servanda est forma à Trident. præscripta ; attamen post primam monitionem et punitionem, qui curam habent animarum (non autem alii beneficiarii), si non resipiscant, suo beneficio privari possunt ex eodem Concilio Trident. (sess. 21, cap. 6, *De reform.*).

Quando verò constat de iterato actu carnali, imò de unicâ fornicatione, controvertitur utrum statim possit procedi ad depositionem officii. Certum tamen videtur quòd ad hanc possit procedi, ubi talis viget consuetudo.

9° Casu quo ecclesiasticæ personæ directè vel indirectè aliam personam ecclesiasticam trahunt ad forum seu judicium laicale pro negotio de quo in foro ecclesiastico ordinari consuevit, vel potest de jure, vel consuetudine, vel aliàs ; non tantùm personæ hujusmodi excommunicationem ipso facto incurrunt per Bullam Martini V *Ad reprimendas insolentias*, *sed si rebelles sint et incontinenti non obediant*, *per privationem suorum beneficiorum compelli possunt*. Sunt et plures alii casus quibus ex jure infligi potest pœna privationis.

II. — De officiis ad nutum amovibilibus.

312. Talia imprimis sunt parochiæ quæ apud nos *succursales* nuncupantur. Olim, *deservitor* dicebatur ille sacerdos qui provisoriè ministrabat ecclesiæ vacanti ; *succursalis* verò dicebatur Ecclesia seu capella, quæ erat constituta

intra fines alicujus parochiæ, et in quâ, sub regimine Pastoris dictæ parochiæ, *Vicarius amovibilis* obibat ministeria pastoralia celebrabatque divina officia. Hodie in Galliâ rectores succursalium sunt veri parochi, quamvis amovibiles ad Episcopi nutum.

Legitima est institutio Succursalium quales hodie apud nos existunt. Etenim, ut suprà diximus, de essentiâ parochi non est quòd sit inamovibilis; reclamatio S. Sedis contra *articulos organicos* absolutum servat silentium de art. 31, 60, 61, ubi de sacerdotibus ad succursales parochias nominatis dicitur : « Ils seront approuvés par l'Évêque « et révocables par lui. » Imò Consultationi Episcopi Leodiensis responsum fuit à Sede Apostolicâ, 1 maii 1845, quòd « SS. DD. Noster, universâ rei de quâ in precibus « ratione perpensâ.... benignè annuit, ut in regimine « *ecclesiarum succursalium*, de quibus agitur, *nulla immu-* « *tatio fiat, donec aliter à S. Sede Apostolicâ statutum* « *fuerit* »; et qui hujusmodi regimen identidem criminare tentârunt, improbati fuêre à S. Sede : ut FF. Allignol, Dagomer, etc., et recenter D. André Vallis Clausæ (Vaucluse) parochus.

Item amovibiles sunt Vicarii Generales, Officiales.

Item apud nos Archipresbyteri et Decani rurales.

In multis Capitulis Vicarius, ad curam parochiæ Cathedralis deputatus, est amovibilis, et quidem in Galliâ, ordinariè ad nutum Episcopi : « Canonicus Curatus ab officio suo, « non autem à Præbendâ, *nutu Episcopi* erit amovibilis », inquiunt Constitutiones Capitulares diœcesis Molinensis (art. 27) à S. Sede approbatæ.

313. Quærit. Utrum parochi vel alii ad nutum amovibiles revocari possint sinè causâ?

Resp. Quidquid dicant pauci contradicentes, communiter à DD. sustinetur sententia affirmans : ratio, quia illud est de naturâ officii ad nutum revocabilis : « Est de essentiâ « *manualitatis* ut possit fieri revocatio *ad nutum*, sed jus « revocandi ad nutum est jus revocandi sinè causâ : ergo « de essentiâ manualitatis est ut legitimè possit revocatio « sine causâ fieri. » Et insuper sic decisum fuit à Rotâ Romanâ die 23 junii 1642. Bouix, *De Parocho*, p. 411;

Card. Soglia, *Instit. jur. privat.*, p. 15; *Analecta*, sept. 1855, col. 1657.

Exceptiones tamen quasdam apponunt canonistæ, nempe : « Si amotio fiat ex odio aperto [1] vel legitimè præ« sumpto; si cedat in infamiam revocati, vel ipsi damnum « ab amissione beneficii diversum inferat; si cedat in dam« num tertii, præsertim parochiæ; si non soleat superior « revocare sinè causâ, quia tunc redit casus damni quoad « famam. » Ita Bouix (*ibid.*, p. 419), qui tamen (p. 415) asserit quòd « ex eo quòd revocans sinè causâ agat ex « pravo motivo non sequitur eum non uti jure suo, aut « injuriam facere revocato. »

« Si quis, ait idem (p. 419), sinè causâ removeretur « quin simul alteri parochiæ vel muneri præficeretur, « posset ad superiorem recurrere : tunc enim graviter « læderetur ejus fama, quia ex gravi culpâ remotus cen« seretur. »

Addendum tamen peccare eum qui, absque ullâ causâ honestâ et rationabili, revocat aliquem ab officio, etiam ad nutum amovibili : unusquisque enim tenetur in suis actibus habere finem honestum, et insuper frequens rectorum mutatio esset Ecclesiæ damnosa.

§ IV.

De cessatione jurisdictionis ordinariæ in quibusdam eventibus, à supra enumeratis distinctis.

314. Pluribus aliis modis cessare potest jurisdictio ordinaria, et vacare queunt officia ecclesiastica :

« 1° Igitur vacat de jure et de facto beneficium per « mortem naturalem beneficiati. Cap. *Susceptum* 6, *De « Rescriptis*, in 6°, Rota...

« 2° Vacat ipso jure per mortem civilem [2], veluti per

[1] Odium non præsumitur, sed probandum est à revocato, idem est dicendum de infamiâ vel damno ex mutatione obveniendo. Vide *Analecta*, sept. 1855, col. 1660, n° 66.

[2] « Per mortem civilem, veluti per captivitatem Episcopi aut alte« rius beneficiati, per deportationem, per damnationem ad carcerem

« ingressum Religionis professione secutâ.Cap. *Beneficium* « 4, *De Regul.*, in 6°, Rota... Intra annum probationis... « non vacat, ne egrediens de religione illo privetur. Cap. « cap. *Beneficium*... Quoad religiosos Societatis Jesu om- « ninò servanda est Constit. Bened. XIV... *Ex quo dilec-* « *tus*...

« 5° Vacat per contractum matrimonii per verba *de* « *præsenti*, etiam non secutâ copulâ, non verò per spon- « salia. Cap. *Si quis clericorum* 1; cap. *Quod à te*, *De cle-* « *ricis conjug.*, Rota... Ad effectum... vacationis propter « matrimonium, attenditur solum factum, non autem facti « validitas... Rota...

« 6° Vacat ipso jure beneficium per militiam sæcularem « à clerico minoristâ assumptam... Cap. *Quicumque ex* « *clero* 6, causa 23, q. 8... » Ita Ferraris, v° *Beneficium*, art. 7, n^is^ 1-12.

Quoad Vicarios Generales et Officiales, quocumque modo vacet Sedes Episcopalis, per mortem, dimissionem, revocationem, etc., statim ipso facto, hæc jurisdictio vicaria cessat.

ART. III.

DE RESTRICTIONE JURISDICTIONIS.

315. Jurisdictio restringitur quando ei, aut subducuntur certi subditi, aut subducitur certa materia quæ alioquin eidem subjecisset : subducuntur subditi per exemptiones; subducitur materia per reservationes.

Ligari aut etiam suspendi potest jurisdictio per censuras aut irregularitates.

De his omnibus vide, in nostro *Manuali*, loca indicata, n° 567. Sufficiat hic quædam dicere *de Exemptionibus*.

316. Exemptio definiri potest : Privilegium per quod, aliqua communitas regularis aut sæcularis, existens intra

« aut ad triremes perpetuas, beneficia ipso jure non vacant, sed per « vicarium vel coadjutorem administrantur, nisi damnati... per legi- « timi judicis sententiam beneficio quoque privati sint. » Card. Soglia, *Inst. jur. priv.*, § 100.

territorium alicujus jurisdictionis ordinariæ, eidem subducitur.

Adversùs Exemptiones regularium jamdudum acriter invecti sunt varii auctores, qui præsertim in Sedem Apostolicam malè affecti erant. « Quotquot recensebis, à Guil-« lelmo à Sancto Amore usque ad exortam Jansenianam « sectam Pontificiis censuris damnatos ac hæreticâ labe « infectos auctores, inquit D. Bouix (*De Regul.*, t. 2, p. 86), « tot ferè numerabis exemptionum impugnatores acerri-« mos... » His, sæculo proximè elapso, se adjunxit Episcopus De Hontheim sub Febronii nomine. Tria Febronius statuit : 1° Regularium exemptiones monachis in præjudicium juris Episcopalis concessas fuisse; 2° eas esse regulari observantiæ noxias ; imò 3° sæcularibus potestatibus graves.

Ipsemet Bossuetius exemptiones insectatus est, et superbiæ et ambitioni SS. Pontificum eas videtur tribuere (*Def. Declar.*, coroll. n° 11, post ultim. caput tertiæ partis ante appendicem).

Imò et S. Franciscus Salesius: qui, reverà in suâ epistolâ ad Episcopum Bellicensem (319e lettre), ait : « Monseigneur, « je me réjouis, certes, de vos victoires; car, quoi que l'on « sache dire, c'est la plus grande gloire de Dieu que notre « Ordre épiscopal soit reconnu pour ce qu'il est, et que « cette *mousse des exemptions* soit arrachée de l'*arbre de* « *l'Église* où l'on voit qu'elle a fait tant de mal, ainsi que « le S. Concile de Trente a fort bien remarqué » (Sess. 24, c. 11, *De ref.*).

Difficilè dissimulari posset quosdam reverà irrepsisse abusus in nimiâ extensione exemptionum, et sic explicantur verba S. Francisci Salesii modò relata : intelligitur etiam quomodo S. Bernardus (lib. 3, c. 4, n^is^ 16 et 18, *De Consider.*) potuerit dicere de exemptionibus : « Vel « nullæ, vel paucæ admodum sunt (Ecclesiæ) quæ plagam « istam aut non deleant, aut non timeant... Nullus est « enim (fructus), nisi quòd inde Episcopi insolentiores, « monachi etiam dissolutiores fiunt... Quòd si dicat Epis-« copus, nolo esse sub Archiepiscopo; aut Abbas, nolo

« obedire Episcopo, hoc de cœlo non est [1]. » His certe abusibus alludit Concil. Trident. (sess. 24, cap. 11, *De reform.*), ubi caput *Cùm Capella*, *De Privilegiis*, innovat, et ubi tamen dicit : « Quoniam privilegia et *exemptiones*, quæ « variis titulis plerisque conceduntur, *hodie perturba-* « *tionem in Episcoporum jurisdictione excitare*, *et exemptis* « *occasionem laxioris vitæ præbere dignoscuntur*, decernit, « etc. » Sed his concessis, legitimitatem exemptionum in genere in dubium revocare minimè licet.

317. Legitimæ enim sunt exemptiones, si 1° sint antiquissimæ in Ecclesiâ; 2° si nonnisi à legitimo exercitio potestatis competentis procedant : atqui hæc duo certa sunt (loquimur imprimis de exemptionibus regularium, de quibus maximè est difficultas). Ergo, etc.

1° *Exemptiones sunt antiquissimæ :* etenim, anno 390, S. Epiphanius Salaminæ in Cypro Episcopus, ordinationem fecit in monasterio Bethleemitico, ubi degebat S. Hieronymus; et cùm ex hoc illatam fuisse suæ jurisdictioni injuriam conquerebat Joannes Hierosolymitanus, sic se excusavit S. Epiphanius : « Nihil tibi... injuriæ fecimus..; in monas- « terio ordinavimus.., et non in parœcia (*diœcesi*) quæ « tibi subdita sit ». Ergo jam tunc exstabant monasteria à jurisdictione Ordinarii exempta.

Multa alia testimonia referri possunt, ut videri potest apud D. Bouix, *De Regul.*, t. 2, p. 90, etc.; sufficiat hîc tantùm addere quæ statuit S. Gregorius Magnus in Concil. Romano, anno 601 : « Quia in pluribus monasteriis, inquit, « multa à Præsulibus præjudicia atque gravamina mona- « chos pertulisse cognoscimus, oportet ut Vestræ Fraterni- « tatis provisio de futurâ quiete eorum salubri disponat « ordinatione... Interdicimus igitur in nomine D. N. J. C., « et ex auctoritate B. Petri... prohibemus, ut nullus Epis- « coporum aut sæcularium ultra præsumat de redditibus, « rebus, vel chartis monasteriorum... minuere, vel dolos « vel immissiones facere.., neque audeat sibi cathedram

[1] Hæc non impedîre tamen quominus ipse S. Bernardus postulaverit et obtinuerit exemptiones pro suis monasteris, ut constat ex diplomate concesso ab Innocentio II Monasterio B. Mariæ Dei Genitricis.

« collocare, vel quamlibet potestatem habere imperandi, « nec aliquam ordinationem quamvis levissimam faciendi, « nisi ab Abbate loci fuerit rogatus, quatenus monachi « semper maneant in Abbatum suorum potestate. Hanc « ergo scriptorum nostrorum paginam omni futuro tem- « pore ab omnibus Episcopis firmam statuimus illabatam- « que servari.

« Universi Episcopi respondêre : « Libertati monacho- « rum congaudemus, et quæ nunc de his statuit Beatitudo « Vestra, firmamus. »

Ergo antiquissimi juris sunt exemptiones, et verisimillimè simul ac fundata sunt monasteria enatæ, proinde non à falsis Decretalibus Isidorianis.

2° *A legitimo exercitio competentis auctoritatis procedunt.* Constat assertio, modò 1° S. Pontifex possit aliquos eximere à jurisdictione Prælatorum inferiorum, et modò 2° rationes sufficientes habeat ad tales exemptiones constituendas : atqui : 1° Summo Pontifici inest potestas aliquos eximendi à jurisdictione Prælatorum inferiorum. Et hoc est extra omnem controversiam : unde Bianchi, ap. Bouix, *De Regular.*, t. 2, p. 115, ait : « *Non puto ullum existere* « *catholicum qui illud in dubium revocare audeat* (*Potestà* « *della Chiesa*, t. 4, p. 378, edit. Romæ 1846) ».

2° Sunt rationes sufficientes quæ illum ad sic agendum movere possunt :

Illas rationes in extenso exponere non vacat, indicare sufficiat ; istæ enim sunt : ne regularium congregationum unitas dissolvatur ; ut efficaciùs promoveatur et conservetur disciplina religiosa ; ut provideatur quieti religiosorum et ab ipsis varia arceantur gravamina ; ut fortiori vinculo particulares Ecclesiæ centro unitatis Sedi Apostolicæ devinciantur : ex frequentiori enim, et magis intimâ exemptorum ordinum cum Apostolicâ Sede relatione, è regularium castris procedent ad Domini prælia instructi, qui veritatis hostes strenuè repellant atque prosternant. Ergo exemptiones à legitimo exercitio potestatis competentis procedere valent. Ergo, etc.

318. Quærit. 1° Utrum vi exemptionum regulares omnino fuerint subducti jurisdictioni Episcoporum ?

Resp. Negativè : multæ enim exceptiones fuerunt inductæ, sive à jure communi ante Concilium Tridentinum, sive ab ipsomet Concilio Tridentino, sive per varias Constitutiones Pontificias post dictum concilium. Cùm hujusce operis limites non sinant illas enumerare vide de his nostrum *Manuale*, à n° 577, etc.

319. Quærit. 2° Utrum in Galliâ hodie exemptiones subsistant?

Resp. Vel agitur de Regularibus, vel de Capitulis, aut aliis locis : si priùs, subsistunt exemptiones quoad ordines exemptos virorum, ut sunt Jesuitæ, Dominicani, Benedictini, Capuccini, Carthusienses, etc. : quamvis enim sit dictum in lege organicâ, art. 10 : « Tout privilége portant « exemption ou attribution de la puissance pontificale est « aboli », illa lex, utpotè merè civilis, nullo modo valet derogare privilegiis ab auctoritate ecclesiasticâ concessis.

Item Decretum Card. Caprara, 4 junii 1804, quo regulares utriusque sexûs, etiam exempti, jurisdictioni episcopali subduntur, difficultatem non facit, quia est intelligendum de priscis religiosis pro tempore eorum dispersionis, ut patet ex contextu.

Quoad autem Trappistas, prodiit edictum, anno 1834, à Sede Apostolicâ emanatum, in quo dicitur, art. 10 : « Quamvis monasteria Trappensium à jurisdictione epis- « copali exempta sint, ea tamen, ob peculiares rationes et « donec aliter statuatur, jurisdictioni Episcoporum sub- « sunt, qui procedant tanquam delegati Sedis Apostolicæ ».

Quoad verò moniales Galliæ, pluries à Romanis Congregationibus declaratum fuit ipsarum vota esse duntaxat simplicia, proinde ipsas non esse in stricto sensu veras religiosas eorum ordinum quorum regulam sectantur; ergo non verè pertinent ad ordines exemptos.

Si agatur de Capitulis aut aliis locis, constat nulla hodie esse exempta in Galliâ, excepto solo Capitulo S. Dionysii, quod per Breve *Consueverunt* 31 martii 1857, immediatè fuit subjectum Sedi Apostolicæ, simul ac imperialia Gynæcea (*maisons impériales d'éducation pour les filles*), tum id quod in veteri monasterio S. Dionysii, tum ea quæ in locis

Ecouen et *Saint-Germain-en-Laye* erecta existunt, itemque domus quæ vulgò appellatur *Quinze-Vingts*.

Per hoc tamen Breve nihil detractum fuit juribus parochorum, in iis quæ matrimonia eorumque denuntiationes respiciunt, nec etiam quoad funeralia Capitularium, Præsidum, capellanorum, moderatricum, alumnorum, ministrorum, etc.

Iisdem die et anno, S. Pontifex Pius IX alterum Breve *Quæ supremi principes*, etc., edidit, quo instituit *Majorem Capellaniam* (*la Grande Aumônerie*), vi cujus omnes imperiali sacello addicti, familia imperialis omnesque personæ eidem actu inservientes vel addictæ, ubicumque Imperator ejusque imperialis aula versatur, necnon personæ omnes cujusque ordinis, conditionis ac sexûs, quæ degunt in palatiis imperialibus, sive Parisiensi sive Versaliensi; vel commorantur *Saint-Cloud*, *Fontainebleau*, *Compiègne*, *Rambouillet*; vel in castris imperialibus: *Pau*, *Biarritz*, *Strasbourg*, subjiciuntur Supremo Eleemosynario quoad curam pastoralem et regimen ac celebrationem divinorum officiorum, et sacerdoti ab ipso approbato.

320. Quærit. 3° Quænam sint exemptiones quoad jura parochialia?

Resp. Cum nequeamus hîc eas omnes enumerare, sufficiat annotare: 1° Non tantùm religiosi professi, sed novitii et postulantes eximuntur à jurisdictione parochiali: imò ex Conc. Trid. (sess. 24, cap. 11), famuli qui degunt *intra septa* et *actu inserviunt conventui*, possunt, in ecclesiâ aut conventu regularium, communionem paschalem, viaticum, extremam unctionem recipere. Exigit quidem S. Synodus quòd famuli vivant *sub regularium obedientiâ*; sed, ex pluribus declarationibus S. Congr. Conc., colligi potest quòd sic vivere censeantur qui actu conventui deserviunt; item omnes oblati, donati seu tertiarii, qui intra septa monasterii commorantur. Sed hoc privilegio non gaudent advenæ qui in monasterio infirmantur, ex decreto S. Cong. Conc., 17 sept. 1670; et si ibi decedant, non sepeliri debent in eorum ecclesiis.

Neque censendi sunt habitare intra septa et domum, qui

domicilium, intra quidem ambitum monasterii habent, sed à propriè dicto regularium habitaculo sejunctum.

2° Benè autem possunt, ubi saltem viget consuetudo, hospitalia, collegia, aut alia pia loca, per solam Episcopi auctoritatem, eximi ab obligatione recipiendi in parochiâ communionem paschalem, viaticum aut extremam unctionem. Et reverà solent Episcopi capellanum monialium non exemptarum deputare, qui omnia sacramenta, etiam in articulo mortis, eis ministret. Seclusâ tamen consuetudine legitimâ in contrarium, et concessione Episcopi, ad parochum spectat monialibus non exemptis viaticum aut extremam unctionem ministrare.

3° Licet processiones fieri non possint generaliter à regularibus, extra claustra, sinè licentiâ Episcopi; sufficit tamen illa licentia absque parochi assensu; imò per Octavam Corporis Christi, etiam in Dominicâ infra eamdem, possunt processionem facere extra limites conventûs, non petitâ parochi veniâ (Const. *Cùm interdum*, Gregorii XIII).

4° Regulares approbati ad confessiones possunt, toto anno, etiam tempore paschali, sæcularium confessiones excipere; possunt etiam infirmos audire, sed eorum confessione exceptâ, certiorem debent facere parochum (Bened. XIV, *De Syn.*, lib. 11, cap. 14, n^is^ 3-5).

5° Item possunt regulares in suis ecclesiis Eucharistiam distribuere sæcularibus, excepto solo die Paschatis (*De Syn.*, n° 5).

6° Cogere nequit parochus ut sui subjecti præcepto audiendi missam satisfaciant in ecclesiâ parochiali: præceptum enim implere possunt etiam in ecclesiis regularium (*De Syn.*, n° 7).

7° Impedire nequit parochus quin regulares, in suis ecclesiis, horâ sibi benè visâ, prædicent et annuntient festa, vigilias et jejunia sequentis hebdomadæ (Bened. XIV, *De Syn.*, lib. 9, cap. 17, n° 16).

Quoad exemptiones quæ præsertim Confraternitates concernunt, vide decretum S. Congr. Rit., 10 decemb. 1703, in nostro *Manuali*, n° 618.

His addendum est quòd, sive ex privilegiis Apostolicis sive ex consuetudine et dispositione Ordinariorum, plera-

que hospitalia, in Gallià saltem, eximantur à jurisdictione parochiali pro administratione Viatici, extremæ unctionis, necnon pro celebrandis funeribus, non tamen pro matrimoniis inibi celebrandis.

Eximi etiam possunt ab Episcopo, quoad hæc, omnia seminaria, ut constat ex Congr. Conc., in decis. 12 mart. 1757, quæ sic se habet : « An sit locus exercitio jurium « parochialium in seminario Colimbriensi, seu potiùs « constet de libertate ejusdem seminarii in casu», S. Congr. respondit : « Negativè ad primam partem ; affirmativè ad « secundam ».

Idem dicendum est de aliis communitatibus monialium et religiosorum non exemptorum.

J. Granier, 1883

CAPUT IV.

DE JURIBUS ET OBLIGATIONIBUS EORUM QUI HABENT JURISDICTIONEM ECCLESIASTICAM.

321. Jurisdictio ecclesiastica supponit necessariò, in eis qui illam possident, varia jura et prærogativas, videlicet jus ad reverentiam et obedientiam ex parte subditorum. Cùm insuper jura hujusmodi, in inferiorum potiusquam in superiorum gratiam, fuerint istis collata, exinde enascuntur obligationes superiorum, quæ duplicis sunt generis · *positivæ*, nempè, quæ in certis actibus præstandis consistunt, v. g. residentia, etc. ; *negativæ* verò, scilicet in excessibus vitandis.

Cùm minimè nobis liceat de his omnibus hîc sigillatim tractare, sufficiat sermonem facere de juribus Superiorum ecclesiasticorum in genere, et de illorum obligationibus *negativis*, sive de excessibus ab ipsis vitandis.

ART. I.

DE JURIBUS ET PRÆROGATIVIS SUPERIORUM ECCLESIASTICORUM IN GENERE.

322. Jura Superiorum ecclesiasticorum sunt generatim jus ad obedientiam et reverentiam.

1° Obedientia exigit ut inferior suscipiat et exequatur mandata sui Superioris, in his quæ pertinent ad ejus jurisdictionem : hoc enim promisit sacerdos in suâ ordinatione. De vi hujusmodi promissionis, vide S. Liguor., lib. 6, n° 828 : « Agnoscimus presbyterum, inquit Be-« ned. XIV (Const. *Ex quo dilectus*, 14 jan. 1748), hujus-« modi promissionis vigore, eâ lege inter alias astrictum « teneri, ut à servitio ecclesiæ, cui addictus fuerit, disce-« dere nequeat sinè licentiâ Episcopi. » Ad hanc obedientiam tenetur etiam in dubio utrum præceptum sit justum nec ne, quia pro superiore est præsumptio. Non tamen obediendum est, si malum sit quod præcipitur (Can. *Si is qui præest*, 101, causa 11, q. 3). Quando verò ex duobus superioribus, unus præcipit unum et alius contrarium, in rebus quæ verè ad utriusque jurisdictionem pertinent, majori superiori deferendum est : unde « ipsi « Episcopo contra *jus commune* præcipienti non est obtem-« perandum, inquit rectè Lequeux (n° 141 *bis*) : lex enim « communis superior est Episcopo particulari. »

Attamen clericus magis tenetur obedire suo Episcopo quàm Metropolitano, quia iste non est superior, nisi in casu appellationis aut visitationis ; similiter monachus magis tenetur obedire suo Prælato quàm Episcopo.

Item obedientia exigit ut inferior deferat superiori in judicio subeundo. Cap. *Ex litteris*, et cap. *Cùm dilecti* 6, *De dolo et contum.*, nisi, per legitimam appellationem aut recusationem, ejus judicium declinare valeat.

2° Reverentia debetur superioribus, id est, inferiores exhibere debent superioribus externa signa æstimationis et venerationis : coram ipsis assurgendo, primum locum tribuendo, etc. De præcedentiâ opportunè hic esset dicendum ; sed quia limites, intra quos nos continere debemus, id non permittunt, remittimus lectorem ad nostrum *Manuale*, n^is^ 625, etc.

ART. II.

DE EXCESSIBUS PRÆLATORUM, SEU DE ABUSU JURISDICTIONIS ECCLESIASTICÆ.

323. Quærit. 1° Quid intelligatur per abusum jurisdictionis et quomodo contingere possit?

Resp. Abusum jurisdictionis in genere, esse usum illius malum seu illicitum; sed hîc illum non intelligimus nisi quatenus, aliquo modo saltem, lædat jus alienum.

324. Quatuor remedia canonica subditis suppetunt adversùs Prælatorum excessus?

1° *Supplicatio*, seu humilis repræsentatio exhibita *ipsi Superiori excedenti*, ut, re cognitâ, aliud decernat. Leges romanæ insinuabant quòd pateret recursus *à principe malè informato ad principem meliùs informatum*, et ut dicebant, ab *Alexandro dormiente ad vigilantem*. In monumentis ecclesiasticis hoc ipsum pluries commendatur : « Aposto- « lica Sedes, ait S. Bernardus (epist. 170), hoc habet « præcipuum ut non pigeat retractare quòd à se fortè de- « prehenderit fraude elicitum. » Igitur si res fiat cum debitâ reverentiâ, eoque fine ut *rationes* priùs incognitæ adducantur, utiliter fiet ista reclamatio. At verò meritò S. Sedes rejicit eorum expostulationes auctorum quorum libri damnantur eò quòd lædant sanam doctrinam, et qui queruntur se non fuisse auditos. Non enim tales causæ pendent ab intentione scribentis.

2° *Appellatio simplex*, seu propriè dicta; quæ definitur : *actus quo læsus, seu gravatus sententiâ judicis inferioris, causam defert ad judicem superiorem.*

Certum est hoc remedium ab innumeris canonibus expressè esse concessum. De hujusmodi appellatione vide *Manuale* nostrum (5974-5995).

3° *Querimonia*, seu *appellatio extrajudicialis*, quo nomine intelligi potest actus quilibet, per quem subditus læsus extrajudicialiter à judice inferiore recurrit ad superiorem. Hanc facultatem plurimi canones supponunt : « Sacri canones, etiam extra judicium, passim appellare « permittunt, nec solent hujusmodi dici appellationes,

« sed provocationes ad causam. » (Cap. *Cùm sit Romana, De Appell.*).

Et verò hodie istud remedium eò majoris est momenti quòd rariùs contingat propriè dictum judicium.

4° *Recusatio* judicis, cujus reus declinat jurisdictionem propter eas causas quæ à canonibus admittuntur. Huic remedio affinis est *oppositio nullitatis sententiæ.*

325. Quærit. 2° Quibusnam in casibus detur appellatio?

Resp. Generaliter, nisi expressè jus aliquam personarum vel causarum speciem excludat, potest appellari à quocumque gravamine, sive judiciali, sive extrajudiciali, etiam futuro si sit extrajudiciale, si verò sit judiciale, non potest ab eo appellari, nisi jam sit comminatum : in hâc admittendâ regulâ concordant omnes doctores, et constat ex dicto capite *Cùm sit Romana*, et cap. *Concertationi* 8, tit. 15, lib. 2, in 6° ; et est admittenda etiam in causis minoribus et levioribus, ex capit. 11, tit. 28, lib. 2, Decret., ubi Alexander III dicit : « De appellationibus pro causis « minimis interpositis, volumus te tenere quòd eis (*pro « quâcumque levi causâ fiant*) non minùs est, *quàm si pro « majoribus fierent*, deferendum. »

Porrò appellatio, sive judicialis, sive extrajudicialis, fieri debet intra decendium, ex cap. *Concertationi* suprà citato, et ex cap. *Quod ad consultationem* 15, tit. 27, lib. 2 Decret. Secus dicendum de querelâ nullitatis, quæ proponi valet per 30 annos, sed non ultrà, cùm omnis actio dicto tempore præscribatur.

Diximus *nisi expressè jus aliquas causas excludat* : nam à jure excipitur 1° Casus quo Episcopus *extrajudicialiter* prohibet alicui ascensum ad ordines, aut suspendit à jam susceptis, quia Conc. Trident. (cap. 1, sess. 14 *De reform.*) dicit quòd, in illo casu, nulla licentia taliter prohibito vel suspenso suffragare potest; unde ei solummodò relinquitur ad Sedem Apostolicam recursus.

2° Appellatio à censuris *jam inflictis* effectum non habet suspensivum, sed devolutivum tantùm. Ita communiter et constat ex cap. *Is qui, De sentent. excomm.*, in 6° ; et cap. *Ad hæc*, *De appell.* Secus si non fuerint *jam inflictæ* (cap. *Præterea* 4, *De appellat.*).

Si censuræ infligerentur post interjectam appellationem, nullæ essent, casu quo essent latæ ad puniendam inobedientiam erga sententiam à quâ fuit appellatum (cap. *Ad præsentiam* 16, *De appell.*) : secus si infligerentur ante interjectam appellationem.

Appellatio à suspensione, quæ non est à divinis vel ab ordine, sed solùm à beneficio vel à Dignitate, ut puta ab usu pallii aut à pontificalibus, effectum etiam suspensivum habet.

3° Quando quis appellat contra legem quæ ipsi applicatur (nisi injusta videatur, quod supponi potest de lege particulari, v. g. diœcesanâ, vel nisi ob periculum aut grave incommodum desinat obligare), tunc ipsius appellatio non est admittenda utpote frivola (cap. *Reprehensibilis* 26, *De appell.*).

4° In actibus visitationis et correctionis, licet quidem appellare à sententiâ extrajudiciali Antistitis ; at appellatio non habet effectum suspensivum, sed tantùm devolutivum, Conc. Trident., sess. 22, cap. 1, *De reform.*; sess. 24, c. 10, *De ref.*; sess. 13, c. 1, *De ref.*; et cap. *Irrefragabili* 13, *De Offic. Jud. ordin.*

S. C. Concilii consulta an, in causis visitationis et correctionis, appellari possit post definitivam, respondit posse, ita tamen ut appellatio non suspendat executionem contra quod sancitum est. Sess. 24, cap. 10, et sess. 22, cap. 1. Item consulta num decretum illud capit. 10, sess. 24, sustulerit appellationem devolutivam, censuit non sustulisse, sed suspensivam tantùm.

Si verò Episcopus judicialiter procedat in casu visitationis, appellatio effectum habet suspensivum : ita S. Cong. Episc. et Regul. approbata à Clemente VIII, anno 1600, § 90.

Item appellatio à synodalibus Constitutionibus, non suspensivum, sed devolutivum habet effectum. Bened. XIV, *De Synodo*, lib. 13, cap. 5, n° 12.

5° A sententiis interlocutoriis non licet appellare ante definitivam sententiam, nisi hujusmodi sententiæ vim definitivæ habeant, vel nisi *gravamen per definitivam sententiam* reparari, vel ab ipsâ definitivâ appellari non possit

(Conc. Trident., sess. 13, cap. 1, *De Ref.*). Juxta Stremler (*Des peines ecclés.*, p. 403), prohibitio Concilii Trident. locum non habet in causis ecclesiasticis merè civilibus.

6° In causis notoriis non datur appellatio. Ita DD. communiter ex cap. *Cùm sit* 5, ex cap. *Pervenit* 13 et ex cap. *Consuluit*, tit. 28, lib. 2, Decretalium : « Cùm appellatio-« nis remedium non sit ad defensionem iniquitatis, sed ad « præsidium innocentiæ institutum (cap. *Cùm speciali* 61, « *De appell.*). » Excipitur casus in quo delictum notorium aliquo modo defendi posset, ut si quis occidisset in publico, sed allegaret occidisse ad suî defensionem.

7° Si causa fuisset decisa ope juramenti, vel decisa fuisset ope juramenti suppletorii, seu uni litigantium à judice in supplementum probationum delati, et tunc locus esse posset appellationi ; vel fuisset decisa ope juramenti *decisorii*, id est quod una pars alteri defert, et tunc appellari nequiret.

8° Vicario Generali, notario, nuntio curiæ, aliisve officialibus, ob malè gestum officium à judice condemnatis, non conceditur appellatio ad effectum suspensivum.

9° « Generaliter in omnibus iis quæ pertinent ad curam « animarum et rectam sacramentorum administrationem, « adversùs visitationem, correctionem, coercitionem, et « quascumque alias provisiones Episcopi Diœcesani, etiam « quoad exemptos, sive sæculares sive regulares », appellatio non habet effectum suspensivum. V. Bullam *Ad militantis Ecclesiæ*, Bened. XIV, § 9 : in hâc Bullâ accuratè enumerantur varii casus in quibus appellatio non suspendit mandata vel judicia Episcoporum.

10° A sententiâ etiam definitivâ contra verum contumacem prolatâ, appellatio non est recipienda (Decret. S. Cong. Episcop. et Reg. anni 1600).

326. *Nota* quòd clausula, *omni appellatione remotâ*, appellationem non impediat quoad effectum devolutivum, sed tantùm quoad suspensivum ; constat ex Decretali *Pastorali* 53, *De Appell.*, in quâ dicitur quòd, eo casu, si appellans fuerit gravatus injustè, *gravamen hujusmodi per Superiorem poterit emendari*. A fortiori prædicta clausula non impedit *supplicationem, petitionem restitutionis in inte-*

grum, et alia remedia; unde, ait D. Bouix (*De Judic.*, t. 2, p. 265) : « Immeritò Sedes Apostolica insimulatur, « eò quòd causas quandoque judicandas committat cum « dictâ clausulâ, *omni appellatione remotâ.* »

327. Quærit. 3° Utrum liceat appellare à quocumque judice?

Resp. Regulariter illud licere, quia appellatio est species defensionis, quæ oppressis datur contra injuriam judicis : sunt tamen exceptiones : sic 1° non licet appellare à sententiâ Papæ, etiam ad Concilium Generale, nec etiam à Concilio Generali Papæ unito, quia appellatio nequit locum habere, nisi ab inferiore ad Superiorem, et Papa non est Concilio Generali inferior [1].

2° A sententiâ totius Collegii Cardinalium, aut Congregationum Romanarum, et ab ultimâ Rotæ Romanæ sententiâ non datur appellatio : obtineri tamen potest ut negotia contentiosa pluries examinentur à Sacris Congregationibus. Casu autem quo data fuerit decisio cum hâc clausulâ, *et amplius*, peti non potest ut denuò decisio causæ examinetur, nisi ab Emin. Præfecto Congregationis priùs obtenta fuerit de hoc licentia.

3° A sententiâ *arbitrorum compromissariorum*, id est, quos sibi partes concorditer elegerunt, appellari nequit; secus, si ex præscripto legis eos eligere coacti fuerunt.

328. Quærit. 4° Ad quem appellatio fieri possit aut debeat?

Resp. Extra casum appellationis ad Papam, appellandum est à judice inferiori ad immediatum Superiorem; non autem, eo prætermisso, ad mediatum. Constat ex cap. *Dilecti* 66, *De appell.*, et ex cap. *Romana* 3, *De appell.*, in 6°. Proinde 1° A Vicario foraneo, vel alio subjecto Episcopi ad Episcopum, vel ipsius Vicarium Generalem, vel,

[1] Appellantes ad futurum Concilium Generale excommunicantur, et respectivè interdicto subjiciuntur. Bened. XIV, Constit. *Pastoralis*, § 2. Vide Bullam *In Cœnâ Domini*, 2ª except.; Extrav. *Susceptí Regiminis*, Julii II; et Bulla *Execrabilis* Pii II, anno 1459. « Sentire quòd à Papâ « ad concilium appellari possit, est hæreticum », dicit S. Antonius, p. 3, *Summ.*, tit. 23, *De Appell. Papæ*, § 3.

Sede vacante, ad Capitulum aut Vicarium Capitularem appellandum est. 2° Ab Episcopo, vel Vicario Generali, aut, Sede vacante, à Capitulo aut ipsius Vicario, appellandum est ad Archiepiscopum. 3° Ab Archiepiscopo, successivè ad Primatum, Patriarcham et Papam. 4° Cùm Episcopus et Vicarius Generalis idem tribunal efficiant, non est appellandum à Vicario Generali ad Episcopum; nec propter eamdem rationem, à Congregationibus Romanis ad Papam. 5° A delegato appellandum est ad delegantem.

Diximus *extra casum appellationis ad Papam*, quia S. Pontifex, propter suam plenitudinem potestatis, potest quascumque appellationes admittere [1]. Excipiendus est tamen casus in quo S. Sedes per concordatum indulsit alicui regioni ut ad ipsam non appelletur, omissis judicibus intermediis, prout concesserat Galliæ Leo X per suum Concordatum cum Francisco I initum; sed hoc privilegium videtur fuisse suppressum à Pio VII per Constit. *Qui Christi Domini*, quâ extinctæ fuerunt omnes sedes Episcopales et Archiepiscopales Galliæ, simul cum earum omnibus juribus et privilegiis; et de facto nunc à Sede Apostolicâ admittuntur appellationes è Galliâ venientes, etiam omissis judicibus intermediis.

Imprimis hîc notandum quòd appellatio notificari debeat ei à cujus sententiâ appellatur, alioquin neque suspensivum neque devolutivum effectum habet. Constat variis capitibus juris canonici (*Ut debitus* 50, *De appell.*; Clement. *Si à judicibus*, tit. 12, libr. 2, etc.). Quidam excipiuntur casus, pro quibus vide D. Bouix, *De judiciis*, p. 268, etc.

Si in eodem negotio una pars appellaverit ad Papam, altera verè ad Superiorem immediatum, qui ad Papam appellaverit, suam appellationem superiori immediato notificare debet, ne iste ulteriùs procedat; alioquin, quod ipse appellationem ad Papam ignorans perageret, validum esset. Ita cap. *Si duobus* 7, *De appellat.*

[1] Si quis cuperet habere brevem monumentorum seriem quibus constat, à primævis Ecclesiæ sæculis, fuisse de toto orbe ad Sedem Apostolicam appellatum, videat Devoti, *De Judiciis*, tit. 15, § 28, in notis.

Nuntii verò S. Sedis non gaudent privilegio ut ad ipsos possit appellari, omisso medio.

329. Quærit. 5° Quandonam deserta censeri debeat appellatio?

Respondet Schmalzgrueber (lib. 2, tit. 28, n° 79) : « Ad « appellationem prosequendam et finiendam (à quocum- « que gravamine, etiam extrajudiciali, appellatum fuerit), « conceditur annus, et ex justâ causâ, biennium; intra « quod tempus, si appellans, justo impedimento cessante, « appellationem suam non fuerit prosecutus, illa deserta « censebitur. »

Dictus terminus currere incipit à die interpositæ appellationis ; sed si fuerit appellatum à gravamine inferendo, incipit currere tantùm à die quo de facto gravamen fuit illatum (Clement. 3, *De appellat.*).

De *fatalibus* appellationum, seu de temporibus, quibus elapsis, non ampliùs conceduntur, vel concessæ extinguuntur, vide nostrum *Manuale* (5988, etc.).

DE APPELLATIONE AB ABUSU.

330. Præter appellationem simplicem, de quâ modò locuti sumus, et quæ est remedium canonicum seu ab Ecclesiâ institutum ad sanandos Potestatum ecclesiasticarum abusus, invectum est aliud appellationis genus, non ab Ecclesiâ, sed contra Ecclesiam institutum, et cui inditum fuit nomen *Appellatio ab abusu.* In eo consistit quòd *ad sæcularem potestatem, recursus habeatur ad se tuendum contra excessus Superiorum ecclesiasticorum.*

331. Quærit. 1° Utrum hujusmodi appellatio sit licita?

Resp. Eam licitam esse contendunt illi Gallicani qui *parlamentarii* nuncupantur, qualis fuit Fevretus qui ait (*De l'Abus*, liv. 1, ch. 1, n° 21) : « L'on peut dire avec vérité « que celui qui, le premier en introduisit la façon, devrait, « comme Archimède, s'écrier deux ou trois fois : *Je l'ai « trouvé.*» Sed omninò negativè respondere multa cogunt, videlicet :

1° Ecclesia est societas perfecta, omninò independens à societate temporali, quod quidem est de fide, et probari potest ex Bullâ Bonifacii VIII *Unam sanctam.* Porrò Eccle-

sia non omnino esset independens à sæculari potestate, si per recursum ad principem temporalem, actus Superiorum ecclesiasticorum retractari deberent. Et verò sæcularibus intoleranda usurpatio videretur, quòd actus civilis administrationis ab Episcopis reformarentur. Ergo à fortiori monstruosum quid et damnabile haberi debet quòd actus Superiorum ecclesiasticorum reformentur à sæcularibus magistratibus. Nonne enim sicut monstruosum esset quòd anima subderet corpori, sic est quid absurdum quòd spiritualis societas temporali subjaceat? Cui enim dictum fuit : « Quæcumque alligaveritis super terram, erunt ligata et in « cœlo » (Matth., c. 18, v. 18)? Cui hæc verba directa sunt: « Pasce oves meas, pasce agnos meos » (S. Joann., v. 15-17. c. 21)? Regibus aut principibus sæcularibus? An potius Petro et Apostolis ac eorum Successoribus? Quinam positi fuerunt à S. Spiritu regere Ecclesiam Dei (Act. Apost., c. 20, v. 28)? Episcopi? an magistratus civiles? — Dedit quidem Christus Ecclesiæ suæ *Apostolos*, *Evangelistas*, *Pastores* et *Doctores*, *ut non circumferamur omni vento doctrinæ* (Ad Eph., c. 4, v. 14), numquid et ad hunc finem dedit etiam reges et principes?

Et verò Gallicani, ex his verbis : *Regnum meum non est de hoc mundo* (S. Joann., c. 18, v. 26), concludi volunt superiores ecclesiasticos nullam habere potestatem in temporalia; et cur non etiam exinde concludunt magistratus sæculares nihil prætendere debere in spiritualia, quæ de hoc mundo non sunt, nec proindè temporali et mundanæ potestati subdunt?

Sed quod maximè lugendum est, ipsimet clerici aliquando non erubescunt ad probrosas hujusmodi appellationes recurrere, ut suas contrà Prælatos rebelliones tueantur, non verentes sic pedibus conculcare suæ matris Ecclesiæ leges quæ talia prohibet, imò suis anathematibus plectit. Dicunt sic se agere virtute *libertatum gallicanarum*: audiant ergo ipsam Ecclesiam Gallicanam, ore suorum Antistitum coram Ludovico XIV, anno 1666, de hoc sic lamentantem : « Cette jurisprudence, Sire (verba faciebat « nomine omnium suorum Collegarum Episcopus Apa- « miensis), s'est maintenant portée à un tel excès, qu'elle

« détruit absolument l'autorité de l'Église; elle y renverse « tout l'ordre judiciaire; *elle nourrit la rébellion des ecclé-* « *siastiques qui vivent dans le déréglement; elle leur ac-* « *quiert un privilége d'impunité;* elle réduit les Prélats à « l'impuissance de maintenir la discipline, puisqu'elle les « arrache de leurs siéges ; et, *au lieu que J.-C. les avait* « *établis juges*, elle les rend de misérables solliciteurs de « procès. Sire, les rois, prédécesseurs de Votre Majesté, « n'ont jamais autorisé cette nouveauté dans ses commen- « cements; ils s'y sont même opposés dans ses progrès; « mais la pente du siècle infecté de la plus étendue et de « la plus libertine de toutes les hérésies tournait trop de ce « côté-là... Il n'y a plus de règle certaine; on donne le « nom d'abus quand on veut à toutes sortes de procédures; « et ceux qui sont véritablement juges et parties attirent, « sous ce faux prétexte, toutes sortes de causes à leur con- « naissance... Nous lisons, Sire, que les empereurs Théo- « dose, Charlemagne et Louis le Débonnaire ont permis à « leurs sujets, qui plaidaient devant leurs juges pour des « causes même temporelles, de demander le jugement « ou l'arbitrage paternel de leurs Évêques; mais nous ne « trouvons point qu'il ait été jamais permis d'appeler d'une « cause spirituelle aux tribunaux temporels, principale- « ment dans les causes ecclésiastiques » (*Mém. du clergé*, t. 7, col. 1526). Similes sui doloris clamores pluries jam antea ediderat Clerus Gallicanus, videlicet anno 1605 coram Henrico IV, et annis 1614, 1635 (*Mém. du clergé*, t. 7, col. 1516, 1519). His consonant quæ dixit Fleury (*Opuscules* publiés par E. Emery, *Discours sur les libertés de l'Église gallicane*): « Si quelque étranger, zélé pour les lois « de l'Église et peu disposé à flatter les puissances tempo- « relles, voulait faire un traité des servitudes de l'Église « gallicane, il ne manquerait pas de matière; il ne lui « serait pas difficile de faire passer pour telles les *appella-* « *tions comme d'abus*, etc. »

Non ergo mirandum quòd Leo XII hæc scripserit ad Ludovicum XVIII : « On médite d'ouvrir de nouvelles plaies « dans le sein de l'Église, en remettant en vigueur les « *Appels comme d'abus*, inconnus à la vénérable antiquité,

« source de désordres éternels et de vexations continuelles « contre le Clergé, usurpation manifeste des droits les plus « sacrés de l'Église. »

2° Hi recursus ad potestatem sæcularem prohibentur à canonibus, et quidem gravissimis pœnis. Constat ex can. *Benè quidem*, dist. 96, ubi vetatur « quibuslibet laicis « quamvis religiosis vel potentibus, in quâcumque civitate, « quolibet modo, aliquid decernere de facultatibus eccle- « siasticis, quorum solis sacerdotibus disponendi indiscussè « à Deo cura commissa docetur. »

In Decretali *Qualiter* 17, *De judiciis*, sic loquitur Innocent. III : « Nec pro defectu justitiæ, clerici trahantur à « laicis ad judicium sæculare, quòd omninò fieri prohi- « bemus. »

Martinus V, in suâ Const. *Ad reprimendas insolentias*, latæ excommunicationis pœnam infligit judicibus, officialibus laicis, ecclesiasticis personis sæcularibus vel regularibus, cujuslibet Dignitatis, quæ directè vel indirectè trahunt ad forum seu judicium laicale.

Eâdem pœnâ plectuntur per Bullam *In Cœnâ Domini*, qui, prætextu frivolæ appellationis, causas ecclesiasticas transferunt ad sæculare forum.

Hujusmodi pœnæ vigent in Galliâ, ut constat ex oratione suprà citatâ Cleri Gallicani, anno 1666 (*Mém. du Clergé*, t. 7, col. 1526), ubi dicitur : « Si enfin par la décision de « tant de Conciles et par la créance universelle de tous « les fidèles, durant tant de siècles, tous les ecclésiastiques, « qui, pour se soustraire à la juridiction de leurs Évêques, « appelaient au juge séculier, *encouraient l'anathème* avec « ceux qui recevaient leurs appellations... *en quel état sont « les prêtres et les juges qui violent tant de canons qui « n'ont jamais été révoqués* ? » Ergò illicita omninò et damnabilis est praxis *appellationum tanquam ab abusu*, talesque appellationes prorsùs nullæ et invalidæ sunt [1].

Objicitur 1° Ad principem christianum et magistratum

[1] Sic habet Syllabus à Pio IX editus : « Civili potestati... competit, « nedum jus quod vocatur *exequatur*, sed etiam jus appellationis, « quam nuncupant *ab abusu*. » Est error 41. V. etiam C. *Apost. Sed.* exc. 6, 7, 8.

sæcularem pertinet protegere Ecclesiam et procurare observationem legum canonicarum. Ergo ad ipsos licet recurrere, quando hujusmodi leges ab ipsismet Superioribus ecclesiasticis infringuntur.

Resp. Negando consequens et consequentiam ; ex eo quòd enim principes christiani et magistratus ab ipsis constituti, teneantur Ecclesiam tueri, et ipsius legum observationem procurare, minimè sequitur quòd ad ipsos liceat recurrere, quando leges ecclesiasticæ et canones non observantur à Superioribus et judicibus ecclesiasticis ; quippe ipsæmet leges Ecclesiæ et canones hujusmodi recursum prohibent, sanciuntque ut tunc potiùs habeatur recursus ad tribunal ecclesiasticum gradûs superioris : alioquin factum esset de independentiâ et libertate Ecclesiæ. Proindè ex eo quòd principes christiani sint protectores et defensores Ecclesiæ ac ipsius legum, hoc unum sequitur quòd procurare debeant ut illæ observentur juxta placitum Superiorum ecclesiasticorum, et in casu illarum violationis, ut inferioribus liber sit recursus ad eos Superiores qui, juxta canones, talibus infractionibus mederi valent : alioquin, si quid ultrà facere voluerint, nihil aliud erit quàm sacrilegè thuribulo manum adjicere, et jurisdictionem solis ministris Ecclesiæ à Christo attributam damnabiliter usurpare.

Objic. 2° Magistratibus civilibus maximè incumbit subjectos contra vim et oppressionem defendere. Ergo si ipsis superior ecclesiasticus injuriam inferat, fas erit oppresso ad principem aut magistratum ab eo institutum confugere, qui tali injuriæ remedium opportunum afferat. Ergo, etc.

Resp. Debet quidem princeps et ipsius nomine magistratus, subjectos tueri contra vim et oppressionem, sed ita tamen ut non usurpet jurisdictionem Ecclesiæ, quam independentem à sæculari potestate Christus instituit ; porrò si, in negotio ecclesiastico, princeps aut magistratus appellantes à judice ecclesiastico susciperet, manifestè usurparet jurisdictionem ipsius Ecclesiæ, ut patet. Ergo contra oppressionem iniquæ sententiæ, princeps non aliter debet protegere suos subjectos quàm procurando ut sententia reformetur à judice competente ecclesiastico. Dixi-

mus *in negotio ecclesiastico*, nam si ageretur *de negotio* evidenter *temporali, et nullatenus pertinente ad forum ecclesiasticum*, posset magistratus sæcularis de eo liberè disponere, non obstante *abusu notorio* potestatis ex parte judicis Ecclesiæ.

Vide aliarum object. solutionem in nostro *Manuali* (667).

332. Etsi illicitæ et nullæ sint appellationes *ab abusu*, ut modò probavimus, quia tamen ad eas non verentur recurrere quidam depravati et suspectæ fidei sacerdotes, et apud nos admittantur à sæculari potestate, necesse est cognoscere quænam à legibus civilibus circa hujusmodi appellationes statuantur. Sic ergo legitur in lege organicâ :

« Art. 6. Il y aura recours au Conseil d'État dans tous « les cas d'abus de la part des supérieurs et autres per- « sonnes ecclésiastiques.

« Les cas d'abus sont : l'usurpation ou l'excès de pou- « voir ; la contravention aux lois et règlements de la répu- « blique ; l'infraction des règles consacrées par les canons « reçus en France ; l'attentat aux libertés, franchises et « coutumes de l'Église Gallicane, et toute entreprise et tout « procédé qui, dans l'exercice du culte, peut compro- « mettre l'honneur des citoyens, troubler arbitrairement « leur conscience, dégénérer contre eux en oppression, « ou en injure, ou en scandale public.

« Art. 7. Il y aura pareillement recours au Conseil « d'État, s'il est porté atteinte à l'exercice du culte et à la « liberté que les lois et les règlements garantissent à ses « ministres. »

« Art. 8. Le recours compétera à toute personne inté- « ressée. A défaut de plainte particulière, il sera exercé « d'office par les Préfets.

« Le fonctionnaire public, l'ecclésiastique ou la personne « qui voudra adresser ce recours, adressera un mémoire « détaillé au Conseiller d'État chargé de toutes les affaires « concernant les cultes (aujourd'hui au Ministre des cultes), « lequel sera tenu de prendre dans le plus court délai « tous les renseignements convenables, et sur son rapport, « l'affaire sera suivie et définitivement terminée dans la

« forme administrative, ou renvoyée, selon l'exigence « des cas, aux autorités compétentes. »

Duplex sententiarum genus indicatur in hoc articulo : interdum enim Consilium Statûs *definitivè* pronuntiat, declarando, v. g., nullum esse abusum, vel pronuntiando, illum ècontra adfuisse, ac proindè præcipiendo, v. g., alicujus scripti suppressionem; interdum verò causam *remittit* ad aliud tribunal : sive sæculare, si de delicto aut negotio sæculari agatur; sive ecclesiasticum, si ad hujusmodi forum spectare judicet.

333. Contra præfatos articulos reclamavit Sedes Apostolica; sic enim aiebat Cardin. Caprara in suâ epistolâ 18 aug. 1803, ad D. De Talleyrand :

« Un des cas d'abus est l'usurpation ou l'excès de pou-
« voir; mais en matière de juridiction spirituelle, l'Église
« en est seule juge : il n'appartient qu'à elle de déclarer *en*
« *quoi l'on a excédé* ou *abusé des pouvoirs* qu'elle seule peut
« conférer. La puissance temporelle ne peut connaître de
« l'*abus excessif* d'une chose qu'elle n'accorde pas.

« Un second cas d'abus est la *contravention aux lois et*
« *règlements de la république*; mais si ces lois, si ces
« règlements sont en opposition avec la doctrine chré-
« tienne, faudra-t-il que le prêtre les observe de préférence
« à la loi de J.-C. ?...

« On range encore dans la classe des abus l'infraction
« des règles consacrées en France par les saints Canons...
« Mais ces règles ont dû émaner de l'Église; c'est donc à
« elle seule de prononcer sur leur infraction, car elle seule
« en connaît l'esprit et les dispositions.

« On dit enfin qu'il y a lieu à l'appel comme d'abus *pour*
« *toute entreprise qui tend à compromettre l'honneur des*
« *citoyens, à troubler leur conscience, ou qui dégénère contre*
« *eux en oppression, injure ou scandale public.*

« Mais si un divorcé, si un hérétique connu en public
« se présente pour recevoir les sacrements, et qu'on les lui
« refuse, il prétendra qu'on lui a fait injure, il criera au
« scandale, il portera sa plainte; on l'admettra d'après la
« loi; et cependant le prêtre inculpé n'aura fait que son

« devoir, puisque les sacrements ne doivent jamais être « conférés à des personnes notoirement indignes.

« En vain s'appuierait-on sur l'usage constant des *appels « comme d'abus*. Cet usage ne remonte pas au delà du « règne de Philippe de Valois, mort en 1350 [1]. Il n'a « jamais été constant et uniforme; il a varié selon les « temps; les parlements avaient un intérêt tout particulier « à l'accréditer : ils augmentaient leurs pouvoirs et leur « attribution. Mais ce qui flatte n'est pas toujours juste : « ainsi Louis XIV, par l'édit de 1695, art. 34, 35, 36, 37, « n'attribuait-il aux magistrats séculiers que l'examen *des « formes*, en leur *prescrivant* de renvoyer le fond au « Supérieur ecclésiastique. Or, cette restriction n'existe « nullement dans *les Articles organiques* : ils attribuent « indistinctement au Conseil d'État le jugement de la « forme et celui du fond... » etc.

In Concordato anni 1817 stipulatum fuit, art. 3 : « Les « *Articles* dits *organiques*, qui furent faits à l'insu de Sa « Sainteté, et publiés sans son aveu, le 8 avril 1802, en « même temps que ledit Concordat du 15 juillet 1801, « sont abrogés en ce qu'ils ont de contraire à la doctrine « et aux lois de l'Église. »

DISSERTATIO SECUNDA.

DE HIERARCHIA JURISDICTIONIS IN SPECIE.

CAPUT I.

DE S. PONTIFICE.

334. Is vocatur *Papa*, quod nomen significat *Patrem* et venit à græco verbo παππας, latinè *pater*. Initio quidem proprium fuit omnium Episcoporum; quin etiam sæpè ad

[1] « Appellationes *ab abusu* in Galliis non sunt antiquæ : nec eas « ante tempora Francisci I vel Ludovici XII reperire facilè est. Antea « fiebat nonnumquam *protestatio de nullitate sententiæ aut mandati.* » Lequeux, n° 156.

minores quoque clericos translatum est; sed jamdiu solus Romanus Pontifex eo nomine designatur.

335. Quærit. Quomodo facienda sit electio S. Pontificis?

Resp. Primis Ecclesiæ sæculis, præsente ac testimonium dicente populo, tum Cleri suffragio, tum Episcoporum judicio, eligebantur Summi Pontifices. A tempore verò Papæ Simplicii, seu anno 467, usque ad Zachariam anno 741, Principes sæculares, præsertim Odoacer, Theodoricus, imperator Justinianus, etc., conati sunt intrudere consuetudinem, ut sinè suâ confirmatione, nullus agnosceretur S. Pontifex. Sed sua tandem restituta est Ecclesiæ Romanæ antiqua libertas, et communiter ut apocryphi rejiciuntur duo canones à Gratiano relati (aut saltem de illorum ingenuitate valdè dubitatur), quibus attribuitur Carolo Magno et Othoni I potestas Papam eligendi (can. *Hadrianus* 22, dist. 63; et can. *In Synodo* 23, dist. 63).

Primus qui præcipuam partem in hoc negotio Cardinalibus tribuit, fuit Nicolaus II. Eisdem verò solis ad exclusionem Cleri populique Romani et Imperatoris, Alexander III, anno 1178, totam reservavit in Concilio Lateranensi III, sancivitque ut nonnisi à duabus partibus ipsorum præsentium perfici posset electio (cap. *Licet*, *De Elect.*).

Dispositiones Alexandri III confirmatæ fuêre in Conciliis œcumenicis Lugdunensi II, anno 1274, et Viennensi, anno 1312, additis variis præscriptionibus, quarum præcipua est quòd electio in posterùm facienda foret in Conclavi.

Multas alias dispositiones adjecêre subsequentes Pontifices : posteriores breviter referemus.

Statim post mortem Papæ, convocandi sunt Cardinales (qui ad diaconatum saltem sint promoti, nisi priùs à Papâ dispensationem obtinuerint); omnes, etiam absentes, imò et excommunicati, suspensi, aut interdicti vocandi sunt, ne ullus possit esse schismatis prætextus ; item Cardinales nuper creati, etsi Cardinalatûs insignia nondum fuerint adepti.

Convocati Cardinales, per decem dies integros regulariter sunt expectandi. Interim demortui Pontificis funera

celebrantur ; die verò decimo, Cardinales Conclave ingrediuntur cum duobus vel tribus clericis, qui ideò *Conclavistæ* vocantur.

Semel ingressis exire non licet ante electionem peractam ; et qui à morbo coactus exiret, jus regrediendi amitteret. Admittendi sunt tamen Cardinales tardiùs advenientes.

Ex Constitutione *Æterni Patris* Gregorii XV, electio fieri potest per *Scrutinium aut per Compromissum*, aut per *Quasi inspirationem*. Solet autem fieri per scrutinium : ad hoc tres sorte eliguntur scrutatores : præstitoque ab unoquoque Cardinalium juramento eligendi quem digniorem existimaverit, singuli suum deponunt votum in calice super altari posito; scrutatis deinde suffragiis, si duæ ex tribus partibus in unum conveniant, res perfecta est, modò non opponatur sibimet electum suffragium contulisse : quia in hoc casu electio foret nulla, nisi peracta fuisset à plus quàm duabus ex tribus partibus.

Semel autem publicato scrutinio, si duæ partes in unum conveniant, electores non possunt ampliùs variare : ideòque ii Cardinales quibus incumbit tueri sæcularium principum jura, non debent expectare finem scrutinii, si videant electionem hùc vergere ut is designetur quem sua Curia repellit (sciendum est enim tres principes : Germanum videlicet Imperatorem, Regem vel Imperatorem Galliæ, Hispaniæque Regem habere singulos jus unum excludendi). Si verò duæ ex tribus partibus electorum in unum non convenerint, etiam publicato scrutinio, potest procedi ad hoc quod vocatur *Accessus*, seu potest minor pars accedere ad majorem, imò major ad minorem et etiam minimam ; et si, ex hâc accessione, duæ partes electorum in idem conveniant, absoluta est electio. Scrutinium habet locum singulis diebus, mane et vespere ; accessus tantùm vesperè, usquedum perfecta sit electio.

Peractâ electione, statim qui electus est salutatur Pontifex, petiturque ipsius *consensus* ; quo dato, continuò, absque ullâ quâcumque confirmatione, sic electus, etsi ad ordines nondum promotus, efficitur Christi *Vicarius*, supremam et plenam possidens auctoritatem in universalem

Ecclesiam. Ordinariè suum nomen commutat[1]; et, si nondum ad ordines aut ad Episcopatum sit promotus, ordinatur, et episcopalem consecrationem accipit; si verò jam erat Episcopus, proceditur tantùm ad ceremoniam Coronationis.

« Electio Papæ debet celebrari in Conclavi clauso, et « uno ex dictis tribus modis; aliàs nulla est et invalida eo « ipso absque ullâ declaratione, et tàm electus quàm eli « gentes ejusque fautores et complices incurrunt excom- « municationem aliasque censuras et pœnas S. Pontifici « reservatas. Sic expressè Gregor. XV in Constit. *Æterni* « *Patris.* » Ferraris, v° *Papa*, n° 58. Romæ fieri debet electio : attamen alibi fieri potest aut debet, si Papa è vivis extra Romam decedat, aut tales sint temporum angustiæ ut Romæ peragi nequeat, prout post mortem Pii VI contigit.

Addendum superest quòd, postquam S. Pontifex fuerit electus et coronatus, si caractere episcopali nondum fuerit insignitus, consecratur per Decanum Sacri Collegii, inter missarum solemnia, post hymnum angelicum.

336. Præter ornamenta episcopalia, Papa *orario* seu *stolâ* semper utitur; cingit *tiaram* tribus circumdatam coronis[2], quibus triplex ipsius *magistri*, *legislatoris* et *judicis* monarchica potestas significatur. Baculo verò pastorali non utitur, quia baculum curvum limitatam et ab alio participatam designare videtur potestatem (vid. cap. *De sac. unct.*, in fin.).

Ex cap. *Ad honor.*, *De auctorit. et usu pallii*, « *solus Ro-* « *manus Pontifex*, *in missarum solemniis*, *pallio semper* « *utitur et ubique*, quoniam assumptus est in plenitudi-

[1] Quisnam fuerit Papa qui primus suum mutavit nomen non omninò constat : alii dicunt fuisse Sergium II, antea vocatum *Os porci*, quod multi fabulam esse asserunt. Alii referunt fuisse Adrianum III; alii autem Joannem XII, cujus nomen erat Octavianus; alii tandem dicunt fuisse Sergium IV, qui, cùm antea Petrus vocaretur, ob tanti nominis venerationem, sibi primus nomen Sergium IV imposuit. Ita Ferraris, v° *Papa*, n° 68.

[2] « Tiarum triplicis coronamenti ex Pontificibus primus gestavit... « Urbanus V, duplicis verò Bonifacius VIII. » Ap. Ferraris, *nota* ad n^m 13, art. 2, v° *Papa*.

« nem ecclesiasticæ potestatis, quæ per pallium signifi-
« catur : alii autem eo nec semper nec ubique, sed in
« Ecclesiâ suâ..., certis debent uti diebus, quoniam
« vocati sunt in *partem* sollicitudinis, non in *plenitudinem*
« potestatis. »

Quòcumque se conferat Papa, crux deferri debet ante eum ; quâ facultate destituuntur ipsi Patriarchæ, in Urbe et in loco quo præsens est S. Pontifex aut ejus Legatus insignibus apostolicis utens (cap. *Antiqua*, *De Privileg.*). Insuper SS. Sacramentum in longis peregrinationibus secum portare solet.

Quæ adhuc dicturi sumus de S. Pontifice, in tres articulos dividemus : in 1° dicemus de ipsius Primatu, in 2° de juribus huic Primatui annexis, in 3° tandem de ipsius Ministris.

ART. I.

DE PRIMATU S. PONTIFICIS.

337. Duplex distinguitur Primatus : *honoris* videlicet et *jurisdictionis*. *Honoris* quidem, per quem ita primum locum obtinet quis ut nullam in alios auctoritatem habeat. *Jurisdictionis* verò, per quem aliquis auctoritate et potestate aliis constituitur superior. Quæritur hic utrum S. Pontifex Primatum; et qualem Primatum habeat in universalem Ecclesiam? Respondetur stabiliendo propositionem sequentem.

338. Propositio. — *S. Pontifex habet jure divino, non tantùm Primatum honoris, sed etiam jurisdictionis in totam Ecclesiam.* — De fide est.

Est contra Protestantes et Græcos schismaticos; item contra Richerium, qui asseruit Christum priùs Ecclesiæ claves seu jurisdictionem dedisse, ita ut Papa et Episcopi tantùm sint Ecclesiæ ministri, et jurisdictionem non exerceant nisi ipsius nomine et consensu. — Contra Jansenistas et Quesnellum, cujus una propositio damnata, 90ª nempè, sic habet : « Ecclesia potestatem excommunicandi

« habet, ut eam exerceat per Primos Pastores, de con-
« sensu saltem præsumpto ipsius corporis. »

Constat thesis, modò : 1° S. Petrus habuerit à Christo, non honoris tantùm, sed etiam Primatum jurisdictionis in totam Ecclesiam ; 2° duraturus sit ille Primatus usque ad finem mundi ; et 3° Pontifex Romanus Petro successerit in hunc Primatum. Atque hæc tria certissima sunt.

I. *Non honoris tantùm, sed jurisdictionis in totam Ecclesiam Petrus accepit à Christo Primatum.* — Probat. 1° Ex S. Scripturâ : Legitur enim apud S. Matthæum, cap. 16, v. 18 : « Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo « Ecclesiam meam. » His verbis Christus instituit Petrum tanquam Ecclesiæ fundamentum, seu sustentaculum, et quidem ita solidum ut, contra Ecclesiam sic sustentatam, portæ inferi, seu potestates infernales nunquam sint prævalituræ. Sed nemo ædificii socialis, prout est Ecclesia, fulcimen inconcussum esse posset, nisi per plenam auctoritatem seu jurisdictionem, quam in eam exercere valet ; auctoritate enim mala removentur et promoventur bona ; sicque ædificium sociale sustentatur. Ergo ex eo quòd Petrus fuerit à Christo constitutus petra fundamentalis Ecclesiæ, eo ipso ab eo accepit Primatum jurisdictionis in eam exercendæ.

Et verò non solùm Christus instituit Petrum fundamentum Ecclesiæ, sed illi promisit *claves regni cœlorum*, ita ut *quodcumque ligaverit super terram erit ligatum et in cœlis*, *et quodcumque solverit super terram erit solutum et in cœlis* (S. Matth., c. 16, v. 19) : quibus verbis aliud non potest intelligi nisi plena potestas Petro tradita faciendi in Ecclesiâ quidquid utile judicabit ; sed talis potestas manifestè includit Primatum jurisdictionis in eamdem Ecclesiam. Ergo, etc.

Legitur insuper ap. S. Joannem (c. 21, v. 15 et 17) : « Simon Joannis, diligis me plus his?.. Pasce agnos meos... « pasce oves meas. »

Per *agnos suos* et *oves suas*, certè Christus non intellexit nisi suos fideles, qui ovile Ecclesiæ ingressi vel ingressuri sunt. Ergo Christus commisit Petro curam pascendi fideles suos, et quidem omnes sinè restrictione, quippe nullos

excepit[1] : sed officium pascendi omnes fideles sinè ullâ exceptione, manifestè includit plenam auctoritatem, seu Primatum jurisdictionis in universalem Ecclesiam. Ergo à Christo Petrus accepit potestatem in universalem Ecclesiam. Ergo ex Scripturâ constat Primatum jurisdictionis fuisse datum Petro pro totâ Ecclesiâ.

2° Constat traditione : innumera afferri possent monumenta, sive ex Conciliis sive ex SS. Patribus, quibus ideò tribuitur Romanis Pontificibus Primatus jurisdictionis in universalem Ecclesiam, quia sunt successores S. Petri. Quædam ex illis mox referemus. Vide plura alia ap. Melchiorem Cano, *De locis theologicis*, lib. 6, cap. 4, 5 et 6.

II. *Permansurus est Petri Primatus usque ad consummationem sæculi.* — Constat ex textu S. Matthæi supra memorato : *Tu es Petrus*. etc.; tandiù enim permansurus est Primatus sub figurâ Petræ fundamentalis designatus, quamdiù duraturum est ædificium ab ipso sustentatum. Porrò illud ædificium, Ecclesia videlicet, duratura est usque ad finem mundi ; siquidem adversùs eam *portæ inferi non sunt prævalituræ*. Ergo, etc. Unde Philippus, S. Cœlestini Legatus, in Concilio Ephesino, nullo reclamante, sic aiebat : « Nulli dubium, imò sæculis omnibus « notum est quòd S. Petrus, Apostolorum Princeps et « Caput, fideique columna, et Ecclesiæ catholicæ funda« mentum, à D. N. J. C. claves regni cœlorum accepit..., « *qui ad hoc usque tempus* et *semper* in successoribus vivit « et judicia exercet. »

III. *Pontifex Romanus Petro in dictum Primatum successit.* — Innumera quidem testimonia in probationem afferri possent ; sufficiat Concilii Florentini definitio supra relata, n° 23, et Vaticani, V. infrà (339).

Unde damnata fuit à Leone X propositio 25ª Lutheri sic se habens : « Romanus Pontifex Petri successor non est

[1] *Præter agnos* et *oves* in Ecclesiâ nihil est, inquit S. Eucher (*Sermo Nat. Petri et Pauli*). « C'est à Pierre, inquit Bossuetius, qu'il est « ordonné de paître et de gouverner et les agneaux et les brebis, et les « petits et les mères, et les pasteurs même : pasteurs à l'égard des « peuples, et brebis à l'égard de Pierre. » (*Sermon sur l'unité.*)

« Christi Vicarius super omnes totius mundi Ecclesias ab « ipso Christo in Beato Petro institutus » ; et à Concilio Constantiensi, sequens Wicleffi propositio : « Non est de « necessitate salutis credere Romanam Ecclesiam esse Su- « premam inter alias Ecclesias. » Ergo omninò credendum est Romanum Pontificem verè successisse Petro, in Primatum jurisdictionis super totam Ecclesiam.

3° Ex his sequitur regimen Ecclesiæ esse *monarchicum*, id est tale quòd unus in eâ supremam habeat auctoritatem; et hoc de fide est habendum, juxta ipsammet Facultatem Parisiensem, quæ sequentem Marci Antonii De Dominis propositionem damnavit : « Monarchiæ formam non fuisse « immediatè à Christo institutam : *hæc propositio*, inquit « Facultas, *est hæretica, schismatica, ordinis hierarchici « et pacis Ecclesiæ subversiva.* »

339. Diximus *de fide esse Summum Pontificem habere jure divino Primatum jurisdictionis in totam Ecclesiam.*

Objici potest quòd, etsi hæc propositio ut certissima sit habenda, propter argumenta suprà allata et multa alia quæ adduci in probationem potuissent, attamen haberi non debeat tanquam de fide : ad hoc enim requireretur quòd, à Deo seu Christo, constitutum fuisset Romanum Pontificem debere esse Petri successorem : porrò hoc à Christo non fuit determinatum, sed solùm à Petro qui, si semper Antiochiæ sedisset, Episcopus Antiochenus illi legitimè in Supremum Pontificatum successisset. Ergo, etc.

Huic objectioni dupliciter respondet Melchior Cano (*De loc. theolog.* lib. 6, cap. 8) : 1° inquit, dici potest Romanum Pontificem *ex divinâ institutione fuisse Petri in Ecclesiæ totius Pontificatu successorem.* Nec verisimile fit ut, rem tàm necessariam ad Ecclesiæ unitatem continendam, Christus Dominus Apostolis suis non revelârit.

2° Etsi ex solo suo arbitrio Petrus Romæ sederit, et ibi commoratus fuerit usque ad mortem, sicque ipsius Successor in Romanâ Sede primatum in totam Ecclesiam habuerit, non ideò negandum de fide esse Romanum Pontificem habere præfatum Primatum; nam, inquit idem Cano, sciendum « non illud modò ad doctrinam catholicam per-

« tinere, quod Apostolis expressè revelatum est; verùm « hoc etiam quod alterâ ex propositione revelatâ et alterâ « certâ in lumine naturali, syllogismo collectioneque evi« denti conficitur»: quod pluribus explicat, et hoc præsertim modo qui magis quæstioni præsenti congruere videtur, videlicet: « Concilium Nicænum, in fide non errasse, aut « Chalcedonense aut Ephesinum, nec in sacris libris, nec « in Apostolorum traditionibus explicatum est; sed id « solùm Concilia in Spiritu Sancto legitimè congregata « errare non posse; at quòd Concilium Nicænum, Chalce« donense, Ephesinum legitimè fuerint coacta, ex divinâ « revelatione non creditur, creditur tamen ex humanâ fide « et traditione historiæ fide dignæ... (Attamen) hæreticus « erit, qui negârit earum synodorum scita ac decreta, non « aliter ac si negaret Evangelium... Ad eumdem profectò « modum, qui negaverit Romanum Pontificem eamdem « habere potestatem quam Petrus à Christo accepit, fidei « adversarius censendus est.» Ita Melchior Cano (*Ibid.*).

Nihilominus de hâc sententiâ Cano sic habet Billuart (*De Fide*, diss. 4. art. 4, suppono 2°) : « *hoc saltem est probabilius.* »—Suarez verò (*De Fide*, diss. 10, sect. 3, v. 9): « *Nihil est de fide certum.*» DD. autem Bouvier (*De Ecclesiâ*, pars 3, cap. 1, art. 2, versùs finem : « Hæc propositio : « *Pontifex Romanus canonicè electus, legitimus est B. Petri « successor, et jure divino Primatum jurisdictionis in totâ « Ecclesiâ habet*, multis videtur de fide, quia ex promis« sionibus B. Petro factis, ex perpetuâ traditione, ex una« nimi Conciliorum et Patrum consensu constat, et cum « propositionibus de fide essentialiter est conjuncta. Qui« dam (tamen) judicant illam *non esse de fide, quia imme« diatè non est revelata*; verùm juxta omnes, est saltem « conclusio theologica, cui internus mentis assensus de« betur. »

Sed hodie non amplius in dubium revocari potest de fide esse quod Romanus Pontifex habeat primatum jurisdictionis in totam Ecclesiam ; sic enim definivit Vaticanum (sess. IV, c. 2) : « Si quis dixerit non esse, ex ipsius Christi institutione, « seu jure divino, ut B. Petrus in primatu super universam « Ecclesiam habeat perpetuos successores ; aut *Romanum*

« *Pontificem* non esse B. Petri in eodem primatu succes-
« sorem, anathema sit. »

340. Quærit. 1° Quo jure Primatus adnexus fuerit Sedi Romanæ ?

Resp. Modò diximus quid de hâc re senserit Melchior Cano : sic autem quæstionem expendit Cardin. Soglia (*Inst. jur. publ.*, § 16) : « Quanquam catholicis omnibus
« certum exploratumque sit Romanos Pontifices, divino
« jure, in Primatum S. Petri succedere, quia Christus Pri-
« matum ipsum perpetuò in Successoribus Petri perman-
« surum instituit, quæstio tamen est quonam jure, divino
« aut humano, Supremus Pontificatus Romanæ Sedi ad-
« nexus sit, et idircò an prærogativa Primatûs ipsius à
« Romanâ Sede evelli, et in aliam sedem transferri possit?
« — Putant aliqui... in Petri potestate fuisse quam mallet
« sedem eligere... Quemadmodum ergo... ex facto Petri
« quod humanum est, Primatus in Romanâ Sede relictus
« fuit, sic poterit ex dispensatione humanâ nempe Eccle-
« siæ, iterum ab eâ Sede separari.

« Aliqui contra affirmant Romanam Sedem electam et
« successoribus Petri constitutam fuisse, non ex unius
« Petri, sed etiam ipsius Christi voluntate : ex quo conse-
« quitur Primatum eidem Sedi divino jure ita adnexum
« esse, ut nullâ auctoritate humanâ possit ab eâdem sepa-
« rari. »

Tertiam autem sententiam amplexus fuit Benedictus XIV (*De Syn.*, lib. 2, cap. 1, n° 1). « Quamvis, inquit, posset,
« in aliquo sensu, dici supremam Ecclesiæ monarchiam,
« jure tantùm humano, esse annexam Sedi Romanæ, quia
« nimirum utriusque unio... ortum habuit ex facto Petri,
« attamen non videtur posse sustineri illorum opinio, qui
« asseruerunt præfatam annexionem ita esse de jure hu-
« mano, ut possit ab Ecclesiâ dissolvi, et una ab alterâ
« separari. » Et reverà videtur quòd, non sinè maximo periculo schismatis, talis separatio fieri posset ; huicque periculo verisimillimè obviare debuit æterna Sapientia, non permittendo Ecclesiæ præfatam separationem attentare. Juxta hanc sententiam videtur pronuntiasse Pius IX, damnando Institutiones juris ecclesiastici D. Nepomucenæ

Nuytz : « M... Nuytz, ayant, dans *ses Institutions de droit « ecclésiastique, avancé*, entr'autres erreurs, que *l'avis d'un « Concile général ou le fait de tous les peuples pourrait « transférer le souverain Pontificat de l'Évêque et de la « ville de Rome à un autre évêque et à une autre ville*, Pie « IX, dans un bref dogmatique du 22 août 1851, a fou- « droyé cette proposition, et proclamé la doctrine contraire « comme celle qui doit être tenue par tous les fidèles [1]. » Ita Dom Guéranger, *Du Naturalisme dans l'histoire* (*Univers*, 4 juillet 1859). Sed iterum hodie dubitari amplius nequit quin jure divino primatus jurisdictionis super universam Ecclesiam adnexus fuerit Sedi Romanæ, expresse hoc definiente Concilio Vaticano (sess. IV, cap. 3) : « Doce- « mus, inquit, et declaramus Ecclesiam Romanam, *dispo- « nente Domino*, super omnes alias, ordinariæ potestatis « obtinere principatum. » Supremus ergo Pontificatus transferri nequit de Romana Sede ad sedem aliam.

341. Quærit. 2° Utrum omninò constet Petrum Romam venisse, ibique fuisse defunctum ?

Resp. Affirmativè, ex innumeris testimoniis Patrum et Conciliorum, qui ideò tribuunt Primatum Romano Pontifici.

Inter citatos Patres adsunt :

1° Papias Apostolorum discipulus : 2° S. Irenæus qui (lib. 3, cap. 3) adversùs hæreses sic ait : « Quoniam lon- « gum est... omnium Ecclesiarum enumerare successio- « nes; maximæ et antiquissimæ et omnibus cognitæ à « gloriosissimis duobus Apostolis Petro et Paulo fundatæ « et constitutæ Ecclesiæ »; etc. — Deinde enumerat Petri Successores, quorum primus fuit Linus, deinde Anacletus, postea Clemens, etc.

3° Tertullianus qui lib. *Scorpiaci* hæc habet : « Orientem « fidem primus Nero cruentavit : tunc Petrus ab altero « cingitur cùm cruci astringitur. »

[1] Refertur in Syllabo, n° 35, his verbis : « Nihil vetat, alicujus Con- « cilii generalis sententiâ, aut universorum populorum facto, sum- « mum Pontificatum ab Romano Episcopo atque Urbe ad alium Epis- « copum aliamque civitatem transferri. »

4° Hegesippus qui, secundo sæculo, in libro *De Excidio Jerosol.*, cap. 1, asserit « Petrum Romæ cruci adjudicatum, « inversis vestigiis ».

5° Sic habet S. Hieronymus in catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum : Simon Petrus, « post episcopatum « Antiochensis Ecclesiæ... Romam pergit, ibique 25 annis « cathedram sacerdotalem tenuit usque ad ultimum Ne- « ronis; quo anno, martyrio coronatus est. » Deinde, relatâ ipsius crucifixione capite inverso, subdit : « Se- « pultus Romæ, juxta *Viam Triumphalem*, totius orbis « veneratione colitur. »

Vide etiam testimonium Eusebii in Chronicâ, ad annum Christi 44.

Tali evidentiâ fulget nostra thesis, ut nequidem Protestantes, saltem doctiores, eam in dubium vocaverint. Sic enim habet Pearsonius (dissert. 1, *de Success. primorum Romæ Episcop.*, cap. 6 et 7) : « Nunquam non habitum « pro certo Romanam Sedem à Petro institutam et Ro- « manos Pontifices Petri successores esse. Ita ut de Petri « in Urbem adventu et obitu, ambigi non possit, quin « omnia humanæ fidei et auctoritatis fundamenta convel- « lantur. »

Quidam tamen inter Protestantes audent negare Petrum Romam venisse : alii illum Romam venisse concedunt, sed negant Episcopum fuisse Romanum; alii tandem dicunt quòd non rexerit Sedem Romanam usque ad suum obitum.

342. Quærit. 3° Utrum omnia quæ fiunt à Romano Pontifice, tanquam à Capite fiant?

Resp. Negativè cum Benedicto XIV, qui (*Tract. de Syn. diœces.*, lib. 2, cap. 1) ait : « Non inde tamen quòd « Romanus Pontifex insitam sibi habeat dignitatem et « prærogativam Supremi Capitis totius Ecclesiæ, conse- « quitur omnia quæ ab eo fiunt, fieri tanquam ab Eccle- « siæ Capite, siquidem aliquando operari potest... non « tanquam Christi Vicarius, sed tanquam Patriarcha Occi- « dentis, illa duntaxat jura exercendo, quæ cæteris Pa- « triarchis competunt; aliquando solùm gerit personam « vel Primatis Italiæ, vel Metropolitæ Romanæ Provinciæ ·

« quandoque se tantùm exhibet Episcopum urbis Romæ...; « aliquando demùm suam supremam explicat Dignita- « tem... ut Christi in terris Vicarius. »

Porrò Episcopalis fortè non ultrà centesimum ab Urbe lapidem in ambitu porrecta est : Archiepiscopalis suburbicarias decem provincias complectitur; Patriarchalis per Occidentem latè diffunditur; suprema denique Dignitas universo Christiano orbi præsidet. V. Piacewitch, *De Primatu Romanæ Ecclesiæ.*

343. Quærit. 4° Utrum jurisdictio S. Pontificis in universalem Ecclesiam sit mediata vel immediata?

Resp. Quosdam non agnoscere in S. Pontifice nisi potestatem mediatam in fideles aliis Episcopis subditos. Ita Febronius (*Antifebronius vindicatus*, diss. 4, cap. 4, n° 1), et multi Gallicani inter quos Bailly, qui *Tract. de Pœnitentiâ* (resp. ad 2^{am} object., proposit. 2, art. 2, *De præcepto confessionis*), sic habet : « Non potest ordinariè S. Pontifex, « *invitis Episcopis*, consueta Episcoporum munera in « eorum diœcesibus exercere, nec ministros ordinare, nec « sacerdotes ad confessiones excipiendas approbare, *quia* « *non est pastor in alienis diœcesibus immediatus* » (cui dictum fuit à Christo : *pasce agnos meos, pasce oves meas*, non est pastor immediatus juxta Bailly!), « sed tantùm « mediatam in iis habet jurisdictionem ».

Sed hos omnes errare certum est : etenim per jurisdictionem *mediatam* intelligunt eam quam superior nequit exercere in subditos, nisi certis casibus specialibus quos leges ecclesiasticæ determinant; et per *immediatum* intelligunt eam quam superior, generaliter et independenter à casu necessitatis, potest per se vel per suos delegatos exercere in subditos; porrò, non prioris generis, sed posterioris est jurisdictio S. Pontificis in omnes fideles; et id est de fide.

Probatur 1° ex Scripturâ : « *Pasce oves meas, pasce agnos* « *meos* » (S. Joann., c. 21, v. 15). Qui constituitur pastor sinè limitatione non tantùm *mediatâ*, id est, exercendâ solùm in quibusdam casibus, sed immediatâ, id est, semper et independenter à casu necessitatis exercendâ in gregem suum donatus fuit : alioquin non posset suum munus pastoris semper adimplere; atqui, verbis modò memoratis

S. Pontifex, in personâ Petri, sinè limitatione fuit constitutus Supremus Ecclesiæ Pastor. Ergo, etc.

Probatur 2° ex Traditione : S. Leo (serm. 3, *De suî Assumpt.*) sic habet : « De toto mundo unus Petrus eligitur, « qui et universarum gentium vocationi et omnibus Apos- « tolis cunctisque Ecclesiæ Patribus præponatur, ut quam- « vis in populo Dei multi sacerdotes sint multique pasto- « res, omnes tamen *propriè* regat Petrus, quos principa- « liter regit et Christus ». Certè qui habet potestatem *propriè* regendi omnes etiam Apostolos et Patres Ecclesiæ, *immediatam* habet in eos jurisdictionem ; atqui ex S. Leone, Petrus, ac proinde S. Pontifex, etc. Ergo, etc.

Concilium Lateranense IV sub Innocentio III dicit (cap. 5) : « Romana Ecclesia, disponente Domino, *super omnes alias* « *ordinariæ potestatis obtinet principatum* ». Potestne ordinaria esse potestas sinè restrictione, quin simul immediata sit ? Ergo iterum, etc.

Probatur 3° ex Clero Gallicano : Anno 1683 Facultas theologiæ Parisiensis « Antiquæ suæ in Sedem Aposto- « licam reverentiæ esse duxit hîc breviter præfari, diser- « tèque repetere quod olim non semel professa est, Ro- « manum Episcopum esse jure divino Summum in Ecclesiâ « Pontificem, *cui omnes Christiani parere tenentur*, et qui « *immediatè à Christo*, non honoris tantùm, sed potestatis « et jurisdictionis Primatum habeat in totâ Ecclesiâ. » Ergo falsa est opinio eorum qui somniârunt S. Pontificem nihil posse in Ecclesiâ nisi defectu aliorum pastorum. Ergo, etc.

Jam, anno 1252, eadem Parisiensis Facultas celebre ediderat decretum sic conceptum : Consulti sumus utrum, « *sacerdote parochiali contradicente aut invito*, parochiani « ejusdem, Papæ vel Pœnitentiariis ejus, vel suo Episcopo « et Pœnitentiariis ejus, peccata sua *universaliter* valeant « confiteri, atque ab eisdem pœnitentiam pro commissis « excipere. Dicimus, *unanimiter consentientes*, prædicta « licitè fieri posse et debere. »

Diximus propositionem esse de fide, definita à Conc. Vaticano (sess. IV, c. 3), ubi dicitur : « Si quis dixerit Ro- « manum Pontificem... non (habere) plenam et supremam

« potestatem jurisdictionis in universam Ecclesiam..., aut « hanc ejus potestatem non esse ordinariam et *immediatam*, « sive in omnes aut singulas Ecclesias, sive in omnes et « singulos pastores et fideles, anathema sit. »

344. Quærit. 5° Utrum S. Pontifex possit abdicare?

Resp. Affirmativè, ex cap. *Quoniam* 1, *De Renuntiat.*, in 6°. Ipsius autem renuntiatio fieri debet apud Collegium Cardinalium, cùm ad ipsum duntaxat spectet Papæ successoris electio. V. Ferraris, v° *Papa*, art. 2, n° 36.

345. Quærit. 6° Utrum Papa in hæresim lapsus, ipso jure à Pontificatu decidat?

Resp. Cum R. de M. (in suis *Inst. jur. canon.*, t. 1, p. 265) : « Duæ sunt opiniones, ait Azor..., quarum una « affirmat esse quidem jure divino privatum pontificatu, « sed Ecclesiæ sententiâ postea declarandum ob crimen « hæresis à Pontificiâ dignitate cecidisse; hanc sententiam « tuentur Paludanus, etc... Hæreticus est extra Ecclesiam, « ac proinde Ecclesiæ membrum non habetur : quomodo « igitur caput Ecclesiæ potest esse qui membrum Ecclesiæ « non est?... Idem videtur deduci ex cap. *Quòd autem;* « cap. *Acacius*; cap. *Audivimus*, caus. 24, q. 1, etc.

« Secunda opinio negat generatim Papam, factum hæ- « reticum, esse jure divino suâ potestate... amotum, sed « amovendum : quæ sententia est Cajetani, etc... Non « enim cæteri Episcopi statim ac sunt hæretici, ipso jure... « dejecti censentur. Donec... saltem eorum crimen decla- « ratur, interim... valent quæ agunt... A Concilio Generali « amovendus esset Papa, si in hæresim laberetur. »

ART. II.

DE JURIBUS PRIMATUI S. PONTIFICIS ADNEXIS.

§ I.

De Juribus in spiritualia.

346. Omnia jura primatui S. Pontificatûs adnexa, ab illo imprimis principio dimanant quòd S. Pontifex sit totius communionis catholicæ centrum necessarium. Hoc ergo

fundamentale punctum ante omnia est hîc probandum ; igitur sit.

347. PROPOSITIO : — *Romanus Pontifex totius communionis catholicæ centrum est necessarium.* Propositio est de fide.

Per centrum communionis catholicæ intelligitur, et unicè intelligi potest, persona quâcum omnes Ecclesiæ particulares et singula Ecclesiæ membra communicare et unitatem, in iis quæ ad fidem et religionem pertinent, servare debent. Porrò hæc communio cum Romano Pontifice omnino requiritur. Ergo, etc.

Minor probatur : 1° Ex Scripturâ : ex textibus nempe supra relatis (338) : *Tu es Petrus*, etc. *Pasce agnos meos*, etc.; omnes enim partes ædificii socialis communicare debent cum ipsius fundamento, omnesque oves directionem Supremi Pastoris in omnibus sequi tenentur. Ergo, etc.

Probat. 2° Ex SS. Patribus : sic habet S. Irenæus, lib. 3, *Contra hæreses* : « Ad hanc Ecclesiam propter potiorem « principalitatem, *necesse est* omnem convenire Ecclesiam, « hoc est eos qui sunt undique fideles. » Ergo, etc.

S. Hieronymus, epist. 14 ad Damasum : « Ego... Beatitu- « dini Tuæ, id est, Cathedræ Petri communioni consocior : « super illam petram ædificatam Ecclesiam scio. Quicum- « que *extra* hanc domum agnum comederit, profanus est; « *Quicumque tecum non colligit, spargit.* » Ergo, etc.

Probat. 3° Ex professione fidei quam præscripsit Bonifacius in Epistolâ ad Eulalium Carthaginensem Episcopum ; cui subscribere debuit Joannes, Constantinopolitanus Episcopus, post defectionem Acacii, ut Ecclesiæ Romanæ reconciliaretur; quam Hormisdas Papa ad Episcopos Hispaniæ misit, ut secundùm illam schismatici ad unitatem reintegrarentur; quam Adrianus Papa dedit ad Synodum octavam generalem, et quam tandem nemo respuere debet, juxta Bossuet (*Def. Declar.*, lib. 10, cap. 7), qui dicit eam à totâ Ecclesiâ Catholicâ comprobatam (*Ibid.*). Hæc est autem illa professio : « Prima salus est rectæ fidei regulam « custodire, et à constitutis Patrum nullatenus deviare. Et « quia non potest D. N. Jesu Christi prætermitti sententia

« dicentis : *Tu es Petrus, et super hanc petràm ædificabo « ecclesiam meam* : et hæc, quæ dicta sunt, rerum pro- « bantur effectibus, quia in Sede Apostolicâ extra macu- « lam semper est catholica servata religio ; *anathematiza- « mus omnes qui, contra Sanctam Romanam et Apostolicam « Ecclesiam, suas erigunt cervices ; sequentes in omnibus « Apostolicam Sedem, in quâ est integra et vera christianæ « religionis et perfecta soliditas ;* profitemurque seques- « tratos à communione Ecclesiæ catholicæ, *id est non « consentientes Sedi Apostolicæ*, eorum nomina inter sacra « recitanda non esse mysteria, qui videlicet Sanctæ Ro- « manæ et Apostolicæ Ecclesiæ privilegia cassare nitun- « tur. »

Huic doctrinæ adhæsit ipsemet Clerus Gallicanus in comitiis anni 1681 : « Le Pape est le chef de l'Église, *le « centre de l'unité*, et il a sur nous une autorité de pri- « mauté et de juridiction que J.-C. lui a donnée dans la « personne de Pierre. Si on ne convenait pas de ces vérités, « on serait schismatique, je puis même dire hérétique » (*Procès-verbaux du clergé*, t. 5, p. 355).

Ex hâc propositione, et ex dictis præcedentis articuli, multa deducuntur.

348. Corollarium I. — *Vera Christi Ecclesia, meritò* Romana *est nuncupanda, quippe* omnes fideles ad Romanam Ecclesiam convenire debent.

349. Corollarium II. — *Non collectio Pontificum Romanorum duntaxat ut indefectibilis est habenda, prout vult Bossuetius, sed unusquisque Romanus Pontifex est verè infallibilis quoties* ex Cathedra *docet, id est, quando tanquam Caput Ecclesiæ ex supremâ ipsius potestate loquitur* [1].

Etenim, ex propositione præcedenti à Gallicanis ipsis admissâ, de fide est Romanum Pontificem esse centrum necessarium totius communionis catholicæ : id est, cum ipso necessariò servanda est unitas præsertim in fide. Sed

[1] Quando verò loquitur ut Doctor privatus, communiùs tenetur illum posse errare : quamvis etiam tunc quidam illum habeant ut infallibilem. Vide Ferraris, v° *Papa*, art. 2, n° 62.

absurdum esset necessariò unitatem esse servandam cum eo qui in errorem labi posset: quippe exinde sequeretur necessariò debere nos posse aliquandò in errorem induci; ergo in errorem labi non potest Romanus Pontifex, prout est caput Ecclesiæ et suâ supremâ potestate utitur; ergo saltem sub eo respectu est infallibilis.

Et verò si in errorem labi posset Romanus Pontifex, ergo ab aliquo ad gremium veritatis reducendus esset: proinde non Romanus Pontifex esset centrum unitatis necessarium, sed ille vel illi duntaxat à quo vel à quibus Pontifex reduci deberet ad rectæ fidei tramites; sed non aliud admittitur centrum communionis catholicæ in Ecclesiâ præter Romanum Pontificem, et illud est de fide ut supra diximus (347). Ergo Romanus Pontifex, prout est caput Ecclesiæ, nunquam potest indigere ut ad veritatis semitam reducatur. Ergo est infallibilis.

[350. Rejiciendus est ergo art. 4 celebris Declar. 1682, et quidem ut hæreticus, utpote anathematisatus in c. IV Conc. Vatic. his verbis : « Sacro approbante Concilio, divinitus « revelatum dogma esse definimus Roman. Pontificem, « cum ex cathedra loquitur, id est, cum omnium chris- « tian. Pastoris et Doctoris munere fungens, pro suprema « sua Apostol. auctoritate, doctrinam de fide, vel moribus « ab univ. Ecclesia tenendam definit, per assistentiam di- « vinam, ipsi in B. Petro promissam, ea infallibilitate pol- « lere, qua divinus Redemptor Ecclesiam suam in defi- « niendâ doctrinâ de fide vel moribus instructum esse vo- « luit; ideoque ejusmodi Romani Pontificis definitiones, « ex sese, non autem ex consensu Ecclesiæ, irreformabiles « esse... Si quis autem huic nostræ definitioni contradi- « cere præsumpserit, quod Deus avertat, anathema sit. »

351. Quærit. In quibusnam infallibilis sit Pontifex docens *ex Cathedrâ*?

Resp. Eum esse infallibilem, 1° et præcipuè, circa doctrinam fidei et regulas morum; ratio patet : nam circa hæc duo præsertim Papa est centrum unitatis, fundamentum Ecclesiæ et Supremus Pastor cui commissa est plena potestas pascendi, docendi et regendi universalem Ecclesiam.

Discimus insuper ex cap. 22, v. 41 S. Lucæ, quòd

Christus pro Petro *rogavit ut non deficeret fides ipsius*, quominus fratres suos valeret confirmare : quod etiam Successoribus ejusdem est applicandum. Ergo, etc.

Videri potest apud Theologos dogmaticos (*Tract. de Ecclesiâ*) quomodo sint solvendæ variæ objectiones contra inerrantiam S. Pontificis, quæ desumuntur sive ex putato lapsu Liberii, sive ex agendi ratione Honorii in Monothelismi negotio, sive aliunde.

2° Infallibilis est Papa in Canonizatione Sanctorum et approbatione Ordinum religiosorum : hæc enim duo ad S. Pontificem specialiter pertinent. Porrò infallibilis est Ecclesia in Sanctis canonizandis et Religionibus approbandis, ut demonstratur in *Tractatu de Ecclesiâ*. Ergo et Papa est etiam in his duobus infallibilis. — Quoad facta dogmatica, vide Theologos.

352. Corollarium III. — *Romanus Pontifex potest fidei decreta edere et condere leges quæ cunctos obligent christianos.*

Hæc propositio manifestè fluit ex his duobus principiis : 1° quòd Papa habeat Primatum jurisdictionis in universalem Ecclesiam ; 2° quòd sit centrum communionis catholicæ necessarium : huic conformis est praxis Ecclesiæ, à suis primordiis usque ad diem hodiernam, ut constat perpetuâ omnium sæculorum traditione. Vide insuper dicta superiùs (23, 24, etc.).

353. Corollarium IV. — *Romanus Pontifex jus habet Concilia etiam œcumenica convocandi, iis præsidendi, eaque confirmandi.*

1° *Jus convocandi :* Ad quem enim alium pertinere potuisset illud jus, nisi ad eum qui Primatum jurisdictionis, seu plenam et supremam auctoritatem habet in totâ Ecclesiâ ?

2° *Jus iis præsidendi :* Eumdem enim Præsidem seu Caput habere debet Ecclesia congregata ac Ecclesia dispersa, cùm eadem ejusdemque conditionis sit alterutra : alioquin congregata non perfectè repræsentaret dispersam. Ergo sicut Romanus Pontifex vi sui Primatûs præest Ecclesiæ dispersæ, prout tanquam de fide supra probavimus,

sic Ecclesiæ congregatæ seu Concilio œcumenico præesse pariter debet.

3° *Jus ea confirmandi :* Quod tanquam certum de fide haberi debet, juxta Suarez (*De Fide*, part. 1, disp. 11, sect. 3, n° 11).

(Ratio est quia decreta Conciliorum generalium sunt actus totius corporis Ecclesiæ docentis, vel legem condentis. Porrò minimè possent dici actus totius corporis Ecclesiæ docentis, etc., si Caput non assentiret, ea decreta approbando, etc. Ab hâc sententiâ non recedunt etiam Gallicani, juxta Bossuet (*Gallia orthodoxa*, n° 84) : « Pari-« sienses, inquit, ultra consentiunt, ex antiquissimis re-« gulis, Synodos generales absque Romano Pontifice « nullas esse et irritas. » Unde nec Ariminense nec Basileense Concilia, saltem in maximâ suî parte, fuerunt œcumenica.)

354. Corollarium V. — *Corpus Episcoporum quatenus à Papâ sejunctum, non habet supremam in Ecclesiâ potestatem.* — Nam « Fidei dogma est, Episcoporum auctorita-« tem et jurisdictionem subjectam esse S. Pontificis auctori-« tati, ut subesse debeant Sedis Apostolicæ statutis. » Ita Pius VI ad Archiepiscopum Coloniensem.

355. Quærit. Utrum Summus Pontifex sit supra Concilium generale, an verò Concilium generale supra S. Pontificem ?

Quæstio hæc, tanto æstu agitata Gallicanos inter et cæteros theologos, vix concipi potest, nisi agatur de casu Pontificis dubii vel notoriè hæretici ; etenim vel Concilium generale intelligitur hîc quatenus est verè œcumenicum, id est, convocatum, celebratum et confirmatum à S. Pontifice, et tunc quærere utrum S. Pontifex sit supra aut infra Concilium, nihil aliud est quàm quærere utrum Papa sit supra vel infra seipsum, quod est prorsus absonum ac absurdum. Vel hîc consideratur Concilium generale, quatenus Episcopi seu membra dissentiunt à S. Pontifice seu à Capite ; et tunc quomodo dici posset membra seu Episcopos esse supra caput ? Numquid id potest contingere in corpore benè composito? Et si id contingere queat, exinde sequetur quòd Ecclesia congregata non idem habebit caput

ac Ecclesia dispersa, et proinde non eadem Ecclesia erit; quomodo adhuc *una* vocari poterit Ecclesia? Quomodo Papa erit Ecclesiæ centrum necessarium? — Ad hæc certè non videntur posse afferri responsiones congruentes. Unde nullo modo dici potest Concilium generale esse supra Papam; sed Papa est supra Concilium in eo sensu quòd in Concilio generali sit Caput, prout est Caput pariter in Ecclesiâ dispersâ. Et ita fuit declaratum in Concilio Lateranensi V, sess. 11, in quâ decretum Concilii Basileensis fuit reprobatum, et solemniter recepta fuit constitutio Leonis X *Pastor æternus* quæ hæc habet : « *Solum Roma-* « *num Pontificem tanquam super omni Concilio auctorita-* « *tem habentem, Conciliorum indicendorum, transferen-* « *dorum ac dissolvendorum plenum jus et potestatem* « *habere*, nedum ex S. Scripturâ tantummodo, dictis « SS. Patrum ac aliorum Romanorum Pontificum, sed « propriâ eorumdem Conciliorum confessione, manifestè « constat. »

Reverà Concilium Constantiense, sess. 4, definivit suis decretis obedientiam deberi à quocumque, etiam si fuerit *Dignitatis Papalis*; et Clerus Gallicanus, in suo cœtu anni 1682, declaravit non approbare eos qui ad tempus schismatis, in casu Pontificis dubiæ auctoritatis, Constantiense Decretum restringunt (art. 2); sed hæc declaratio Cleri Gallicani solemniter fuit improbata à Sanctâ Sede, simul ac *quatuor in eâ contentæ propositiones; nulla, irrita, viribusque et effectu penitus et omninò vacua, declarata* per Bullam *Inter multiplices* Alexandri VIII, anno 1690. Unde dici potest, imò et debet, Concilium Constantiense intelligendum esse duntaxat de Casu Pontificis dubiæ auctoritatis[1], qualis exstitit tempore *Magni Schismatis*, cui finem imposuit dictum Constantiense Concilium. Si enim non sic intelligatur hoc Concilium et velut œcumenicum habeatur in præfatâ 4 sessione, ut prætendit declaratio 1682 (art. 2), concludi debebit non tantùm Romanos Pontifices,

[1] Attamen non omninò constat quòd in casu Papæ dubii ad corpus Episcoporum pertineat illum deponere aliumque eligere. Vide Bouix, *De Episcopo*, t. 1, p. 123.

sed totam Ecclesiam, Gallicanis exceptis, aliter sentire ac Concilium œcumenicum; proinde Romanum Pontificem errare cum majori parte Ecclesiæ, quod nunquam posse contingere concedunt tamen ipsimet Gallicani, cùm alioquin portæ inferi adversùs Ecclesiam essent prævaliturœ, contra divinam promissionem.

356. COROLLLARIUM VI. — *Romanus Pontifex potest dispensare in omnibus etiam Conciliorum generalium legibus.* — Hoc evidenter sequitur ex plenâ ipsius potestate gubernandi universalem Ecclesiam, ipsiusque superioritate supra ipsa Concilia œcumenica. Hanc generalem dispensandi facultatem in SS. Pontificibus agnoscunt ipsimet Gallicani, ut videre est ap. Bossuet (*Def. Declar.*, part. 3, l. 11, cap. 16) : dicunt tamen ad id requiri justam causam, alioquin non tantùm illicita esset dispensatio, sed etiam, juxta ipsos, invalida (Lequeux, n° 17); sed addunt cum Bossuetio (*Ibid.*, c. 22) : « Papam nihil non posse cùm necessitas id « postulârit. »

357. Quærit. An Papa possit dispensare in rebus juris divini?

Respondet S. Liguor. (lib. 6, n° 1119) : « In iis, in qui- « bus jus divinum ortum habet à voluntate humanâ, prout « in votis et juramentis, certum est apud omnes Papam « habere facultatem dispensandi. Tunc enim, licet ipse non « auferat jus divinum, aufert tamen fundamentum obliga- « tionis quam homo sibi imposuit actu humano : quo « sublato, cessat juris divini obligatio...

« Majus dubium est an Papa possit dispensare in jure « divino, quod ex solo divino arbitrio derivat. — Triplex « est sententia : *Prima* affirmat..... Sanchez meritò eam « rejicit. *Secunda*, quam tenent Sanchez, etc., dicit Papam « non posse dispensare in universum jus divinum, sed « tantùm in aliquo casu particulari, in quo non expediat « observantia præcepti. » (Juxta ipsos Papa non potest dispensare in præcepto fornicationis, in materiâ et formâ sacramentorum, et similibus, quia in his transgressionibus est omnimoda indecentia, cuicumque causæ præponderans; potest autem dispensare in residentiâ Episcoporum, in matrimonio rato, etc.) « *Tertia* demum sententia com-

« munius et probabiliùs dicit nunquam posse Papam dis-
« pensare in iis quæ sunt *de absoluto jure divino* ; hanc
« tenent Pontius.... Suarez... Sylvius ex D. Thomâ..... »
Quia requireretur specialis commissio à Deo quæ non habe-
tur ex verbis *Quodcumque solveris*, etc., quæ sunt generalia
et non specialia. « Tantò magis quòd hujusmodi dispen-
« sationes in jure divino essent nocivæ unitati et stabilitati
« Ecclesiæ. Valde autem probabiliter dicunt Suarez... et
« alii plures... posse Pontificem, in aliquo casu particu-
« lari, non dispensare, sed declarare quòd jus divinum
« non obliget, quia hæc potestas fuit necessaria propter
« humanarum rerum varietatem, aliàs Deus bono regimini
« Ecclesiæ non satis providisset. »

358. COROLLARIUM VII. — *Potest Romanus Pontifex omnes suscipere appellationes, nec ab ipso potest, ut jam diximus* (327), *appellari ad Concilium œcumenicum, ad ipsumque reservantur omnes causæ quæ vocantur* MAJORES. — Totidem sunt hæc consectaria quæ fluunt ex ipsius Primatu.

De *causis majoribus* fit mentio in Concordato Leonis X, cap. 10, *de Causis*. Eas esse Sedi Apostolicæ reservandas confitentur ipsimet Præsules Galliæ, in suâ ad Innocentium X epistolâ : « *Majores causas*, inquiunt, ad Sedem « Apostolicam referre solemnis Ecclesiæ mos est. »

Quænam sint præcisè hujusmodi causæ ? Non una est DD. sententia ; ut tales autem haberi debent : quæstiones fidem seu dogma respicientes ; Sanctorum beatificatio, et à fortiori Canonizatio ; approbatio Religionum ; creatio Episcopatuum ; delimitatio, dismembratio et unio diœcesium ; institutio, translatio et depositio Episcoporum ; judicium de validitate et dissolutione fœderis conjugalis, quando agitur de Principibus sublimioribus ; hocque etiam in Galliâ olim admittebatur. « L'Eglise Gallicane (inquit Fevretus, « *De l'Abus*, liv. 5, c. 5) a toujours gardé cet usage, de « traiter les causes de mariage par-devant des juges *com-* « *mis par Sa Sainteté, in partibus*, s'il s'agissait du ma- « riage des grands. » Hoc fuit observatum in causâ dissolutionis matrimonii Ludovici XII cum Joannâ Franciæ. Item in causâ dissolutionis matrimonii Henrici IV cum Margaritâ Valesiâ. Optandum autem fuisset hoc fuisse etiam

observatum in causâ dissolutionis matrimonii Napeleonis I cum Josephinâ Tascher, anno 1810.

Circa *causas majores*, vide Card. Gousset in opere *Exposition des principes*, etc., nis 290, 291, Glossam super caput *Sicut unire*, *De excess. Prælatorum*.

359. *Scholium.* — Duplex distinguitur potestas in S. Pontifice : *Ordinaria* nempe et *extraordinaria*. Quando Papa in procedendo sese accommodat dictis Prædecessorum suorum, vel generalium Conciliorum decretis, quæ certum ei agendi modum indigitant, dicitur procedere *de jure ordinario*; quandò verò præscriptiones illas non servat, dicitur *de jure extraordinario* procedere.

Non autem censetur Papa voluisse *de jure extraordinario* procedere, nisi id constiterit : non enim sic agere solet quin suam mentem declaret; unde rescripta in quibus aliquid juri communi invenitur contrarium, sinè clausulis indicantibus tunc ipsum agere *ex plenitudine suæ potestatis*, *vel non obstantibus contrariis Prædecessorum nostrorum decretis*, aut similibus, meritò tanquam *subreptitia* vel *obreptitia* habenda sunt.

Non tamen Papa censetur agere ex *potestate extraordinariâ* quando derogat Concilio Tridentino, cùm ipsimet Tridentini Patres, sua condendo decreta, voluerunt ut *in his salva semper auctoritas Sedis Apostolicæ et sit et esse intelligatur*. Sess. 25, c. 21. P. 237

§ II.

De juribus S. Pontificis in temporalia.

360. Circa potestatem S. Pontificis erga temporalia, quatuor prodierunt opiniones, inquit DD. Bouvier (*Tract. de Ecclesiâ*, part. 3, c. 1, art. 4, § 2, sect. 1, edit. 1834).

« *Prima* tenet S. Pontificem ut talem jure divino plenis-
« simam habere potestatem in universum orbem terrarum,
« tum in ecclesiasticis tum in politicis, ita ut dominium
« temporale ab uno principe ad alterum pro arbitrio trans-
« ferre possit.

« *Secunda* docet... 1° Pontificem Romanum ut Ponti-
« ficem nullam habere potestatem temporalem, et nullo

« modo principibus sæcularibus imperare posse... 2° Nec « Pontificem Romanum nec alios Episcopos accipere « potuisse dominium in provincias, aut in urbes, quo- « cunque titulo eas obtinuerint ; quia, aiunt... jus divinum « prohibet ne gladius spiritualis et gladius temporalis « simul in eodem uniantur. Ita post Wiclefistas et Hussis- « tas Calvinistæ aliique hæretici.

« *Tertia* sententia eorum est qui affirmant Pontificem « Romanum nullam jure divino habere potestatem tem- « poralem directam et immediatam, sed tantùm spiritua- « lem : at simul contendunt eum, ratione spiritualis « potestatis, indirectam habere potestatem, et quidem « summam, in temporalia omnium principum christiano- « rum et omnium fidelium : sicque Pontifex de hujusmodi « bonis... disponere potest quando bonum Reipublicæ « spiritualis sibi commissæ id postulare videtur. Ita... « Bellarminus cum aliis pluribus theologis...

« *Quarta* sententia... tenet Pontificem Romanum nul- « lam, jure divino, habere potestatem directam nec indi- « rectam, ad sensum Bellarmini, in temporalia regum aut « aliorum christianorum. Nihilominus patroni hujus « sententiæ volunt illum plenissimam habere potestatem « spiritualem in principes, sicut in simplices fideles, eos « docere, corripere et pœnis spiritualibus plectere posse, « atque dubia ad conscientiam illorum et sublitorum « attinentia apostolicâ auctoritate solvere. » Sic saltem Gallicani moderatissimi qui, sic tribuendo Papæ potestatem solvendi omnia dubia ad conscientiam pertinentia, necessariò ipsi tribuunt potestatem indirectam in tempo rale ; nisi dicant temporalia nunquam spectare ad conscientiam, quod manifeste est falsum. Sunt autem alii Gallicani, præsertim Parlamentarii, qui dictam potestatem solvendi omnia dubia temporale respicientia non concedunt. Prima sententia ab ipso Bellarmino solidissimis rationibus confutatur ; secunda ab omnibus catholicis habetur non tantùm ut falsa, sed etiam ut hæretica ; tertia et quarta controvertuntur Gallicanos inter et cæteros theologos.

361. Ut meliùs tota controversia clarescat, dicendum

est quid intelligi debeat per *temporale* et *spirituale*, et quid insuper per *potestatem directam* et *indirectam in temporalia*.

Porrò *temporale* est illud quod primariò et per se tendit ad salutem seu bonum corporis et pacem publicam : proinde id omne cujus finis proprius et immediatus est temporalis, qualia sunt bona terrena. *Spirituale* verò est quod primariò et per se conducere potest ad salutem animæ et bonum religionis, seu cujus finis proprius et immediatus est spiritualis, ut sunt preces, divina eloquia, sacramenta, etc., etc.

Res autem temporales, non ita usibus vitæ præsentis limitantur, quin, in multis casibus, prodesse vel etiam nocere possint saluti animarum : unde sub hoc respectu, relationem videntur posse habere cum auctoritate spirituali, quæ, si reverà habeat in hujusmodi casibus potestatem in illas, potestas hæc non est directa sed indirecta : quia non directè, ratione finis eorum proprii et ordinarii illas attingit, sed indirectè et ob finem extraneum qui in illis accidentaliter reperitur. Potestas ergo directa in temporale est illa quam quis in illud habet propter ipsius finem temporalem ; dum indirecta est ea quam quis habet in temporale propter finem spiritualem qui in eo reperiri potest ; seu est illa quæ non attingit temporalia, nisi in quantum necesse est ut finis alterius ordinis, quem sibi proponit et necessariò debet assequi, reverà obtineatur, puta finis spiritualis. His expositis, stabilitur sequens :

362. Propositio.—*Societas temporalis, quamvis distincta à societate spirituali, non est ab eâ omninò independens ; sed Ecclesia, proinde S. Pontifex, indirectam habet potestatem in temporalia.* Est contra 1 articulum Declarationis Cleri Gallicani 1682.

Probatur 1ª pars, et quidem ratione et auctoritate.

1° *Ratione* : Vel societas temporalis non est à spirituali omninò independens, vel dicendum societatem spiritualem, Ecclesiam videlicet, subjici potestati sæculari, quod est hæreticum, cùm esset annihilare auctoritatem Ecclesiæ, quæ non aliud esse potest quàm suprema interpres legis divinæ, id est justi et injusti, et unica distributrix

omnium bonorum spiritualium. Probo consequentiam : conflictus, ut experientiâ constat, exoriri possunt inter utramque potestatem spiritualem et temporalem, et tunc suos limites excedere unam aut alteram necesse est : porrò ad dirimendam litem, vel nullus judex à Deo est institutus, et in hâc hypothesi manifestè sequitur, non tantùm ex institutione divinâ adesse bellum irremediabile inter utramque potestatem, proinde discordiam potiùs quàm ordinem à Deo fuisse institutam, sed etiam Ecclesiam suæ potestatis posse ignorare limites, consequenter in dubium posse revocari, nullamque proinde auctoritatem habere, deponique, absque usurpatione, posse ac alteri subjici, quod certè dici nequit; vel aliquis judex hujusmodi discriminum à Deo fuit constitutus; et tunc, nisi adversarii concedant Ecclesiam esse hunc judicem, ipsius auctoritas prorsus denuò evertitur omninòque subjacet sæculari potestati : quippe principes sæculares, sua jura determinando, eo ipso Ecclesiæ juribus limites præscribunt. Præterea, cùm nullus alius judex legitimus possit esse quàm auctoritas quæ jus habet judicandi de justo et injusto, Ecclesia non potest talem judicem extra se agnoscere, quin eo ipso profiteatur se illum non esse, nec proinde esse auctoritatem spiritualem ; cùm judex justi et injusti sit necessariò auctoritas spiritualis, proinde quin seipsam occidat. Ergo dici nequit Ecclesiam non fuisse à Deo institutam judicem conflictuum, qui inter potestatem sæcularem et spiritualem oriri possunt. Ergo jure divino auctoritas temporalis non est omnino independens à societate spirituali [1].

Et verò societas temporalis haud dici potest omninò in-

[1] Sic habet Syllabus errorum à D. N. Pio IX damnatorum, nº 19 : « Ecclesia non est vera perfectaque societas planè libera, nec pollet « suis propriis et constantibus juribus sibi à divino suo Fundatore « collatis; sed civilis potestatis est definire quæ sint Ecclesiæ jura ac « limites, intra quos eadem jura exercere queat. » Vide insuper nis 20, 21, 39, 41, 42, etc., ejusdem Syllabi. Propositio verò 54 sic ibidem describitur : « Reges et principes, non solùm ab Ecclesiæ juris- « dictione eximuntur, verùm etiam in quæstionibus jurisdictionis di- « rimendis superiores Ecclesiâ. »

dependens à societate seu auctoritate spirituali, quin simul dicatur independens à lege divinâ in temporalibus, cùm omnis lex divina sit necessariò promulganda ab auctoritate spirituali, quæ ad hoc fuit instituta. Porrò horrenda consectaria ex hoc principio dimanant : si enim sæcularis potestas sit independens à lege divinâ, tunc nefanda quæque perpetrari et imperari poterunt. Sic justificatur Henricus VIII auctor lugendi schismatis Angliæ sæculo XVI, et simul cum eo omnes tyranni et persecutores Ecclesiæ justificantur. Sic pariter justificantur Minister Juriæus et J. J. Rousseau dicentes : « Le souverain n'a pas besoin de raison « pour valider ses actes. »

Exinde insuper concludi potest nullam esse auctoritatem temporalem : nulla enim est potestas, quæ à Deo non procedit; sed potestas quæ à lege divinâ est independens, à Deo procedere nequit. Ergo nulla est, et erga illam subjectio est erga purum hominem subjectio, ac proinde nihil aliud quàm turpis servitus. Ergo ratione constat societatem temporalem non esse jure divino omninò independentem à societate spirituali.

Nec objiciatur esse duplicem potestatem distinctam, temporalem nempe et spiritualem; atqui non essent duæ distinctæ, sed una duntaxat potestas, si una alteri esset subjecta. Ergo, etc. — Nam respondetur quòd sint duæ potestates distinctæ quoad *proprietatem*, etsi non sint duæ quoad omnimodam *independentiam* : in exemplum invocari potest potestas paterna, quæ patri competit in filios et pro gubernatione familiæ. Hæc potestas non venit à rege, sed à Deo per legem naturalem et divinam, unde à potestate regiâ distinguitur; attamen subordinatur Regi in quantum postulat bonum societatis, et sub hoc respectu seu quoad absolutam subordinationem non distinguitur.

Probat. 2° *Auctoritate* : In Bullâ *Unam sanctam,* Bonifacius VIII, postquam dixerit : « Uterque (gladius)... est in « potestate Ecclesiæ, spiritualis scilicet et materialis; « sed is quidem pro Ecclesiâ, ille verò ab Ecclesiâ exer- « cendus; ille sacerdotis, is manu regum et militum, sed « ad nutum et patientiam sacerdotis », adjicit : « Oportet « autem gladium esse sub gladio, et temporalem auctori-

« tatem spirituali subjici auctoritati », alioquin potestates, inquit Pontifex, non essent à Deo benè ordinatæ; unde « si deviat terrena potestas, judicabitur à potestate spiri- « tuali; sed si deviat spiritualis... suprema..., à solo Deo... « poterit judicari, testante Apostolo : *spiritualis homo ju-* « *dicat omnia, ipse autem à nemine judicatur.* » In fine ad- dit : « Quicunique igitur huic potestati à Deo sic ordinatæ « resistit, Dei ordinationi resistit, nisi duo (sicut Mani- « chæus) fingat esse principia : quod falsum et hæreticum « judicamus... Porrò subesse Romano Pontifici, omni « humanæ creaturæ (seu *omnem humanam creaturam*) « declaramus, definimus... omnino esse de necessitate « salutis. »

Hæc Bulla non fuit revocata à Clemente **V**, sed de eâ duntaxat dictum fuit in Decretali *Meruit*, *De Privileg.* : « Nullum volumus vel intendimus præjudicium generari « (regi et regno)..., sed omnia intelligantur in eodem esse « statu quo erant ante definitionem prædictam. » Id est regem Franciæ et regnicolas non magis subjici Ecclesiæ Romanæ quàm priùs erant.

Bulla autem *Unam sanctam* inserta fuit corpori juris lib. 1, *De major et obedient.*, Extrav. comm. Anno 1615, conati sunt Protestantes obtinere à Comitiis generalibus Galliæ declarationem, quâ admitteretur, tanquam lex fun- damentalis regni, quòd potestas sæcularis esset à spirituali omnino independens; sed Card. Du Perron, « au nom de « tout le corps de l'ordre ecclésiastique et de celui de la « noblesse (*Œuvres de Du Perron*, p. 601), établit que la « doctrine contraire, *admise par toutes les autres parties* « *de l'Église Catholique, voire même de l'Église Gallicane,* « *depuis que les écoles de théologie y ont été instituées, jus-* « *qu'à la venue de Calvin* (*ib.*, 593), reposait sur une tra- « dition constante et universelle; de sorte que, depuis « onze cents ans, disait-il, il n'y a eu siècle auquel, « en diverses nations, cette doctrine n'ait été crue et prati- « quée (*ib.*, p. 602)... Puis il montre que la doctrine qu'on « s'efforce de renverser est celle de tous les docteurs, de « tous les théologiens sans exception; et que, de plus, « *elle a été constamment tenue en France, où nos rois, et*

« *particulièrement ceux de la dernière race*, *l'ont protégée* « *par leur autorité et par leurs armes*; où nos conciles « l'ont appuyée et maintenue; où tous nos Évêques et doc- « teurs scolastiques... l'ont écrite, prêchée et enseignée; « et où finalement tous nos magistrats, officiers et juris- « consultes l'ont suivie et favorisée » (*Ib.*, p. 602). Vide De Lamennais. *Progrès de la Révol.* (p. 238). Ergo auctoritate constat societatem temporalem non esse omninò à spirituali independentem.

363. Probatur 2ª pars, scilicet *Ecclesiam, proinde S. Pontificem, habere saltem indirectam potestatem in temporalia.* Id sequitur ex veritate primæ partis propositionis: si enim potestas temporalis non est omninò independens à societate spirituali seu ab Ecclesiâ, subest igitur Ecclesiæ saltem indirectè; proinde Ecclesia in eam habet potestatem in quantùm necesse est ut attingat finem suum spiritualem.

Præterea, Ecclesiæ omne illud est tribuendum quod ei est necessarium vel utile ad obtinendum finem suum, nempe salutem animarum et bonum religionis: atqui ad hunc finem assequendum sæpe est necessarium aut utilissimum quòd potestatem exerceat in temporalia: sic pro bono animarum utile fuit quòd statuerentur impedimenta matrimonium dirimentia, non solùm quatenus est sacramentum, sed etiam quatenus est contractus naturalis ac proinde civilis et temporalis; et de fide est, juxta Concil. Trident. (sess. 24, c. 4), quòd Ecclesia habeat hanc potestatem. Sic Ecclesia potest præscribere cessationem ab operibus servilibus, diebus dominicis et festis; item abstinentiam à carnibus certis diebus, imò et jejunia; sic sub censuris aliisque pœnis cogit aliquando ad restituendum bonum alienum; sic à confessario præscribi potest pœnitenti, ut etiam desinat exercere artem vel officium quod ipsi vel aliis esset occasio proxima peccandi, quamvis in se non esset fortè illicitum; sic per excommunicationem publicè denuntiatam vetatur fidelibus communicatio in multis, etiam temporalibus, etc. Millies Ecclesia exercuit hujusmodi potestatem in temporalia, ut ex historiâ ecclesiasticâ compertum est: sufficiat ex innumeris testimoniis

quæ præferri possent, duo maxima ponderis monumenta hîc exponere :

1° In Concilio Lateranensi IV, quod inter œcumenica recensetur, Innocentius III Raymundum Tolosanum Comitem, hæreticorum fautorem obstinatum deposuit; et id quidem, *sacro Concilio consulto, nec non et approbante, pro majore parte et saniore, sacrosancto Concilio.* 2° In Concilio Lugdunensi I œcumenico, Innocentius IV deposuit à regno Fridericum II, Germanicum Imperatorem : « Nos itaque, « inquit Pontifex, cum fratribus nostris et sacro Concilio, « deliberatione præhabitâ diligenti.., cùm J. C. vices im- « meriti teneamus in terris, Nobisque in B. Petri Apostoli « personâ sit dictum : *quodcumque ligaveris super terram*, « etc., memoratum principem, qui sese imperio et regnis... « reddidit iam indignum, quique propter suas impietates « *à Deo ne regnet vel imperet est abjectus*, suis ligatum pec- « catis et abjectum, omnique honore, dignitate privatum « à Domino ostendimus, denuntiamus ac nihilominus « sententiando privamus : omnes qui ei juramento fideli- « tatis tenentur adstricti, à juramento hujusmodi perpetuò « absolventes.» — In hoc, inquit Fenelonius (*De S. Pontif.*, « t. 2, p. 387), Innocentius exercet potestatem à Christo « datam : *quodcumque ligaveris*, etc...; asseverat id à se « fieri *cum fratribus et Sacro Concilio deliberatione præ- « habitâ diligenti.* Itaque deliberavit et annuit Concilium; « hoc asseverat Pontifex, neque diffitetur Concilium; ipsa « sententia in *Concilio* lata est; *sacro præsente Concilio* « inscripta est; neque reclamavit, imò sententia actis in- « serta est. » Ergo saltem indirectè Ecclesia, proinde S. Pontifex habet potestatem in temporalia. Vide supra (155) propositionem 24 syllabi.

Objici potest 1° Textus S. Lucæ (cap. 12, v. 14), ubi Christus juveni roganti ut imperaret fratri suo dividere secum hæreditatem, respondit : « Homo quis me constituit « judicem aut divisorem super vos?» — Sed explicationem hujus textus et objectionis solutionem vide infra n° 797.

2° Sæpe objicitur textus S. Joannis (cap. 18, v. 36) ubi Christus dicit : « Regnum meum non est de hoc mundo.» — Sed, inquit S. Augustinus (*Tract.*, 115, in Joan., n° 2) :

« Hìc non ait Christus : *Regnum meum non est in hoc* « *mundo* sed *non est de hoc mundo ;* non ait : *nunc regnum* « *meum non est hîc*,sed : *regnum meum non est hinc.* » Vide Devoti, lib. 3, tit. 1, § 8, in notâ. Si ergo regnum Christi sit in hoc mundo, quamvis de hoc mundo non sit, potest in multis egere etiam bonis hujusce mundi, ac proinde in ea potestatem habere.

3° Objici adhuc potest quòd, anno 1789, ex votis celeberrimi Pitt, sex præcipuarum Universitatum, Parisiensis videlicet, Duacensis, Lovaniensis, Complutensis, Salmanticensis et Vallisolitensis consultæ circa potestatem ecclesiasticam in temporalia Regis Angliæ, omnes unanimiter responderunt neque Papam, neque Cardinales, neque Concilium generale habere potestatem eum deponendi et subditos ejus à juramento fidelitatis absolvendi.

Respondetur has Universitates voluisse tantùm dicere Papam, Cardinales, etc., non habere præfatam auctoritatem pro suo arbitrio et directè, quasi hactenus prout olim, rex Angliæ fuisset vassallus seu cliens S. Sedis, minimè tamen asserentes eam 'em ipsi non competere auctoritatem, si salus animarum et bonum religionis id requireret.

DE PRINCIPATU TEMPORALI S. PONTIFICIS.

364. Præter Primatum jurisdictionis in universalem Ecclesiam, Romanus Pontifex, more principum sæcularium potitur auctoritate temporali in aliquas Italiæ provincias, quas obtinuit, sive principum munificentiâ, sive voluntariâ populorum submissione, sive aliis legitimis titulis : hic temporalis principatus, contra quem, præsertim hodie, tantâ rabie debacchatur sæculum nequam, et quem tanto nisu evertere conantur omnis ordinis et auctoritatis universi hostes aperti, Summis Pontificibus, sic disponente sapienter divinâ Providentiâ, advenit,ne, si in ditione alicujus principis sæcularis, manere coacti fuissent, reliqui principes et populi eisdem Pontificibus subesse atque obtemperare vererentur, et sic orirentur dissensiones et schismata in Ecclesiâ : « Dieu, inquit Bossuetius (*Serm.* « *sur l'Unité*), qui voulait que cette Église (la Romaine), « la mère commune de tous les royaumes, dans la suite,

« ne fût dépendante d'aucun royaume dans le temporel, « et que le siége, où tous les fidèles devaient garder l'unité, « à la fin fût mis au-dessus des partialités que les divers « intérêts et les jalousies d'État pourraient causer, jeta les « fondements de ce grand dessein.... L'Église, indépen- « dante dans son chef de toutes les puissances temporelles, « se voit en état d'exercer plus librement, pour le bien « commun, et sous la commune protection des rois chré- « tiens, cette puissance céleste de régir les âmes; et, « tenant en main la balance droite..., au milieu de tant « d'empires souvent ennemis, elle entretient l'unité dans « tout le corps, tantôt par d'inflexibles décrets, et tantôt « par de sages tempéraments. » Similia habet Fleury (*Hist. eccles.*, t. 16, 4e discours, n° 10) : « Depuis que l'Europe « est divisée entre plusieurs princes indépendants les uns « des autres, si le Pape eût été le sujet de l'un d'eux, il « eût été à craindre que les autres n'eussent eu peine à le « reconnaître pour père commun, et que les schismes « n'eussent été fréquents : on peut donc croire que c'est « par un effet particulier de la Providence que le Pape « s'est trouvé indépendant et maître d'un État assez puis- « sant pour n'être pas aisément opprimé par les autres « souverains, afin qu'il fût plus libre dans l'exercice de sa « puissance spirituelle, et qu'il pût contenir plus facile- « ment tous les autres Évêques dans leurs devoirs. » Ab ipsomet Napoleone I agnita fuit hæc veritas : « L'autorité « du Pape, disait Napoléon 1er, serait-elle aussi forte s'il « restait dans un pays qui ne lui appartînt pas, et en pré- « sence du pouvoir de l'État? — Le Pape n'est pas à Paris, « et c'est un bien. Nous vénérons son autorité spirituelle, « précisément parce qu'il n'est ni à Madrid, ni à Vienne. « A Vienne et à Madrid, on dit la même chose : c'est un « bien pour tous qu'il ne réside ni auprès de nous, ni auprès « de nos rivaux, mais dans l'antique Rome, loin des « mains des Empereurs Allemands, loin de celles des « Rois de France et des Rois d'Espagne, tenant la balance « égale parmi les souverains catholiques, s'inclinant un « peu vers le plus fort, mais se relevant au-dessus de lui « quand celui-ci devient oppresseur. *C'est là l'œuvre des*

« *siècles, et ils l'ont bien faite.* C'est l'institution la plus « sage et la plus avantageuse qu'on puisse imaginer dans « le gouvernement des âmes. »

Sed eò præcisè quòd tam salubris sit Ecclesiæ hic temporalis principatus, ideò impietas nihil non tentat quominus tandem illum funditùs evertat; jam à longo tempore de eo excindendo initum fuit consilium : sic enim ad Voltarium scribebat Fredericus II, Borussiæ Rex : « On pensera à la « conquête des États du Pape pour subvenir aux dépenses « extraordinaires, et alors la scène est finie. Tous les po- « tentats de l'Europe, refusant de reconnaître un Vicaire « de J.-C. soumis à un autre souverain, se créeront un « Patriarche, chacun dans ses propres États... Ainsi, peu « à peu, chacun s'éloignera de l'unité de l'Église, et finira « par avoir dans son royaume une religion comme une « langue à part. » Tom. 9 *de sa correspondance*, p. 99.

Quid sit tenendum circa principatum temporalem Summi Pontificis, colligi potest ex Encyclicâ Pii IX, 19 januarii 1860, ubi sic universos Ecclesiæ Antistites congratulatur : « Ipsum principatum (temporalem S. Sedis) constanter « tuentes, profiteri et docere gloriati estis eumdem, singu- « lari divinæ illius omnia regentis ac moderantis Provi- « dentiæ consilio, datum fuisse Romano Pontifici, ut ipse « nulli civili potestati unquam subjectus, supremum apos- « tolici ministerii munus sibi à Christo Domino divinitùs « commissum, plenissimâ libertate ac sinè ullo impedi- « mento, in universum orbem exerceat. » Addit deinde S. Pontifex : « Nos, Deo auxiliante..., nihil intentatum « relinquere ut... civilem Romanæ Ecclesiæ principatum, « ejusque temporales possessiones ac jura, quæ ad uni- « versum Catholicum orbem pertinent, integra et inviolata « tueamur et servemus...; ac divino illius auxilio freti... « parati sumus illustria Prædecessorum nostrorum vestigia « prosequi, exempla æmulare, et aspera quæque et acerba « perpeti, *ac vel ipsam animam ponere, antequam Dei Ec- « clesiæ ac justitiæ causam ullo modo deseramus.* » Hujusmodi professione adhæsit universitas ac ferè unanimitas Episcoporum totius orbis christiani. Constat etiam ex Syllabo, ubi legitur damnata propositio sequens, quæ est 27 :

« Sacri Ecclesiæ Ministri Romanusque Pontifex ab omni « rerum temporalium curâ ac dominio sunt omnino ex- « cludendi. »

Jam priùs, scilicet 22 aug. 1851, damnata fuerat à Pio IX, doctrina Nuitz his contraria, quâ dixerat punctum esse controversum inter catholicos, an compossibilis sit potestas spiritualis cum temporali. Vide Card. Soglia, *Instit. jur. publici*, § 40, et Syllab., prop. 75 et 76.

ART. III.

DE MINISTRIS S. PONTIFICIS.

S. Pontifex varios habet ministros : sive intra suam Curiam, videlicet Cardinales, Congregationes et plura Tribunalia ; sive extra Curiam, nempè Legatos, Nuntios, Commissarios, etc. De iis pauca hîc dicturi sumus ; de pluribus aliis, vide in nostro *Manuali*, à n° 702, etc.

§ I.

De Cardinalibus.

365. Cardinales sunt quasi Ecclesiæ Romanæ Senatus · jus habent S. Pontificem eligendi, eumque præcipuè adjuvant in gubernatione universalis Ecclesiæ. Collegium autem cardinalium sic potest definiri : *Clericorum cœtus ad auxiliandum Romano Pontifici in Ecclesiæ regimine, Sede plenâ, et ad supplendum eumdem, Sede vacante, institutus.*

Cardinalis nomen à *cardine* derivatur : « Nam, ait « Eugenius IV (Const. *Non mediocri*, § 14), sicut super « cardinem volvitur ostium domûs, ita super eos (Cardi- « nales) Sedis Apostolicæ et totius Ecclesiæ ostium quies- « cit. » Ob hanc rationem omnes qui certæ Ecclesiæ erant addicti, sive *incardinati*, dicebantur primitùs Cardinales.

366. Quærit. 1° Quot numero esse possint Cardinales et in quot classes dividantur ?

Resp. Ante Sixti V pontificatum, numerus Cardinalium varius fuit pro temporum diversitate : ita ut, tempore Paschalis II, ad numerum 90 pervenerint, juxta Cohellium ; et ad numerum 8 descenderint, tempore Nicolai III. Paulus

verò IV numerum 70 præfixerat, ad imitationem 72 seniorum qui Moysi assistebant et 72 Christi discipulorum. Sed cùm hæc determinatio non fuit deinde observata, præsertim à Pio IV, qui 76 Cardinales habuit, tandem in suâ Constit. *Postquam*, Sixtus V numerum 70 retinendum definivit, nec à subsequentibus Pontificibus huc usque in hoc fuit innovatum. Ex his autem Cardinalibus, sex sunt Cardinales Episcopi, quinquaginta Cardinales Presbyteri, quatordecim verò Cardinales Diaconi, et cuilibet, juxta suum ordinem, assignatur particularis Ecclesia, titulus vel diaconia.

Ecclesiæ Cardinalium Episcoporum sunt Ostiensis, Portuensis, Tusculana, Sabinensis, Prænestina, Albanensis: quæ vocantur Ecclesiæ Suburbicariæ. Cæteri verò tituli Cardinalium Presbyterorum et Diaconorum videri possunt apud Ferraris, v° *Cardinalis*, art. 1, n° 44.

367. Quærit. 2° Quænam sint munera Cardinalium?

Resp. Eorum munera respicere, vel proprias Ecclesias seu titulos, vel universalem Ecclesiam.

In suis titulis Cardinales, tàm Presbyteri quàm Diaconi, amplam habent jurisdictionem in omnibus quæ ad earum Ecclesiarum servitium pertinent; non tamen in iis habent jurisdictionem episcopalem, ut nunc certum est per Constit. *Romanus Pontifex*, § 9, Innocentii XII; unde licet episcopali caractere sint insigniti, in hujusmodi Ecclesiis non possunt ordines majores conferre.

Cardinales Presbyteri et Diaconi tenentur residere in suis titulis, aliàs iisdem, si canonicè moniti non redeant et resideant. sunt privandi. Si sint Episcopi (exceptis Cardinalibus suburbicariis), in suâ unusquisque respectivâ diœcesi, residere tenentur. Quando tamen Romæ adstant, à Curiâ Romanâ, etsi sint Episcopi, non possunt discedere sinè licentiâ Papæ: quia sunt ipsius collaterales, et debent ei assistere tanquam coadjutores in executione pastoralis officii.

Quoad Ecclesiam universalem, vivente Papâ, officium Cardinalium est ipsummet munus Senatorum, seu consiliariorum et coadjutorum: non tamen de necessitate SS. Pontifices illorum consilio vel auxilio utuntur, sed

de honestate, et plura sinè illorum consilio expediunt.

Sede verò vacante, ad ipsos pertinet, ut jam diximus, S. Pontificis electio, et interea Ecclesiæ defensio et administratio. Non tamen ad ipsos pertinet ea jurisdictio quæ S. Pontifici omnino propria est : undè non innovare debent, sed quæ urgens necessitas non postulat, futuro Pontifici sunt reservanda.

Licet autem Congregationum Cardinalium facultates per obitum Papæ non expirent, tamen, Sede vacante, Cardinalibus in conclavi manentibus, debent conquiescere et dormitare quoad negotia illa et causas, quæ in Congregatione expediuntur per subscriptionem Cardinalis Præfecti, seu habentis sigillum, nisi justa causa aliter postulet. Negotia quæ in communi formâ à solo Secretario expediri solent, possunt etiam expediri Sede vacante.

« In electione plurium SS. Pontificum et casu schis-« matis, Cardinalibus licet Concilium cogere et controver-« siam decidere. » Plettemberg, *Notit. Congreg.*, ex Const. Nicolai II. Quin eisdem licet Pontificem pecuniâ, metu aut favore intrusum expellere (cap. *Si quis pecunia*, dist. 79).

Cardinales non sunt cogendi intrare in Conclave, nisi in casu quo nullus vellet intrare, vel in casu quo, non electo Pontifice, omnes simul vel successivè exire contingeret. Clem. *De Elect.*, cap. *Ne Romani*, § *Porrò*.

368. Quærit. 3° Quænam sint privilegia et insignia Cardinalium ?

Resp. I. Longius esset enumerare omnia *privilegia* Cardinalibus concessa ; sufficiat referre sequentia :

1° Possunt tonsuram et minores ordines suis subditis et familiaribus conferre in suis titulis, etsi caractere episcopali insigniti non sint.

2° Cardinali asserenti aliquid fuisse actum in præsentiâ Papæ, vel dicenti sibi, vivæ vocis oraculo, aliquid à Papâ mandatum fuisse, credi debet.

3° Privilegia generatim Episcopis concessa ad Cardinales extendi debent. Pro aliis Cardinalium privilegiis, vide Ferraris, v° *Cardinalis*, art. 4.

II. *Quoad insignia*, cùm deceat ut Dignitatis ampli-

tudini majestas ornamentorum respondeat, purpurâ, quæ apud antiquos Romanos regibus propria erat, decorantur Cardinales; birretum rubrum rubrumque galerum jus ferendi habent.

Si ex regularibus assumpti sint, uti quidem non debent veste purpureâ, sed vestes debent induere coloris suæ religionis, cum caputio tamen et birreto coloris rubri, nisi essent Societatis Jesu, quia isti non distinguuntur habitu à sæcularibus Cardinalibus.

Præterea juxta Decretum Urbani VIII, 10 jun. 1630, appellari debent *Eminentissimi*. Juxta verò Breve *Militantis* Innocentii X, ipsis prohibetur superimponere armis gentilitiis pileum Cardinalitium, quantumvis prosapiâ et dignitate sæculari excellerent.

369. Quærit. 4° Quænam sit constitutio Sacri Collegii?

Resp. Sacrum Collegium seu collectio Cardinalium quatenus unum corpus efficiunt, habet Caput quod est *Decanus*, qui ex Constit. Pauli IV *Cùm venerabilis*, et Brevi *Pastoralis* Clementis XII, debet esse antiquior ex Cardinalibus præsens in Curiâ tempore vacationis hujus muneris, aut absens tantùm ex Pontificis mandato propter causam Ecclesiæ publicam.

Præterea unus è Cardinalibus est Camerarius Sacri Collegii, cujus officium est curam habere ipsius reddituum, et quotannis distribuere singulis Cardinalibus.

Habet insuper Sacrum Collegium Secretarium scrutinio ex Italiâ eligendum, cui etiam dandus est Substitutus scrutinio pariter eligendus, successivè tamen è quatuor nationibus Germanicâ, Hispanicâ, Gallicanâ et etiam Anglicanâ.

370. Quærit. 5° Quid sit Consistorium, et ad quid conveniat?

Resp. Consistorium esse Cardinalium consessum in sacro palatio ad modum senatûs.

Duplex est: *ordinarium* seu secretum, in quo adsunt soli Cardinales; *solemne seu publicum*, ad quod accedunt cum magno apparatu singuli Cardinales, et admittuntur principum Nuntii, Viri nobiles, Prælati, etc.

In hoc Consistorio, quod *extraordinarium* etiam vocatur,

congregatis omnibus, S. Pontifex *auricularem audientiam* præbet super negotiis Cardinalium, Principum, etc., cæteris deinde remissis remanentibusque solis Cardinalibus, tractantur *Negotia Consistorialia.*

Negotia verò Consistorialia sunt imprimis : novorum Cardinalium creatio, institutio Episcoporum et eorum Abbatum qui *Consistoriales* dicuntur, erectiones Cathedralium, Diœcesium uniones, aut dismembrationes, etc., etc.

In publico Consistorio Pontifex galerum Cardinalitium novis Cardinalibus imponit ; de canonizandis Sanctis vota exquirit, reditum Legatorum *à latere*, vel adventum Nuntiorum à principibus ad se missorum celebrat.

§ II.

De Sacris Congregationibus et Tribunalibus Romanis.

Ut celeriùs magisque ordinatè negotia expedirentur in *Curiâ Romanâ*, variæ Congregationes, præsertim ex Cardinalibus conflatæ, diversaque Tribunalia à SS. Pontificibus fuerunt constituta :

PUNCTUM I.

DE CONGREGATIONIBUS ROMANIS.

371. Quæ à SS. Pontificibus institutæ sunt Congregationes pro generali totius Ecclesiæ gubernio numero 12 hodiè computantur : videlicet Consistorialis, Inquisitionis, Indicis, Concili Tridentini interpres, Episcoporum et Regularium, Rituum, Immunitatis ecclesiasticæ, Indulgentiarum et Reliquiarum, Propagandæ Fidei, Studiorum, Pro examinandis Episcopis, et tandem Congregatio Residentiæ Episcoporum. Duæ insuper aliæ annectuntur Congregationi Concilii cujus sunt sectiones, nempe : una pro examinandis Relationibus Episcoporum super *statu Ecclesiæ ;* altera pro revisendis actibus Conciliorum provincialium quæ vocatur *Concilietto.* Item Congregationi Regularium annexæ sunt duæ aliæ sectiones de quibus infra (377).

I. — *Congregatio Consistorialis.*

372. Instituta fuit hæc Congregatio ad præparanda ne-

gotia quæ in Consistorio tractanda sunt, et quidem à Sixto V per Bullam *Immensa*, et imprimis cognoscit de causis erectionis novarum Ecclesiarum.

II. —*Congregatio S. Inquisitionis seu Sancti Officii.*

373. De primordiis Tribunalis Inquisitionis, vide nostrum *Manuale*, nº 722, etc.

Anno autem 1542, Constit. *Licet ab initio*, Paulus III instituit Congregationem sub nomine : *Generalis et universalis Inquisitionis in universâ Republicâ christianâ adversùs hæreticam pravitatem.* Illam Pius IV et S. Pius V confirmârunt et quamplurimis privilegiis ditaverunt ; ipsique Sixtus V, Bullâ *Immensa æterni Dei*, potestatem fecit « inquirendi, citandi, procedendi, sententiandi et definiendi « in omnibus causis, tam hæresim manifestam quàm schismata, apostasiam à fide, magiam, sortilegia, sacramentorum abusus et quæcumque alia, quæ etiam præsumptam hæresim sapere videntur, concernentibus; non solùm « in Urbe et statu temporali S. Sedi subdito, sed etiam in « universo terrarum orbe, super omnes Patriarchas, « Archiepiscopos et alios inferiores ac Inquisitores, etc. »

Inquisitorum particularium jurisdictioni nequaquam tamen subjacent Episcopi quoad crimen hæreseos.

Congregatio Inquisitionis ut prima inter cæteras habetur, sive ob præstantiam negotiorum quæ ab eâ pertractantur, sive quia ei præest ipsemet S. Pontifex. Vide quibus membris constet in nostro *Manuali*, nº 725.

Ut negotia cum eâ quæ decet maturitate coram S. Pontifice examinentur ac decidantur, duæ præparatoriæ Congregationes præcedere solent.

In primâ igitur, quæ, singulis feriis secundis, in palatio S. Officii propè Vaticanum locum habet, conveniunt Consultores cum Commissario, Assessore, etc. Præparantur negotia, leguntur processus, ac Episcoporum vel Inquisitorum localium litteræ aut relationes pro majore instructione Assessoris, qui totum negotium est relaturus in secundâ præparatoriâ congregatione.

Ista secunda congregatio locum habet singulis feriis IV,

in conventu FF. Prædicatorum prope Ecclesiam B. Mariæ *supra Minervam* : huic interveniunt Cardinales, quibus Assessor solus stans refert negotia, processus, litteras, informationes, etc., legit. Deinde, re benè perspectâ, admittuntur Consultores, qui in aulâ vicinâ erant expectantes, ab iisque votum expetitur.

Eorum quæ decreta sunt fit eodem die relatio ad Papam, qui huic congregationi non assistit ; quo facto, ut plurimùm nomine Cardinalium decretum editur hâc formâ : *Feria IV, die mensis...., S. Congregatio EE. et RR. S. R. Ecclesiæ Cardinalium Inquisitorum, habita in Conventu S. Mariæ supra Minervam, post examen theologorum ad id deputatorum, factâ relatione ad Sanctissimum, præsenti decreto declarat*, etc.

Feriâ V, celebratur propriè dicta et definitiva congregatio Cardinalium coram Papâ in Palatio Apostolico. In hâc nova fit causæ relatio, quandoque admissis Consultoribus, qui denuò, relatâ et discussâ causâ, recedunt, et sua suffragia Cardinales exprimunt ; quibus ponderatis, Pontifex finaliter concludit, et tunc fertur Decretum hâc formâ : *Feriâ V, die mensis..., in generali Congregatione S. Romanæ et Universalis Inquisitionis habitâ in Palatio Apostolico coram SS. D. N. ac EE. et RR. S. R. E. Cardinalibus in totâ Republicâ Christianâ contra hæreticam pravitatem Inquisitoribus, SS. Pater, auditis votis eorumdem, statuit ac decrevit*, etc.

III. — *S. Congregatio Indicis.*

374. Concilium Tridentinum Indicem quidem librorum prohibitorum confecerat, quem postea Pius IV, cujus approbationi à Synodo submissus fuerat, obligatorium in totâ Ecclesiâ per Constit. *Dominici gregis* reddidit ; sed, quia quotidiè in lucem edebantur novi libri pravis doctrinis referti, incompletus mox et omninò insufficiens fuisset hujusmodi Index, nisi alicui Congregationi commissa fuisset cura novos libros invisendi, et attentè quoad fidem et mores examinandi. Primùm reverà hoc negotium mandatum fuit Congregationi Inquisitionis ; sed quia S. Officium nimiis et majoribus curis occupatum, vix par erat illud

congruenter implendi, ideò S. Pius V huic adjunxit alteram Congregationem sub nomine *Indicis*, quæ operi præfato specialiùs intendere deberet. Hæc est origo Congregationis *Indicis*.

Congregatio Indicis constat eo Cardinalium numero qui Pontifici placuerit. Ex iis unus *Præfecti* titulo gaudet; ipsius Secretarius ex ordine S. Dominici desumitur; habet etiam Consultorem ejusdem ordinis, Magistrum nempe S. Palatii, cui committitur inspectio librorum quæ Romæ typis mandantur aut venduntur. Habet insuper multos alios consultores regulares et sæculares, quorum examini libri subjiciuntur et à quibus facienda est relatio. Vide in nostro *Manuali*, n° 729, quomodo procedat hæc Congregatio.

375. Quærit. Utrum decreta S. Congregationis Indicis vim habeant obligandi *sub gravi* in totâ Ecclesiâ?

Resp. Affirmativè : ad hoc sufficit 1° quòd Congregationi Indicis S. Pontifex hanc potuerit conferre potestatem obligandi in totâ Ecclesiâ; 2° quòd hanc voluerit ei conferre. Atqui 1° *Potuit* : Certè quidem qui possidet plenam potestatem universalem Ecclesiam regendi, sicut valet in totâ Ecclesiâ prohibere libros pravos, ita illos prohibendi in totâ eâdem Ecclesiâ alteri potest concedere facultatem : atqui de fide est S. Pontificem plenam possidere potestatem regendi universalem Ecclesiam, prout definivit Concilium Florentinum. Ergo, tàm per se quàm per alios, potest in totâ Ecclesiâ prohibere libros pravos, proinde id potest per Congregationem Indicis.

2° *Voluit* S. Pontifex Congregationi Indicis conferre potestatem prohibendi pravos libros in totâ Ecclesiâ : ad hoc enim instituta fuit à SS. Pontificibus hæc Congregatio ut libros examinet, eosque in quibus inveniuntur errores contra fidem vel bonos mores damnet pro universali Ecclesiâ, priùs tamen consulto et approbante Sanctissimo. Id constat ex Bullâ *Immensa* Sixti V.

Ne dicatur in Galliam consuetudine fuisse introductum morem non observandi Indicis decreta : nam nullâ consuetudine legitimè potest introduci facultas non obediendi [illegible] competenti et à Deo institutæ. Hoc enim esset

abusus evidens et corruptela, quæ nullâ consuetudine legitimari potest.

Cæterùm in reimpressione Indicis, Benedict. XIV hujusmodi consuetudinem, sicubi tamen legitimè vigere potuerit, per sequentem clausulam abolevit : « *Non obstan-* « *tibus... quibuscumque statutis, decretis, usibus... et* « *consuetudinibus etiam immemorialibus, cæterisque in* « *contrarium facientibus quibuscumque.* » Subsequentibus *Indicis* editionibus, auctoritate pontificiâ evulgatis usque ad annum 1841, insertum fuit Breve Benedicti XIV præfatam clausulam continens. Unde usque ad tempus præsens, Sedes Apostolica reclamavit contra objectam consuetudinem, quæ nullo modo proinde potest esse legitima.

His adde quòd Pius IV, promulgando Indicem Romæ tantùm 24 martii 1564, hanc clausulam inseruerat : « Nos... per... hanc publicationem omnes et singulos, « qui his litteris comprehenduntur, post tres menses à die « publicationis... earum numerandos, volumus perindè « adstrictos et obligatos esse ac si ipsismet illæ lectæ « fuissent. » Vide etiam Constit. Bened. XIV, *Quæ ad Catholicos.*

Suboriri potest quæstio an infallibilis sit Congregatio *Indicis* in damnandis libris. Difficultas non adest quando ipsius decreta expressè à S. Pontifice approbantur, et ejusdem mandato eduntur : certè tunc participant inerrantiæ ad Papam pertinenti; si verò decreta ederentur sinè formali Pontificis approbatione, dicenda non essent omninò infallibilia.

De gravitate obligationis ortæ ex decretis S. Congr. Ind., vide nostrum *Manuale*, n° 733. De regulis Indicis ac variis classibus librorum prohibitorum, pluribusque dubiis practicis circa lectionem aut retentionem ejusmodi librorum, præsertim in Galliâ, vide, ibidem, à n^is^ 734 ad 768.

IV. — *Congregatio Concilii Tridentini interpres.*

376. Curam suas implendi præscriptiones decretaque sua interpretandi, ad Sedem Apostolicam remiserant Patres Tridentini. Ut eorum votum efficaciùs impleret, Pius IV Congregationem instituit ex Cardinalibus, qui

Concilio Tridentino interfuerant, conflatam, cuique datum fuit nomen : *Congregatio Concilii Tridentini interpres.*

Primùm quidem huic Congregationi solùm decreta Tridentina exequendi officium demandatum fuerat; sed S. Pius V, qui Pio IV successit, ipsi insuper dedit potestatem illa decreta interpretandi in iis quæ ipsi clara viderentur; et Sixtus V, per Bullam *Immensa*. hanc facultatem extendit etiam ad ea quæ dubia forent, Ipso tamen priùs consulto, sed hoc tantùm quoad morum et disciplinæ decreta : Pontifex enim Sibi et Successoribus reservavit interpretationem decretorum fidei. Ipsi quoque contulit potestatem statuendi pro universâ Ecclesiâ quæcumque opportuna viderentur quoad disciplinam, juxta præscriptum Concilii Tridentini. Vide alia in nostro *Manuali*, nº 769.

V. — *Congregatio super negotiis Episcoporum et Regularium.*

377. Omnia Episcoporum et Regularium negotia ad hanc Congreg. referri possunt, modò non indigeant interpretatione Decretorum Tridentinorum, nam in hoc casu Congregationi Concilii reservantur. Ad Congregationem Episcoporum et Regularium pertinet mittere visitatores, quando opus est, et Vicarios Apostolicos ad diœceses in quibus Episcopi non valent suas functiones pastorales implere. Ad ipsam quoque Pius VII appellationes in causis criminalibus per Const. *Post diuturnas* detulit. Hæc Congregatio dicitur à Card. De Luca *occupatissima, atque in negotiorum multitudine omnium major.*

Duæ sunt aliæ Congregationes pro Regularibus institutæ, et quæ sunt quasi appendices præsentis : una nempe *Super disciplinâ regulari*, ab Innocentio XII, anno 1698, creata ; et altera, anno 1846, à Pio IX *Super statu regularium.*

VI. — *S. Congregatio Rituum.*

378. Instituta fuit à Sixto V per Bullam *Immensa* : « Hæc præcipuè cura (Cardinalibus hujus Congregat.) in- « cumbere debeat, inquit Pontifex, ut veteres ritus sacri,

« ubivis locorum, in omnibus Urbis orbisque Ecclesiis, « etiam in Capellâ Nostrâ Pontificiâ, in missis, divinis « officiis, sacramentorum administratione cæterisque ad « divinum cultum pertinentibus, à quibusvis personis dili- « genter observentur; cæremoniæ, si exoleverint resti- « tuantur, si depravatæ fuerint reformentur; libros de « sacris ritibus et cæremoniis, imprimis Pontificale, Ri- « tuale, Cæremoniale, prout opus fuerit, reforment et « emendent; officia divina de sanctis Patronis examinent « et Nobis desuper consultis, concedant; diligentem quo- « que curam adhibeant circa SS. Canonizationem, festo- « rumque dierum celebrationem, ut omnia ritè et rectè et « ex Patrum institutione fiant. »

Hic non est prætermittenda Declaratio S. Congr. Rit. data 23 mai 1846 : « An decreta à S. Congreg. emanata, « et responsiones quæcumque, ab ipsâ propositis dubiis « scripto formaliter editæ, eamdem habeant auctoritatem « ac si immediatè ab ipso Pontifice promanarent, quamvis « nulla facta fuerit de iisdem relatio Sanctitati Suæ? »

S. Congreg. respondit « *Affirmativè*, et factâ de præ- « missis omnibus Sanctissimo D. N. Pio IX Pontifici « Maximo relatione, Sanctitas Sua rescripta à Sacrâ Con- « gregatione in omnibus et singulis approbavit confirmavit- « que. » Apud Gardellini [1].

Decreta verò S. Cong. Rit. alia sunt generalia, sive *expressè Urbi et Orbi*, sive *æquivalenter*, quando nempe solvitur dubium circa aliquam rubricam jus commune faciens; alia sunt particularia, si v. g. solvatur dubium circa aliquod privilegium. Porrò etiam decreta *æquivalenter* generalia, ubique obligant, etsi non fuerint promulgata, si sint comprehensiva [2]!

Nota adhuc quòd inveterata quæcumque consuetudo non possit derogare legi à decretis S. Congr. Rit. præscriptæ. Ita decisum 3 aug. 1839, in causâ Triventinâ.

[1] Ordinarius strictè « tenetur providere ut Rubricæ et Sacræ Rituum « Congregationis Decreta fideliter serventur. » S. R. C., 17 sept. 1822.

[2] « An Prælati, Archiepiscopi et Episcopi possint esse judices ad « declaranda dubia super sacris ritibus et cæremoniis? Resp. negativè » (S. R. Cong., in Visen., 1605).

Econtra, eadem decreta contrariæ consuetudini derogant. Ita decisum à S. Congr. Rit., 11 sept. 1847, in Angelopolitanâ (Tlascala). — Obstare nequit cap. *Licet*, *de Constit.*, in 6°, ubi dicitur S. Pontificem non derogare privatis consuetudinibus nisi de iis mentionem faciat : nam decreta S. Rit. Congregationis pronuntiant circa sensum legis jam existentis, contra quam consuetudo etiam inveterata, ut modò diximus, prævalere non potuit. *De Synodo diœcesanâ*, lib. 9, cap. 8, n° 3.

Ut valeant consuetudines contra Missale et Cæremoniale, expressè approbari debent[1].

VII.— *Congregatio Jurisdictionis et Immunitatis ecclesiasticæ.*

379. Erecta fuit, juxta Card. de Luca, circa initium Pontificatûs Urbani VIII.

Cognoscit hæc Congregatio potissimùm de rebus ad jurisdictionem ecclesiasticam pertinentibus, et de Immunitatibus personalibus et realibus.

VIII. —*Congregatio Indulgentiarum et Reliquiarum.*

380. Instituta fuit à Clemente IX per Breve *In ipsis Pontificatûs*, « ut sacri Indulgentiarum Thesauri curæ et dis-« pensationi sacrarumque reliquiarum recognitioni, dis-« quisitioni et rectæ dispositioni peculiariter incumberet. »

Consuli debet Pontifex in gravioribus et difficilioribus quæstionibus : solutio autem dubiorum ad dogma pertinentium, ad solum Papam pertinet.

Ex decreto hujus Congreg., 19 jan. 1756, innovato 14 ap. 1836, omnes qui impetrant à Papâ concessiones generales Indulgentiarum, tenentur sub pœnâ nullitatis, exemplar earumdem concessionum ad Secretarium ejusdem Congregationis deferre. Rescripta quæ à S. Sede fuerunt

[1] « An Pontificalis, Cæremonialis Episcoporum, Martyrologii et « Ritualis Romani præceptivas regulas, tolerante nempe aut permit-« tente aut etiam quidpiam aliter statuente RR. Episcopo, canonici « aliive sacerdotes possint, illæsâ conscientiâ, infringere aut omit-« tere, atque Reverendissimi Episcopi voluntas, his in casibus, sit pro « ipsis sufficiens dispensatio ? R. Negativè, *et amplius*. » (S. R. Congr., 10 jan. 1852.)

obtenta in gratiam fidelium, ostendi debent Ordinariis locorum, ut recognoscantur antequam iis utatur possidens (Concil. Trident., sess. 21, cap. 9); hoc tamen non requiritur sub pœnâ nullitatis. Secus est dicendum de rescriptis in gratiam privati vel familiæ obtentis, pro quibus minimè requiritur ut Ordinario ostendantur.

IX. — *Congregatio Propagandæ Fidei.*

381. Instituta fuit à Gregorio XV per Const. *Inscrutabili* 22 jan. 1622.

Munus ejus est distribuere terras evangelizandas inter diversos missionarios, et eos ibi transmittere cum amplissimis facultatibus, proponere S. Pontifici aliquos eorum ut creentur Episcopi vel solùm Vicarii aut Præfecti Apostolici, decernere de variis negotiis, quæ nonnunquam exurgunt inter missionarios variorum ordinum et Ordinarios locorum.

Insuper resolvit quæstiones, vel casus conscientiæ qui proponuntur à missionariis, et ad eos mittit instructiones, ordinationes, etc., prout exigit bona rerum administratio.

Huic adjecit Urbanus VIII Collegium seu Seminarium speciale sub eodem nomine *Propagandæ Fidei*, in quo educantur adolescentes variarum gentium, infidelium, qui deinde in suas regiones fidem disseminent; habet etiam celebrem officinam typographicam, in quâ prælo mandantur libri cujuscumque idiomatis pro missionum usu.

Suis Litteris Apostolicis 6 januar. 1862, Pius IX Congregationem de Propagandâ in duas divisit partes : unam pro ritu Latino, et aliam pro ritu Orientali.

De aliis Congregationibus romanis, vide nostrum *Manuale*, à n° 783, etc.

382. Observandum est solùm, circa omnes has Congregationes, quòd habeant potestatem ordinariam, in iis quæ ipsis à Constitutionibus Apostolicis attribuuntur. Imò idem tribunal faciunt cum S. Pontifice, proindè ab iis ad Papam non potest appellari[1]. Nec earum jurisdictio ordinaria,

[1] « Le canoniste Garcias cite une lettre de la Sacrée Congrégation du

sede vacante, expirat ; formas autem summarias et extrajudiciarias in suis judiciis observant. Earum jurisdictio, utpote Papalis, est supra canones, et in iisdem potest dispensare.

Aliquando in decisionibus SS. Congreg., adhibentur verba *et amplius*. Quæ significant : et *causa amplius non proponatur* [1]. Verba verò *et non concedatur*, designant concedendam non esse novam causæ propositionem. Vox *dilata*, quòd adhuc quæstio sit expendenda ; vox *relatum*, quòd S. Congregatio recuset negotio attendere.

Nota adhuc quòd, in pluribus Congregationibus, unus è Cardinalibus designetur pro faciendâ negotiorum tractandorum relatione : hic Cardinalis nomine *Ponentis* solet nuncupari.

Non solent Congregationes admittere recursus qui solummodo fiunt per missionem epistolarum; sed supplex libellus in unâ quâque earum Secretariâ præsentari debet de manu ad manum, per Agentem, vel alium quemdam qui deinde rescriptum vel responsionem requisiturus sit. Supplicatio verò ad Papam dirigi debet sub his verbis : *Beatissime Pater*. Mox, sed in lineâ infra positâ, inscribenda sunt nomen, qualitates, diœcesis et patria supplicantis ; deinde, nullâ determinatâ formâ necessariò adhibendâ, sed stylo nitido et convenienti, simpliciter exponitur petitionis objectum. Cura autem hujusmodi supplicationes conficiendi committi potest solitis Agentibus, qui stylum et formas in eis ordinariè observandas accuratè dignoscunt.

PUNCTUM II.

DE TRIBUNALIBUS ROMANIS.

383. Hoc nomen tribuitur quibusdam Institutis, quæ certa negotia ecclesiastica, sive gratiosæ sive contentiosæ

« Concile, dans laquelle il est dit qu'on doit faire le même cas de « ce que cette Sacrée Congrégation écrit, que si le Pape l'écrivait « lui-même. Or, sous ce rapport, les Congregations sont toutes sur « le même pied d'égalité ; et ce qui est vrai de l'une d'elle, l'est aussi « des autres. » Stremler, *Des peines ecclés.*, p. 509.

[1] Attamen Cardinalis Præfectus, rescripto à se subscripto, potest hanc clausulam *et amplius* tollere.

jurisdictionis, expedire debent : hujusmodi sunt *Cancellaria*, *Dataria*, *Pœnitentiaria* et *Rota*. De Cancellariâ et insimul de Secretariâ Brevium, vide nostrum *Manuale*, à nº 789, etc. Sit ergo tantum hîc quæstio :

1º *De Datariâ.*

384. Ad Datariam communiter recurritur pro obtinendis dispensationibus super publicis impedimentis matrimonii et publicis irregularitatibus.

Vulgò à Datariâ exigitur pecuniæ summa, quæ dicitur *componenda*, et quæ à S. Sede in pias causas expenditur.

Constitutione suâ *Gravissimum*, 6 decemb. 1745, Benedict. XIV determinavit quænam gratiæ et negotia per Datariam, quænam per Secretariam Brevium, et quænam per Pœnitentiariam expediri deberent.

2º *Pœnitentiaria.*

385. Ad hoc tribunal recurri solet pro iis quæ spectant forum internum.

Antiquitùs etiam in publicis impedimentis et irregularitatibus dispensabat Pœnitentiaria, eique commissa erant ferè omnia negotia quæ nunc Datariæ Breviumque Secretariæ reservantur ; sed à Pio IV ferè omnes ipsius facultates ad solum forum internum reductæ fuêre, et in quibusdam duntaxat casibus dispensat pro foro externo.

Quibusnam membris constet S. Pœnitentiaria et quid de eâ statuerit Bened. XIV in suâ Const. *Pastor bonus*, vide in nostro *Manuali*, à nº 793, etc.

Directè (etiam *par la poste*) recurri potest ad Majorem Pœnitentiarium; idque valent tàm pœnitens quàm confessarius. Superscriptio hæc ipsis apponitur : *Eminentissimo Cardinali Majori Pœnitentiario.* Intus verò sint hæc prima verba : *Eminentissime et Reverendissime Domine...* Vernaculâ linguâ conscribi possunt. In fine autem exprimi nitidè debent nomen, cognomen et locus illius ad quem responsio erit mittenda. Sic verò terminatur : *Dignetur Eminentia Vestra rescribere ad N...*

Responsa Pœnitentiariæ aliquando non facilè possunt benè intelligi ob frequentes abbreviationes in iis adhibitas.

Hîc quasdam ab abbreviationibus adhiberi solitis, referre et explicare utile ducimus : *alr*—aliter; *abs*—absolutio; *ao*—anno; *aplica*—apostolica ; *aucte*—auctoritate ; *ben* aut *beneonem*—benedictionem; *cen*—censuris; *confeone*—confessione ; *coini*—communioni ; *conscie*—conscientiæ ; *constribus*—constitutionibus ; *discreoni*—discretioni ; *dudo*—dummodo ; *Eccle*—Ecclesiæ ; *exit*—existit ; *epus*—episcopus ; *excoc*—excommunicationi ; *gali*—generali ; *humoi*—hujusmodi ; *infraptum*—infra scriptum; *igr*—igitur; *innoti*—innodati; *matrium*—matrimonium; *mir*—misericorditer; *ordibus* — ordinationibus ; *pœnia* — pœnitentia ; *saluri*—salutari ; *quatus*—quatenus ; *sen*—sententiis ; *ten*—tenore; *sartum*—sacramentum, etc.

Satis patet quòd indulta S. Pœnitentiariæ vim in foro interno tantùm habentia, rem integram relinquant pro foro externo; unde post ipsorum executionem sunt destruenda.

3° *Rotæ tribunal.*

386. Juxta du Cange, hoc nomen Rotæ venit à pavimento audientiæ in formam *rotæ* disposito. Sed alii aliter hanc denominationem explicant ; et juxta Bouix, *De Curiâ Romanâ*, p. 280, ortum habet à modo usitato Auditorum procedendi per *turnum*.

Incertum est quo tempore Rotæ Auditores cœperint judicum partes adimplere ; à quibusdam tamen assignatur epocha pontificatûs Joannis XXII. Eorum numerus indeterminatus fuit ante Sixtum IV, à quo ad duodecimum fuit reductus. Inter eos unus Germanus, unus Gallus, duo Hispani propter duo Castellæ et Arragoniæ regna, cæterique Itali.

Ad tribunal Rotæ referuntur appellationes causarum spiritualium de toto mundo, causarum verò civilium ex solo Statu Ecclesiastico, modò causæ, quando sunt privatæ excedant summam 500 ducatorum, aut 24 ducatorum quando sunt beneficiales. Causæ verò criminales ad Rotam non deferuntur.

Quamvis sententiæ Tribunalis Rotæ sint magni ponderis, ob scientiam legum et integritatem judicum, non tamen eamdem habent auctoritatem ac sententiæ Congre-

gationum Romanarum, et actus aliorum supra dictorum Tribunalium : Congregationes enim, et alia præfata Tribunalia eamdem personam et idem tribunal faciunt cum Papâ, in iis quæ ipsis sunt attributa; unde non licet ab eorum sententiis ad Papam appellare. Non autem res ita se habet quoad Tribunal Rotæ; habet quidem auctoritatem suam à S. Sede delegatam : imò juxta quosdam, ordinaria est ipsius jurisdictio; sed, juxta omnes, est Tribunal à Papâ distinctum; unde à Rotâ potest ad S. Pontificem appellari. Item Congregationes possunt aliquando, si expedire judicaverint, declinare à rigore juris, quia tanquam Papæ Vicariæ in canonibus valent dispensare; sed non item S. Rota, quæ tenetur semper suas sententias juri conformes reddere. Legem non faciunt pro inferioribus tribunalibus Rotæ sententiæ. Vide alia in nostro *Manuali*, à n° 798.

§ III.

De Ministris S. Pontificis extra Curiam Romanam.

Hi sunt, ut jam diximus, Legati, Nuntii, Vicarii et Præfecti Apostolici, Commissarii, etc.

I. — De legatis et nuntiis.

387. Legati suum nomen trahunt ex eo quòd publicè emittantur seu ablegentur; hodie duplicis potissimùm sunt generis : *à latere* nempe et Legati missi, seu Nuntii Apostolici.

Legati *à latere* sunt Cardinales quos S. Pontifex quasi ex suo dimissos latere [1], aut ad Supremos Principes, aut in ditionis ecclesiasticæ provincias mittit. Hi supra cæteros Legatos eminent; eorum in provinciam adventu, silet aliorum Legatorum potestas (cap. 8, *De off. Leg.*). Utuntur Apostolicis Insignibus (cap. 23, *De Priv.*); et amplissimâ fruuntur potestate quam describunt Litteræ Apostolicæ per quas munus Legationis accipiunt. Statim hac hujusmodi Legati à Româ vel civitate in quâ Papa residet, exeunt,

[1] Cardinales ad latus Pontificis assistunt, et sic dum mittuntur, quasi à latere extrahi videntur (Ferraris, v° *Legatus*, n° 9).

purpureis vestibus, more regum, equo albo seu palafredo, frenis ac calcaribus deauratis ornati procedunt : ad fines suæ Provinciæ devenientes, sono campanarum à clero populoque solemnissimâ pompâ, sub baldachino, erectâ eorum cruce, sunt excipiendi. Coram eis Archiepiscopi suam crucem nequeunt erigere, nec ipsis aut Episcopis aliisque Prælatis licet populum benedicere, imò cæteri Legati insignia sua deponunt. Ingredienti Legato ecclesias Episcopus aspersorium porrigit ejusque manus osculatur.

388. Legati *missi* seu Nuntii Apostolici de Cardinalium numero non sunt, sed à Papâ mittuntur ad Supremos Principes, ut in eorum regnis munus Legationis obeant. Eorum potestas definitur Litteris quibus ipsis à S. Pontifice officium commissum est, neque Legato *misso* adhibetur fides, nisi is primùm Litteras ipsas protulerit.

Qui resident apud Supremos Principes dicuntur *Nuntii Apostolici*; qui verò commorantur in locis quibus Princeps non adest, vel suum munus modo tantùm provisorio exercent, *Internuntii* appellantur.

De facultatibus Legatorum et Nuntiorum et aliis pluribus, vide dicta in nostro *Manuali*, n^is^ 803, etc.

389. Quærit. Quænam sit legislatio Gallici Gubernii quoad Legationes S. Sedis, et quid de eâ sit sentiendum ?

Resp. 1° Juxta articulos 11 et 12 Collectaneorum Libertatum Gallicanarum, quarum Puteanus (Pithou) est auctor, nonnisi consentientibus regibus nostris, Legati Papæ in Galliâ erant admittendi. Et id quidem à Gubernio prætendebatur olim in Galliâ, ideòque Bullæ quibus Legati instituebantur, in Supremâ Curiâ vulgò dictâ *Parlement*, erant examinandæ, recognoscendæ et registrandæ.

Jurisprudentiam hanc sancivit lex organica, 18 Germin. anni X, cujus sic habet art. 2 : « Aucun individu se disant « Nonce, Légat, Vicaire ou Commissaire Apostolique ne « pourra, sans la même autorisation (du Gouvernement), « exercer sur le sol français ni ailleurs aucune fonction « relative aux affaires de l'Église Gallicane. »

Resp. 2° Hujusmodi legislationem esse Juris Ecclesiastici destructivam; illâ enim legitimatâ, suam supremam et plenam auctoritatem in universali Ecclesiâ, S. Pontifex

non valebit exercere nisi dependenter à beneplacito civilis potestatis ; proinde illi subjacebit, nec ampliùs poterit esse libera. Porrò, inquiebat Card. Caprara, quomodo prædicaturi Evangelium fuissent Apostoli, si gubernia in eos talibus juribus potita fuissent ? Ergo omnis juris ecclesiastici prædicta legislatio est destructiva. Vide in nostro *Manuali*, n° 813, quomodo respondendum sit quibusdam object. D. Prompsault.

II. — De vicariis, præfectis et commissariis apostolicis, etc.

390. *Vicarii Apostolici* sunt illi quibus S. Pontifex alicujus Ecclesiæ curam pastoralem committit, ut illam non suo sed Papæ nomine exerceant. Vide nostrum *Manuale*, n° 815, etc.

Præfecti Apostolici differunt à Vicariis Apostolicis in eo quòd Præfecti sint simplices sacerdotes ; dum ordinariè Vicarii caractere episcopali sunt insigniti.

Commissarii Apostolici sunt ii quos S. Pontifex delegat ad informandum et judicandum super aliquo negotio, prout contingit in dispensationibus matrimonialibus, quarum executio committi solet Officiali Episcoporum : vocantur etiam *Delegati*. De iis consulendus est Titulus Decretalium *De officio Judicis Delegati*.

« Delegatus Sedis Apostolicæ, vel Legatorum ejus, « debet esse constitutus in aliquâ Dignitate ecclesiasticâ, « vel Personatu, aut esse Canonicus Ecclesiæ Cathedralis « (cap. *Statutum* 2, *De rescriptis*, in 6°), aut esse Officialis « seu Vicarius Generalis Episcopi, vel Prior Conventualis : « Clem. *Etsi principalis* 2, *De rescript.* » (Ferraris, v° *Delegatus*, n^is^ 29 et 30.) Sub nomine Prioris Conventualis veniunt omnes Superiores Conventuales regularium.

De Protonotariis Apostolicis, vide nostrum *Manuale*, n° 818, etc.

CAPUT II.

DE PATRIARCHIS, PRIMATIBUS ET METROPOLITANIS.

Post S. Pontificem, prima loca Hierarchiæ jurisdictionis occupant Patriarchæ, Primates et Metropolitani.

I. — De patriarchis.

391. Patriarchæ sunt Episcopi qui præsunt, non uni Diœcesi tantùm vel Provinciæ, sed pluribus Provinciis et Regionibus.

Illorum origo dimanat ab Apostolis. Nominis tamen Patriarchæ prima mentio occurrit in Concilio Chalcedonensi in quo sæpe acclamatum fuit : *Sanctissimo et Beatissimo universali Magnæ Romæ Patriarchæ Leoni.*

Præter Romanum Pontificem, duorum tantùm aliorum Patriarcharum meminit Synodus Nicæna, Alexandrini nempe et Antiocheni; duo insuper alii ad hanc Dignitatem fuêre postea evecti, videlicet Constantinopolitanus et Hierosolymitanus Episcopi.

Alexandrinus Patriarcha præerat Ægypto, Lybiæ et Pentapoli; Antiochenus primùm toti Orienti, Romanus verò toti Occidenti. Detractæ sunt postea à Patriarchatu Antiocheno tres Palestinæ, ut tribuerentur Hierosolymitano Patriarchæ; Constantinopolitano verò sunt tributæ tres regiones seu Diœceses, Pontica nempe, Asiana et Thracia.

Nonnisi auctoritate S. Sedis instituti fuêre illi Patriarchæ, quæ etiam ordinem inter ipsos servandum determinavit, ut videre est in cap. *Antiqua, De Privilegiis* : « Antiqua Patriarcharum Sedium privilegia renovantes, « sanctâ universali synodo (Later. IV) approbante, sanci- « mus, ait Innocentius III, ut post Romanam Ecclesiam, « quæ, disponente Domino super omnes alias ordinariæ « potestatis obtinet Principatum, utpote Mater universo- « rum Christi fidelium et Magistra, Constantinopolitana « primum, Alexandrina secundum, Antiochena tertium, « Hierosolymitana quartum locum obtineat, servatâ cuili- « bet propriâ dignitate. »

Potestas Patriarcharum in Metropolitas est ferè eadem

ac istorum in suffraganeos ; etenim « Primùm jus (eorum) « erat, inquit Card. Soglia (*Inst. jur. publ.*, lib. 2, § 345), « consecrandi Metropolitas, eisque pallium tribuendi, post- « quam tamen ipsimet Patriarchæ à Romano Pontifice pal- « lium accepissent; ordinationes verò Episcoporum ad « Metropolitas pertinebant... Patriarcha (autem) Alexan- « drinus peculiari jure (gaudebat) non modò Metropolitas, « sed cunctos etiam sui Patriarchatûs Episcopos confirmandi « consecrandique.» Vide alia in nostro *Manuali*, n^is^ 822, etc.

Sunt insuper multi alii Patriarchæ gradûs inferioris, qui non procul distant à Primatibus, ac medium tenent locum inter Majores Patriarchas ac Metropolitas : eorum potestas trahitur in omnes certi regni ac nationis Metropolitas et Episcopos ; ipsi verò *Majori Patriarchæ* subjiciuntur, cujus intra fines Episcopatum tenent. Hujusmodi sunt Patriarchæ : 1° Aquileiensis (qui Patriarchatus postea ad Gradensem, deinde, anno 1450, à Nicolao V ad Venetensem Ecclesiam translatus est) ; 2° Bituricensis in Galliis (erectus à Nicolao I, et suppressus, anno 1755, à Bened. XIV) ; 3° Ulyssiponensis (Lisbonne) sæculo XVIII creatus.

II. — De primatibus.

392. Qui apud græcos *Exarchi* dicti sunt, Primates apud Latinos vocati fuêre, et hodie communiter intelliguntur qui præsunt pluribus Metropolitis.

Primatis prærogativa est ut ad ipsum appellari possit à Metropolitanorum sententiis. Idque constat 9° et 17° canonibus Concilii Chalcedonensis ; sed certum est Primates et Patriarchas nihil privilegii habere præ cæteris Episcopis, nisi quantùm sacri canones concedunt et prisca consuetudo illis antiquitus contulit, prout definivit Nicolaus I, cap. *Conquestus* 8, causa 9, q. 3. Vide alia in nostro *Manuali*, n° 825, etc.

III. — De metropolitanis.

393. *Metropolitanus* seu *Metropolita* sic vocatur à Metropoli seu civitate Matrice. Metropolis erat caput Provinciæ, et qui in eâ Episcopatum gerebant, dicti fuerunt Metropolitæ. Vocati sunt etiam postea Archiepiscopi : quod nomen, inquit Devoti, etsi primùm latiùs pateret, tamen

lapsu temporum translatum est ad eos qui Provinciæ uni erant præpositi, quales sunt Metropolitæ.

Vox *Archiepiscopus* à duabus vocibus græcis derivat quæ significant *Principem Episcoporum*.

394. Latissimè olim extendebatur Metropolitarum jurisdictio. Etenim tanta fuit ut prohibiti fuerint ipsi Episcopi suffraganei aliquid magni momenti agere sinè Metropolitani consensu. Quinimò Archiepiscopus primas habebat partes in electione Episcoporum suæ Provinciæ; adeò ut citra ejus sententiam nemo posset Episcopus constitui. Ejus item erat electos episcopos examinare, confirmare, ordinare, instituere, erudire, ac in eorum mores animadvertere. Hinc Suffraganeorum obligatio juramentum fidelitatis præstandi suo Metropolitano; sed hoc non est ampliùs in usu (S. Cong. Conc. 19 nov. 1578).

Posterioribus verò sæculis, diminutionem passa est jurisdictio Archiepiscopi in suffraganeos Episcopos. Reservatæ fuerunt Apostolicæ Sedi omnium Episcoporum confirmationes, consecrationes et etiam electiones.

Adhuc tamen Metropolita jurisdictionem habet in omnes suæ Provinciæ Episcopos; supplet eorum negligentiam, eosque vocat ad Synodum provincialem; inquirit in absentiam, atque ad residentiam compellit; negligentes ad officium cogit; jus dicit inter eos qui à Suffraganeorum judicio ad se provocant; denique in totâ provinciâ crucem præ se fert, insigne jurisdictionis suæ, etiam per loca exempta; item potest ferre mozettam et populo benedicere per totam provinciam, etiam in locis exemptis; potest celebrare pontificaliter in totâ Provinciâ.

« Olim, addit Devoti (lib. 1, sect. 3, § 41), Metropolitæ, « lustratâ propriâ diœcesi, lustrare poterant diœceses Suf- « fraganeorum suorum (cap. 1, *De Censibus*, in 6°). Nunc « non possunt, nisi causa in Provinciali Synodo cognita et « probata sit. » (Concil. Trid., sess. 24, c. 3, *De ref.*, Urbanus VIII, Const. *Exponi*.)

Sede Suffraganeâ vacante, si Canonici per octo dies non constituant Vicarium Capitularem, vel idoneum non elegerint, illorum negligentiam debet supplere Metropolitanus

(Trid., sess. 24, c. 16, *De ref.*). Vide plura alia in nostro *Manuali*, à n° 830, etc.

395. Quærit. Cujus generis sit jurisdictio Metropolitanorum in Suffraganeos, eorumque subditos?

Resp. Generatim videri esse admittendum quòd jurisdictio Metropolitana sit restringenda, tàm quoad Suffraganeos quàm eorum subditos, ad solos casus in jure expressos, illud certum videtur quoad subditos Suffraganeorum. Aliqua verò dubitatio oriri posset quoad ipsos Suffraganeos : attamen idem quoad ipsos potest concludi ex cap. *Venerabilis* 7, *De sentent. excomm.*, ubi dicitur quòd Archiepiscopus et ipsius Officialis « nec *excommunicantium* (suffraganeorum), « nec excommunicatorum sint judices ». Refertur etiam Sacræ Congr. Conc. declaratio sic habens: « Metropolitani, « Archiepiscopi, Primates aut Patriarchæ, in *suffraganeos* « eorumve subditos non judicent, nisi in casibus à jure « expressis. »

Hæc pro causis criminalibus. Pro causis verò civilibus in quibus Suffraganeus est reus, idem plures affirmant; sed Cardinalis Soglia (*Inst. jur. publ.*, § 47) videtur aliter sentire : « Quia, inquit, de causis civilibus Episcoporum « nihil in Concilio (Trident.) statutum fuit, idcirco *ex com-* « *muni Canonistarum sententiâ* permanet jus antiquum, « quo sancitum est ut *civiles Suffraganeorum causæ apud* « *Metropolitanum agantur.* »

Erga subditos Suffraganeorum, jurisdictio Metropolitana non est immediata et directa, sed tantùm mediata; et solùm exerceri potest suppositis quibusdam aliis, v. g. appellatione, visitatione, negligentiâ, etc. Sic 1° « Nequit Ar- « chiepiscopus Suffraganeorum subditos judicare in primâ « instantiâ; nec eorum causas coram Suffraganeis pen- « dentes ac se advocare; nec ante sententiam definitivam « in primâ instantiâ, recipere appellationem ab aliquâ « sententiâ interlocutoriâ, aut gravamine; aut inhibitionem « ulteriùs procedendi Suffraganeo ejusve Officiali facere, « nisi fortè gravamen tale foret ut non posset per appella- « tionem à definitivâ reparari, aut non posset ab ipsâ defi- « nitivâ appellari. Constat cap. 1, sess. 13, et cap. 20, sess. « 24, Trident. Conc.

« Si tamen causa, in curiâ Suffraganei, intra biennium « non finiatur, liberum est partibus, et uni etiam parti, « Metropolitani tribunal adire (Trid., c. 20, sess. 24).

« Metropolitanus est judex competens, quoad omnes « Suffraganeorum suorum subditos, in secundâ instantiâ « quando ad ipsum legitimè appellant. » Bouix, *De Episcopo*, t. 1, p. 173.

2° In casu visitationis Provinciæ, Archiepiscopus potest omnium confessiones audire, ipsos absolvere, atque pœnitentias injungere salutares (cap. ult. *De Censib.*, in 6°); idque tàm per se quàm per alios, etiam absolvendo à casibus Episcopo Suffraganeo reservatis.

Non tamen potest visitans jurisdictionem fori contentiosi exercere in subditos Suffraganei, nisi in duobus casibus, videlicet in criminibus notoriis puniendis, ut dicitur cap. *Romana sanè*, *De Censib.*, in 6°; et quando subditi Suffraganeorum vel ipsi Archiepiscopo jurisdictionem in provinciâ suâ exequenti, vel ejus Nuntiis, aut familiæ injuriam seu manifestam offensam inferre præsumunt, etiamsi ejus jurisdictionem inde impediri non contingat cap. 1, *De Pœnis*, in 6°.

3° Tertius casus est quando Suffraganeus Episcopus est negligens in eo quod facere debet.

Si Suffraganeus deneget dispensationem, in iis casibus in quibus est debita ratione personæ, loci, ætatis, temporis, pietatis et Ecclesiæ utilitatis, tunc potest Metropolitanus illam concedere. Vide alios casus et plura alia in nostro *Manuali*, à n° 842, etc.

396. Quærit. Quænam sit in Galliâ legislatio civilis circa Metropolitanos?

Resp. Illam contineri in sequentibus Legis Organicæ articulis :

« Art. 13. Les Archevêques consacreront et installe- « ront[1] leurs Suffragants. En cas d'empêchement ou de « refus de leur part, ils seront remplacés par le plus an- « cien Evêque de l'arrondissement métropolitain.

[1] Solent Episcopi in Galliâ suam sedem occupare per procuratorem; totaque cæremonia quæ tunc fit, dirigitur per Primam Capituli Dignitatem.

« Art. 14. Ils veilleront au maintien de la foi et de la « discipline dans les diocèses dépendant de leur Métropole.

« Art. 15. Ils connaîtront des réclamations et des plaintes « portées contre la conduite et les décisions des Evêques « suffragants... » (Proinde « Ce n'est point devant le « Conseil d'État et par voie d'appel comme d'abus qu'un « prêtre doit attaquer l'interdit de ses fonctions ; c'est « devant le Métropolitain qu'il doit se pourvoir. Arrêt du « Conseil d'État du 31 juillet 1829. » Ita *Journ. des Fabr.*, t. 1, p. 16, note 2).

« Art. 4. Aucun Concile national ou Métropolitain, aucun Synode diocésain, aucune assemblée délibérante « n'aura lieu sans la permission expresse du gouvernement. » (Libertati ecclesiasticæ adversatur hæc legis dispositio).

« Art. 36. Pendant la vacance des siéges, il sera pourvu « par le Métropolitain et, à son défaut, par le plus ancien « des Évêques suffragants, au gouvernement des Diocèses. » Illa dispositio, sacris canonibus non consentanea, mutata fuit per Decretum 28 febr. 1810, in quo sancitur (art. 5 et 6) : « Pendant les vacances des siéges, « il sera pourvu, conformément aux lois canoniques, au « gouvernement des Diocèses. Les Chapitres doivent pré- « senter au Ministre des cultes les Vicaires Généraux « qu'ils auront élus, pour que leur nomination soit re- « connue par le gouvernement. » Ita *Journ. des Fabr.*, tom. 1, p. 20 in notis : et sic hodie in praxi servatur.

De Pallio, vide nostrum *Manuale*, n° 846.

CAPUT III.

DE EPISCOPIS.

ART. I.

DE NOTIONE OFFICII EPISCOPI ET NATURA POTESTATIS IPSI TRADITÆ.

397. Episcopus græca vox est quæ latinè *Inspectorem* significat.

Quoad rem, definitur Episcopus : Ille qui recepit sacerdotii plenitudinem, quatenus à Christo ad regimen ecclesiasticum institutam.

Sicut Episcopo populus seu portio ovilis Christi solet assignari, ita et Ecclesia specialis, in quâ tanquam in propriâ Sede, munia pontificalia jus exercendi habeat, quæque idcirco vocatur *Cathedralis*. Solus Papa Ecclesiam in Cathedralem erigere potest (Cap. *Præcipimus* 53, c. 16, q. 1).

Item ad solum Papam pertinet determinare uniuscujusque diœcesis limites.

398. Duplex est potestas Episcoporum : alia ordinis, jurisdictionis altera : prior est illa quæ ipsi confertur per consecrationem Episcopalem, vi cujus potest quædam sacramenta, Ordinis videlicet et Confirmationis, validè administrare quæ non valent meri sacerdotes ; posterior est potestas quam ipsi habent gubernandi subditos in ordine ad vitam æternam. De duplici illâ potestate vide dicta supra (151, etc.). Potestas jurisdictionis in Episcopis est præsertim pro foro externo, et sic differt à parochiali potestate.

399. Quærit. 1° An Episcopi sint presbyteris superiores? Respondeo statuendo sequentem propositionem :

Propositio. — *Certum est de fide Episcopos esse presbyteris superiores.*

Ita definivit Synodus Trident., sess. 23, can. 7 : « Si « quis dixerit Episcopos non esse presbyteris superiores.., « anathema sit. » Vide etiam cap. 4 ejusd. sess.

Constat 1° ex epistolis S. Ignatii martyris, in quibus Episcopi distinguuntur à presbyteris, ipsisque superiores exhibentur : sic cap. 8 Epistolæ ad Smyrnæos : « Omnes « Episcopum sequimini, ut Jesus Christus Patrem, et « presbyterium ut Apostolos ; diaconos autem revereamini, « ut Dei mandatum. » In Epistolâ ad Magnesianos loquens de Damâ illorum Episcopo, sic habet : « Vos decet « non familiariùs ac superbè uti ætate (juniori) Episcopi ; « sed secundùm virtutem Dei Patris omnem impertiri illi « reverentiam : quemadmodum novi *sanctos facere presbyteros*, non respicientes ad apparentem juvenilem ordi- « nationem... »

Item constat ex S. Cypriano (in Epistolâ 11, p. 21, edit. Baluz.) : « Audio quosdam de presbyteris, nec Evangelii « memores, nec quid ad nos martyres scripserint cogi- « tantes, nec *Episcopo honorem sacerdotii sui et Cathedræ « reservantes*, jam cum lapsis communicare cœpisse. » — Ex Tertull., libr. *De Baptismo*, c. 17 : « Dandi quidem « habet jus summus sacerdos, qui est Episcopus, dehinc « presbyteri et diaconi, non tamen *sinè Episcopi aucto- « ritate*. »

Probat. 2° etiam ex eo quòd assertum Aerii, « *nullum « inter utrumque* (presbyterum et Episcopum) *discrimen « est ; est enim amborum unus ordo, par et idem honor ac « dignitas* », statim, tanquam hæresis manifesta rejecta fuerit, ut constat ex S. Epiphanio qui illam septuagesimam quintam vocat.

Probari posset multis aliis argumentis à D. Bouix coacervatis, *De Episc.*, t. I, p. 9, etc., eo præsertim quòd à primis Ecclesiæ sæculis contexeretur accuratè catalogus Episcoporum singularum Ecclesiarum, ad quem provocabant SS. Patres ad confutandos hæreticos. « Edant ergo, « inquiebat Tertullianus (*De Præscript.*, cap. 22), origines « Ecclesiarum suarum, evolvant ordinem Episcoporum « suorum, ita per successiones ab initio decurrentem, ut « primus ille Episcopus aliquem ex Apostolis vel Aposto- « licis Viris (qui tamen cum Apostolis perseveraverit) ha- « buerit auctorem... » Porrò si Episcopis æquales habiti fuissent presbyteri in his Ecclesiæ primordiis, non Episcoporum duntaxat contextus fuisset catalogus, sed et omnium presbyterorum. Ergo presbyteris superiores sunt Episcopi, et illud est de fide.

Objiciuntur 1° varii Scripturarum textus ex quibus colligi posse videtur nullum, Apostolorum tempore, exstitisse discrimen Episcopos inter et presbyteros : sic in suâ Epist. ad Titum Paulus, postquam dixerit (cap. 1, v. 5) : « Reli- « qui te Cretæ ut constituas per civitates *presbyteros* », ibidem (v. 7) adjicit : « Oportet enim Episcopum sinè cri- « mine esse. »

Item in cap. 20, v. 17, *Act. Apostol.*, dicitur : « Paulus « à Mileto mittens Ephesum vocavit majores natu (græcè

« πρεσβυτερους) Ecclesiæ : qui cùm venissent ad eum et « simul essent, dixit eis... : Attendite vobis et universo « gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit *Episcopos* regere « Ecclesiam Dei. » Ergo primis Ecclesiæ sæculis iidem erant presbyteri et Episcopi. Ergo, etc.

Resp. Duplici præsertim modo præsentem difficultatem solvi : 1° Alii cum Petavio dicunt, primordiis Ecclesiæ, omnes vel plerosque presbyteros simul ordinatos fuisse Episcopos, ut sic plures in promptu essent qui præfici valerent variis urbibus et populis qui quotidie fidem Christianam amplectebantur : quod non impediebat quominus ex tunc distingueretur Episcopatus à simplici presbyteratu.

2° Alii cum Mamachio dicunt Episcopos vocatos fuisse etiam presbyteros : presbyterum enim sese vocat S. Petrus (1ª Epist., c. 5, v. 1) ; itemque S. Joannes (2ª Epist., v. 1, et 3ª Epist., v. 1) : quod non impedit quominus exstitissent etiam tunc meri presbyteri, qui caractere episcopali carebant et ab Episcopis prorsus distincti erant. Sic sentiebat S. Joannes Chrysost. (*Homil.* in cap. 1, *ad Philipp.*) : « Antiquitùs ipsi etiam presbyteri vocabantur Episcopi et « Diaconi Christi, et Episcopi presbyteri. Quocirca vel « hodie multi Episcopi ita scribunt : *Compresbytero* et « *Condiacono*. Procedente verò tempore, proprium cuique « distributum est nomen, ut hic quidem Episcopus, ille « verò presbyter appelletur. »

Objic. 2° Plura verba S. Hieronymi quibus clarè pronuntiatur nullum esse discrimen Episcopum inter et presbyterum : sic in Epist. ad Titum super his verbis « *ut* « *constituas per civitates presbyteros* », etc., ait : « Idem est « ergo presbyter qui et Episcopus ; et antequam diaboli « instinctu... diceretur in populis : *Ego sum Pauli*, *Ego* « *Apollo*, *Ego autem Cephæ*, communi presbyterorum « consilio Ecclesiæ gubernabantur... Putat aliquis non « Scripturarum, sed nostram esse sententiam, *Episcopum* « et *presbyterum unum esse*... Relegat Apostoli ad Philip- « penses verba dicentis : *Paulus* et *Timotheus*... omnibus « Sanctis... cum *Episcopis* et Diaconis, etc... Sicut ergo « presbyteri sciunt se ex Ecclesiæ consuetudine, ei qui « sibi præpositus fuerit, esse subjectos, ita Episcopi nove-

« rint se, *magis consuetudine quàm dispositionis Dominicæ* « *veritate*, *presbyteris esse majores*, et in communi debere « Ecclesiam regere, imitantes Moysen, qui cùm haberet « solus præesse populo Israël, 70 elegit, cum quibus po- « pulum judicaret. » Eamdem doctrinam S. Hieronymus defendit in suâ ad Evagrium epistolâ.

Resp. 1° Certum est S. Hieronymum clarè distinxisse inter Episcopum et presbyterum : in ipsâ enim epistolâ ad Evagrium sic ait : « Quid enim facit, *exceptâ ordinatione*, « Episcopus quod presbyter non faciat? » — Ergo juxta S. Doctorem, presbyter non potest facere ordinationem, sed solus illam peragere valet Episcopus.

Ad cap. 26 Evangelii S. Matth. sic habet idem S. Doctor : « Quod fecerunt et Apostoli, per singulas provincias ordi- « nantes *presbyteros* et *Episcopos*. » Ergo distinguebat illos duos gradus. Sic adhuc habet in Epistolâ ad Marcellum : « Apud nos Apostolorum locum Episcopi tenent. Nec du- « bium quin de 12 Apostolis sermo sit, de quorum fontibus « derivatæ aquæ totius mundi siccitatem rigant. Juxta has « aquas 70 creverunt palmæ, quos et *secundi ordinis* sacer- « dotes intelligimus præceptores. »

Tandem idem S. Doctor tenet naufragium in portu facere, qui nullum discrimen putant intercedere presbyterum inter et Episcopum. « Nihil interest, scribit, inter « presbyterum et Episcopum ; eadem Dignitas mittentis « (Episcopi) et missi (presbyteri) : hoc satis imperitè, in « portu, ut dicitur, naufragium. » (Adv. Joann. Hierosolymitan. Episc.)

Clarè hæc manifestant magnum interesse, ex S. Hieronymo, discrimen inter Episcopum et presbyterum. Si ergo verba in objectione relata in bonum sensum intelligi non possunt, dicendum erit sibi contradicere S. Doctorem, proinde nullam esse ipsius auctoritatem : sed in bonum sensum posse reduci necessariò dicendum est, alioquin explicari non valeret quomodo S. Hieronymus non habitus fuerit in hoc puncto hæreticus, sicut reverà prius habitus fuerat Aerius, statim ac negaverat Episcopos meris presbyteris superiores esse.

Porrò diversimodè objecta verba S. Hieronymi catholicè

explicant interpretes : alii enim, juxta allatam in primâ objectione Petavii responsionem, volunt S. Doctorem locutum fuisse de presbyteris qui, ut primitùs solebat fieri, ordinati erant etiam Episcopi ; alii autem contendunt Hieronymum locutum fuisse, non de eo quod erant in jure presbyteri, sed de eo quod erant primitùs ex consuetudine : quamvis enim semper de jure Episcopi fuerint superiores presbyteris, tamen ex consuetudine, primitùs communi presbyterorum consilio gubernabant Ecclesias. « Unde, ait « D. Bouix, *De Episcopo*, tom. 1, p. 29, in hoc uno tan« dem æquales initio Episcopos et presbyteros pronuntia« vit Hieronymus, in *nomine* scilicet et in *exercitio* potes« tatis administrandæ. » Et hoc quidem contigisse ex Ecclesiasticâ dispositione existimavit.

400. Quærit. 2° Sub quonam respectu Episcopi sint presbyteris superiores? — Ordine tantùm? — An etiam jurisdictione?

Resp. Certum, imò de fide est eos esse superiores presbyteris ratione ordinis, proinde ex institutione divinâ. Etenim habent potestatem ordinandi et confirmandi quam non habent simplices presbyteri. Constat can. 7, sess. 23, Conc. Trident., multisque aliis monumentis. Sufficiat hîc meminisse ideo ordinationem Ischiræ fuisse habitam ut nullam à Concilio Alexandrino et à S. Athanasio, quia presbyter fuerat ordinatus à Collutho qui, presbyter tantùm, se finxerat Episcopum. Item S. Chrysost. (*Homil.* 11, in *Epist. ad Timoth.*, n° 1) de Episcopis sic habet : « Ordi« natione solâ superiores sunt : atque hinc tantùm patet « eos presbyteris præstare. »

Quoad jurisdictionem, patebit ex dicendis in quæstionibus subsequentibus, Episcopos fuisse pariter à Christo institutos ut simplicibus presbyteris clericis ac laicis ordinariè præessent.

401. Quærit. 3° An et quatenus Episcopi sint Apostolorum Successores?

Resp. 1° Certum esse Episcopos in aliquo sensu verè Apostolis successisse : constat ex sess. 23, cap. 4, Concil. Trident.

Resp. 2° Ut intelligatur quonam sensu Episcopi Apos-

tolis successerint, observandum est singulos Apostolos habuisse à Christo cum plenitudine sacerdotii jurisdictionem universalem, Petro tamen tanquam Superiori subjectam. Multa momenta in probationem afferri possent; sufficiat allegare verba S. Matth. (cap. 18, v. 18) : « Amen « dico vobis quæcumque alligaveritis », etc.; verba S. Marci (cap. 16, v. 15) : « Euntes in mundum universum, præ« dicate omni creaturæ »; et insuper verba S. Joann. (cap. 20, v. 21), et S. Matth. (cap. 28, v. 18). — « Omnes Apos« toli, inquit Suarez, acceperunt à Christo Domino juris« dictionem et spiritualem potestatem in totam Ecclesiam « et in totum orbem. Conclusio est certa et communis. » (*Tract. de Fide*, part. 1, disp. 10, sect. 1, n° 1.) Hoc præ-notato :

Dicendum est : 1° Præter Romanum Pontificem et Episcopum Hierosolymitanum, nullum Episcopum esse Successorem Apostolorum, eo sensu quòd Sedes quam quisque eorum occupat, aliquem ex Apostolis in primum Episcopum habuerit : Sedes autem Antiochena primùm quidem fuit occupata à S. Petro, dici tamen nequeunt Patriarchæ Antiocheni Petro propriè successisse.

Dicendum 2° Episcopos non esse Apostolorum successores quoad universalem in toto mundo jurisdictionem : nam jurisdictio, a Christo generaliter Apostolis commissa, erat in eis (Petro tamen excepto) extraordinaria, nec data ut permanenter in cæteros Episcopos transfunderetur ; multis argumentis id probari potest ; sufficiat hîc sequentia referre : 1° Episcopi Hierosolymitani erant certè successores unius Apostolorum, videlicet S. Jacobi : constat tamen, etiam à primordiis Ecclesiæ, ipsorum jurisdictionem non se extendisse ultra civitatem et illius confinia, aut ad summum ultra Palestinam, prout constat ex quamplurimis antiquitatis documentis.

2° In canone 28 Apostolorum sic decernitur : « Episcopus « non audeat *extra fines suos* ordinationes facere in civita« tibus aut pagis ipsi non subditis. »

3° In Concilio Constantinopolitano (anni 381) sic statutum reperitur : « Secundùm regulas, constitutus Alexan« driæ quidem Episcopus, ea quæ sunt in Ægypto tantùm

« gubernet; Orientis autem Episcopi solius Orientis curam « gerant.. . sed et Asianæ diœcesis Episcopi ea quæ sunt « in Asiâ et quæ ad Asianam tantummodo Ecclesiam perti- « nent, gubernent, etc. »

Dicendum 3° Episcopos esse successores Apostolorum quoad potestatem ordinis. De hoc nulla est controversia.

Dicendum tandem 4° Episcopos esse successores Apostolorum, non quoad æqualitatem, sed duntaxat quoad similitudinem jurisdictionis : in hoc enim jurisdictio Episcoporum similis est jurisdictioni Apostolorum, quòd sicut Apostoli post Petrum erant primi, ita Episcopi in diœcesibus sibi commissis sunt superiores presbyteris, reliquis clericis et laicis, et Ecclesiæ principes meritò vocantur.

Quærit. 4° An à Deo vel à Papâ Episcopi jurisdictionem immediatè accipiant ?

Nota hîc agi de potestate jurisdictionis quam habent Episcopi prout sunt *singuli*, non autem de eâ quæ ipsis à quibusdam tribuitur quatenus *collegium* seu *corpus Episcopale* conflant.

Resp. Circa hanc quæstionem duplicem adesse sententiam :

Prima tenet Episcoporum jurisdictionem esse immediatè à Christo, hoc nempe sensu : instituendo in suâ Ecclesiâ episcopatum, Christus quidem creandis usque ad finem mundi Episcopis voluit jurisdictionem conferre, et hoc in ipsâ eorum ordinatione, sed ita tamen ut hæc jurisdictio ligata remaneret, nec foret ad actum reducibilis, donec S. Pontifex approbato Episcopato territorium et subditos assignasset.

Secunda sententia concedit Christum ita instituisse Episcopos ut in varias partes Ecclesiæ debeant præfici; at simul contendit jurisdictionem singulis Episcopis immediatè conferri, non à Christo et in ipsâ eorum consecratione, sed à Romano Pontifice, et per actum quo Papa eis regendas diœceses committit. Hæc controversia magno animorum æstu agitata in Synodo Tridentinâ anno 1562, indecisa remansit. Bened. XIV, *de Syn.*, lib. 1, cap. 4, nº 2.

Hæc secunda sententia à D. Bouix validis stabilitur argumentis : nempe I. Ex scripturæ verbis : *Tu es Pe-*

trus, etc., *Pasce agnos meos;* his enim verbis probatur, ut supra diximus, S. Pontificem plenam habere potestatem in universalem Ecclesiam, in agnos et oves, in Episcopos et fideles : sed si Episcopi immediatè à Christo acciperent potestatem in suam quisque diœcesim, quomodo plena gubernandi universalem Ecclesiam, agnos et oves, Summo Pontifici tradita fuisset?

II. Ex innumeris traditionis monumentis hanc S. Pontifici tribuentibus potestatem : sufficiat referre 1° S. Optati Milevitani verba (lib. 7, contra Parmenam) : « B. Petrus.., « claves regni cœlorum, *communicandas cæteris*, *solus* « *accipit*. »

2° S. Gregorii Nysseni : « *Per Petrum* Episcopis dedit « (Christus) clavem cœlestium donorum »(t. 2, p. 746, edit. Paris., 1615).

3° S. Innocentii I : « Scientes quid Apostolicæ Sedi... « debeatur, à quo ipse *Episcopatus* et *tota auctoritas nomi-* « *nis hujus emersit* » (Epist. ad Conc. Carthag.).

4° S. Thomas (*Contra gentes*, lib. 4, c. 7) : « Petro soli « promisit : *Tibi dabo claves regni cœlorum*, ut ostende- « retur potestas clavium *per eum ad alios derivanda*, ad « conservandam Ecclesiæ unitatem. »

III. Ex variis argumentis theologicis : 1° Qui tenent immediatè à Christo conferri Episcopis jurisdictionem, debent alterum ex his duobus admittere, videlicet : conferri hanc jurisdictionem, vel in instanti Episcopalis consecrationis, vel in instanti præconizationis seu assignationis territorii.

Primum dici nequit : nam de essentiâ jurisdictionis est ut sit in *aliquos subditos* et quidem determinatos : jurisdictio enim in *nullas* personas determinatas, idem rigorosè est ac nulla jurisdictio, cùm non potiùs in unam quàm in alteram personam exerceri valeat; porrò in instante Episcopalis consecrationis non assignantur subditi nec determinatur diœcesis. Ergo, etc.

Nec etiam *secundum* dici potest : nam admitti nequit intervenire Christum ubi inutilis est ipsius interventio; sed inutiliter Christus daret ipse jurisdictionem quando Ecclesia valet præstare, et, consentientibus adversariis, persæpe

præstat : etenim aliquando Papa confert jurisdictionem presbyteris qui non sunt consecrandi Episcopi ; nuper in coloniis nostris, Pius IX disposuit ut, Sede vacante, Episcopalis jurisdictio exerceretur à Vicario Generali Episcopi defuncti ; eam ordinariè exercet Capitulum in eodem casu ; communicatur Episcopis consecrandis, proinde adhuc solùm presbyteris. Jam verò nemo dixerit ejusmodi presbyteris competere jurisdictionem *ex jure divino*, aut ipsis immediatè conferri à Christo. Ergo ipsis per S. Pontificem confertur ; proinde Ecclesia Romana hanc habet potestatem, et ipsâ eam exercente, inutiliter recurreretur ad Christum, dicendo ab illo conferri Episcopis in instanti ipsorum præconizationis aut assignationis territorii ipsis factæ. Ergo, etc.

2° Juxta adversarios, immediatè à Christo jurisdictio Episcopis confertur in eo instanti quo consecrantur, sed hæc jurisdictio manet ligata donec à Papâ ipsis assignetur territorium. Porrò ut hujus opinionis falsitas pateat, duo sufficiunt : nempe 1° quòd ante consecrationem Episcoporum, Papa valeat ipsis jurisdictionem conferre non tantùm ligatam, sed actu exercibilem ; 2° quòd, hoc probato, jam admitti nequeat dicta jurisdictionis collatio à Christo in instanti consecrationis facta. Atqui hæc duo constant.

Primum certum est : antequam enim consecrentur, post eorum in Consistorio promotionem, electi Episcopi suæ diœcesis capere possessionem, ipsamque administrare valent ; et reverà sic agere solent Episcopi omnes.

Secundum pariter constat : nam, si instituti à Romano Pontifice, jam ante suam consecrationem, jurisdictionem habeant, dici nequit eos hanc jurisdictionem accipere à Christo *in instanti consecrationis*. Non enim tunc recipitur quod jam habetur.

Nec dicas hoc tantùm valere pro casu quo jurisdictio confertur à Papâ nondum consecratis, non verò pro casu quo consecratio Episcopalis præcedit assignationem diœcesis à Papâ factam : nam respondetur non esse rationem cur S. Pontifex possit conferre jurisdictionem in uno casu et non in altero : cùm illud faciat propter plenitudinem potestatis quam habet *gubernandi universalem Ecclesiam*

et singulas diœceses ; hoc autem non admisso, hæc absurditas sequeretur, alios nempe Episcopos jurisdictionem habere à Papâ, et alios à Christo : cùm tamen adversarii asserant omnes Episcopos à Christo immediatè accipere jurisdictionem.

Objicies 1° Verba S. Pauli (*Act. Apost.*, c. 20, v. 28) : « Attendite vobis et universo gregi in quo vos Spiritus « Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei. » Ergo, non à Papâ, sed à Deo seu S. Spiritu, Episcopi potestatem accipiunt.

Resp. Episcopos *positos esse quidem à Spiritu Sancto regere Ecclesiam Dei*, sed mediante S. Pontifice. Sicut enim Ecclesia condendo canones in Conciliis dicit : *Visum est Spiritui Sancto et nobis*, et tamen canones non ideò vocantur jus immediatè divinum, ita Episcopi dum à Papâ recipiunt jurisdictionem, censentur quidem positi à Spiritu Sancto ad regendas suas diœceses, sed non ideò immediatè à Spiritu Sancto recipiunt jurisdictionem.

Objicies 2° Episcopi non sunt Vicarii Papæ ; atqui tales essent si à Papâ reciperent jurisdictionem. Ergo, etc.

Resp. D. Bouix (*ibid.*, p. 77) : « Stare... simul possunt « hæc duo : quòd Christus voluerit ut à Papâ singuli Epis- « copi suam jurisdictionem acciperent, et quòd etiam « voluerit ordinariè constitui à Papâ Episcopos, non tan- « quam Vicarios ad nutum revocabiles, sed tanquam pas- « tores ac principes, qui proprio nomine commissas sibi « Ecclesias regerent, nec deberent *nisi ex justâ causâ* « removeri ; hæc duo, inquam, nullatenus inter se repu- « gnant, ac proinde inanis est objectio. »

402. Quærit. 5° An Episcopi jurisdictionem immediatam, vel solùm mediatam habeant in suos diœcesanos ?

Resp. A quibusdam, cum auctore libri cui titulus : *Pouvoirs légitimes du premier et du second ordre*, contendi Episcopos non esse immediatos pastores fidelium ipsis commissorum, sed parochis solummodo pertinere, jure divino, illorum curam immediatam, ita ut Episcopis nihil aliud ferè remaneat quàm invigilare ut sacerdotes suum munus expleant, et eorumdem negligentiam supplere. Hoc autem est error, et contrarium est omninò tenendum.

Est contra consuetudinem universæ

1° Parochi, ut jam diximus (211), sunt tantùm institutionis ecclesiasticæ, nec ante quartum sæculum exstiterunt. Ergo jure divino non habent curam immediatam animarum.

2° Constat confessionem Episcopo vel ipsius delegato factam, invito licet parocho, esse validam, etiam Paschatis tempore; sed hoc supponit immediatam esse Episcopi jurisdictionem. Ergo, etc.

In Clement. *Dudum*, Concil. Viennensis dicitur : « In « Ecclesiis parochialibus, fratres (mendicantes) nullatenus « audeant prædicare nisi à parœcialibus sacerdotibus invi- « tati, et de eorum beneplacito..., nisi Episcopus vel Præ- « latus superior per eosdem fratres prædicari mandaret. »

3° In Comitiis Cleri Gallicani, anno 1665, statutum fuit :

« L'assemblée a résolu de faire enseigner aux fidèles... « que leur principale fonction (des Évêques) étant celle de « prêcher la parole de Dieu, ils le peuvent faire quand ils « veulent, et administrer les sacrements, même de péni- « tence, et célébrer les mariages dans toutes les paroisses « et églises de leurs diocèses, soit par eux-mêmes, soit « par ceux qu'ils choisiront et qu'ils commettront pour « ces fonctions, même sans le consentement des curés, « lorsqu'ils le jugeront convenable et utile au salut des « âmes, comme ayant plus de pouvoir et d'autorité dans « les paroisses que les curés même. » *Mémoires du clergé*, t. 11, p. 684.

Plures propositiones excerptæ è præfato libro : *Pouvoirs du premier et du second ordre*, damnatæ fuerunt à Facultate Parisiensi, anno 1735, quarum 34ª sic habet : « Le « Concile de Trente n'a pas dit que l'Évêque avait plus de « puissance pour l'administration des sacrements que le « curé même. » — « Hæc propositio, inquit Facultas, est « *falsa, de juribus Episcoporum detrahens*, et intellecta eo « sensu quòd Episcopus per se non possit munia paracho- « rum in quâlibet parochiâ sibi subditâ exercere, *est hære- « tica.* »

In probationem posset etiam allegari Concil. Trid., sess. 24, c. 1, *De reform.*, ubi dicitur : « Qui aliter quàm

« præsente parocho vel alio sacerdote, de ipsius parochi, « seu *Ordinarii* licentiâ, matrimonium contrahere atten- « tabunt, etc. »

Ex responsione ad præcedentem quæstionem, deducitur Episcopum posse mandare, invito parocho, ut in aliquâ parochiâ fiant extraordinaria exercitia : prædicationes nempe, vel missionum actus, etc. Vide plura alia in nostro *Manuali*, à nº 874, etc.

ART. II.

DE VARIIS OFFICIIS ET POTESTATE EPISCOPORUM.

§ I.

De Obligatione residendi.

403. — 1º Quidquid sit de quæstione, an jure divino vel solùm jure Ecclesiastico, Episcopi ad residentiam teneantur (quod dubium expendemus infra de *Parocho* : nam quod dicitur de Parochis in hoc puncto, applicandum est, à fortiori, Episcopis), certum est Episcopos, etiamsi Cardinales exstent, ad residentiam, saltem ex jure ecclesiastico, teneri. Etenim « declarat Sacrosancta Synodus Trid. « (sess. 23, cap. 1) omnes Patriarchalibus, Metropolitanis « ac Cathedralibus Ecclesiis quibuscumque, quocumque « nomine et titulo præfectos, etiamsi S. Romanæ Ecclesiæ « Cardinales sint, obligari ad personalem in suâ Ecclesiâ « vel Diœcesi residentiam, ubi injuncto sibi officio defungi « teneantur ; neque abesse posse, nisi ex causis et modis « infrà scriptis. »

2º Episcopus residentiæ obligationi satisfacit residendo intra diœcesim, prout constat ex verbis supra allatis Concil. Trident., *in suâ ecclesiâ vel diœcesi* : modò vadat ad Cathedralem temporibus præscriptis à S. Concil. Trident., sess. 23, cap. 1.

Plura alia circa Episcoporum residentiam vide in nostro *Manuali*, à nº 885, etc.

404. Quærit. Intra quodnam temporis spatium Episcopi recenter promoti debeant ad suam Sedem se conferre ?

Resp. Eos qui exstant apud Romanam Curiam, ad suam

Sedem se conferre debere infra mensem à die suæ promotionis; eos verò qui extra Romam et infra Italiam, intra duos menses; eos tandem qui extra Italiam, infra quatuor. Id deducitur ex Constit. *Sancta Synodus* Urbani VIII.

§ II.

De Episcopali diœcesis Visitatione.

405. Quid sit, et ad quem finem instituta sit episcopalis diœcesis visitatio, intelligi potest ex his verbis Concilii Trident. (sess. 24, cap. 3) : « Visitationum autem... præcipuus « sit scopus sanam orthodoxamque doctrinam, expulsis « hæresibus inducere, bonos mores tueri, pravos corri- « gere ; populum cohortationibus et admonitionibus ad « religionem, pacem innocentiamque accendere ; cætera, « prout locus, tempus et occasio feret, ex visitantium pru- « dentiâ, ad fidelium fructum constituere. »

Nisi obstet nimia diœcesis amplitudo, tenetur Episcopus totam Diœcesim singulis annis visitare; si verò obstet, tenetur illam visitationem intra biennium absolvere ; id constat ex cap. *Decrevimus* 10, et cap. 11, causâ 10, q. 1. Ita quoque sancivit Concil. Trident. (loco citato) : « Patriar- « chæ, Primates, Archiepiscopi et Episcopi, propriam « Diœcesim per seipsos, aut si *legitimè impediti fuerint*, « per suum Vicarium Generalem aut Visitatorem, *si quo-* « *tannis* totam propter ejus latitudinem visitare non pote- « runt, saltem majorem ejus partem (ita tamen *ut tota* « *biennio per se vel visitatores suos compleatur*) visitare non « prætermittant. »

Est in pluribus Galliæ locis consuetudo ut non perficiatur diœcesis visitatio, nisi intra quatuor, quinque vel etiam numerosiores annos : porrò nulla est difficultas pro locis in quibus obtentum fuit à S. Sede indultum speciale ad sic prolongandam visitationis absolutionem ; pro locis verò, in quibus tale indultum non fuit impetratum, meritò dubitari potest, quidquid dicat auctor *Prælect. S. Sulpitii* (n° 158), de legitimitate hujusmodi consuetudinis, cùm minimè sit certum legitimas fieri posse consuetudines contra præscripta Concil. Trident. introductas.

Lex quidem organica anni 1802 solùmmodo dicit : « Art. « 21. Les Évêques visiteront, annuellement et en personne, « une partie de leurs diocèses, et dans l'espace de *cinq ans*, « le diocèse entier. » Sed adversùs hunc articulum reclamavit Cardinalis Legatus asserens non sufficere visitationem quinquennalem.

De personis et locis visitandis, et pluribus aliis in visitatione observandis, vide nostrum *Manuale*, n° 902, etc.

406. Observabimus hîc tantum : 1° Quando Episcopus in suâ visitatione, juxta formam paternam, non verò juridicam, procedit contra aliquem ad ipsius correctionem, ut suspectus non potest recusari, neque suspendi potest ipsius sententiæ executio per ullam appellationem, etiam ad Sedem Apostolicam. Constat cap. 10, sess. 24 Concilii Tridentini : « Episcopi in omnibus quæ ad visitationem ac « morum correctionem subditorum suorum spectant, jus « et potestatem habeant, etiam tanquam Apostolicæ Sedis « delegati, ea ordinandi, moderandi, puniendi et exse- « quendi, juxta canonum sanctiones, quæ illis ex pru- « dentiâ suâ, pro subditorum emendatione ac diœcesis « suæ utilitate necessaria videbuntur. Nec in his, ubi de « visitatione aut morum correctione agitur, *exemptio, aut « ulla inhibitio, appellatio*, seu *querela... etiam ad Sed. « Apost. interposita, executionem eorum quæ ab eis man- « data, decreta aut judicata fuerint quoquo modo impediat « aut suspendat.* »

Dari tamen potest in præfato casu appellatio, non ad effectum suspensivum sed devolutivum tantùm. Ita S. Congr. Concilii : consulta enim « num decretum (Tri- « dent.), cap. 10, sess. 24, sustulerit appellationem devo- « lutivam, censuit non sustulisse, sed suspensivam tan- « tùm. »

Si verò Episcopus in visitatione pronuntiet pœnam depositionis seu privationis, vel perpetuæ suspensionis, non censendus erit egisse *per modum visitationis*, et dabitur appellatio cum effectu etiam suspensivo, et poterit recusari ut suspectus. Idem dicendum si observatæ fuerint solemnitates juris in processu.

2° Peractâ visitatione, ad obtinendum præcipuum ipsius

scopum, Episcopus, sive verbis, sive scriptis edictis, præscribere debet quid sit emendandum, corrigendum vel opportuniùs pro bono promovendo peragendum. Quoad autem formam in ipsius decretis observandam, vide Bouix, *De Episcopo*, t. 2, p. 37 et 38[1].

3° Scribenda est autem authentica visitationis relatio, quæ convenienter redigi poterit juxta observationes ejusdem D. Bouix, *ib.*, p. 39.

4° Quoad verò cæremonias in visitatione observandas, vide *Pontificale*, parte 3.

5° Si Visitator non sit ipse Episcopus, sed presbyter aut diaconus ab ipso deputatus, dari debent litteræ ab Episcopo quibus constet ipsum constitutum fuisse visitatorem : quæ litteræ in unoquoque loco visitando sunt legendæ. Talis Visitator omittere debet quæ spectant ad Dignitatem Pontificalem.

6° Impedientes Visitatorem, quominùs suum munus adimpleat, excommunicationem ipso jure incurrunt, si moniti non resipiscant. Suppressa per C. *Apost. sed.*

7° Præter victualia pro se et suis, et quidem moderata et frugalia, nihil ultrà Visitator potest exigere aut recipere (Concil. Trident., sess. 24, cap. 3, *De Reform.*).

« Episcopus in visitatione debet celeriter, quantùm res postulat, se expedire, ne visitati graventur expensis : sic pluries S. Congr. Concilii, et signanter in Bojan., 14 dec. 1654, in quâ decrevit ad 2^m^ « *Episcopum debere esse con-* « *tentum de moderato equitatu et famulatu;* et ad 3^m^ : *Cele-* « *riter visitationem esse absolvendam et ad actus extraneos* « *non esse divertendum.* » Ita enim habet can. *Inter Cætera*, causa 10, q. 3 : « Episcopus diœcesim visitans, non am-

[1] Sic habetur, circa visitationem, art. 87 Decreti Napoleonis I, 30 decemb. 1809 : « Les Évêques en cours de visite, ou leurs Vicaires « Généraux pourront se faire représenter tous les comptes, registres « et inventaires, et vérifier l'État de la caisse. L'Évêque pourra nom- « mer un commissaire pour assister en son nom au compte annuel ; « mais si ce commissaire est autre qu'un Grand-Vicaire, il ne pourra « rien ordonner sur le compte, mais seulement dresser procès-verbal « sur l'état de la fabrique et sur les fournitures et réparations à « faire, etc. » Quid autem poterant olim Episcopi præscribere in decursu visitationis, dicitur in Edicto 1695.

« pliùs quàm unâ die, per unamquamque Basilicam remo-
« randi licentiam habeat. »

Pro visitatione faciendâ eligi solent ab Episcopo duo convisitatores in rebus ecclesiasticis versati. Cap. *In singulis*, *De stat. monach.*; et Extrav. *Debent*, *De Offic. ordin.*, inter Communes. Non est tamen necessaria eorum assumptio.

§ III.

De Visitatione Sacrorum Liminum.

407. « Munus Visitationis Liminum in tribus actibus
« potissimùm consistit, scilicet in materiali Sacrorum Li-
« minum Visitatione, in exhibitione debitæ obedientiæ ac
« reverentiæ Romano Pontifici, et in Relatione Statûs
« Ecclesiæ... Limina Apostolorum ibi esse dicuntur ubi
« est Papa. » Ferraris, v° *Limina Apostolorum*, n^is 9, 29.

Circa antiquitatem obligationis Episcopis impositæ visitandi Sacra Limina, lege D. Bouix, *De Episcopo*, tom. 2, p. 44, ubi asserit de eâ fieri mentionem etiam in Epistolis S. Gregorii Magni (lib. 7, Epist. 22, Edit. Benedictina).

Certum est hodie Patriarchas, Primates, Archiepiscopos, Episcopos et Prælatos inferiores jurisdictionem Episcopalem habentes cum territorio separato, teneri sub gravi Sacrorum Liminum, certis temporibus, visitationem facere. Constat variis constit. SS. PP., et juramento quod emittunt Episcopi ante suam consecrationem[1], in quo spondent.

« *Apostolorum Limina, singulis trienniis, personaliter*
« *per meipsum visitabo : et Domino Nostro ac Successori-*
« *bus præfatis, rationem reddam de toto meo pastorali officio,*
« *ac de rebus omnibus ad meæ Ecclesiæ statum, ad cleri et*
« *populi disciplinam, animarum denique, quæ meæ fidei*
« *traditæ sunt, salutem quovis modo pertinentibus; et vi-*
« *cissim mandata Apostolica humiliter recipiam et quàm*
« *diligentissimè exequar. Quod, si legitimo impedimento*
« *detentus fuero, præfata omnia adimplebo per certum nun-*

[1] Vel si sint consecrati, ante acceptionem Pallii, vel antequam administrationi suæ diœcesis se ingerant (§ 3, Constit. modò citatæ Sixti V).

« *tium.... De hujusmodi autem impedimento docebo per*
« *legitimas probationes, ad Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Car*
« *dinalem Proponentem in Congregatione S. Concilii per*
« *supradictum nuntium transmittendas.* »

Quoad frequentiam hujusmodi visitationum, sic habet Constitutio *Romanus Pontifex* Sixti V : « Ad hoc... debitum « visitationis explendum... Patriarchæ, Primates, Archie- « piscopi et Episcopi, Itali videlicet vel ex Italicis Insulis.., « velut Siculi, Sardi, Corsi, et alii adjacentium Provincia- « rum Italiæ ac etiam Dalmatiæ et Græcorum, quæ è « regione ipsius Italiæ et Siciliæ oris sunt, *tertio* anno ; « Germani verò, Galli, Hispani, Belgæ, Bohemi, Ungari, « Angli, Scoti, Hiberni et cæteri omnes qui in Europâ « sunt citra mare Germanicum et Balticum, ac omnium « insularum Maris Mediterranei, *quarto* anno ; et qui intra « Europæ fines sunt his provinciis remotiores, ac etiam « Africani, littoribus adversi, ac Insularum maris Oceani « septentrionalis et occidentalis Europæ et Africæ, circa « continentem Novi Orbis... *quinto* anno : Asiatici verò « et qui extra Asiam et in aliis novis terris orientalibus, « meridionalibus, occidentalibus et septentrionalibus tàm « in Insulis quàm in Continentibus, *decimo anno*, iter « suscipiant, et Deo concedente, perficiant... »

§ IV.

De administratione Seminariorum.

408. De seminariis sic habet Concil. Trid. sess. 23, c. 18, *De reform.* :

« Sancta Synodus statuit ut singulæ Cathedrales, Me- « tropolitanæ, atque his majores Ecclesiæ, pro modo « facultatum et diœcesis amplitudine, certum puerorum « ipsius civitatis et diœcesis vel ejus provinciæ, si ibi non « reperiantur, numerum in collegio, ad hoc prope ipsas « ecclesias vel alio in loco convenienti, ab Episcopo eli- « gendo, alere ac religiosè educare et ecclesiasticis disci- « plinis instituere teneantur. In hoc verò Collegio reci- « piantur, qui ad minimum 12 annos, et ex legitimo « matrimonio nati sint, ac legere et scribere competenter

« noverint, et quorum indoles et voluntas spem afferat « eos ecclesiasticis ministeriis perpetuò inservituros [1]. Pau- « perum autem filios præcipuè eligi vult, nec tamen ditio- « rum excludit, modò suo sumptu alantur, et studium « præ se ferant Deo et Ecclesiæ inserviendi..; ita ut hoc « Collegium Dei ministrorum *perpetuum Seminarium* sit... « Tonsurâ statim atque habitu clericali semper utentur; « grammatices, cantûs, computi ecclesiastici, aliarumque « bonarum artium disciplinam discent : Sacram Scriptu- « ram, libros ecclesiasticos, homilias Sanctorum, atque « sacramentorum tradendorum... et rituum ac cæremonia- « rum formas ediscent. Curet Episcopus ut singulis diebus « missæ sacrificio intersint, ac saltem, singulis mensibus, « confiteantur peccata, et, juxta confessoris sententiam, « sumant Corpus Domini J.-C. Cathedrali et aliis loci « Ecclesiis, diebus festis inserviant. »

Circà hoc ultimò enuntiatum, observandum est Bened. XIII Episcopis interdixisse ne, pro se vel suis Vicariis aut familiaribus quibuscumque, sub quovis prætextu, uterentur famulis, aut officialibus, vel lectoribus magistris sacerdotibus et clericis Seminarii. « Non tamen per hoc, inquit « Pontifex, interdicimus Episcopo Pontificalia exercenti, « ne cæremoniarum magistro, vel sacerdotibus à Seminario « retentis uti possit, imò ut eorum operâ et assistentiâ in « ejusmodi sacris functionibus liberè uti valeat, plenam « ipsi Episcopo tribuimus facultatem. »

Ex toto contextu citationis præfatæ Concil. Trident. patet seminaria debere esse instituendis clericis exclusivè propria, et comprehendere posse, non tantùm juvenes qui theologiæ operam navant, sed et juniores qui grammaticæ student, modò sciant legere et scribere, et ad duodecimum annum pervenerint.

Potest autem Episcopus, ex eodem Concilio, plura Seminaria habere, sed saltem tenetur habere unum, nisi paupertas excuset; etiam in iis locis ubi existeret Universitas

[1] Ex his auctor *Prælect. S. Sulpitii*, nº 332, meritò deducit mentem Concilii nullatenus fuisse ut, in eodem seminario, clerici ac laici insimul instituantur, ratione non habitâ vocationis.

canonicè instituta. Si plura sint Seminaria ab illo uno quod in civitate erectum et constitutum fuerit, cætera in omnibus dependeant (Concil., Trid. *ibid.*).

409. Quærit. 1° Quomodo administranda sint Seminaria?

Resp. Distinguendo : vel de administratione spirituali agitur, vel de temporali :

1° Pro spirituali administratione, eligendi sunt ab Episcopo, de gremio Capituli Cathedralis, duo Canonici, quorum consilium exquirere debet Episcopus in constituendis regulis universalibus Seminarii, in electione alumnorum introducendorum, in librorum delectu, in punitione dyscolorum, in visitationibus, in electione et remotione magistrorum, confessoris, et similibus (Concil. Trident., *ib.*).

2° Pro administratione autem temporali, dicit D. Bouix (de Capitulis, p. 481, etc.) quod duæ sint aliæ commissiones instituendæ : una nempe conflanda ex duobus canonicis, quorum alter ab Episcopo, alter vero a Capitulo eligendus sit, et ex duobus de clero civitatis, quorum unius electio similiter ad Episcopum, alterius ad clerum totius diœcesis pertineat; et secunda quæ conflari pariter debet ex duobus canonicis, sed a solo Capitulo deputatis, et duobus aliis clericis a civitatis clero duntaxat deputatis. Sed ex decisione S. Congr. Concilii 31 mart. 1855, et resp. Secretarii ejusdem Congr. 27 aug. 1864, unica sufficit pro temporali ista administratione Commissio, et quidem primo modo conflata, excepto quod non requiratur electio facta a clero totius diœcesis, sed satis sit ut fiat a totius civitatis clero (V. *Revue des sciences ecclés.*, t. XXVII, p. 366).

Porro hujus secundæ Commissionis consilium requirere (non autem sequi) tenetur Episcopus juxta Trident., pro taxa contributionis a beneficiatis exigendæ, pro uniendis seminario beneficiis, pro deputatione et expulsione seminarii ministrorum ac professorum, imo et Rectoris (Ita S. Congr., 26 mart., 1689), pro expensis quotidianis, provisionibus bladorum, etc.; pro reddenda singulis annis ratione reddituum seminarii; uno verbo pro omni temporali administratione

(V. Bouix *de Episcopo*, t. II, p. 72; *de Capitulis*, p. 481, et *Revue des sciences ecclés.*, ut supra).

410. Quærit. 2° Quid sit sentiendum de modo quo hodie in Galliâ, Seminaria soleant administrari?

Resp. Hodie in Galliâ duo regulariter in unâquâque diœcesi existunt Seminaria, alterum quod vocatur *majus*, in quo superioribus studiis Theologiæ videlicet, Scripturæ Sacræ, Juri canonico, etc., vacatur; alterum quod *minus* seu *parvum* Seminarium nuncupatur, in quo admittuntur alumni Grammaticæ et Humanitatibus, et interdum etiam Philosophiæ studentes, licet nondum duodecimum annum attigerint, et hoc regulariter *non omninò gratis*, etsi sint pauperes, nec pariter *tonsurati*, imò plerumque animum non habentes statum clericalem amplectendi, nec habitum clericalem gestantes, etsi statum clericalem animum habeant suscipiendi.

Nullæ ordinariè instituuntur Commissiones, nec pro spirituali, nec pro temporali regimine; sed solus administrat Episcopus per se et per alios, præsertim Superiores et œconomos hujusmodi Seminariorum : ita etiam ante perturbationem 1789 res se habebant apud nos, ut constat ex *Mémoires du Clergé* et Durand de Maillane. Solet tamen in unâquâque diœcesi adesse Commissio Episcopis à lege civili imposita, quæ nonnisi pro negotiis, in quibus recursus ad Gubernium est necessarius, consulitur. De eâ commissione sic habet Decretum 6 nov. 1813, art. 13 : « Il sera « formé pour l'administration des biens du Séminaire de « chaque Diocèse, un bureau composé de l'un des Vicaires « Généraux, qui présidera en l'absence de l'Évêque, du « Directeur et de l'Économe du Séminaire, et d'un qua- « trième membre remplissant les fonctions du Trésorier, « qui sera nommé par le Ministre des cultes, sur l'avis de « l'Évêque et du Préfet. »

Præfatæ dispositiones, exceptâ fortè divisione Seminariorum in Majora et Minora, adversantur, ut patet, præscriptionibus S. Synodi Tridentinæ. Unde hùc redit quæstio, à nobis jam exagitata in Prolegomenis, an nostræ consuetudines prævalere possint Decretis præfati Concilii.

Quidquid sit, cùm Decreta Concilii Tridentini tàm

sapienter, afflante Sancto Spiritu, instituta, ejus naturæ sint, ut multùm valeant ad promovendam felicem Seminariorum gubernationem in quibus tota Sanctuarii spes residet, optandum summopere est, ut apud nos, sicut apud alios, quantùm fieri potest, accuratè observentur : eo magis præsertim quòd in hoc puncto nihil videatur seriò obstare, saltem quoad formationem variarum Commissionum. Re quidem verâ, à Gubernio præscribitur formatio unius Commissionis omninò à Tridentinis diversa : sed cùm hujusmodi Commissio laicalis rarò consulatur, et sit aliunde ex ecclesiasticis viris conflata, nunquam aut rarissimè impletioni præscriptionum Tridentinarum erit obstaculum.

§ V.

De officio et potestate Episcopi quoad Synodum diœcesanam.

411. Ex præscripto Concilii Tridentini (sess. 24, cap. 2, *De reform.*) tenentur Episcopi *quotannis* Synodum diœcesanam celebrare, et si in hoc, ait S. Synodus, « tàm « Metropolitani quàm Episcopi.... negligentes fuerint, « pœnas sacris canonibus sancitas incurrant ». Quænam verò sint illæ pœnæ indicat Bened. XIV (*De Syn.* lib. 1, cap. 6, nº 5), qui asserit eos « pœnam incurrere suspen- « sionis ab officio, statutam in cap. *Sicut olim, De accusa-* « *tionibus : quisquis autem hoc salutare statutum neglexerit* « *adimplere, à sui executione officii suspendatur* »; licet pœna hujusmodi, ut ipsa indicat vox *suspendatur*; non sit latæ sed ferendæ sententiæ.

Ad Synodum diœcesanam, inquit Devoti (*De Prolegom.*, cap. 3, § 43) : « Episcopus... vocat Archipresbyteros, « Archidiaconos et cæteros, qui Dignitatem habent, Per- « sonatum, Officium; Vicarium Generalem et Vicarios « foraneos, parochos et omnes, nemine excepto [1], qui « curam habent animarum » (non tamen omnes tenentur

[1] In Concilio tamen Avenionensi 1849 (tit. 6, cap. 3, p. 72) dicitur : « (Parochis titularibus) adjungi poterunt *aliquot* parochi ex iis qui « gallicè dicuntur *desservants*. »

accedere, sed excusantur illi omnes qui necessarii sunt ad administranda infirmis sacramenta; « præterea Capi- « tulum Ecclesiæ Cathedralis et Canonicos Collegiatarum, « Abbates sæculares atque etiam regulares qui generalibus « Capitulis non subduntur, cunctosque exemptos qui « alioquin, sublatâ exemptione, ad Synodum venire debe- « rent. »

Sacerdotes vocati ad Synodum non habent inibi vocem deliberativam et decisivam, imò nec jus ad consultativam. Eruitur ex proposit. 9ª et 10ª damnatis per Bullam *Auctorem fidei*; et ita decidit S. Congr. Concilii, quæ sæpe interrogata utrùm ad valorem Constitutionum Synodalium requireretur approbatio sacerdotum, constanter respondit *negativè, non obstante quòd in formâ Pontificalis Romani, pro celebrandâ Synodo diœcesanâ, expressè habeatur ut Constitutiones promulgandæ per verbum* PLACET *approbentur.*

Ut autem obligare incipiant Statuta Synodalia, non aliâ indigent promulgatione præter eam quæ in ipsâ Synodo fit (Bened. IV, *De Synod. Diœces.*, lib. 13, cap. 4); non debet verò Episcopus ea in publicum edere, inconsulto Capitulo. Ita S. Cong. Conc. (*ib.*, nis 13 et 16).

Cavere debet Episcopus ne, in Statutis Synodalibus aut aliis, decidat quæstiones dubias atque inter Doctores controversas (Bened. XIV, lib. 7, cap. 7). Ratio est quia non est infallibilis.

412. Quærit. Utrum adhuc obliget lex Tridentina quoad annuam Synodi celebrationem?

Resp. Sola ratio quæ allegari potest in gratiam opinionis negantis hanc hodie existere obligationem, est desuetudo seu consuetudo in contrarium; at legitimè dubitari potest num hæc ratio sit satis convincens: 1° quia illa desuetudo venire potuit ex impossibilitate in quâ erant Episcopi synodos congregandi, ob oppositionem, v. g., Gubernii; porrò consuetudo, quæ non est libera, non potest legem introducere vel abrogare; 2° quia agitur de lege Tridentinâ: porrò, ad minùs incertum est an consuetudo possit prævalere contra decreta Tridentina; 3° quia consuetudo non potest nervum ecclesiasticæ disciplinæ relaxare, ut diximus suprà; sed lex præscribens celebrationem Synodi de iis

videtur esse quæ relaxari nequeunt quin simul dissolvatur nervus ecclesiasticæ disciplinæ. Ergo, etc.

Multa adhuc essent dicenda circa Synodum diœcesanam, sed de eis legi possunt Gavantus, *Praxis diœcesanæ synodi;* Bouix, *De Episcopo,* tom. 2, p. 347, etc.; et Cardin. Gousset, *Exposition des principes*, etc., n° 323, etc. Vide etiam nostrum *Manuale*, 937, etc.

In Galliâ, juxta legem organicam (18 germin. an X), nulla Synodus diœcesana haberi potest sinè expressâ Gubernii licentiâ.

§ VI.

De legislativâ Episcoporum potestate.

413. 1° Potest Episcopus, etiam extra Synodum, statuta condere vim legis habentia, etiam sub pœnâ excommunicationis et aliis : hoc certum est, et « nemo, salvâ fide, « inquit Bened. XIV (*De Syn.*, lib. 13, cap. 4, n° 3), « potest jurisdictionem illis (Episcopis) abjudicare suas « oves legibus astringendi quibus obtemperare *cogantur.*» Statuta autem Episcopalia non expirant morte ipsorum : hoc etiam est certum, si statuta sint condita in Synodo; si verò sint extra Synodum edita, quæstio controvertitur. — V. Bened. XIV, *De Syn. Diœces.*, lib. 5, cap. 4, n° 3. Attamen, in lib. 13, cap. 5, n° 1 ejusdem operis, dicit Pontifex meliùs sentire eos qui perpetuitatem tribuunt statutis episcopalibus, factis et promulgatis extra *synodum, audito tamen Consilio Capituli.* Imò Card. Soglia, *Inst. Jur. priv.*, § 5, p. 12, illam sententiam *veriorem* vocat, nec mentionem facit de necessitate consilium Capituli exquirendi.

2° Episcopum nihil statuere posse contra jus commune manifestum est; et hoc verum est, etsi jam legitimè præscriptum fuerit contra jus commune : ratio est quia consuetudo, debitis conditionibus vestita, potest quidem abrogare legem etiam universalem; sed « si inferior consuetudini « Superioris legi contrariæ, suo peculiari statuto, vires « adjicere velit, videbitur... auctoritatem sibi arrogare « delendi legem Superioris, quod ei licere non potest »,

inquit Bened. XIV, *De Synodo*, lib. 12, cap. 8, nº 8.

414. Quærit. An Constitutiones Synodales condere possit Episcopus absque consensu vel consilio Capituli ?—Observa ante responsionem quòd Constitutiones Synodales sunt illæ quæ saltem in Synodo promulgantur; hoc prænotato :

Resp. 1° Regula generalis est posse edi vel publicari Constitutiones in Synodo absque *consensu* Capituli : id fuit pluries decisum à S. Congreg. Concilii.

Duo casus excipiuntur. Primus est si quæstio esset de iis materiis pro quibus consensus Capituli expressè à jure requiritur, v. g., si de alienatione rerum et jurium ad Ecclesias pertinentium, vel de erectione novæ Parochiæ aut Dignitatis aut Canonicatûs, vel de unione, disjunctione aut suppressione beneficiorum ageretur, aut de iis quæ ad Capituli interesse specialiter et notabiliter spectant.

Secundus casus est si existeret legitima consuetudo exquirendi Capituli consensum. Ita decisum à S. Cong. Conc., id causâ Burgensi, ut videre est ap. Bened. XIV, *De Syn.*, lib. 13, cap. 1, nº 9.

Resp. 2° Regula etiam generalis est, non valere Constitutiones Synodales, nisi Episcopum Capituli *consilium* exquirat, quamvis illud sequi non teneatur. Hoc constat ex Can. *Episcopus*, dist. 24, et cap. *Olim* 17, *De Privil.*: « Si Episcopus, inconsulto Capitulo, novas Constitutiones « ediderit, atque in Synodo promulgaverit, illæ profectò, « utpote deficientes à normâ à jure præscriptâ, firmitate « carebunt; quamvis si justæ et rationabiles deprehendan- « tur, sanari queant à S. Congr. Concilii. » Bened. XIV, lib. 13, cap. 1, nº 16.

A præcedente regulâ, excipiendus est casus quo vigeret consuetudo legitimè præscripta, ut Episcopus absque ullo Capituli consilio Synodales Constitutiones edere possit. Vide Bened. XIV, *De Syn.*, *diœces.*, lib. 13, cap. 1, nº 8, ubi allegat cap. *Ea noscitur*, *De his quæ fiunt*; et cap. *Non est*, *De Consuetudine*, in 6°. Et hæc consuetudo non consulendi Capitulum *In plurimis, ferè ubique habetur,* inquit Ferraris (vº *Capitulum*, art. 2, nis 28-30). « Quâ legitimè « exstante, non ampliùs requiritur ipsius Capituli con- « sensus. » Præter dicta juris capitula, Ferraris citat insu-

per declarationem S. Congr. Concil. *In Gerundinâ* 19 dec. 1739, ad 4^m, etc.]

§ VII.

De potestate Episcopi quoad fidem, doctrinam et impressionem librorum.

415. Extra Concilium Generale, nequit Episcopus definire quæstiones ad fidem pertinentes, quia non est infallibilis, et hujusmodi quæstiones, utpote inter majores causas computandæ, Summo Pontifici reservantur; sed jubere potest ut caveantur errores jam ab Ecclesiâ proscripti.

Item Episcopus non potest decernere circa quæstiones liberè inter DD. catholicos controversas; nec ei proinde licitum est animadvertere in clericos, qui opinionem ab Ecclesiâ toleratam amplectuntur, et ad praxim, juxta prudentiæ regulas, reducunt : utuntur enim suo jure : et aliundè, ut modò dicebamus, Episcopi non sunt infallibiles. V. Bened. XIV, *De Syn.*, lib. 7, cap. 11, n° 2.

Episcopi est institutioni sive privatæ sive publicæ, quæ in Scholis habetur, ita invigilare ut nihil tradatur quod fidei, moribus et disciplinæ adversetur.

[Quoad impressionem librorum, vide *Manuale*, n^is 593, 743, 762, etc. Sufficiat hîc annotare dispositiones legis civilis in Galliâ, præsertim quoad libros liturgicos et sacros.

Lex civilis concedit quidem libertatem libros prælo mandandi, sed hæc libertas solum ordinem politicum concernere potest.

Agnoscit tamen lex civilis jus Episcoporum quoad impressionem et reimpressionem librorum liturgicorum : ita enim se habet Decretum 7 germinalis anni XIII : « Ar- « ticle 1^er. Les livres d'église, les heures et prières ne « pourront être imprimés ou réimprimés que d'après la « permission donnée par les Évêques diocésains : laquelle « permission sera textuellement rapportée et imprimée « en tête de chaque exemplaire.

« Art. 2. Les imprimeurs-libraires qui feraient impri-
« mer ou réimprimer les livres d'église, les heures et
« prières, sans avoir obtenu cette permission, seront
« poursuivis conformément à la loi du 19 juillet 1793. »
Hæc lex 1793 præcipuè spectat jura auctorum : in primo enim ejus articulo, ipsis asseritur jus proprietatis per totam vitam; et in secundo articulo, idem jus conceditur eorumdem hæredibus per decem annos. Non indè autem concludas jura proprietatis à lege sanciri in gratiam Episcoporum, relativè ad libros liturgicos ab ipsis non compositos; sed in eis lex nostra agnoscit duntaxat jus inspectionis et approbationis. Unde si, independenter ab eorum consensu, liber liturgicus publicetur et vendatur, ipsis non datur actio civilis ad petendam damni reparationem, sed *Ministerium publicum ex officio* debet insequi legis infractorem, et hujus repressionem ipsimet Episcopi possunt expostulare. Vide Arrestum Curiæ Parisiensis in hoc sensu, ap. Lequeux, n° 310.

§ VIII.

De potestate Episcopi dispensandi in legibus Ecclesiasticis.

416. Dispensatio est *relaxatio à legis obligatione, ab eo qui legitimam habet auctoritatem facta, pro aliquo casu in quo lex cæteroquin obligaret.*

« Quidam audaciores, inquit Lequeux (n° 291), dixe-
« runt jus illud Episcopis ita esse essentiale ut nunquam
« potuerit ligari. Ultimo sæculo, tum in Galliis tum in
« Lusitaniâ, hanc opinionem plures jurisperiti tuiti sunt.
« Anno 1781, illud tanquam in principio positum in
« praxim reduci... mandavit (Imperator) Josephus II.
« Plures etiam Germaniæ Episcopi, anno 1786... (in con-
« gressu Ems), statuerunt se deinceps propriâ auctoritate
« largituros esse dispensationes, pro quibus, singulis
« quinquenniis, Indulta apostolica expetebantur. »

Sed 1° falsa et rejicienda est eorum sententia qui dixerunt Episcopum posse in suâ diœcesi quidquid potest Papa in Ecclesiâ universali, exceptis duntaxat iis quæ Sedes Apostolica sibi specialiter reservavit. Exinde enim seque-

cetur posse Episcopum in suâ diœcesi inanes reddere omnes fermè leges Ecclesiæ, etiam à Conciliis generalibus statutas : iis enim derogare potest S. Pontifex, nec in iis solet adjici clausula prohibens Episcopis ne in eis dispensent : unde « tota everteretur Ecclesiæ disciplina, Caput « subjiceretur membris, et... actum esset de ecclesiasticâ « Hierarchiâ divinitùs institutâ » (*De Synod.*, lib. 9, cap. 1, n° 3). His adde quòd Episcopi non possint definitiones fidei edere, nec dispensare cum religioso professo aut clerico in sacris constituto, nec presbyterum deputare pro administrando confirmationis sacramento, nec multa alia quæ facere potest S. Pontifex, quin aliquo juris textu exprimatur ea esse ad Papam reservata. Ergo, etc.

Nec valet dici quòd Episcopi immediatè à Deo jurisdictionem habeant : nam respondetur quòd, quidquid sit sentiendum de hâc assertione (de quo vide dicta supra 401), in omni tamen sententiâ, jurisdictio Episcopi etiam jure divino est subordinata S. Pontifici.

2° Falsa pariter et derelinquenda est opinio quæ olim tenebat Episcopum dispensare posse, quando Papa hanc potestatem non sibi reservârat in universalibus Ecclesiæ legibus.

Sic reverà tenuêre S. Antonius, Sotus, Covarruvias, Berardi, Collator Andegav. (*sur le mariage*), etc.; et suam sententiam probabant præsertim ex capite *Nuper*, *De sentent. excomm.*

Sed hanc S. Antonini sententiam, quam S. Liguor., lib. 1, n° 191, primùm censuerat probabilem, re meliùs perpensâ, existimavit esse derelinquendam, *ac omninò tenendam* opinionem oppositam. Idem judicium tulit Bened. XIV, ut videre est in capite 1 libri 9, *De Syn. diœces.* — Hæc sententia probatur 1° eâ ratione præpotente quòd voluntas inferioris non possit prævalere voluntati superioris; 2° ex pluribus capit. juris canonici à Bened. XIV relatis (*De Syn.*, lib. 9, cap. 1, n° 6). Sufficiat hìc referre Clement. *Ne romani*, *De elect.*, in quâ Clemens V ait : « Nos, inter cætera, « præcipuè attendentes quòd *lex Superioris per inferio-* « *rem tolli non potest*, etc. », et cap. *Dilectus*, *De tempore ordinat.*, ubi Innocentius III dicit : « Si de mandato Archi-

« episcopi constaret, cùm illi hujusmodi dispensatio à « canone minimè sit permissa, ipsi obtemperare non « debuit in hâc parte. » Ergo ad ligandas inferioris manus, inquit Bened. XIV (*ibid.*), necesse non est ut res interdicatur, sufficit non esse permissam. Ergo falsa est et rejicienda opinio, etc.

Objic. 1° cap. *Nuper*, *De sent. excomm.*, ubi dicitur : « Quia... conditor canonis ejus absolutionem sibi specia- « liter non retinuit, eo ipso concessisse videtur facultatem « aliis relaxandi. »

Resp. Sermonem ibi esse de absolutione à censuris, de quâ longè diversa ratio est quàm de dispensatione : ideò enim feruntur censuræ ut ad meliorem frugem reducant, et tunc ab ipsis absolvatur; leges verò ecclesiasticæ non ideò statuuntur ut desinant obligare : unde etiam à parochis et meris sacerdotibus approbatis dari potest absolutio censurarum quando non sunt reservatæ; sed minimè hoc est dicendum de dispensatione in legibus ecclesiasticis, quando non reservatur potestas in iis dispensandi (excipe tamen quædam impedimenta matrimonium tantùm impedientia : *De Syn.*, lib. 9, cit., n° 7 *in fine*). Ergo, ex præfato canone nihil concludi potest contra thesim supra demonstratam.

Objic. 2° auctoritas S. Antonini et Gallorum qui ipsius sententiam amplexati sunt.

Respondeo hanc auctoritatem non impedire quominus hujusmodi opinio ut falsa habeatur à Bened. XIV, *De Syn.*, lib. 9, cap. 1, et à cæteris modernis communiter. Vide Bouix, *De Episcopo*, tom. 2, p. 106; S. Liguor., lib. 1, n° 191.

3° Ut ergo Episcopi valeant in generalibus Ecclesiæ legibus dispensare, requiritur, vel 1° quòd in ipsâ lege à Papâ vel à Concilio Episcopis expressè concedatur facultas dispensandi, aut saltem in eâ dicatur, *posse in eâ dispensari* : hæc enim verba non de *Papâ* sed de solis Episcopis intelligi debent; quippe, ut Papa possit dispensare non est necesse quòd in lege exprimatur potestas dispensandi. Ab hâc regulâ excipitur potestas dispensandi in matrimonio, de quâ agitur in Concilio Trident., sess. 24, cap. 5, *De*

reform.; scimus enim ex praxi quòd hæc potestas Episcopis non sit data per hujusmodi dispositionem.

Vel 2° quòd urgeat necessitas dispensationis, et periculum sit in morâ : nam meritò S. Pontifex vel Concilium Generale censetur concedere tunc facultatem dispensandi (S. Liguor., *ib.*, v° *Item*). Si tamen difficultas adeundi Papam orta esset ex prohibitione, à Principe sæculari factâ, ad S. Sedem recurrendi, ob ejus animum erga spiritualem auctoritatem malè affectum, tunc S. Pontificis consensus non posset legitimè præsumi; unde à dispensatione se deberent tunc abstinere Episcopi, ne sic dispensando viderentur cooperari bello injustè Sedi Apostolicæ illato.

Vel 3° quòd adsit consuetudo legitimis conditionibus vestita, vi cujus Episcopi facultatem dispensandi exercent.

Vel denique 4° quòd dubitetur an casus dispensatione indigeat : tunc enim communiter dicunt Doctores Episcopum posse declarare dispensationem non esse necessariam, aut ab ipso *ad cautelam* et pro quiete animarum, impertiri posse.

Adde insuper 5° quòd Episcopi valeant dispensare in levibus et frequenter accidentibus, ob præsumptum S. Pontificis consensum, ad quem tunc nimis esset onerosum debere recurrere. Estque aliunde notum quòd in moralibus parum pro nihilo reputetur.

Potestas dispensandi in prædictis casibus concessa Episcopis *est ordinaria*, ac proinde, sede vacante, etiam competit Capitulo; ac etiam potest delegari.

417. Quærit. 1° An dispensatio, ab Episcopo sinè causâ sufficienti data, sit valida?

Resp. 1° Dispensatio ab Episcopo data in propriâ lege, valida est, etsi data sinè causâ : quia obligatio legis à voluntate Legislatoris pendet; est tamen illicita.

2° Dispensatio in lege Superioris, etiam in votis et juramentis, data cum dubio an adsit causa, vel sufficiens sit, est etiam valida : quia in dubio standum est pro valore dispensationis, et præterea pro quiete animarum, præsumitur Deus ratam habere talem dispensationem.

3° Disputatur verò utrùm valida sit dispensatio data

bonâ fide, cum causâ quæ putabatur adesse et sufficiens esse, quæ tamen revera non sit. Plures cum Sanchez, Lessio, Salmantic., etc., existimant illam esse validam, quia præsumitur Deus illam validare, ne conscientiæ anxietatibus vexentur; oppositam tamen sententiam sequitur S. Liguor., lib. 3, nº 251, loquendo de voto, ob principium certum quòd inferior nequeat dispensare in lege superioris, et iste immeritò præsumeretur dare consensum errori manifesto si postea detegatur. Quæ ratio valet etiam quoad leges ab hominibus latas. Dispensatus tamen potest dispensationi acquiescere quamdiu veritas causæ non apparet in contrarium.

4° Dispensatio in lege Superioris, si scienter fiat absque justâ causâ, invalida est, quia Superior non censetur dare licentiam dispensandi sinè causâ sufficienti. Si verò causa justa adesset, etsi data fuisset dispensatio malâ fide ab inferiore putante talem causam non adesse, valde probabile est tunc validam fuisse hujusmodi dispensationem. S. Liguor., lib. 3, nº 252, in fine.

418. Ex his quæ modò diximus patet plures esse casus in quibus Episcopi valent dispensare :

1º Nulla potest esse difficultas circa potestatem Episcopi dispensandi in omnibus statutis Episcopalibus, etiam latis in synodo diœcesanâ; hanc potestatem, independenter à Capitulo et Clero, possidere Episcopum communiter asseritur. Et idem est dicendum de Capitulo, sede vacante; hanc tamen non habet Vicarius Generalis, nisi hoc expressè ab Episcopo ei fuerit concessum.

Duo verò excipiuntur casus : prior est si statutum à S. Pontifice confirmatum fuit in formâ, ut aiunt, *non communi*, sed *specificâ*; alter est si abierit in *contractum*.

2º « Episcopi possunt etiam dispensare super legibus « Concilii provincialis in suis Diœcesibus: hoc enim expe« dit ad bonum regimen; Salm., cum Sanchez, Suar., « Bonac., Palaus. » Ita S. Liguor., *ib.* Immeritò autem Lequeux (nº 290) asserit omnes de hoc convenire : nam aliter sentiunt, tum ille qui novas additiones adjecit Ferraris (*ib.*, nº 96), tum D. Bouix, *De Episcopo*, tom. 2, p. 101. « Regulariter, inquit Annotator Ferraris, Episcopus

« nequit dispensare super Synodo provinciali. Quinimò « nec Archiepiscopus dispensare valet super (eâdem); cùm « ab ipso tanquam inferiori ad Provincialem Synodum « appelletur. » Sed sententia affirmans S. Liguorio, sicut suavior, sic æquior videtur, cùm ex unâ parte possunt esse casus in quibus utilis, imò et necessaria potest esse dispensatio super decretis Synodi Provincialis ; et ex aliâ parte, æquum videtur ut Episcopi tunc habeant facultatem in hujusmodi decretis dispensandi, ut non sit expectandum aliud Concilium Provinciale, vel sit recurrendum ad Sedem Apostolicam.

Quidquit sit sentiendum de sententiâ modò relatâ Annotatoris Ferraris et D. Bouix, « quando reservatio fit in Pro« vinciali Synodo, juxta ipsummet Bouix (*De Episcopo*, « t. 2, p. 244), non adimitur singulis Provinciæ Episcopis « potestas ab iis absolvendi : quia tunc Synodus non sibi... « sed singulis Episcopis casus reservasse censetur. Vide « Bened. XIV, *De Synod.*, lib. 5, cap. 4, nº 3. »

3º Possunt Episcopi dispensare cum suis subditis in jejuniis, pro singulis casibus occurrentibus, cum justâ tamen causâ ; si autem causa non videatur sufficiens, vel si de ejus sufficientiâ dubitetur, poterit Episcopus partim dispensare et partim commutare in aliud opus pium.

Item possunt Episcopi, ex justâ causâ, cum particularibus personis dispensare in lege abstinentiæ à carnibus, ovis et lacticiniis, et in præcepto abstinendi ab operibus servilibus, diebus festis toti Ecclesiæ communibus. Idem potest Capitulum, sede vacante; adest enim, quoad hæc omnia, *generalis consuetudo*, cui meritò censetur consentire S. Pontifex, ob frequentem necessitatem in talibus casibus dispensandi.

« Dispensationes super observantiâ Quadragesimæ « concedendæ non sunt, nisi adjecto præcepto de unicâ « comestione et de non permiscendis epulis. » Const. *Cognovimus* et Constit. *Fraternitas* Bened. XIV.

419. Quærit. 2º Utrum in præfatis legibus, absque Indulto Pontificio, Episcopi valeant dispensare generaliter quoad totam diœcesim.

Resp. Juxta S. Liguor., lib. 3, nº 1032 : « Potest...

« Episcopus, ob aliquem specialem causam, dispensare « pro unâ vice in lege universali jejunii, aut commutare : « cùm ejus officium sit saluti suarum ovium invigilare et « scandala infirmorum tollere, puta si periculum sit ali- « cubi jejunium non observari. Ita Laymann..., Azor, « Salm..., etc. Sed, pergit idem Sanctus, Bened. XIV, in « Bullâ *Prodiit jamdudum*, § 10..., dixit sententiam oppo- « sitam, nimirùm non posse Episcopos pro universo grege « dispensare in lege jejunii, esse non modò communio- « rem, cum Reynaud... Merati, Dianâ, Monacelli, Leandro « et Ferrari, sed etiam magis rationi consentaneam. Et « sic ipse respondit quibusdam Episcopis rogantibus an « possent vigiliam S. Matthiæ occurrentis in ultimo die « Bacchanalium, ad præcedens Sabbatum transferre. » Et reverà cùm agatur de lege ad jus commune pertinente, Episcopi in eâ dispensare nequeunt, nisi illud ipsis sit concessum, quod dici nequit in casu præsenti. Et quod dicitur hîc de lege jejunii, dicendum est de lege abstinentiæ à carnibus, et de præcepto ab operibus servilibus diebus festis se abstinendi.

An autem illud non possint Episcopi, saltem vi consuetudinis quæ in quibusdam locis, v. g., in pluribus Galliæ Diœcesibus, viget ut ipsi generaliter in lege abstinentiæ Quadragesimalis dispensent absque Indulto Pontificio? — Negat D. Bouix, *De Episcopo*, tom. 2, p. 99. Nobis tamen, attento longo tempore quo generaliter apud nos viguit hujusmodi consuetudo, difficilè videtur quòd non reclamasset S. Sedes, si hanc consuetudinem, quam ignorare non potest, improbaret. Unde non audemus dicere improbabilem esse sententiam quòd nostri Antistites possint sic à prædictâ lege abstinentiæ Quadragesimalis generaliter dispensare, præsertim quoad usum ovorum et lacticiniorum. Sic videtur sentire Eminent. Gousset, in suâ *Theolog. morali*, t. 1, n° 306.

Quoad autem abstinentiam ovorum et lacticiniorum, ipse Bened. XIV relinquit judicio aliorum, *dummodo docti sint et de conscientiæ suæ puritate animarumque salute religiosè solliciti sint*, expendendum an possit observari consuetudo alicubi vigens manducandi ova et lacticinia,

tempore Quadragesimali, eò quòd iis in locis non facilè inveniantur pisces (*De Syn. diœces.*, lib. 11, cap. 5, n° 14).

Quidquid sit dicendum de suprâ dictâ quæstione an Episcopi possint generaliter dispensare vi consuetudinis, privati qui justas habent rationes, possunt uti dispensatione generaliter datâ ab Episcopis; nam Episcopi saltem valent cum justâ causâ dispensare in particularibus casibus; porrò qui generalem dispensationem concedit à fortiori in casibus particularibus vult dispensare. Ergo, etc. Major esset difficultas, ut patet, pro his qui justas non haberent rationes. Attamen si ex Indulto S. Pontificis Episcopi dispensarent ob causas legitimas verè existentes, etiam privati, qui non haberent motiva propter quæ data fuit dispensatio, illâ uti possent. Ita Bened. XIV, in Encyclicâ 1741.

420. Quærit. 3° An possit Episcopus dispensare in sacris ritibus?

Resp. « Dispensationes super ritibus ecclesiasticis, à « S. Sede petendæ sunt nec, eâ inconsultâ, ab alio quo- « libet concedi possunt. » Bened. XIV, Const. *Omnium.*

§ IX.

De officio et potestate Episcopi quoad Pontificalia.

421. « Nulli Episcopo, inquit Conc. Trident. (sess. 6, « cap. 5), liceat cujusvis privilegii prætextu, Pontificalia « in alterius diœcesi exercere nisi de Ordinarii loci expressâ « licentiâ, et in personas eidem Ordinario subjectas tan- « tùm; si secus factum fuerit, Episcopus ab exercitio Pon- « tificalium, et sic ordinati ab executione ordinum sint « ipso jure suspensi. »

Juxta Barbosam, nullam pœnam meretur Episcopus extraneus benedicendo sinè solemnitate personas devotè præsentes; secus si solemniter, dicendo : *Sit nomen Domini*, etc., benediceret. Vide alia in nostro *Manuali*, n^is^ 982, etc.

§ X.

De officio et potestate Episcopi quoad Sacramentum Confirmationis.

422. Episcopus est Minister ordinarius Sacramenti Confirmationis.

Ex capite unico, *De Sacrâ Unctione*, ex Decreto Eugenii IV et juxta sententiam communem, de essentiâ sacramenti hujus est ut *unctio* fiat in *fronte*, in *formâ crucis*, et per *manum ipsius Episcopi ministrantis*, non verò mediante ullo instrumento.

Ex necessitate præcepti, et quidem probabiliter, sub gravi obligantis (quod tamen à pluribus negatur), unctio fieri debet pollice manûs dexteræ: valida tamen esset Confirmatio data digito sinistræ manûs, quia verè fieret per episcopalis manûs impositionem.

Episcopus confirmans in alienâ diœcesi, etiam subditos suos, incurrit suspensionem à Pontificalibus ipso jure, ex Concil. Trid., sess. 6, c. 5, et declaratione S. C. ap. Salm.

Per se, Episcopo illicitum est, et quidem sub gravi, alienos confirmare, etiam in suâ Diœcesi; communiter tamen DD. admittunt illud licitum esse, si talis vigeat consuetudo. Ita S. Liguor., lib. 6, nº 172, qui addit, nº 173, *ut communius et probabilius*, quòd Episcopi, nisi aliter constet, possint præsumere de consensu aliorum Episcoporum, quia credendi sunt nolle suas oves privari hoc sacramento, cùm nullum incommodum ex eo ipsis proveniat. Ille consensus præsumi præsertim posset si confirmandus esset ordinandus afferens dimissoriam sui Ordinarii.

Etsi de consilio sit quòd jejunus sit tàm confirmans quàm confirmandus, tamen hoc non est de præcepto: consuetudo enim obtinuit ut confirmatio etiam post prandium conferatur.

Controvertitur utrùm obligatio ministrandi confirmationem in Ecclesiâ *sit sub gravi*: sed saltem videtur esse *sub levi*, nisi aliqua rationabilis causa excuset. Dubium autem non est quin licitè possit Episcopus in suo oratorio do-

mestico confirmare ; item ipsi licet confirmare etiam in die non festivo.

423. Quærit. 1° An et qualis sit obligatio Episcoporum sacramentum Confirmationis administrandi ?

Resp. Certum est apud omnes graviter peccare Episcopum, si longo tempore non confirmet, quia subditos ingenti bono privat. Unde juxta S. Liguor. (*ib.*, n° 175) : « Episcopus tenetur... *suis expensis* circumire ad confir- « mandum, ut Pal. et Croix, qui tamen excipit, cum « Gob..., nisi sit rationabilis consuetudo expensas exi- « gendi. Hinc dicit Croix... peccare graviter Episcopum « qui per 8 vel 10 annos differret circumire saltem per « loca præcipua..., nisi excuset moralis impossibilitas ; si « autem adsit justa causa, non peccat qui differt per tres « vel plures annos. »

An peccet graviter Episcopus non confirmans moribundum petentem ? — Controvertitur et probabile est nec etiam in hoc adesse peccatum veniale, ob incommoditatem, et praxim communem.

Juxta Catechismum Romanum (n° 18), *minùs expedit* quòd sacramentum Confirmationis pueris administretur ante usum rationis. « Quare, inquit, si duodecimus annus « expectandus non videatur, usque ad septimum certè « hoc sacramentum differre maximè convenit. » Et in suâ Constit. *Eo quamvis*, Bened. XIV dicit hoc *consultissimis decretis cautum esse.*

Certum est tamen apud omnes licitè confirmari infantes ante usum rationis, si justæ accedant causæ, nempe periculum mortis, absentia Episcopi, usus in aliquo loco existens, prout in Hispaniâ et apud Græcos ; si verò non adsint causæ hujusmodi, hodie ampliùs non licet sic confirmare. Ita præfata Constit. Bened. XIV anni 1745.

Etiam amentibus Confirmatio est conferenda, juxta Bened. XIV, *ibid.* : est commune, inquit S. Liguor., lib. 6, n° 180.

In suâ Encyclicâ *Etsi minimè* anni 1742, Bened. XIV jubet ut Episcopi moneant parochos, eisque distinctè præcipiant ne quis eorum *schedulam* Confirmationis iis tradat, qui graviora fidei capita et sacramenti vim ignorant.

424. Quærit. 2° An graviter peccet Episcopus administrans Confirmationem absque sacris vestibus et cæremoniis in Pontificali præscriptis?

Resp. Cum S. Liguor. (lib. 6, n° 184) : « Episcopus « debet esse indutus amictu supra rochetum vel super- « pelliceum si sit religiosus, ac stolâ, pluviali albi coloris, « mitrâ et baculo... Veriùs... Diana, Tanner, Sporer... « dicunt esse mortale omittere omnia prædicta instru- « menta, cùm ipsa pertineant ad reverentiam sacramenti; « secùs si aliquod tantùm omittatur : quia id non videtur « esse materia gravis... Advertendum tamen, quoad bacu- « lum, sufficere quòd... maneat publicè expositum, vel à « clerico detineatur... Item S. Congr. de Propagandâ « Fide, 7 dec. 1726, declaravit sufficere quòd Episcopus « sinè mitrâ, adhibitâ tantùm stolâ, confirmet.

« Notandum... omissionem alapæ, secluso scandalo, « nunquam esse mortalem...; omissionem autem cerei, « Ledesma... et Sa... absolutè negant unquam posse esse « mortalem, cùm hæc cæremonia minimè inveniatur « præscripta. sed ex solo usu sit introducta.

« Frons confirmati obliganda est fasciâ lineâ cruce « notatâ, gestandâ uno, tribus vel septem diebus, pro « consuetudine, illotâ interim fronte; sed hodie, inquit « S. Liguor. (lib. 6, n° 188), ex desuetudine, hæc cære- « monia non ampliùs in nostris partibus est in usu, cùm « statim post unctionem extergatur frons confirmati, et sic « dimittatur. » Ita fit etiam in Galliâ.

« Benedictio communis, quæ datur ab Episcopo confir- « matis in fine, non est necessaria ad sacramentum, sed « est simplex cæremonia. »

425. Quærit. 3° An absolutè requiratur Patrinus pro susceptione sacramenti Confirmationis?

Resp. Affirmativè ex communi DD. sententiâ, et casu quo confirmandus est puer, patrinus vel matrina requiritur sub gravi, nisi haberi non posset. Patrinus autem designandus est à parentibus, vel ab Episcopo, eorum defectu. Unus tantùm (vel una) est admittendus, et quidem qui sit ejusdem sexûs ac confirmandus (Cap. fin., *De cognat. spiritual.*, et Pontificale). Patrinus, juxta sententiam commu-

nem, debet et ipse esse confirmatus : si secus fiat, controvertitur utrùm talis patrinus contrahat cognationem cum confirmato et ejus parentibus. Vide S. Liguor., lib. 6, nis 185 et 186, qui sententiam negantem probabiliorem vocat, ob declarationem S. Congr. Conc., 13 junii 1654.

Patrinus esse non debet religiosus, nec matrina monialis, nisi persona confirmanda esset pariter regularis. Sufficit ut Patrinus manum dexteram super humerum confirmandi ponat. Ita S. Liguor. (*ib.*) qui allegat decis. S. C. Rit., 20 sept. 1749, à Concinâ relatam.

Alia de Sacramento Confirmationis, vide in nostro *Manuali* (3334-3351).

§ XI.

De potestate et officio Episcopi in causis hæreseos.

426. Legitimi judices non sunt laici in causâ hæreseos, sed tantùm : 1° S. Pontifex quoad totum orbem; 2° Episcopi quoad suos diœcesanos; 3° Inquisitores fidei, juxta Delegationem ipsis à S. Sede impertitam. Constat. cap. *Ut inquisitionis*, *De hæreticis*, in 6°; cap. *Quanto*, *De judiciis*; cap. *Si judex*, *De sent. excomm.*, in 6°.

Etiam in regulares exemptos Episcopi prædictam potestatem habent, sed duntaxat quatenus Sedis Apostolicæ delegati (cap. *Ad abolendum*, *De hæreticis*). Proinde hæc potestas quoad exemptos, non transit, sede vacante, au Capitulum.

In diœcesibus ubi adsunt Inquisitores à S. Sede deputati, potestas inquirendi in hæreticos eosque judicandi, in ipsis simul et Episcopis cumulativè residet. Liberum est autem Inquisitori et Episcopo, vel conjunctim vel separatim, procedere. Si separatim procedant, debent sibi invicem communicare processum ante sententiam condemnatoriam.

Cùm hodie, pluribus in locis, potestas civilis auxilium non præstet potestati ecclesiasticæ, Episcopi non possunt regulariter infligere, contra hæreticos, nisi pœnas spirituales. De formâ autem procedendi tunc observandâ, dicitur in libro tertio nostri *Manualis*.

427. Quærit. An Episcopi absolvere possint ab hæresi?

Resp. Ipsis quidem datam fuisse hanc potestatem à Concilio Trident. (sess. 24, c. 6), ubi dicitur : « Liceat Episcopis... in quibuscumque casibus occultis, etiam Sedi Apostolicæ reservatis, delinquentes quoscumque sibi subditos in diœcesi suâ, per seipsos, aut Vicarium ad id specialiter deputandum, in foro conscientiæ, gratis absolvere, impositâ pœnitentiâ salutari. Idem et *in hæresis crimine*, in eodem foro conscientiæ, eis tantùm, non eorum Vicariis sit permissum. »

Sed hæc facultas ab occultâ hæresi absolvendi, Episcopis deinde fuit sublata ab Apostolicâ Sede. Illud constat : 1° ex Bullâ *Cœnæ*, in quâ post Concilium Trident., et quidem, prout videtur, tempore Gregorii XIII (Bened. XIV, *De Synodo*, lib. 9, c. 4, n° 8), inserta fuit sequens clausula : « A prædictis... nullus per alium quàm per Romanum Pontificem, nisi in mortis articulo constitutus..., absolvi possit; etiam prætextu quarumvis facultatum et indultorum quibuscumque personis.... *etiam Episcopali* vel aliâ majori dignitate præditis, per nos ac dictam Sedem aut cujusvis Concilii decreto..., concessorum. »

2° Illud etiam declarârunt plures SS. Pontifices, videlicet S. Pius V, Gregorius XIII, Clemens VIII, ut videre est ap. Bened. XIV, *De Synodo*, lib. 9, cap. 4, n° 9 : « Unde, ait Reiffenst. (lib. 5, t. 7, n° 354), et S. Franciscus Salesius, cùm in examine Episcoporum, sibi ex 35 quæstionibus Clemens VIII primam proposuisset : *Possuntne Episcopi ab hæresi absolvere?* Isque respondisset : *Possunt ex Concilio Tridentino;* Papâ respondente : *non esse suam mentem; antiquatum enim esse illum articulum;* mox sententiam retractans verus Ecclesiæ filius subjunxit : *Quandoquidem non est mens Vestræ Sanctitatis, à meâ discedo; prorsus Pontificiæ acquiesco.* »

3° Illud fuit insuper decisum à S. Congr. Inquis. et à S. Congr. C., ut videre est apud Bened. XIV (*ibid.*).

4° Ut *scandalosa* ab Alexandro VII damnata fuit, 24 sept. 1665, propositio sequens : « Sententia asserens Bullam *Cœnæ* solùm prohibere absolutionem hæresis

« et aliorum criminum, quando publica sunt, et id non « derogare facultati Tridentini, in quâ de occultis crimi- « nibus sermo est, anno 1629, 18 julii, in consistorio « S. Cong. EE. Cardinalium visa et tolerata est. » Ergo non amplius possunt Episcopi absolvere ab hæresi occultâ, propriâ auctoritate.

Attamen, etsi fateantur Tridentinæ dispositioni derogatum fuisse per Bullam *Cœnæ*, ac proinde extraneos Episcopos non posse ab occultâ hæresi absolvere, gallicani theologi contendunt aliter esse sentiendum de Galliarum Antistibus, quia : 1° Bulla *Cœnæ* apud nos non fuit recepta ; 2° quia à longo tempore invaluit consuetudo quòd nostri Episcopi ab hæresi occultâ, propriâ auctoritate absolvant.

Sed quàm falsa sint hæc duo asserta pluribus demonstrat idem Bened. XIV (*ib.*).

Quòd verò hodiernam Galliæ consuetudinem absolvendi ab hæresi nolit approbare S. Sedes, patet ex iis quæ refert auctor operis proscripti : *Mémoire sur la situation présente de l'Église Gallicane relativement au droit coutumier*, in quo (p. 107) legitur : « Le Concile de Paris, en proscrivant « l'œuvre de la Miséricorde, avait défendu aux confesseurs « d'absoudre les adeptes de cette secte, à moins qu'ils ne « donnassent des preuves authentiques de leur repentir, « et qu'ils n'abjurassent leurs erreurs. La Congrégation du « Concile a demandé [1] qu'on ajoutât cette clause si grave : « *et à moins que le confesseur n'ait obtenu les facultés né-* « *cessaires du Siége Apostolique (nisi insuper iidem anima-* « *rum curatores opportunas in id facultates ab Apostolicâ* « ***Sede obtinuerint*). »** Id confirmatum est C. *Avost. Sedis.*

§ XII.

De potestate Episcopi casus sibi reservandi.

428. Certum est competere Episcopis potestatem sibi casus reservandi. Vide Concil. Trident., sess. 14, cap. 7.

[1] « Locutio hæc *a demandé* accurata non est, inquit Bouix (*ib.*, « p. 232). Hanc, inter alias, correctionem faciendam significavit « S. Congregatio ; nec licet, conciliorum Provincialium decreta edere, « nisi cum indicatis à S. Congr. correctionibus. » Et reverà cum hâc emendatione edita fuêre decreta Concil. Parisiensis anni 1849.

Convenientiùs autem Episcopi hanc potestatem exercent in Synodo : præter varias rationes quas affert Bened. XIV (*De Syn.*, lib 5, cap. 4, nº 3), hæc præsertim est ponderanda : « In Synodo facta (reservatio) induit naturam legis « quæ, nullo contradicente, perpetua est, et, quandiu non « revocatur, perseverat ; facta autem extra Synodum, non « ab omnibus reputatur perpetua, opinantibus plerisque « theologis... illam, decedente Episcopo à quo facta est, « illicò expirare. »

Pluries monuit S. Congr. Episc. et Reg. ut *paucos* duntaxat, eosque *ex gravioribus* casus Episcopi sibi reservârent. Ita 9 jan. 1601, 26 nov. 1602.

Eadem Cong. (26 nov. 1602) prohibuit : « Ne (Episcopi) « sibi superfluè reservent casus, in Bullâ *Die Cœnæ* legi « consuetâ, contentos, neque alios Sedi Apostolicæ spe« cialiter reservatos (Bened. XIV, *ib.*).

« Facultas absolvendi à casibus Papæ reservatis nequa« quam includit potestatem absolvendi à casibus reservatis « Episcopo. Ita definitum à Clem. X, Constit. *Superna.* »

§ XIII.

De Potestate Episcopi in Clericos.

Clerici vel sunt diœcesani vel extranei : unde duo erunt puncta :

I. — De potestate Episcopi in clericos diœcesanos.

429. Nulli antiquitùs ordinabantur clerici quin alicujus Ecclesiæ servitio manciparentur : à quâ Ecclesiâ discedere eis non licebat sinè Episcopi veniâ : aliàs suspensionis pœnam incurrebant.

Hæc salubris disciplina, quæ jam à multis sæculis obsoleverat, restituta fuit à Concilio Trident. (sess. 16, cap. 23) his verbis : « Cùm nullus debeat ordinari, qui « judicio sui Episcopi non sit utilis aut necessarius suis « ecclesiis, S. Synodus, vestigiis sexti canonis Concilii « Chalcedonensis inhærendo, statuit ut nullus in posterùm « ordinetur qui, illi ecclesiæ aut pio loco, pro cujus ne-

« cessitate aut utilitate assumitur, non adscribatur, ubi « suis fungatur muneribus, nec incertis vagetur sedibus ; « quòd si locum, inconsulto Episcopo, deseruerit, ei sa- « crorum exercitium interdicatur. »

Attamen non ubique, hodiernis temporibus, observatur hæc ordinandorum adscriptio servitio specialis Ecclesiæ ; in usu enim non est in Galliâ, ubi clerici ordinantur cum libertate commorandi apud suos vel in seminario, usquedum facti sacerdotes ad munus vicarii vel ad aliud officium advocentur. Et reverà, rebus prout nunc sunt apud nos exstantibus, non magnæ utilitatis foret præfata adscriptio : antequam enim clerici sacerdotio initientur, modicum auxilium parochis afferre possunt, præsertim cùm in seminariis, pro studiorum necessitate, ferè continuò degere debeant, et semel ad presbyteratum promoti, ad alia munera advocandi sint.

Quædam insuper declarationes S. Congr. Concil. supponere videntur non adesse strictam obligationem omnes ordinandos adscribendi servitio alicujus ecclesiæ : sic in causâ Ariminensi, 5 decemb. 1574, dicitur : « Clericus, « qui *certo loco non est adscriptus*, ab Episcopo invitus « retineri non potest. »

430. Quærit. 1° An clerici possint, invito Episcopo, è diœcesi discedere et alibi commorari ?

Resp. 1° Certum esse clericos, alicujus ecclesiæ vel beneficii personalem residentiam exigentis servitio adscriptos, haud posse, invito Episcopo, è diœcesi discedere et alibi commorari : illud constat ex decreto Concil. Trid. modò relato, et communi DD. sententiâ, qui verbum *inconsulto Episcopo*, intelligit *invito Episcopo* ; et ita decisum fuit à S. Congr. Conc., 8 maii 1756 et 5 dec. 1574, ubi dicitur : « Adscriptus verò retineri potest invitus. » Idem eruitur etiam ex promissione obedientiæ die ordinationis factâ.

Posset tamen sic adscriptus, absque Episcopi licentiâ, assentire suæ electioni ad aliquod beneficium in alienâ diœcesi existens ; sed absque dictâ licentiâ, non potest discedere. Interveniente verò justâ causâ, à Superiore cogi poterit Episcopus ad dandam licentiam discedendi, vel

saltem ad congruam adscripto assignandam. Hæc deducuntur ex præfatis argumentis ; et quoad congruam, decretum fuit in causâ *Amerinâ*.

Resp. 2° Quoad non adscriptos aut non habentes beneficium personalem residentiam exigens, multi canonistæ asserere non dubitant posse eos, invito Episcopo, è diœcesi discedere et alibi commorari. Pluribus S. Congr. Conc. decisionibus à Ferrario relatis nituntur (v° *Testimoniales litteræ*, n° 11), quarum unam scilicet datam in causâ *Ariminensi*, 5 dec. 1574, hîc tantùm transcribemus : « Clericus qui certo loco non est adscriptus, ab Episcopo « suo invitus retineri non potest, ne à suâ diœcesi discedat et alibi parochiam accipiat : adscriptus verò, retineri « potest *invitus*. »

Sed ab hâc sententiâ discedere postea visa est S. Congr. Concilii. In causâ enim *Nucerinâ*, 5 sept. 1818, in quâ agebatur de sæculari sacerdote, ad titulum patrimonii ordinato, qui professoris theologiæ munus explebat in suâ diœcesi, quique, ob insufficiens salarium, transire voluit ad aliam diœcesim, et huc, non obstante comminatione ab Episcopo factâ pœnæ suspensionis ipso facto incurrendæ, reverà commeavit, sequentia dubia S. Congregationi proposita fuêre : « 1° An præceptum Episcopi Nucerini... sit « observandum?... 2° An constet de irregularitate incursâ « à presbytero?... seu potius sit consulendum Sanctissimo « pro dispensatione?... S. Congreg. respondit : *ad primum « affirmativè, dummodo Episcopus provideat... congruâ... « sustentatione ; ad secundum, affirmativè ad primam partem, et consulendum Sanctissimo pro absolutione... post « reditum ad diœcesim et petitam veniam ab Episcopo.* »

Undè hodiè etiam non adscripti servitio alicujus ecclesiæ, aut non habentes beneficium personalem residentiam exigens, non videntur posse, invito Episcopo, è diœcesi recedere : ratio esse videtur quia hujusmodi clerici, etsi non adscripti fuerint servitio ullius ecclesiæ, saltem adscripti censentur servitio diœcesis, pro cujus necessitate vel saltem utilitate ad ordines fuêre promoti : nonnisi enim pro utilitate diœcesium, præsertim in Galliâ, ad ordines clerici promoventur et promoveri debent ex Concilio Trid.

Vide, in nostro *Manuali*, n° 1009, quomodò differant inter se *dimissoriæ testimoniales* et *commendatitiæ litteræ*.

431. Quærit. 2° An presbyteri nulli Ecclesiæ adscripti, nec habentes beneficium residentiam exigens, possint cogi ab Episcopis ad assistendum missis solemnibus aut aliis sacris functionibus Cathedralis Ecclesiæ?—Vide solutionem in nostro *Manuali*, n° 1010.

Episcopus potest retinere apud se unum vel duos canonicos, sive ex Cathedrali, sive ex Collegiatâ. Item potest assumere duos beneficiatos seu mansionarios ex Cathedrali aut Collegiatâ, modò non habeant curam animarum : ita tamen ut ultra duos ex omnibus istis non assumat, qui omnes pro residentibus tunc censentur, et si absint à choro, lucrantur suarum præbendarum fructus, non obstante consuetudine in contrarium, non tamen distributiones quotidianas.

II. — De potestate episcopi in sacerdotes extraneos.

432. — 1° Certum est Episcopum non tantùm posse sed debere prohibere ne in suâ diœcesi ad celebrandum admittantur presbyteri vagi et ignoti, aut peregrini commendatitias sui Ordinarii litteras non habentes.

Constat ex Concil. Trident. : « Nullus præterea clericus « peregrinus, sine commendatitiis sui Ordinarii litteris, ab « ullo Episcopo ad divina celebranda et sacramenta admi- « nistranda admittatur. » (Sess. 23, c. 16, *De Regular.*) « Singuli (Episcopi) in suis diœcesibus interdicant ne cui « vago et ignoto sacerdoti missas celebrare liceat. » (Sess. 22, *Decret. De observ. et evit.*, etc.).

Pro *ignoto* autem habendus non est, qui testimoniales habet litteras, vel alicui personæ diœcesis fide dignæ, notus est.

2° Quamvis Episcopus possit permittere ut rectores ecclesiarum ad celebrandum admittant peregrinos sacerdotes commendatitiis litteris munitos, prohibere tamen potest quin illud faciant erga extraneos, qui non haberent in scriptis licentiam à se vel à suo Vicario Generali datam.

3° Episcopi, in his quæ pertinent ad missæ celebrationem, procedere possunt contra quoscumque etiam exemp-

tos, sed tunc solùm tanquam delegati Sedis Apostolicæ.

4° Etiam regularibus et in Ecclesiis exemptis, prohibere potest Episcopus sub censuris, ne ad missæ celebrationem admittant peregrinos etiam notos, sive sæculares, sive regulares *diversi ordinis*, antequam ipse vel Vicarius Generalis eis licentiam dederit. Non tamen solent Episcopi id statuere de peregrinis sufficienter notis, saltem quoad octo vel decem primos dies. Regularis verò celebrare potest in conventu sui ordinis absque dictâ Ordinarii licentiâ. Ita communiter; et constat ex Concilio Trid. (sess. 22, *Decret. De observ.*, etc.), in quo Episcopi, quoad hoc et alia multa de missæ sacrificio, constituuntur *etiam delegati Sanctæ Sedis*, *non obstantibus privilegiis*, *exemptionibus quibuscumque*. Quoad licentiam datam regularibus celebrandi in ecclesiâ conventûs sui Ordinis, constat ex Constit. Bened. XIV *Quàm grave*, 2 aug. 1757, § 12.

5° Ad celebrandum admittendus est ab Episcopo presbyter extraneus, etsi non habeat commendatitias litteras, si per testes aut alio modo probet se esse sacerdotem commendabilem. Juramentum tamen solum non potest supplere litteras commendatitias. Ita Innocent. III, cap. *Tuæ*, et cap. *Inter*, *De clericis peregrin.*

6° Sacerdos extraneus litteris commendatitiis destitutus, et ideò ad celebrationem non admissus, potest tamen secretò celebrare, dummodo absit scandalum. Ita communiter, juxta D. Bouix citantem inter alios Layman et Castropolaum.

7° Nequit Episcopus extraneos sacerdotes arcere à missæ celebratione ob solam rationem quòd extranei sint. Sequitur ex modò dictis, n^is^ 4 et 5. — Secus sentiunt Ducasse, *Juridiction ecclés.*, chap. 7, sect. 6, n° 3, et auctor *Prælect. S. Sulpitii*, n° 152; sed sat solido fundamento niti non videtur illorum sententia.

8° Imò juxta Barbosam et alios canonistas, sinè justâ causâ, non potest Episcopus expellere alienum clericum commorantem in ejus diœcesi sinè litteris sui Episcopi, si ipse nolit exercere ordines, sed solùm tanquam advena ibi commorari.

Episcopus non cogere, sed solùm hortari potest curatos et

rectores ecclesiarum, ut necessaria ministrent presbyteris celebrare volentibus in eorum ecclesiis. S. Congr. Conc., 15 dec. 1703.

§ XIV.

De potestate Episcopi quoad Indulgentias.

433.— 1° In Dedicatione Ecclesiæ, Episcopi possunt unius anni indulgentiam concedere; in aliis verò casibus, indulgentiam duntaxat 40 dierum.

2° Eas concedere possunt solis diœcesanis, etiam exemptis, vivis, non autem defunctis.

3° Hanc potestatem delegare possunt aliis præterquam presbyteris, dummodò sint clerici.

4° Indulgentias concedere nequeunt Coadjutores Episcoporum, neque Episcopi titulares seu *in partibus infidelium*; neque Vicarii Generales, nisi ab Episcopo specialiter ad id delegationem accipiant; neque Vicarius Capitularis.

434. Quærit. Quodnam sit jus Episcopi circa recognitionem et publicationem indulgentiarum Papalium?

Resp. 1° « Indulgentias... per Ordinarios locorum, adhi- « bitis duobus de Capitulo, debitis temporibus populo « publicandas esse decernit » Concil. Trid., sess. 21, cap. 9.

2° Sinè ergo Episcoporum licentiâ vel auctoritate, nemo potest Brevia indulgentiarum publicare, non obstante quâcumque exemptione et prætensâ consuetudine in contrarium, etiamsi pro regularium ecclesiis concedantur; et sic fuisse pluries decisum à S. Congr. Concilii, testantur Monacelli et Cardinalis Petra. Vide fusiùs de Indulgentiis in nostro *Manuali*, à n° 4521, etc.

§ XV.

De potestate et officio Episcopi quoad Reliquias SS.

435. Per reliquias Sanctorum et Beatorum intelliguntur eorum corpora et corporis partes etiam minimæ, cineres, pulveres, item vestes quibus in vitâ usi sunt vel quibus

eorum corpora post mortem fuerunt involuta. Item instrumenta pœnarum et mortificationum, et hujusmodi.

Certum est Reliquias noviter inventas, aut productas non posse coli cultu publico, nisi priùs legitimè recognoscantur et approbantur. Constat ex cap. *Cùm ex eo*, *De Reliq. venerat.*; etc., et Conc. Trident., sess. 25, *De Invocat.*, etc., ubi statuitur : « *Nulla etiam admittenda miracula nova*, « *nec novas Reliquias recipiendas, nisi recognoscente et ap-* « *probante Episcopo.* »

Cultu autem privato coli possunt Reliquiæ quæcumque, non solùm Canonizatorum aut Beatificatorum, sed etiam cum famâ sanctitatis defunctorum, quamvis nec recognitæ nec approbatæ fuerint. Ita communiter.

436. Quærit. 1° A quo recognosci et approbari debeant Reliquiæ ut publico cultu colantur?

Resp. Vel agi de Reliquiis nondum Beatificatorum, vel de Beatificatorum aut Canonizatorum :

1° Episcopus non potest approbare, in ordine ad cultum publicum, Reliquias defunctorum cum famâ sanctitatis, sed nondum Beatificatorum ; hoc enim reservatur Romano Pontifici, ex cap. jam citato, *Cùm ex eo*, *De Reliquiis*, ubi dicitur : « Inventas de novo Reliquias nemo publicè vene- « rari præsumat, nisi *priùs auctoritate Romani Pontificis* « *sint approbatæ* ». Nec obstat decretum supra relatum Concil. Trid., quod communiter intelligitur de solis Reliquiis saltem Beatificatorum noviter inventis.

2° Si quæstio sit de Canonizatorum vel Beatificatorum Reliquiis, non tantùm Papa, sed etiam Episcopi possunt illas recognoscere et approbare : constat ex textu supra citato Concil. Trid.

Etsi à Papâ Reliquiæ fuerint approbatæ, tamen ab Episcopo adhuc sunt recognoscendæ, non quidem ut denuò ab ipso approbentur, sed solùm ut videat an reverà Romæ fuerint approbatæ, et vitetur fraus. Sic decrevit Sixtus V, Constit. *Dominus*, et S. Congr. Rit., 19 oct. 1591 ; et hoc etiam pro Reliquiis exponendis in ecclesiis regularium, ut fuit decisum in unâ *Viterb.* 26 jun. 1627.

Ad hoc autem ut Episcopus ritè approbet alicujus jam *Canonizati aut Beatificati* Reliquias noviter inventas,

Romæ nondum approbatas, necesse est ut, *adhibitis in consilium theologis et aliis piis viris, ea faciat quæ veritati et pietati consentanea judicaverit*, ut expressè statuit Conc. Trident. loco citato ; et si aliquod circa id emersit grave dubium, nihil, inconsulto S. Pontifice, novum aut in Ecclesiâ hactenus inusitatum est decernendum, textu expresso Concilii Trid. loco citato, in fine.

Ut constet de identitate SS. Corporum et Reliquiarum, non requiritur evidentia metaphysica aut physica, sed moralis sufficit, sive quæstio sit coram Ordinario, sive coram Sacrâ Congregat. ; quamvis major requiratur coram Congreg. Rit., eò quòd Apostolica approbatio sit majoris momenti quàm approbatio Episcopalis. Non sufficere autem unius testimonium ad statuendam illam moralem evidentiam, concludit Bened. XIV, ex uno decreto S. Congr. Rit. 13 jul. 1709.

437. Quærit. 2° An, inconsultâ Sede Apostolicâ, fieri possint translationes Reliquiarum insignium?

Nota quòd Reliquiæ insignes sint corpus integrum aut magna pars ejusdem, nempe caput, brachium integrum, crus, aut pars illa corporis in quâ Martyr passus est, modò sit integra et non parva. Unde non sunt Reliquiæ insignes, manus, pes aut aliud frustum, nisi in istis passus sit Martyr. Ut crus et brachium censeantur integra, debent constare duobus ossibus præcipuis. — His explicatis :

Resp. 1° Corpora SS. et insignes eorum Reliquiæ non possunt transferri de ecclesiâ ad ecclesiam, inconsultâ Sede Apostolicâ. Ex Declar. S. Congr. Conc. in quâ dicitur : « Sanctissimus... respondit transferentes non esse excom- « municatos ; sed tamen hodie ex stylo, talem translatio- « nem non esse faciendam, inconsultâ Sede Apostolicâ. » Secus tamen sentiunt plures ab eodem Bened. XIV citati, Fagnanus nempe, Pirrhing, Delbene, etc., qui dicunt id fieri posse auctoritate Episcopi, prævio assensu Capituli.

2° Item transferri non possunt *de loco ad locum* corpora, neque Reliquiæ Beatorum nondum canonizatorum, nec fieri potest mutatio capsæ in quâ eorum ossa recondita sunt, nisi accedente S. Pontificis aut S. Congr. Rit. auctoritate.

3° Quoad corpora Servorum Dei nondum beatificatorum, vel causæ introductionis commissio nondum signata fuit à S. Pontifice, vel jam fuit signata : si priùs, eorum potest fieri translatio de licentiâ Ordinarii sinè solemnitate, inconsultâ S. Sede ; si posteriùs, necessaria est licentia Papæ vel S. Congr. Rit., ut transferantur de loco ad locum, etiam in eâdem ecclesiâ.

Nota quòd Reliquiæ insignes non debeant collocari in privatis ædibus, nec apud laicos homines, sed in ecclesiâ. Excipiuntur tamen magni principes, et præcipui Ecclesiæ Præsules.

Quædam adhuc hîc sunt notanda circa Reliquias :

1° Quando exponuntur Reliquiæ, ultra lampadem, debent continuò ardere in altari duo lumina; aliàs non exponantur. S. Rit. Congreg., 22 jan. 1701.

2° De Sancto, cujus habetur corpus vel insignis Reliquia, non potest fieri officium, nisi constet de identitate, et nisi reperiatur in Martyrologio Romano. Quod est applicandum etiam iis Sanctis quorum corpora eruta sunt è Catacumbis Romæ, et evidentia martyrii signa habent ; videlicet, vel mentionem in marmore sculptam, vel vas sanguinis in monumento inclusum. Vide Bened. XIV, lib. 4, pars 2, cap. 28, n^is^ 26 et 27. Hujusmodi Reliquiæ tamen deferri possunt processionaliter, quamvis aliter sit dicendum de Beatificatis nondum canonizatis.

3° Reliquia modica jam facta alienabilis, alicui ecclesiæ vel oratorio donari potest (S. Rit. Congr., 8 jun. 1602) ; aliàs non posset alienari sinè beneplacito S. Sedis.

Pœna excommunicat. Papæ reservatæ, lata est contra extrahentes absque legitima venia, reliquias ex sacris cœmeteriis sivè catacumbis Romæ, ejusdem territorii, eisque auxilium vel favorem præbentes (C. *Apost. Sed.*).

4° Reliquiæ et ossa SS. radi non possunt, ut rasura detur cum potu infirmis. S. C. Episc. et Reg., 17 dec. 1691.

5° In altari, in quo est expositum SS. Sacramentum, non possunt exponi Reliquiæ SS. ; nec in tabernaculo sunt condendæ ubi asservatur SS. Sacramentum ; nec super tabernaculum SS. Sacramenti, licet non expositi ; neque ante tabernaculi ostiolum, aut alio modo quo simplices

adorare possint Reliquias pro SS. Sacramento... In processione cum Sacramento non sunt deferendæ.

6° Reliquiæ SS. non debent deferri sub baldachino in processionibus, nisi agatur de ligno SS. Crucis aliisque instrumentis Dominicæ Passionis (S. Congr. Rit.). — Contrariam tamen opinionem prævaluisse in Congregationibus habitis coram Eminentissimo Archipresbytero unà cum Pontificiis Magistris cæremoniarum, asserit Bened. XIV, *De Beatific. et Canon.*, lib. 4, pars 2, cap. 23, n° 15.

Vide alia in nostro *Manuali*, n° 1088, etc.

§ XVI.

De potestate Episcopi quoad missarum stipendia et reductionem piarum fundationum.

438. Communiter dicunt DD. stipendium justum missæ esse illud, quod taxatum est ab Episcopo, vel à consuetudine, vel saltem à viro prudenti, si deest taxa à consuetudine vel ab Episcopo facta. Ita Suar. ex Declar. S. C. Conc. Huic taxæ stare debent etiam Regulares.

Certum est Episcopum non posse prohibere ne accipiantur eleemosynæ taxâ pinguiores, si sponte offerantur. Ita decisum à S. C. Concilii, 16 jan. 1649.

Disputatur an Episcopus possit prohibere ne sacerdotes accipiant minùs justo. Dicit S. Liguor. (*ib.*, dub. 3) probabiliùs id affirmare Suarez. Bened. XIV cum aliis, ex Declar. S. C. Conc., 16 jul. 1689. Quapropter, si Episcopus id prohibet, omninò ei est obtemperandum, cùm certum sit subditos teneri obedire Superiori præcipienti cum opinione probabili.

439. Quærit. 1° An suscipi valeant perpetua missarum onera absque Episcopi licentiâ?

Resp. Negativè; et si agatur de sæcularibus, necessaria est tunc licentia in scriptis data ab Episcopo, vel ejus Vicario Generali; si verò ageretur de regularibus, necessaria esset licentia Superioris Generalis vel Provincialis. Constat Decreto *Cùm sæpè*, S. Congr. Concil., Urbani VIII auctoritate edito.

440. Quærit. 2° Quid sit specialiter observandum quoad

loca ubi multæ colliguntur pro missis celebrandis eleemosynæ?

Resp. In Ecclesiis in quibus multæ colliguntur eleemosynæ pro missis celebrandis, non licet eas in adeo ingenti numero accipere, ut congruo tempore omnibus satisfieri non possit; vel saltem apponenda esset in publico tabella, in quâ notum fieret offerentibus eleemosynas, quòd celebratio missarum propter ingentem numerum differri oporteat. Ita ex variis decretis et maximè Innocentii XII, 23 decembris 1697.

Debent Episcopi curare ne ecclesiarum rectores vel administratores sibi retineant aliquam vel minimam portionem, etiam favore ecclesiarum, nisi adeò essent pauperes ut subire non possent propriis redditibus expensas necessarias, quo casu permitti possunt ut tantummodo sibi retineant portionem quæ non excedat valorem dictarum expensarum, ut declaravit S. C. Conc., *in Mexic.*, 11 jan. 1698.

Tandem debent curare Episcopi ut, in ecclesiis, præsertim ubi plures missæ celebrantur, retineantur duo libri, in quibus diligenter adnotentur eleemosynæ, quæ dietim recipiuntur cum adimplemento missarum, ac retineatur capsa particularis pro reponendis eleemosynis manualibus, ut de dicto implemento rationem exigere queant ab iis quos spectat, prout rigorosè tenentur virtute decreti Innocentii XII, *De celebratione missæ*, die decemb. 1697. Contra contumaces in non implendis missis, procedere debent.

441. Quærit. 3° An Episcopis competat missarum aut aliarum piarum fundationum onera reducendi potestas?

Resp. 1° Quoad missarum reductionem, Episcopis quidem à Concilio Tridentino attributa erat facultas onera missarum reducendi in Synodo diœcesanâ, quando vel tam magnus earum numerus impositus fuerit, ut illis pro singulis diebus à testatoribus præscriptis nequeat satisfieri; vel eleemosyna hujusmodi adeò tenuis sit ut non facilè inveniatur qui velit huic oneri se subjicere. Vide sess. 25, cap. 4; sed huic Tridentinæ dispositioni derogatum fuit ab Urbano VIII, Constit. *Cùm sæpè*, 21 jan. 1625, confirmatâ ab Innocentio XII, ubi: « Districtè prohibet ne Episcopi

« in diœcesanâ Synodo, aut Generales in Capitulis gene-
« ralibus vel aliàs, quoquomodo reducant onera ulla mis-
« sarum celebrandarum, aut post idem Concilium impo-
« sita, aut in limine fundationis; sed pro his oneribus redu
« cendis, aut moderandis, vel commutandis, ad Aposto-
« licam Sedem recurratur, etc. Alioquin, reductiones, mo-
« derationes...hujusmodi, si quas contra hujusmodi formam
« fieri contigerit, omninò nullas et inanes decernit. »
Igitur juxta Urbani Decretum, facultas data à Concilio Trident. intelligitur tantùm de reducendis missis ante Concilium relictis, et non impositis in limine fundationis.

In Galliâ tamen Episcopi exercent facultatem præfatam onera missarum reducendi, et quidem soli absque diœcesanâ Synodo : « Les bulles d'Urbain VIII et d'Innocent XII « n'y ayant pas été promulguées », inquit DD. Affre (*Admin. tempor.*, p. 555, not. 4, edit. 4ª) ; et eò usque progreditur D. Dieulin (*Guide des curés*, t. 1, p. 194) quòd asserat : « *Les lois canoniques* et civiles n'attribuent ce pou-
« voir qu'à lui seul (à l'Évêque). Le Décret de 1809 (art. 29)
« dispose que les réductions seront faites *par l'Evêque con-*
« *formément aux lois canoniques.* » Numquid oculis gravissimorum istorum DD. *lex canonica* non esset Constitutio Urbani VIII ab Innocentio XII confirmata ?

An autem dicta Galliæ praxis licita sit pro conscientiâ ? Certum videtur quòd si unquam fuerit legitima antè Concordatum 1801, per Bullam tamen *Qui Christi* fuit antiquata. An à tempore Concordati evaserit legitima, dubitamus.

Quidquid sit de hâc quæstione : « In ipsomet Decreto
« Urbani, declaratum fuit benè posse Episcopos reducere
« missas, si testator expressè hanc ipsis dederit facul-
« tatem. »

Est autem magnum discrimen inter condonationem seu remissionem missarum et illarum reductionem, cùm reductio respiciat tempus futurum, dum condonatio solummodò tempus præteritum : « Condonationibus faciendis
« immisceri se nequit Episcopus, utpote quæ privativè re-
« servatæ sunt auctoritati Romani Pontificis. » Ita Bened. XIV, *De Syn*, lib. 13, cap. ultimum, nⁱˢ 15 et 29;

et hoc viget in Galliâ, juxta Lequeux, n° 678; in hoc contrarium DD. Affre, *De l'administr. tempor. des paroisses*, p. 543, etc.

Innocent. XII, in Constit. à Bened. XIV relatâ (*ib.*), admonet condonationes et reductiones non admitti à S. Sede, nisi petantur ex rationabili causâ et cum hâc clausulâ : *dummodò petentes malitiosè non omiserint, animo habendi compositionem.*

442. Juxta S. Liguor. (lib. 6, n° 331, et *De Privilegiis*, 70): « Casu quo redditus (*fundationis*) à principio fuerint « sufficientes, et postea ita imminuuntur ut nullo modo « sufficiant ad onera ferenda, tunc, dicit Fagnanus, non « videri sublatam Episcopis facultatem, quàm habent de « jure communi, missas moderandi, ex cap. *Nos quidem*, « *De Testam.*, et ex Trid., sess. 22, cap. 8, ubi conceditur « Episcopis, ut, unà cum hærede vel executore, possint « ultimas voluntates in alium pium usum commutare. »

Secus tamen sentire videtur Bened. XIV, *De Syn.*, lib. 13, cap. ult., n° 26, ubi dicit : « Quapropter tutò con- « cludi posse censemus Episcopos, quibus facultas est « reducendi missarum onera, vel ex Concilii Romani am- « pliatione vel ex sæpiùs memoratâ instructione (Vide *ib.*, « n° 22), non posse missarum numerum, in contractu « (actu fundationis) præscriptum ac vicissim acceptatum « minuere seu reducere, *quamvis imminuti fuissent red-* « *ditus* ob eum finem assignati; sed hâc fortè (est exceptio « quam videtur admittere Pontifex) propositâ facti specie, « oportere, ut judicis partes assumant, investigantes an « talis sit, quæ obvenit reddituum imminutio, ut juxta « recepti juris regulas, sufficiat ad rescindendum contrac- « tum, vel saltem ad eumdem ad justi et æqui normam « redigendum, quod etiam satis rectè tuetur Monacelli...» Quod non esset propriè actus reductionis, sed potiùs interpretatio extensionis obligationis à fundatore impositæ.

Quidquid sit de hoc, si redditus à principio essent insufficientes, ita ut nullus vellet missas acceptare, tunc certè ex Decretis ab ipsomet S. Liguorio relatis (*ibidem*, dub. 2), recurrendum esset ad S. Sedem.

2° Quoad reductionem aliorum piorum operum, plures

DD. apud S. Liguor. (*De Privileg.*, n° 68), asserunt posse Episcopum ex justâ causâ commutare pias testatorum dispositiones, ex eo quòd ipsi habeant dispensandi potestatem in lege quæ jubet impleri ultimas voluntates, quoties adest justa causa ; idque confirmant ex Trident., sess. 22, cap. 6. « Sed, inquit S. Liguor., nos negamus cum sententiâ probabiliori.... quia in cap. *Tua*, *De testam.*, et « cap. 8, ejusdem sess. 22... jubentur Episcopi adamussim exequi ultimas voluntates. » Vide etiam sess. 25, *Decret. de Purgat.*

Facultates, à S. Sede Episcopis concessæ, missas reducendi, non debent, inquit Bened. XIV (*De Synod.*, lib. 13, cap. ult., n° 22), « protendi ad reliqua pia legata, piasve « dispositiones inter vivos, quibus, exempli causâ, eleemosynam pauperibus distribui aut inopes virgines dotari « præcipiatur. »

In Galliâ tamen, ob praxim apud nos vigentem, videtur quòd sit licitum stare judicio Episcoporum, quoad has reductiones, et ipsemet S. Liguor. videtur huic sententiæ non contradicere, lib. 6, n° 321, dub. 3, et lib. 3, n° 931; ubi plures causas enumerat ob quas licitum est Episcopo ultimas voluntates commutare.

Nota 1° ex cap. *Nos quidem*, et cap. *Tua nobis*, *De testam.* piarum dispositionum curam et executionem ad Episcopos pertinere, « licet etiam à testatoribus id contingeret in« terdici ». Conceditur tamen fundatori, ut aliquem designare ac constituere valeat executorem ; sed si hic sit negligens in executione piorum legatorum, ad Episcopum devolvitur onus et cura exsequendi quòd alii neglexerunt. Concil. Trident., sess. 22, cap. 8, *De Reform.*

Nota 2° Casu quo Episcopi habent potestatem fundationes generatim reducendi, reducenda sunt potiùs reliqua opera quàm missarum onera, juxta praxim S. C. Conc., sed hoc pati posse difficultatem apud nos asserit DD. Affre, *Administr. tempor.* Excipiendi sunt casus sequentes : 1° si fundator manifestaverit suam esse voluntatem quòd, obveniente necessitate onera reducendi, potiùs minueretur numerus missarum quàm cæterorum operum ; 2° si assignatus fuerit certus ac determinatus fundus pro

missarum celebratione, et iste fundus diminutus fuerit.

Nota 3° Quando facienda est reductio missarum, potiùs reduci debet ritus et solemnitas quàm missarum numerus. S. C. Conc., 4 aug. 1725.

§ XVII.

De potestate Episcopi Vicarios constituendi et congruam eisdem assignandi.

443. Certum est 1° Episcopum cogere posse parochos, quando ipsi non possunt sufficere ecclesiasticis sacramentis ministrandis et cultui divino peragendo, *ut sibi adjungant tot sacerdotes quot necessarium est ad hoc munus implendum* (Concil. Trid., sess. 21, c. 4). Imò possunt ipsimet dare parochis coadjutores, quando munus suum implere non valent propter perennem infirmitatem corporis aut animæ, vel propter imperitiam. Ad Episcopum autem, non verò ad parochum pertinet judicare an necessarii sint, nec ne, vicarii.

Certum est 2° Episcopum posse vicario congruam de fructibus parochiæ assignare. Constat ex Const. *Apostolici ministerii* Innoc. XIII, § 13 : « Quoties... oportuerit, ex « justâ causâ, provideri per coadjutores parochorum, aut « per vicarios temporarios, curæ erit Episcopis, *pro datâ « sibi à Trident. Synodo potestate*, partem fructuum, præ- « dictis coadjutoribus aut vicariis assignandam, determi- « nare in eâ quantitate, quæ pro suo prudenti arbitrio et « conscientiâ conveniens videbitur. » Vide etiam Concil. Trid., sess. 7, c. 5. Si proventus parochiæ non sufficerent, juxta sententiam communem, præferendus est coadjutus, et ex aliis bonis, in quantum fieri poterit, coadjutori Episcopus providebit.

In lege civili nostrâ sic statuitur in Decreto 17 nov. 1811, et Instruct. Ministeriali 1 april. 1823 : « Pour le cas de « maladie, l'indemnité due au remplaçant sera : dans une « succursale, 250 fr.; dans une cure de 2e classe, 400 fr.; « dans une cure de 1re classe, 700 fr.

« Pour le cas de suspense ou d'interdit du titulaire, le « remplacant a droit, dans une succursale, à la moitié du « traitement; dans une cure de 2e classe, aux trois cin-

a***

« quièmes ; et dans une cure de 1re classe, aux deux tiers.

« Pour le cas d'absence du titulaire, il sera assigné au « remplaçant une indemnité qui, n'ayant pas été déter- « minée par le décret, doit être arbitrée par l'Évêque. « Dans les trois cas, le remplaçant jouit de la totalité du « casuel. »)

444. Quærit. An possit Episcopus pro congruâ vicariorum assignare oblationes, quæ ex sacramentorum administratione vel ex funeribus proveniunt?

Resp. Quæstio controvertitur, ut videre est in nostro *Manuali*, nº 1061; attamen videtur quòd sententia affirmans possit tutò ad praxim reduci : nam Conc. Trident., sess. 21, cap. 6, Episcopo concedit ut valeat « coadjutores « aut vicarios pro tempore deputare, partemque fructuum « iisdem pro sufficienti victu assignare, *vel aliter providere* « *possit*. » Ex quibus posterioribus verbis, videtur posse colligi quòd Episcopus valeat etiam assignare emolumenta quæ non essent ex fructibus beneficii, ac proinde etiam oblationes supra enuntiatas. Habitâ ergo ut saltem verè probabili sententiâ affirmante, standum erit decisioni Episcopi, si hujusmodi oblationes assignet vicario pro congruâ.

§ XVIII.

De nonnullis aliis officiis et potestatibus Episcoporum.

445. De his vide nostrum *Manuale*, nº 1063, et sufficiat hîc annotare :

Ad solum Episcopum pertinet dare licentiam prædicandi : « Nullus », inquit Concilium Trident. (sess. 24, c. 4), « sivè sæcularis, sivè regularis etiam in ecclesiis « propriorum Ordinum, contradicente Episcopo, prædi- « care præsumat. »

Ab Episcopo prædicator debet benedictionem petere.

Concionatores Quadragesimæ, sive Adventûs, quorum deligendorum facultas laicis facta est, eò quòd honorarium iisdem solvunt, ab Episcopo approbandi sunt.

S. Congregatio Concilii consulta fuit à Fabricâ Cathedralis Sarzanensis : « An et ad quem spectet onus solvendi elee-

« mosynam concionatori Cathedralis ? » S. Congr. respondit : « Spectare ad Episcopum. » Ita expressè cap. *Inter cætera, De Officio jud. ordinarii.*

Episcopus non debet clericis permittere ludum alearum: non obstantibus consuetudinibus quibuscumque (Trid., sess. 22, cap. 1, *De reform.*). Unde à fortiori non debet ipse aleis ludere.

Ad Episcopum pertinet suarum ecclesiarum temporalia bona administrare ; unde suo arbitrio moderare potest scamna et loca laicorum in ecclesiâ. Ita multoties S. Congr. Rit., et imprimis 10 decembr. 1606. Pro foro civili in Galliâ, vide art. 25 Decreti 30 decemb. 1809.

Potest prohibere ne sedes laicorum, etiam Præfecti et Majoris collocentur in presbyterio apud altare, non obstante quâcumque consuetudine in contrarium. Ita S. Congregat. Rit., 10 jun. 1602. Pro foro civili in Galliâ, vide art. 10 Decreti 24 messidor., an XII, *Journ. des Fabr.*, tom. 9, p. 280 ; Dieulin, *Guide des curés*, p. 119.

Potest suo arbitrio removere indecentia et scandalosa in ecclesiis.

ART. III.

DE JURIBUS EPISCOPORUM UTILIBUS ET HONORIFICIS.

I. — De juribus utilibus.

446. Pleraque jura utilia Episcopis competentia, sub denominatione *Legis diœcesanæ*, olim designabantur : quinque verò præcipua jura utilia numerabantur :

1° *Jus Procurationis* et *Circadæ*, quo exigere valebant necessaria ad visitationem peragendam.

2° *Jus Subsidii caritativi*, vi cujus Episcopi ex justâ causâ poterant extraordinariè expetere à suis clericis subventiones necessarias, quando redditus propriæ Ecclesiæ non sufficiebant oneribus sibi impositis.

3° *Jus Cathedraticum* in eo consistens, quòd census Episcopo seu tributum quotannis solvebatur ab omnibus Ecclesiis diœcesis pro honore cathedræ.

Non ampliùs in usu videntur hæc duo posteriora, saltem

in Galliâ, ubi tamen viget ferè ubique subsidium pro sacerdotibus senio vel infirmitate debilitatis.

4° *Quarta canonica*, quæ erat portio Episcopo debita occasione funerum, quod jus penitus obsolevit, saltem apud nos.

5° *Jus Sigilli*, de quo vide nostrum *Manuale* (1051-1058).

II. — De juribus honorificis episcoporum.

447. 1° Episcopus, etsi nondum consecratus sed tantùm confirmatus, præcedit ubique Protonotariis Apostolicis.

2° Debet habere pacis osculum ante Præsidem et Consiliarios regios, et super quoscumque sæculares etiam Principes præcedentiam habere in suâ Ecclesiâ et Diœcesi. Vide Concilium Trident., sess. 25, c. 17.

3° In ecclesiâ debet in sublimiori loco sedere, eique in omnibus suæ Diœcesis ecclesiis, quantumvis exemptis et privilegiatis, in choro, in capitulo, in processionibus ac aliis actibus publicis, primus locus et prima sedes quem ipse elegerit, debetur cum baldachino. Concil. Trident., sess. 25, cap. 6, *De reform.;* et S. Congr. Rit., 7 decemb. 1613.

4° Sedem habere debet pulchriorem et majorem quàm Gubernator civitatis, et quidem fixam et immobilem, semper ornandam, non tamen coloris rubri. S. Congr. Rit., 3 oct. 1615, 23 maii 1613.

5° Episcopi sedes apud parietem contra altare constituenda est, et hinc et inde sedes seu stalla pro Dignitatibus et Canonicis poni debent (S. Congr. Rit., 9 oct. 1606) Potest tamen Episcopus aliam sedem extra chorum habere, dummodo etiam pro canonicis locus paretur. S. Rit.Congr., 9 maii 1606.

6° Episcopi soli, dum privatim celebrant, possunt accipere paramenta in ipso altari, et duos habere ministros superpelliceis indutos, præter alium ministrum clericum vel laicum communi veste indutum. S. Congr. Rit., 7 jul. 1708.

Episcopus non debet Vesperas cum cappâ celebrare (S.

Rit., 23 mart. 1608). Episcopo missam pontificaliter celebrante, poni debet in altari, juxta Cæremoniale, septimum candelabrum; sed illud non est ponendum in Vesperis nec in Missis Defunctorum. Ita S. R. Congr., in *Placentinâ*, n° 204, ad 8.

7° In omnibus suæ diœcesis ecclesiis quantumvis exemptis et privilegiatis, Episcopus potest missas et divina officia celebrare *in Pontificalibus*, cum assistentiâ suorum canonicorum (aliquos enim, ut jam diximus, potest secum adducere, et ad ipsos, non ad clerum loci, pertinet jus Pontifici assistendi). Quod si tantùm missæ solemni intersit Episcopus, potest ibidem habere cum eis circulos ad *Gloria*, etc. Ad ipsum tunc pertinet confessionem facere cum sacerdote, incensum ponere et benedicere, et solemniter, post Vesperas aut Missam, benedictionem dare. S. R. Congr.

8° Episcopo celebranti pontificaliter tenentur assistere quinque personæ, juxta formam *Pontificalis*; inter quas debet esse Prima Dignitas. Vide alia, in nostro *Manuali*, n° 1076, etc.

448. De variis Episcoporum speciebus, et de Prælatis inferioribus, quales sunt Episcopi titulares seu *in partibus infidelium*, Episcopi regulares et coadjutores, vide nostrum *Manuale*, à n° 1083 usque ad n° 1112. De Prælatis verò inferioribus, vide *ibid.* à n° 1113, etc.

ART. IV.

DE MINISTRIS JURISDICTIONIS EPISCOPALIS.

449. Agemus tantùm de Vicario Generali et Vicariis Foraneis, ad *Manuale* nostrum (n^is^ 1190, etc., 2196, etc.) rursus remittentes pro Archidiacono, Archipresbytero, Pœnitentiario, ac theologali.

§ I.

De Vicario Generali seu Officiali.

PUNCTUM I.

DE NOTIONE VICARII GENERALIS SEU OFFICIALIS.

450. Vicarius generalis ille est qui legitimè deputatur ad exercendam generaliter jurisdictionem Episcopalem vice Episcopi, ita ut actus ejus ab Episcopo gesti censeantur.

Dicitur 1° *Ad exercendam jurisdictionem* : Vicario enim Generali essentialiter non competit ut valeat vices Episcopi agere in exercendâ ordinis Episcopalis potestate, sed solùm ipsius vices in exercendâ jurisdictione : unde etiam sufficit ut sit simplex clericus.

Dicitur 2° *Ad exercendam generaliter* : nam moraliter saltem universalis, sive quoad causas sive quoad loca, debet esse jurisdictio Vicarii Generalis, cùm repugnet in terminis aliquem esse *Generalem* alterius Vicarium, nisi valeat, in aliquo saltem sensu, vices ejus generaliter explere. Sufficit tamen quòd *moraliter* universalis sit ejus jurisdictio ; unde plura sive à jure, sive ab homine excipiuntur, vel possunt excipi, ut dicetur infra. Si verò Episcopus v. g., medietatem causarum Diœcesis, sibi reservaret, non ampliùs tunc ejus Vicarius dici posset Generalis, proinde esset tantùm Delegatus. Unde ab illo ad Episcopum, non ad Metropolitanum esset appellandum, cùm in eo casu idem non esset utriusque auditorium.

Dicitur 4° *Vice Episcopi*, *ita ut*, etc. : Unde de essentiâ Vicariatûs Generalis est, ut actus à Vicario Generali gestos Episcopus faciat suos ; ita ut à sententiâ Vicarii Generalis ad Episcopum appellari nequeat, juxta cap. 2, titul. 4, lib. 1, in 6°, in quo legitur : « Non putamus illam consuetudinem, quantocumque tempore de facto servatam, « consonam rationi, quòd *ab Officiali Episcopi ad eumdem* « *Episcopum* valeat appellari : ne ab eodem ad seipsum « (cùm sit idem auditorium utriusque) appellatio interposita videatur. »

Ex quo sequitur quòd, Episcopo nominatim excommunicato, suspenso aut interdicto, et ut tali denuntiato, suspendatur pariter ipsius Vicarius Generalis, etiam quoad negotia jam incœpta. Idem est dicendum statim ac moritur Episcopus, aut alio modo desinit esse Episcopus.

451. Quærit. 1° An à lege vel ab Episcopo Vicarius Generalis accipiat jurisdictionem?

Resp. Quidquid nonnulli dicant, communiùs tanquam certum tenetur Vicarium Generalem, quamvis ab Episcopo ordinariè eligatur, jurisdictionem suam à lege seu à jure accipere : « Ille enim, ait D. Bouix (*De Judic.*, p. 360), « censendus est jurisdictionem habere à lege... cujus po- « testas à jure communi, certo et fixo modo, quem Epis- « copus mutare nequit, determinatur; atqui jurisdictio « Vicarii Generalis à jure, etc...; nam hoc ipso quòd quis « constituatur Vicarius Generalis, ei competit (velit, nolit « Episcopus) jurisdictio moraliter saltem *universalis*. Illa « verò jurisdictio duplici sensu est independenter ab Epis- « copo determinata et fixa : 1° quia nisi reservationes « expressè apponat Episcopus, certò et de jure extendi- « tur ad totam diœcesim et ad omnes causas, exceptis « nonnullis à lege expressis...; 2° quia etsi Episcopus « possit... quasdam causas et quædam loca excipere, « non tamen potest ejusmodi exceptiones ita multiplicare... « ut jurisdictio Vicarii Generalis desinat esse moraliter « universalis, etc. »

Præterea jurisdictio Vicarii Generalis est ordinaria, ut mox dicturi sumus : atqui nullus, præter Papam, potest ecclesiasticam jurisdictionem alteri committere exercendam *jure ordinario*. Ergo non ab Episcopo, sed à jure seu Papâ venit jurisdictio Vicarii Generalis.

452. Quærit. 2° An reverà ordinaria sit jurisdictio Vicarii Generalis? — Vel num potiùs sit delegata?

Resp. Juxta communem DD. sententiam, ordinaria dici debet jurisdictio Vicarii Generalis; et hoc tanquam certum haberi potest, ob decisiones et praxim Congregationum Romanarum; etenim : 1° ordinaria est Vicarii Generalis jurisdictio, si una et eadem sit ac ipsiusmet Episcopi, quæ ordinaria indubitanter est. Atqui eamdem esse utriusque

jurisdictionem constat ex variis dispositionibus juris canonici, videlicet ex cap. *Romana* 3, lib. 2, tit. 15, in 6°, in quo dicitur non esse ab Officialibus ad Episcopos eorum appellandum, eò quòd *unum et idem consistorium sive auditorium sit censendum, et ne ab eisdem ad seipsos interponi appellatio videatur*; et ex cap. *Non putamus* superiùs relato (450).

2° Certum est dari appellationem à delegato ad delegantem, ut patet ex capitulis 27, 28, t. 29, lib. 1 Decretal., et ab omnibus conceditur; porrò non minùs certum est ex jure et praxi non dari appellationem à Vicario Generali ad ipsius Episcopum, *eò quòd idem sit auditorium*. Ergo Vicarius Generalis non est delegatus. Ergo, etc.

3° Ex multis decisionibus S. Congr. Concil. constat matrimonium validè contrahi coram Vicario Generali, vel sacerdote ab ipso delegato, etsi delegationem non dederit Episcopus vel parochus, imò etsi prohibuerint hujusmodi Matrimonium: ita in *Savonensi*, 2 martii 1595; item 22 apr. 1719 et in causâ *Calliensi*, 17 aug. 1776. Atqui Concil. Trid. (sess. 24, cap. 1 *De reform. matr.*) irritum declaravit matrimonium, aliter initum *quàm, præsente parocho vel alio sacerdote, de ipsius parochi, seu Ordinarii licentiâ*. Ergo, Congregatio Concilii necessariò habet Vicarium generalem esse *Ordinarium*. Ergo, etc.

Ita etiam et Rota : « In his quæ veniunt sub generali « mandato, Vicarius venit appellatione Ordinarii : secus « autem in his quæ non continentur, quia in illis est de- « legatus. »

Circa quod *Analecta jur. pontif.* (27° livr., col. 861), observant non solùm esse ordinariam Vicarii Generalis jurisdictionem, quoad ea quæ ipsi generaliter à jure competunt, sed verisimiliter etiam esse ordinariam quoad ea quæ speciale mandatum requirunt, si insimul cum Vicariatu ei commissa fuerunt; imò, probabile saltem est esse ordinariam, etiamsi ista postea ei committantur, nisi appareat eam ipsi fuisse commissam per simplicem delegationem; sed, juxta D. Bouix, quando Vicario specialia committuntur extra actum commissionis Vicariatûs Generalis, ea non debent haberi ut pars ordinariæ potestatis ejus,

nisi hoc ab Episcopo formaliter exprimatur, quia Vicarius non potest præsumi talia posse facere potestate ordinariâ, nisi de hoc constet (*De Judic.*, t. 1, p. 421).

Contra supradictam responsionem objici posset ordinariam jurisdictionem debere esse perpetuam : atqui jurisdictio Vicarii Generalis non est perpetua, cùm sit ad nutum Episcopi revocabilis. Ergo, etc.

Resp. Negando majorem : ordinaria enim jurisdictio est illa quæ à jure alicui officio annectitur; minimè verò requiritur quòd annectatur modo irrevocabili : sic Legati Papæ jurisdictionem ordinariam habent, non tamen irrevocabilem.

453. Quærit. 3° An sui Vicarii Generalis Episcopus possit pro arbitrio jurisdictionem restringere?

Resp. Certè quidem id posse quoad plura, ut constat ex variis decisionibus Rotæ; imò posset Episcopus nullam Vicario concedere jurisdictionem, seu nullum constituere Vicarium ; sed non potest pro arbitrio restringere jurisdictionem Vicarii quem elegit; nec posset facere ut nullum foret matrimonium in præsentiâ illius contractum : quia in potestate Episcopi non est constituere impedimenta matrimonium dirimentia. Præterea, per hujusmodi restrictiones, si essent nimiæ, Vicarius posset desinere esse Vicarius Generalis et unum cum ipso constituere auditorium, proinde effici solummòdo simplex Delegatus : ad quod est seriò attendendum, cùm, in hoc casu, à sententiâ talis Vicarii non esset appellandum ad Metropolitam, sed potiùs ad Episcopum delegantem.

Ex principio certo quòd Episcopus valeat, quoad plura, restringere jurisdictionem sui Generalis Vicarii, sequitur quòd possit causam pendentem coram illo ad se revocare, et etiam ei inhibere quòd judicet in certâ causâ.

454. Quærit. 4° An in jure communi nomina Vicarius Generalis et Officialis synonyma sint, et omnino idem officium exprimant?

Resp. Affirmativè, et hoc constat ex Decretali *Cùm nullus*, t. 9, lib. 1, in 6°, et aliis juris capit., præsertim ex Concil. Trident., sess. 24, cap. 16, *De ref.*, in quo jubetur

Capitulum, sede vacante, intra octo dies, *Officialem* seu *Vicarium* constituere. Ita communis DD. sententia.

Circa quod notandum est nec illum, qui solam jurisdictionem voluntariam exercere valeret, esse verè in sensu juris Vicarium Generalem; nec eum, qui duntaxat possideret contentiosam jurisdictionem esse pariter propriè dictum Officialem : quia neuter possideret modo generali, saltem moraliter intellecto, jurisdictionem Episcopalem, sed solummodo uterque medietate illius jurisdictionis potiretur. Unde uterque esset merus delegatus, ipsique applicandæ forent dispositiones juris, quæ Delegatum, non verò quæ Vicarium Generalem seu Officialem respiciunt.

Potest tamen Episcopus disponere ut unus è suis Vicariis functiones jurisdictionis voluntariæ impleat, alteri demandando jurisdictionis contentiosæ exercitium, modò uterque, in formulâ deputationis Vicariatûs Generalis seu Officialitatis, expressè vel æquivalenter ad exercendam generaliter jurisdictionem instituatur, et reverà possideat hanc generalem jurisdictionem. Ita res se habuerunt olim in Galliâ, et etiam nunc se habent in plerisque saltem Diœcesibus nostris.

PUNCTUM II.

DE VICARII GENERALIS CONSTITUTIONE.

455. Officium Vicarii Generalis non videtur extitisse ante XIII sæculum; ideòque, nec in Decreto Gratiani, nec in Decretalibus Gregorii IX de illo ulla fit mentio; doctiores tamen prima initia hujus muneris reperiunt in cap. *Inter cætera* 15, *De Officio judic. ord.*, in quo Innocentius III sancivit ut Episcopi *viros idoneos* assumerent non solùm *in prædicationis officio, verùm etiam in... cæteris quæ ad salutem pertinent animarum*: quamvis enim nihil clarè ostendat quòd hi *viri idonei* sint alii quàm *meri Delegati*, successu tamen temporum in veros Vicarios mutari potuerunt, et reverà mutati sunt.

In hoc puncto expendendum est 1° quænam ex jure debeant esse Vicarii Generalis qualitates; 2° à quo sit constituendus; 3° an Episcopus teneatur sibi assumere Vica-

rium Generalem, et an possit plures habere ; 4° quâ formâ debeat illum constituere.

I. — *De Dotibus requisitis in Vicario Generali.*

456. 1° Requiritur ut sit clericus (cap. *Decernimus* 2, *De Judiciis*).

2° Ut inchoaverit 25 annum (Ex cap. *Licet, et cùm in cunctis*, *De Elect.* ; et ex Concil. Trident., sess. 24, cap. 12) ; à Lege autem Organicâ apud nos videtur requiri quòd sit ætatis 30 annorum, et natione Gallus : art. 16 et 21.

3° Ut ortus sit ex legitimo matrimonio, nisi cum eo fuerit dispensatum à S. Pontifice.

Quinam in Vicarios Generales eligi nequeant, vide dictum in nostro *Manuali*, à n° 1138, etc.

457. Quærit. An diœcesanus possit eligi in Vicarium Generalem?

Resp. Plures declarationes S. Congr. Episcop. decernunt *originarium Civitatis vel diœcesis* non posse esse Vicarium, quia propter *consanguinitates*, *affinitates*, *familiaritates et alias attinentias*, *posset deviare à recto tramite justitiæ*, *vel certè se reddere partibus suspectum*. Ita in *Hostunensi*, 28 jul. 1587.

« Solet tamen, inquit Pignatellus (tom. 9, consult. 162), « Sacra Congregatio dispensare, ut Episcopus, præsertim « residens, tenere possit Vicarium diœcesanum, idque « multis de causis (inter quas) propter notitiam bonarum « qualitatum talis Vicarii diœcesani. »

Nihilominus, de jure communi non licet Episcopo in Vicarium Generalem eligere diœcesanum, absque Pontificis dispensatione. Unde *Analecta Juris Pontificii* (27e livr., col. 900, etc.) aiunt : « Par invariable maxime de la Con- « grégation des Évêques et Régul., il faut que le Vicaire « Général soit étranger, et n'ait pas de bénéfice résidentiel « dans le diocèse. » Citantque multas ejusdem Congregationis decisiones. Sed juxta eadem (sept. 1855, col. 1685) Concilium Romanum 1725 non excludit diœcesanum.

Observandum est hoc jus commune, nisi forte, alicubi contrariâ et legitimè præscriptâ consuetudine abrogatum fuisset, prout videtur contigisse, si non in omnibus, sal-

tem in quibusdam Galliæ partibus. Præfata autem conditio ad liceitatem tantùm requiritur, cùm non probetur ipsam sub pœnâ nullitatis exigi.

II. — *A quo constituendus sit Vicarius Generalis.*

458. Quilibet Episcopus in suâ Diœcesi potest Vicarium Generalem constituere, ut constat ex titulo *de Officio Vicarii*, in 6°, et unanimi DD. consensu.

In quæstionem venire nequit quòd S. Sedes possit Vicarium Generalem Episcopo constituere; et reverà sunt plures casus in quibus id peragere solet, nempe casus in quibus Episcopus non valet solus suam diœcesim administrare, et tamen Vicarium negligit sibi associare; de iis vide nostrum *Manuale*, n° 1150, etc.

Potest quidem Episcopus constituere sibi Vicarium ante suam consecrationem, modò jam suæ Sedis possessionem legitimè adeptus fuerit; sed id nequit ante hanc possessionem, quantumvis sit legitimè promotus et Bullas institutionis receperit. Est communis et omninò certa sententia ex Decret. *Injunctæ* Bonifac. VIII.

III. — *An Episcopus teneatur sibi assumere Vicarium Generalem, et an plures possit habere.*

459. Quoad primam quæstionem non concordant DD.: sed probabiliùs negativa sententia tenetur si Episcopus resideat; aliter esset pronuntiandum de Episcopo non residente: tunc enim Vicarius Generalis esset necessariò constituendus, ob unitatem regiminis, et etiam quia tunc posset appellari de sententiâ merè Delegati ad Episcopum, qui, utpotè absens, nequiret hujusmodi appellationes expedire.

Quoad alteram quæstionem, utrum nempe Episcopus plures Vicarios Generales possit habere: dicendum est: 1° certum esse quòd in unâ diœcesi quantumvis amplâ, unicum Episcopus possit habere Vicarium Generalem: quippe ex modò dictis, etiam nullum tenetur habere; excipiendus est casus quo in diœcesi exstarent diversæ linguæ diversique ritûs populi; tunc enim pro istis populis debet

Episcopus constituere Vicarium Generalem qui sit etiam Episcopus (Cap. 14, tit. 31, lib. 1 Decret.).

460. Dicendum 2° non concordare DD. circa quæstionem, an Episcopus possit plures habere Vicarios Generales: non pauci affirmant; negant verò alii; vide rationes pro et contra in nostro *Manuali*, n° 1157.

Quidquid sit, etiam DD. qui nolunt esse licitam pluralitatem Vicariorum Generalium, excipiunt casum in quo adesset alicubi consuetudo hoc permittens. Ita Ferraris, in probationem afferens duas Decisiones S. C. Episcop. 24 maii 1590 et 21 febr. 1614 (v° *Vicarius General.*, art. 1, n° 10).

IV. — *Quâ formâ instituendus sit Vicarius Generalis.*

461. Debet in scriptis constitui et deputari : non quia sit necessaria scriptura, sed ad probationem, in casu quo à partibus ejus auctoritas super aliquo, speciali de jure Episcopo reservato, negaretur, vel alias in dubium revocaretur. Tutior ergo via est, quòd Vicarius, in principio sui officii coram Capitulo Cathedralis, per Cancellarium litteras suæ deputationis publicare faciat, et deinde penes acta Cancellariæ per extensum registrari curet.

PUNCTUM III.

DE VICARII GENERALIS POTESTATE.

462. Generali regulâ admittendum est posse Vicarium Generalem quidquid potest Episcopus, exceptis iis quæ excepta jus voluit, vel quæ sibi Episcopus expressè vel implicitè reservavit (quia nempe ita gravia sunt ut non sit censendus voluisse ea in generali mandato comprehendere, juxta regulam juris 81, in 6°). Etenim, eadem est jurisdictio Vicarii Generalis, idemque ipsius auditorium et tribunal ac Episcopi. Ergo idem potest ac Episcopus, nisi aliter expressè statuerit jus, vel nisi Episcopus aliquid sibi reservaverit. Ita communiter.

Non eamdem autem potestatem habet Vicarius Generalis ac Capitulum aut Vicarius capitularis, Sede vacante : nam multa potest Capitulum aut ipsius Vicarius, quæ nequit Vicarius Generalis absque speciali mandato.

463. Quærit. 1° Quænam jus canonicum noluit posse exerceri à Vicario Generali, absque speciali Episcopi mandato?

Resp. Hæc enumerari à Bened. XIV (*De Syn. Diœcesanâ*, lib. 2, cap. 8, n° 2) : « 1° Quæ spectant ad potestatem ordi« nis, puta chrisma conficere, sacramentum Confirma« tionis conferre, ecclesias et altaria consecrare, aut pollu« tis sanctitatem pristinam restituere. Hæc quippe aliaque « hujus generis, Vicarius Generalis, etsi Episcopali ordine « sit insignitus, peragere non potest sinè peculiari Epis« copi diœcesani consensu; cùm non istis, sed in juris« dictionis duntaxat exercitio, illius gerat vices... Nec ea « peragendi potest alteri Episcopo facultatem impertiri... « 2° Concedere litteras dimissorias ad ordines, extra « casum quo Episcopus in remotis regionibus versetur. « 3° In materiâ beneficiali, ea quæ sunt meræ liberali« tatis et gratiæ, vel speciem habent alienationis; ac proindè, « sinè speciali mandato, non potest beneficia conferre..., « quia collatio beneficii... donationem quamdam... sapit... « Non potest beneficia supprimere aut simul unire, vel « factas uniones revocare : nam hæc omnia speciem refe« runt alienationis... Neque beneficiorum resignationes, « tàm simpliciter quàm ex causâ permutationis factas, « admittere : quoniam eorum admissio requirit potestatem « destituendi.., Vicario Generali, sinè speciali mandato, « non competentem... An autem Vicarius Generalis... « possit præsentatos à patronis instituere et electos confir« mare. Dis est inter doctores ; sed magis recepta videtur « opinio quæ Vicario, solius generalis mandati virtute, « facultatem (hanc) inesse affirmat : institutio et confirma« tio non liberalitatis et gratiæ, sed necessitatis et justitiæ « sunt actus. »

Vicarius Generalis, absque speciali mandato, nequit de causis criminalibus cognoscere, nec consequenter aliquem ab ordine, officio aut beneficio deponere (Cap. *Licet*, *De Officiis Vicarii*, in 6°), neque excorporationem seu *exeat* clerico concedere. Ita Fagnan., ex cap. *Significasti*, *De Officio Archidiaconi*.

Item absque eodem mandato non potest Constitutiones

synodales mutare, neque visitationem diœcesis facere, neque parochias aut alia beneficia erigere, neque imponere pensionem super beneficiis in casibus Episcopo permissis, neque ecclesias dirutas in alias viciniores ecclesias transferre, neque mutare statum alicujus ecclesiæ, in casibus quibus id valet Episcopus; neque alienare res Ecclesiæ, aut transactionem facere, neque indulgentias concedere, neque interdicta relaxare, neque alium Vicarium sibi substituere, nisi ex legitimâ causâ et ad modicum tempus, etiam, saltem probabiliter, cum speciali facultate; neque absolvere à casibus Episcopo reservatis, neque dispensare in irregularitatibus, et absolvere à suspensionibus ex delicto occulto provenientibus, ac ab aliis casibus occultis Sedi Apostolicæ reservatis, quamvis id possit Episcopus in vim Concilii Trident. (sess. 24, cap. 6, *De ref.*); neque absolvere ab excommunicatione canonis, *Si quis suadente*, in casibus quibus id potest Episcopus (solent tamen Episcopi in Galliâ plura ex his concedere suis Vicariis); neque cognoscere de crimine hæreseos; neque consentire ut clerici litigent in alio tribunali quàm suo, vel ut Metropolitanus cognoscat de negotio principali, omisso casu appellationis; neque explorare voluntatem puellæ habitum religionis suscipientis vel professionem emittentis, nisi Episcopus sit absens, aut legitimè impeditus; neque auctorare exemplum ex originali sumptum; neque condemnatum absolvere seu ei gratiam facere; neque exequi pias defunctorum voluntates; neque generatim ea explere quæ Episcopo competunt, non de jure communi, sed duntaxat de jure speciali.

Supra enumerata exigunt, ut jam diximus, speciale mandatum; porrò sequentes formulæ non habendæ essent ut sufficienter continentes tale mandatum : *Concedimus plenam et liberam facultatem agendi omnia quæ ipse Episcopus agere potest;* vel : *Concedimus facultatem etiam ad omnia quæ speciale mandatum requirunt*, nisi simul aliqua ex istis specialibus exprimantur : quippe in talibus formulis nihil *speciale* realiter exprimitur.

Ad dignoscendum autem pro quibusnam causis habeat, vel non, speciale mandatum, debet diligenter inspici instrumentum commissionis Vicariatûs : si Episcopus con-

cessit vel expressit aliquos casus speciale mandatum requirentes, adjectâ post modum in formulâ : *ad omnia et singula faciendi et omittendi, etiamsi majora fuerint, et quæ mandatum exigant speciale*, poterit Vicarius etiam alia facere quæ requirunt speciale mandatum, dummodo non sint graviora vel majora expressis.

Nota cum Monacelli apud *Analecta juris pontif.* (27° liv., col. 863), quòd « generaliter loquendo, Episcopus, etiam « ea quæ... ut specialis Delegatus Apostolicus agere potest, « suo Vicario Generali valet committere et subdelegare, ex « vulgari regulâ quòd Delegatus Principis potest subde- « legare, nisi in rescripto delegationis aliter expressum « reperiatur, aut ex tenore et vi verborum designata et « electa censeatur industria personæ Episcopi » (Cap. ult., § *His autem*, *De Officio Vicarii*).

464. Quærit. 2° Quænam Vicarius Generalis explere nequeat etiam cum speciali mandato Episcopi?

Resp. Sequentia enumerari : 1° Nequit Episcopus Vicario suo conferre potestatem absolvendi ab hæresi *exteriùs prolatâ*, *quæ non sit deducta ad tribunal Episcopi*.

« S. Pius V, Gregorius XIII et Clemens VIII eâ de re « interrogati, indubitanter responderunt nulli præter Pa- « pam integrum esse quemquam absolvere ab hæresi « occultissimâ, nisi tamen esset interna; quòd aliunde « infertur ex expressis S. Congregat. Roman. declaratio- « nibus » (Bened. XIV, *De Syn.*, ibid.).

Diximus 1° *Ab hæresi exteriùs prolatâ* : secus si hæresis esset merè interna, vel si peccatum contra fidem esset merè externum, id est, si hæresis non esset etiam interna, quia non esset hæresis. Item S. Sedi hæresis non reservatur, si propter ignorantiam censuræ excommunicatio non fuerit incursa : quia reservatio à S. Sede fit propter censuram.

Diximus 2° *Quæ non sit deducta ad tribunal Episcopi* : nam, inquit Bened. XIV (*De Syn.*, cap. 4, n° 3) : « Tàm « Inquisitor quàm Episcopus potest resipiscentem hæreti- « cum, aut sponte coram se comparentem, aut ad suum « forum quoquo modo deductum, Ecclesiæ reconciliare, « et pro utroque foro absolvere à censurâ in quam propter « hæresim incidit... Quinimò uterque potest pœnitentem

« hæreticum, postquam suos ejuravit errores, ad simpli-
« cem confessarium remittere, ut ab eo absolvatur; eam-
« que absolutionem, licet à confessario datam in foro
« sacramentali, prodesse etiam pro foro externo, à cujus
« jurisdictione promanat, rectè observat... Delbene. »

Unde Protestantes qui vellent suam hæresim ejurare, possent absolvi ab Episcopo aut ab ipsius Delegato, quia eo ipso quòd petant se in gremium Ecclesiæ catholicæ recipi, eorum hæresis est deducta *ad forum externum Episcopi*.

Cæterùm etiamsi hæresis esset *notoria*, tamen adhuc reservata esset S. Pontifici, si non esset deducta ad forum externum Episcopi.

In casu impedimenti adeundi Papam, hæreticus, juxta sententiam communem, ab Episcopo potest absolvi, qui tunc jure communi eamdem facultatem potest tribuere suo Vicario, etiam generaliter.

2° Nequit Episcopus Vicario suo, episcopali caractere non insignito, ea committere quæ sunt ordinis Episcopalis, nec hoc potest etiam cum licentiâ Papæ, si ea sint jure divino ordinis Episcopalis; si verò talia sint tantùm jure ecclesiastico, prout benedicere Abbates, consecrare moniales, concedere velum, benedictiones facere in quibus adhibetur sacrum oleum, possunt committi tunc Vicario non Episcopo, cum facultate tamen Pontificiâ.

Plures, eamdem facultatem Pontificiam requirunt pro sacrorum paramentorum benedictione, et afferunt in probationem plures S. Congreg. Rituum declarationes : interrogata enim hæc Congregatio « An Episcopus, utendo
« ordinariâ facultate, possit aliis in dignitate constitutis
« delegare potestatem benedicendi sacra indumenta et alia,
« in quibus, juxta Rituale Romanum, sacrum chrisma non
« adhibetur, seu potiùs hanc delegationem etiam ad cam-
« panarum benedictionem ampliare valeat », respondit...
« *Non posse...* » Vide *Analecta juris pontif.*, 16° livr., col. 2450, quæ datam hujus declarationis non indicant.

Aliam decisionem affert S. Liguor., 14 nov. 1615, qui tamen citat plures auctores secus sentientes ; sed eorum sententiæ non acquiescit, quia, inquit (l. 6, n° 378, dubit. 4):

« Nullibi audierim Episcopos hujusmodi facultatem aliis « delegasse. » Certum est nihilominus hanc facultatem communiter delegari apud nos in Galliâ, absque Pontificio indulto; et non benè videtur cur hæc consuetudo, quæ immemorabilis videtur, aut saltem reviviscit à tempore Concordati 1801, non possit dici legitima, eò magis quòd, nonnisi cum maximâ difficultate, linteamina et paramenta sacra, in vastissimis nostris diœcesibus, possint sæpe ad Episcopum transmitti ut ab ipso benedicantur; et verò si ex ipso Rituali Romano, simplices presbyteri valeant ex commissione Episcopi, etiam ecclesias benedicere, cur impossibile esset, consuetudine hoc permittente, quòd ex eâdem commissione Episcopi, valerent etiam benedicere linteamina et paramenta sacra? Concessisse præfatam facultatem delegandi omnibus Episcopis nobis asseruit S. Pontifex Pius IX, in audientiâ datâ præsentibus Archiepisc. Aquensi et pluribus sacerdotibus ex ejus clero, anno 1862. — D. André (*Cours de droit canonique*, v° *Vicaire général*, p. 331) affirmat Episcopum posse et de facto in Galliâ concedere Vicariis suis Generalibus facultatem *campanas* ipsas benedicendi : huic obstare videtur non solùm decisio supra relata, sed quòd etiam in eâ benedictione adhibeatur S. Chrisma et oleum infirmorum.

463. Quærit. 3° Quænam sint quæ scitu magis utiles sunt, ex materiis ad quæ, sinè speciali Episcopi mandato, sese extendit ordinaria Vicarii Generalis jurisdictio?

Resp. 1° Esse sequentes : Jus habet Vicarius Generalis concurrendi in administratione sacramentorum et prædicatione cumulativè cum omnibus curatis diœcesis.

2° Absente Episcopo per diem itineris, potest dispensare in interstitiis ordinum, et litteras dimissoriales concedere (Cap. *Cùm nullus*, *De tempor. ordin.*, in 6°, cum Glossâ). Præsente autem Episcopo, hujusmodi non valet absque speciali ejus commissione.

3° Potest absolvere ab excommunicatione quam tulit Episcopus vel ipsius Delegatus, vel quam ipsemet tulit Vicarius Generalis, non autem quam tulisset uti Delegatus, absque speciali Episcopi facultate.

4° Potest concedere facultatem absolvendi ab omnibus

casibus non reservatis Papæ vel episcopo, et approbare confessarios.

5° Non consentiunt DD. an Vicarius Generalis possit à juramento absolvere.

6° Potest sinè speciali mandato ea exercere quæ conceduntur Episcopo tanquam Sedis Apostolicæ delegato, si ante Concil. Trident. ea competebant Episcopo jure ordinario, secus indiget speciali delegatione, ex decis. S. Cong. Conc. : unde Vicarius Generalis non potest corrigere excessus religiosorum exemptorum extra claustra degentium, eò quòd illud non possit Episcopus nisi à tempore Concilii Trident., et ex ipsius concessione (Sess. 6, cap. 3).

7° Non potest quidem Vicarius Generalis, absque speciali mandato, ferre sententiam excommunicationis tanquam pœnam alicujus delicti (Cap. *Licet*, *De Officio Vicarii*, in 6°); sed potest illam ferre absque tali mandato, ad effectum obtinendi ut subditi sibi pareant: v. g., præcipere sub pœnâ excommunicationis quòd reus vel testis compareat. Idem est dicendum de suspensione aut interdicto.

8° Non obstantibus iis quæ à Concil. Trident. (sess. 24, c. 20, *De reform.*) dicuntur, Vicarii possunt, juxta communiorem et probabiliorem sententiam, causas matrimoniales expedire, quando ordinariæ potestati subsunt. Per verba autem Concilii : « *Episcopi tantùm examini relinquantur* », excluduntur quidem Archidiaconus et alii Prælati inferiores, qui diversum ab Episcopali tribunal habent, minimè verò Vicarius Generalis, ob unitatem tribunalis cum Episcopo.

Quoad causas quæ à Papâ Episcopo committuntur, disputatur utrum Vicario Generali committi possint.

9° Certum est Vicarium Generalem posse, perinde ac parochum, validè matrimoniis assistere, absque speciali mandato, et alteri, modò iste sit sacerdos, concedere facultatem validè iis assistendi, siquidem est Ordinarius (Trident., sess. 24, cap. 1, *De reform. matrim.*). Ita multæ S. C. Conc. decisiones.

10° Sinè mandato speciali, Vicarius Generalis potest visitare monasteria, hospitalia aliaque loca pia, si non sint

exempta; si verò sint exempta vel *nullius diœcesis*, indiget speciali commissione.

11° Potest claustra monialium ingrediendi licentiam concedere.

12° Potest cognoscere causas civiles.

13° Vicarius Generalis (aut ipsius Substitutus propriè dictus) potest sibi substituere delegatum ad unam vel plures causas, non autem absque speciali mandato, *ad universitatem causarum*.

Substitutus Vicarii Generalis vocatur in jure *vices gerens*, quando ab Episcopo constitutus est; vocatur autem *locum tenens*, quando eum Vicarius Generalis, ex speciali mandato, sibi constituit. Si verus sit Substitutus, non merus delegatus, idem habet tribunal cum Vicario et Episcopo, nec ab eo potest appellari nisi ad Metropolitanum.

Tàm Vicarii Generalis quàm ipsius quocumque modo Substituti jurisdictio cessat etiam quoad causas incœptas, quando Episcopus denuntiatur excommunicatus, suspensus, vel interdictus, vel quando è vitâ decedit.

Res autem aliter se habet quoad Delegatum à Vicario Generali aut ab Episcopo : is enim, excommunicato delegante, servat suam jurisdictionem quoad causas jam incœptas, non verò quoad adhuc integras.

14° Potest Vicarius Generalis cogere parochos ut sibi adjungant cooperatores quibus indigent, quia illud possunt Episcopi jure ordinario (Conc. Trident., sess. 21, cap. 4, *De ref.*), nec à jure reservatur.

Illud etiam potest quoad parochos imperitos, juxta Bouix (*ib.*, p. 489), qui tamen fatetur sententiam oppositam esse communiorem, eò quòd hujusmodi assignatio sit de arduis, quæ non censentur in generali commissione inclusa. Potest etiam constituere œconomum seu vicarium pro tempore vacationis beneficii.

466. De præcedentiâ et dignitate Vicarii Generalis, vide nostrum *Manuale*, n° 1178, etc.

PUNCTUM IV.

DE VICARIATUS GENERALIS EXPIRATIONE.

467. Vicarii Generalis jurisdictio expirat : 1° per pro-

priam ipsius renuntiationem expressam, vel saltem tacitam, ut si Vicarius è diœcesi egrediatur animo non ampliùs revertendi. 2° Per remotionem seu revocationem ipsius ab Episcopo factam; sed Vicario debet notificari, aliàs ipsius acta ante notificationem peracta, sunt valida. 3° Per mortem naturalem Episcopi : sed hoc, quoad causas quæ ipsi ab Episcopo aut à Sede Apostolicâ sub nomine Vicarii Generalis duntaxat delegatæ fuerunt; secus, si delegatio facta fuit cum nomine ipsius proprio. 4° Per translationem Episcopi ad alium Episcopatum. 5° Per depositionem vel relegationem Episcopi. 6° Per renuntiationem Episcopatûs factam ab Episcopo, et à Papâ admissam. 7° Per legitimum ingressum Episcopi in aliquam religionem. 8° Per captivitatem Episcopi : intellige à paganis, hæreticis aut schismaticis. 9° Expirat jurisdictio Vicarii Generalis, suspensâ Episcopi jurisdictione per excommunicationem, suspensionem aut interdictum.

Valida est revocatio Vicarii Generalis, etsi fiat absque ullâ causâ.

Ut licita fiat, habenda est ratio honoris ipsius; undè facienda est cum magnâ circumspectione et cum gravi et justâ causâ : aliàs reintegrari potest per Sacram Congregationem Episcoporum. Sic declaravit eadem S. Congreg., in *Spalatrensi*, 3 julii 1601, et in *Traguriensi*, 7 sept. et oct. 1649.

PUNCTUM V.

DE VICARII GENERALIS SUSTENTATIONE.

468. Vide nostrum *Manuale*, n° 1183.

Nulla adest de hoc difficultas apud nos, quippe salarium Vicario Generali solvitur à Gubernio.

« Lorsqu'un Vicaire Général aura perdu sa place, après « trois ans consécutifs d'exercice, soit par suite d'un « changement d'Évêque, soit à raison de son âge ou de « ses infirmités, nous nous réservons d'accorder audit « Vicaire Général, hors d'exercice, s'il n'est pas pourvu « d'un Canonicat, un secours de 1,500 fr. par an, jusqu'à « sa nomination au premier Canonicat vacant dans le « Chapitre diocésain, soit à un autre titre ecclésiastique

« susceptible d'être présenté à notre agrément. » (Ita *Ordonn. roy. du* 29 *septembre* 1824.)

PUNCTUM VI.

AN ET QUOMODO EPISCOPUS EX ACTIS VICARII SUI GENERALIS TENEATUR.

469. Manifestum est quòd non teneatur Episcopus ex actis sui Vicarii extra officium Vicariatûs gestis, quia in iis non gerit vices Episcopi, nisi ea fortè mandasset aut alio modo iis participasset Episcopus.

Circa quæstionem an possit Episcopus rescindere definitivam sui Vicarii sententiam, si prolata esset anticanonicè, ita ut esset nulla, generalis consuetudo jamdudum obtinuit, ut à solo Judice appellationis causa nullitatis sententiæ dirimatur.

Si verò sententia tàm Episcopi quàm Vicarii Generalis non sit nulla, sed tamen injusta, tunc, etiam jure constat illam non posse corrigi ab Episcopo, sed causam tunc ad judicem appellationis devolvi.

Quoad autem actus extrajudiciales Vicarii, eos Episcopus potest corrigere quos annullare posset, si à seipso gesti fuissent; v. g., posset revocare dispensationem super interstitiis ante ordinationem; non posset autem annullare matrimonium aliàs validum cui assistentiam præbuit Vicarius, et sic de aliis.

Quærit. Utrum Episcopus teneatur resarcire damna ex injustis Vicarii Generalis actibus orta?

Respondet Bouix (*ib.*, p. 448) : « Si imperitum aut im-
« probum Vicarium inculpabiliter elegit et retinuit, non
« tenebitur dicta damna resarcire; secus si in dictâ elec-
« tione culpabilis exstitit Episcopus; in quo reperies con-
« cordare auctores. »

PUNCTUM VII.

A QUO POSSIT PUNIRI VICARIUS GENERALIS QUI IN OFFICIO SUO DELINQUIT.

470. De hoc magna erat disceptatio inter veteres canonistas; ac etiam in hoc concordes non sunt moderni.

Standum autem esse videtur declarationi S. Congr. Concil. in *Tarentinâ*, 26 feb. 1642, quæ sic habet : « S. Congr. Concilii, Archiepiscopum Metropolitanum, « etiam in primâ instantiâ, esse judicem competentem in « causis contra Vicarios et officiales Suffraganeorum, « quando delinquunt in officio et jurisdictione. »

Observandum est autem quòd « Officialis seu Vicarius « Generalis Archiepiscopi nullam habet potestatem aut « jurisdictionem in Suffraganeos, ob dignitatem et emi- « nentiam officii Episcopalis » (cap. 1, § *Officialis*, *De Officio jud. ordin.*), neque in Vicarios Suffraganeorum.

Dictum fuit : *quando delinquunt in officio et jurisdictione*, quia si delinquant ut *persona privata*, certum est Episcopum posse in eos sicut in alios animadvertere ; nec eos potest punire Metropolitanus, nis fortè ad eum appellatum sit.

471. Quærit. Utrum qui desiit esse Vicarius Generalis, subjaceat syndicatui, seu utrum teneatur ad reddendam rationem suæ administrationis ?

« Respondeo, ait Leurenius, illum liberum esse ab hu- « jusmodi obligatione, cui subjicitur solus Vicarius Capi- « tuli et alii Officiales Sedis vacantis... Ratio est, addit « D. Bouix (*De Judic.*, p. 455), quia ejus actus censentur « gesti ab Episcopo cujus erat Vicarius Generalis. Econtra « Vicarius Capitularis est provisoriè Successor Episcopi « defuncti. Unde mirum non est quòd hic non ille syndi- « catui subjaceat. Atque in hoc concordant DD. unani- « miter. »

§ II.

De Vicariis Foraneis.

472. *Vicarius Foraneus* est ille, qui ab Episcopo in certâ diœcesis parte vel ad certos casus deputatur. Dicitur *Foraneus*, vel quia extra *fores* seu civitatem in quâ residet Episcopus constituitur, vel quia forum et judicium non generale sed speciale tenet.

Non ordinaria sed delegata tantùm est Vicarii Foranei jurisdictio : quia non à lege sed ab Episcopo ipsi pro arbi-

trio confertur, diversumque ab Episcopi aut ipsius Vicarii Generalis tribunal habet. Proindè vitio nullitatis laboraret appellatio ab ejus sententiâ ad Metropolitanum, omisso Episcopi aut ipsius Vicarii Generalis tribunali, nec licet Archiepiscopo hujusmodi appellationem recipere.

Vicarius Foraneus non est in Dignitate constitutus, præeminentiam non habet, nec est delegabilis à S. Sede.

« Præcipuum Vicarii Foranei munus est Episcopo re-
« nuntiare mores clericorum, atque in eorum crimina
« inquirere, observantiam Constitutionum Synodalium et
« Decretorum Episcopi sedulò promovere, et Episcopum
« monere, si quæ fortè in suis oppidis, adversùs fidem et
« bonos mores aut Dei cultum, templorum venerationem,
« festorum dierum observantiam et christianam discipli-
« nam perpetrentur. » (Soglia, *Inst. jur. priv.*, § 15.)

Multùm ergo à Vicario Generali differt Vicarius Foraneus : 1° Iste delegatam, ille verò ordinariam jurisdictionem habet. 2° Universalis moraliter quoad causas et loca est Vicarii Generalis potestas ; Vicarii verò Foranei, particularis. 3° A sententiâ prioris non appellatur ad Episcopum, benè verò à sententiâ posterioris. 4° Vicario Generali competit à jure certa et determinata jurisdictio ordinaria ; Vicarius autem Foraneus nihil valet nisi quod ei expressè commisit Episcopus.

ART. VI.

DE ADMINISTRATIONE DIŒCESIS, SEDE VACANTE.

§ I.

Ad quem et quomodo devolvatur potestas diœcesim gubernandi, Sede vacante.

473. Quær. 1° Quid statuerit circa præsentem quæstionem Concilium Tridentinum?

Resp. Hæc statuit Concil. Trident. (sess. 24, c. 16, *De reformat.*) : « Capitulum, Sede vacante... Officialem seu
« Vicarium, infra octo dies post mortem Episcopi, consti-
« tuere, vel existentem confirmare omninò teneatur, qui
« saltem in jure canonico sit doctor vel licentiatus, vel

« aliàs quantùm fieri poterit idoneus. Si secus factum fue-
« rit, ad Metropolitanum deputatio hujusmodi devolvatur;
« et si Ecclesia ipsa Metropolitana fuerit, aut exempta,
« Capitulumque, ut præfertur, negligens fuerit, tunc
« antiquior Episcopus ex Suffraganeis, in Metropolitanâ,
« et propinquior Episcopus, in exemptâ, Œconomum et
« Vicarium idoneos possit constituere. » (Si omnes Vica-
rium eligere neglexerint, eum constituit Romanus Pontifex
aut S. Congreg. Episcop. et Regul.) « Episcopus verò ad
« eamdem Ecclesiam vacantem promotus, ex eis quæ ad
« ipsum spectant, ab eisdem Œconomo, Vicario et aliis
« quibuscumque Officialibus et administratoribus, qui,
« Sede vacante, fuerunt à Capitulo vel ab aliis in ejus
« locum constituti, etiamsi fuerint ex eodem Capitulo,
« rationem exigat officiorum, jurisdictionis, administra-
« tionis, aut cujuscumque eorum muneris; possitque eos
« punire, qui in eorum officio seu administratione deli-
« querint; etiamsi prædicti Officiales, redditis rationibus,
« à Capitulo vel à deputatis ab eodem, absolutionem aut
« liberationem obtinuerint. Ei quoque Episcopo teneatur
« Capitulum de scripturis ad Ecclesiam pertinentibus, si
« quæ ad Capitulum pervenerunt, rationem reddere. »

474. Quær. 2° Quandonam sedes Episcopalis dicenda sit vacare?

Resp. Sedes dici potest vacare vel *propriè*, vel *quasi vacare*, vel *vacare interpretativè*.

I. *Propriè vacat* : 1° per mortem Episcopi; 2° per ipsius translationem ad aliam sedem; 3° per ipsius renuntiationem; 4° per illius depositionem; 5° quando factus est notoriè hæreticus. De quatuor prioribus nulla est difficultas; et quoad quintum communis est sententia Sedem tunc propriè vacare.

II. *Quasi vacat*, quando administratio diœcesis facta est impossibilis Episcopo, aliter quàm ob ipsius excommunicationem aut suspensionem : videlicet si, Episcopo longâ et remotâ absentiâ detento, moriatur aut discedat aut aliter impediatur ipsius Vicarius Generalis, aliâ non factâ provisione pro istius casûs contingentiâ; vel quando Episcopus est captus à paganis vel schismaticis. In omnibus

autem casibus istis, diœcesis administratio ad Capitulum devolvitur. Cap. *Ad abolendum, De hæreticis*; cap. *Si Episcopus, De supplendâ neglig. Prælat.*, in 6°, ubi sic ait Bonifacius VIII : « Si Episcopus à paganis aut schisma-« ticis capiatur, non Archiepiscopus, sed Capitulum, ac si « Sedes per mortem vacaret illius, spiritualibus et tempo-« ralibus ministrare debebit. » Hæc Decretalis ad casum, in quo Episcopus redigeretur in servitutem propriè dictam, à canonistis restringitur; sed certè non est intelligenda de casu in quo Episcopus à potestate sæculari in carcerem conjiceretur, prout contigit erga Archiepiscopum Coloniensem DD. De Drost De Wischering, anno 1837. Sic enim esset connivere *injustis laicæ potestatis consiliis*, ut in suo Brevi 9 maii 1838, ad Capitulum Coloniense scribebat Gregorius XVI.

III. *Vacat interpretativè*, quando Episcopus est excommunicatus vel suspensus, vel *inhabilis* efficitur : tuncque diœcesis administratio, non ad Capitulum pertinet, sed recurrendum est ad Papam ut provideat.

Casu autem quo à Concilio Provinciali Episcopus suspenderetur, diœcesis administratio potest à Concilio committi alicui Vicario, saltem donec aliter fuerit provisum à Sede Apostolicâ : sic egit Concilium Eberodunum, anno 1727, in negotio DD. de Soanen; nec improbavit Bened. XIII, ad quem acta Concilii remissa fuerant.

Pro casu verò amentiæ, vide cap. *Pastoralis*, *De clerico ægrotante*, ex quo plures dicunt tunc ad S. Sedem esse recurrendum; secus tamen alii sentiunt. Vide in nostro *Manuali*, n° 1220.

475. Quær. 3° Utrum certum sit, Sede vacante, administrationem diœcesis ad capitulum pertinere?

Resp. Sede *propriè* vel *quasi vacante*, certum est ad Capitulum diœcesis administrationem pertinere : id constat ex Concilio Trident. supra relato, et ex textibus juris in quæstione præcedente memoratis.

Administratio diœcesis non ad Primam Dignitatem spectat (S. C. Conc. 19 sept. 1620), nec ad Archidiaconum, sed ad totum Capitulum, et ab ipso per octo primos dies exerceri debet; sed postea est exercenda tantùm per Vica-

rium Capitularem. Ita ex Concil. Trident. supra relato.

476. Quærit. 4° Quo momento ad Capitulum transeat jurisdictio Episcopalis?

Resp. In casu mortis statim ac decedit Episcopus, ejus jurisdictio ad Capitulum transit, etsi Capitulares adhuc ipsius mortem ignorent; evidens tamen est quòd Capitulum non debeat hanc jurisdictionem exercere, nisi constito Episcopi decessu : si verò tunc eam exerceret, culpabiliter quidem ageret, sed valerent ipsius acta, supposito quòd Præsul reverà jam obiisset. Pro aliis casibus vide nostrum *Manuale*, n° 1224.

In Gallià, electio Vicariorum Capitularium à Gubernio est recognoscenda pro effectibus civilibus : jus tamen ad stipendium à die electionis, non à die assensûs Gubernii incipit currere, ex Decisione Concilii Statûs.

477. Quær. 5° An Capitulum possit plures deputare Vicarios?

Resp. Ex Conc. Trid., sess. 24, c. 16, unus tantùm potest deputari Vicarius Capitularis; et hoc est observandum ubi non adest legitima consuetudo plures deputandi. Si verò alicubi vigeat hujusmodi consuetudo, prout in Gallià, tolerari potest ex variis responsionibus è Româ datis. Vide nostrum *Manuale*, n^is^ 1226-1228, et in fine tom. 1, tertiæ edit.

478. Quær. 6° An Capitulum possit limitare jurisdictionem Vicarii Capitularis?

Resp. Dupliciter limitatio contingere potest, vel quoad materias seu objecta jurisdictionis, vel quoad ipsius durationem.

1° Viguit satis diu opinio, etiam post Concil. Trident., quòd jurisdictio Vicarii Capitularis restringi possit à Capitulo, sive quoad ipsius objecta sive quoad ipsius durationem; hanc secuta est ipsamet S. Cong. Concil., ut videre est ap. Bened. XIV (*De Syn.*, lib. 4, cap. 8, n° 10), et in hoc sensu pronuntiaverat annis 1632, 1651, sibique consentientem in hoc habuerat Rotam, ut constat ex decisione anni 1603 : sed posteà, ab anno saltem 1734, oppositæ sententiæ constanter adhæsit. Sacra verò Congregatio Episcopor. et Regul. non videtur variasse, tenuitque semper

limitari non posse jurisdictionem Vicarii Capitularis. Vide varias responsiones S. C. in nostro *Manuali*, nº 1230.

« Le Concile de Trente a voulu, inquit André (vº *Cha-*
« *pitre*, § 2), que le Chapitre nommât un Vicaire Capitu-
« laire..., pour éviter les inconvénients qui ne manque-
« raient pas de naître de la commune administration de
« tout le Chapitre. Or, ces inconvénients seraient les mêmes,
« si le Chapitre réservait à son jugement certaines choses
« qui auraient besoin d'un mandat spécial. D'un autre
« côté, le Chapitre ne peut exercer la juridiction que pen-
« dant huit jours... : d'où nous concluons que le Chapitre
« n'a pas la faculté de mettre à sa juridiction la moindre
« restriction. »

2º In Thesauro resolutionum S. Cong. Concilii, t. 7, p. 350, legitur : « Vicarium Capitularem non posse, nisi « ex justâ causâ per Sacram Congreg. Episcoporum et « Regul. cognoscendâ et approbandâ, revocari. »

Concilium autem Lugdunense, anno 1850 (Decret. XIII, nº 2), de Vicariis Capitularibus dicit : « Revocari nequeunt « nisi de consensu S. Pontificis ».

Multa alia utiliter quæri possunt de Vicariis Capitularibus, videlicet an debeant esse doctores in jure canonico aut assumi de gremio Capituli, an parochus possit eligi à Capitulo, quomodo electio sit facienda, et alia plura quæ videri possunt in nostro *Manuali*, à nº 1232, etc.

§ II.

Quænam sit potestas Capituli aut Vicarii Capitularis.

479. Regula generalis sequens à Leurenio data (*Tract. de Capit., Sede vacante*, quær. 157), communiter à Canonistis admittitur, nempè : « Omnem administrationem et « jurisdictionem episcopalem ordinariam, tàm in spiri-« tualibus quàm in temporalibus, transire ad Capitulum, « Sede vacante, et ab eo exerceri posse, exceptis iis quæ « ipsum jus commune excipit, vel Pontifex specialiter « interdicit. » Unde patet ad multò plura extendi jurisdictionem Capituli et Vicarii Capitularis quàm Vicarii Generalis.

Hæc regula probatur ex multis capitulis juris canonici : solùm capitulum *De majoritate et obedientiâ*, in 6°, hîc referimus : « Episcopali Sede vacante, potest Capitulum seu « is ad quem Episcopalis jurisdictio tunc temporis noscitur pertinere, iis (quibus posset Episcopus si viveret) ab « excommunicationis sententiâ... absolutionis beneficium « impertiri, nisi fuerit à Sede Apostolicâ specialiter interdicta potestas. » Ex quibus verbis deduci posse videtur tunc tantùm aliquid potestatis censeri debere Capitulo vel ipsius Vicario esse interdictum, quandò à Sede Apostolicâ specialiter interdicitur. Ergo, etc. Ita communiter.

Pro regulâ generali adhuc est tenendum quòd Capitulum, Sede vacante, nihil possit innovare ac de juribus Episcopalibus diminuere (tit. *Ne Sede vacante*, cap. unicum, in 6°). — Unde non potest alienare aut donare (cap. *Si quâ, De rebus*, 12, q. 2). Nec potest deducere jura Episcopi in judicium, etiam defendendo, ex cap. *Novit* 1, *Ne Sede vacante* ; neque potest consumere aut aliquo modo in proprios vel alienos usus convertere bona, Sede vacante, relicta Ecclesiæ, aut eo tempore collecta ; si secus fecerit, remanet suspensus ab officio et beneficio.

Deveniendo nunc ad varias species jurisdictionum 1° DD. communiter admittunt totam jurisdictionem contentiosam transire ad Capitulum, proinde ad Vicarium Capitularem.

2° Tres sunt sententiæ circa jurisdictionem *voluntariam* seu *gratiosam* ; alii cum Suarezio affirmant eam generaliter transire ad Capitulum, alii dicunt eam non transire nisi in casibus à jure expressis; alii tandem cum Fagnano negant absolutè illam transire.

Sententiam Suarezii probabiliorem habet Reiffenstuel (lib. 3, t. 9, n° 25), solaque D° Bouix (*De Episc.*, p. 615) videtur niti solidâ ratione, cùm textus juris, ex quibus regula generalis suprà relata deducitur, non distinguant inter jurisdictionem voluntariam et contentiosam.

3° Circa ea quæ Episcopo competunt ex privilegio, vel aliquo speciali jure, si agatur de privilegio non personæ Episcopi, sed ipsius Ecclesiæ vel Sedi permanenter affixo ex jure aut consuetudine, istud privilegium transit ad Ca-

pitulum, exceptis semper iis quæ à jure excipiuntur; si autem privilegium personæ Episcopi fuerit concessum, non transit ad Capitulum.

4° Major est difficultas quoad ea quæ Episcopo competebant per delegationem.

Si ipsi competebant per delegationem transitoriam à S. Sede pro negotio particulari factam, communiter docent Canonistæ potestatem talia faciendi non transire ad Capitulum.

Si competebant per delegationem permanentem, sicuti in casibus, v. g., ubi Tridentina Synodus aliquid Episcopis permittit *tanquam delegatis S. Sedis*, tunc in varias abeunt sententias Canonistæ, et in praxi Capitulum et Vicarius Capitularis possunt hujusmodi jurisdictionem exercere, quia habens titulum coloratum potest uti jurisdictione probabili, dum Ecclesia in hoc casu id quod fortè deesset suppleat.

5° Quamvis Capitulum non succedat Episcopo in exercitio functionum quæ sunt Ordinis Episcopalis, quippe requirunt caracterem Episcopalem, verumtamen ad Capitulum devolvitur jus eas exercendi per alium. Illud constat ex capitulo *Cùm nullus*, *De tempor. ordinat.*, in 6°, in quo legitur : « Cùm nullus Clericum parochiæ alienæ, « præter Superioris ipsius licentiam, debeat ordinare, Sede « vacante, Capitulum seu is ad quem tunc temporis admi« nistratio spiritualium noscitur pertinere, dare possunt « licentiam ordinandi. »

480. Quærit. 1° Quid Capitulum aut Vicarius Capitularis possit circa crimina?

Resp. Posse de iis inquirere, cognoscere causas etiam criminales, punire crimina et excessus, suspendere, excommunicare, privare officio, deponere et procedere etiam ad verbalem degradationem, non verò ad actualem et solemnem, quæ ex Conc. Trid. (sess. 13, c. 4), nonnisi per Episcopum fieri potest.

Nec obstat, quòd Trid. (sess. 24, c. 20) causas matrimoniales et criminales Episcoporum tantùm examinationi relinquat; nam per illa verba solùm excluduntur alii Præ-

lati inferiores, non autem Capitulum, quod, Sede vacante, non est inferius sed par Episcopo.

Potest Vicarius Capitularis excommunicare, suspendere et interdicere singulas personas de Capitulo, non verò totum Capitulum. Decisum à S. Congreg. Concil. testatur Garcias.

A censuris Papæ non reservatis, aut latis à se vel à Capitulo vel à defuncto Prælato absolvere potest, imò ab omnibus censuris prout poterat Episcopus.

481. Quærit. 2° Quid Capitulum aut Vicarius Capitularis possit quoad dispensationes?

Resp. Idem quod Episcopus : unde 1° in locis ubi receptum est Concil. Trident., potest dispensare super omnibus irregularitatibus occultis ex delicto contractis, homicidio voluntario excepto; 2° potest dispensare super interstitiis, in casibus quibus dimissorias concedere valet; 3° potest dispensare cum illegitimis ad minores ordines promovendis; 4° idem potest in casibus, non solùm qui per se, sed etiam qui per accidens (nempe propter difficultatem adeundi Papam) sunt Episcopalis jurisdictionis.

482. Quærit. 3° Potestne Capitulum aut Vicarius Capitularis litteras testimoniales et dimissorias concedere ad suscipiendos ordines?

Resp. 1° Quoad litteras testimoniales, illas posse concedi à Capitulo, vel à Vicario Capitulari. Ita communiter.

2° Quoad litteras dimissorias, sic habet Concil. Trident. (sess. 7, c. 10) : « Non liceat Capitulis Ecclesiarum, Sede « vacante, infra annum à die vacationis, ordinandi licen- « tiam aut litteras *dimissorias seu reverendas* (etiam cujus- « vis privilegii aut consuetudinis vigore) alicui, qui bene- « ficii occasione arctatus non fuerit, concedere : si secus « fiat, Capitulum contraveniens Ecclesiastico subjaceat « interdicto... » Vide etiam sess. 23, cap. 10.

Potest tamen Vicarius Capitularis, ante elapsum annum Sedis vacantis, expedire dimissorias quas defunctus Episcopus, nominatim concesserat, et morte præveniente non expedierat. S. C. Conc., 24 apr. 1700.

Controvertitur autem utrum decretum modò relatum intelligendum sit etiam quoad primam tonsuram; communior sententia affirmat; D. Bouix tamen propendit in

sententiam negantem, propter quamdam decisionem S. C. Conc. in quâ dicitur quòd, Sede Vacante, Vicarius Capitularis non prohibeatur dare dimissorias *ad primam tonsuram*

Non posse autem, etiam elapso primo anno, concedi à Vicario Capitulari dimissorias ad titulum patrimonii vel pensionis, eò quòd illud reservatum sit Episcopo (Trid., sess. 21, cap. 2), Garcias affirmat decisum à S. Congr. Concilii.

Dimissoriæ à Vicario Capitulari concessæ post annum, non expirant per ingressum novi Episcopi.

Quæri hîc subsidiariè potest an Capitulum vel Vicarius Capitularis valeat, ante elapsum annum, concedere dimissorias, non quibus possit obtinens ordines suscipere, sed quibus à jurisdictione sui Ordinarii absolvatur, seu an valeat litteras concedere apud nos dictas *Exeats* seu excorporationis?

Resp. De eâ quæstione sic habet Reiffenstuel (lib. 3, tit. 9, n° 76) : « Capitulum, Sede vacante, non concedit litteras... « quibus clericus absolvitur à potestate sui Episcopi, ac « perhibetur testimonium de vitâ et ordine ipsius : arg. c. « *Fraternitatis*, *De clerico non resid.*, in Glossâ, quia est « quædam alienatio. » Ita Fagnan., t. 1, p. 509, n° 59; et alii communiter. Secus tamen sentiunt plures ab auctore *Prælect. S. Sulpitii* citati, cui etiam satis fundata videtur illorum sententia, ita ut juxta illum, in praxim tutâ conscientiâ redigi possit, quando urget aliqua ratio gravis : quia, inquit, canones loquuntur de alienatione bonorum, non verò de alienatione personarum.

483. Quærit. 4° Quid possit Capitulum aut Vicarius Capitularis circa approbationem confessariis dandam aut ab eis retrahendam?

Resp. Communiter DD. affirmare quòd confessarii possint approbari à Capitulo vel à Vicario Capitulari, Sede vacante.

Item Capitulum aut Vicarius Capitularis potest ex causâ sæculares confessarios, à se vel à defuncto Episcopo approbatos, ad examen revocare, et si non inveniantur idonei, reprobare.

Idem potest quoad regulares confessarios, nisi habeant privilegium in contrarium. Attamen si regulares illimitatam approbationem à defuncto Episcopo recepissent, vel si tempus assignatum nondum fuisset elapsum, aut si approbatio data fuisset *ab beneplacitum*, tunc non posset Vicarius Capitularis eos, Sede vacante, ad examen revocare, et minùs idoneos repertos ab audiendis confessionibus suspendere. Ita communiter, etsi aliquatenus disputetur de ultimâ hypothesi.

484. Quærit. 5° An Capitulum aut Vicarius Capitularis causas arduas et imprimis matrimoniales causas cognoscere et expedire possit?

Resp. Posse, juxta sententiam communem, causas criminales et de hæresi cognoscere et expedire.

Idem est dicendum de causis matrimonialibus, quæ ordinariam jurisdictionem Episcopi non excedunt, non obstante eo quod dicitur in sess. 25, cap. 20 Concil. Trident., quo excluduntur duntaxat Prælati inferiores.

Si tamen causæ sint ita arduæ ut, secundùm consuetudinem ecclesiarum, solis Episcopis competere censeantur (v. g. Synodi coadunatio), illas, extra casum urgentis necessitatis, non poterit Capitulum nec Vicarius Capitularis expedire, ut tradunt Pirrhing et Layman.

485. Quærit. 6° Quid possit Capitulum aut Vicarius Capitularis circa beneficia?

Resp. Non posse illa conferre, Sede vacante, si eorum collatio ad solum Episcopum pertinebat : ita decrevit Bonifacius VIII, anno 1298, his verbis : « Etsi Capitulum, « Sede vacante, beneficia quæ ad Collationem Episcopi « pertinent, conferre non possit, præsentatos tamen à pa- « tronis potest admittere, si sint idonei, et eos instituere « in beneficiis ad quæ fuerint præsentati ; licet ad Episco- « pum, si superesset, admissio et institutio hujusmodi « pertineret. » Cap. *Etsi, De Instit.*, in 6°.

Collatio beneficiorum quæ, Sede vacante, suo titulari orbantur, ad futurum Episcopum reservatur. Ubi tamen vigent Regulæ Cancellariæ, ad S. Pontificem reservantur ex regulâ 2ª.

Supradicta responsio non impedit quominus in locis ubi

non vigent regulæ Cancellariæ, Capitulum aut Vicarius Capitularis possit et debeat providere beneficiis vacantibus de idoneo Vicario et œconomo qui ea administret, dato ei congruo stipendio donec à competente auctoritate hujusmodi beneficia conferantur. Sed nec Capitulum nec Vicarius Capitularis potest omnes fructus beneficii pro stipendio assignare, nec deputare in Vicarium illum qui in concursu pro eâdem parochiâ magis idoneus judicatus fuit. S. Congr. Conc., apud Fagnanum.

In Galliâ, à tempore Concordati 1801 usque ad præsentem ætatem, consueverunt Capitula et consequenter Vicarii Capitulares reservare futuro Episcopo nominationem Canonicatuum vacantium et parochiarum propriè dictarum, excepto fortè casu quo Sedes Episcopalis per plures annos vacaverit. Attamen Gubernium recognoscit in Vicariis Capitularibus potestatem nominandi etiam ad parœcias quæ *inamovibiles* nuncupantur.

« Quant au Chapitre de la Cathédrale, inquiunt *Analecta* « *juris pontif.* (juill. 1855, col. 1522), le sentiment com- « mun est qu'il peut, *Sede vacante*, admettre les résigna- « tions, excepté les bénéfices dont l'Evêque a la libre « collation... Le Chapitre peut donc admettre la résignation « des bénéfices de patronage, avec le consentement des « patrons. »

486. Quær. 7° Quomodo expiret potestas Capituli et Vicarii Capitularis?

« Hodie..., inquit Leurenius, post Extrav. *Injunctæ*, *De* « *electione*, non ante cessat Sedis vacatio, quàm Confir- « mationis, Institutionis et Provisionis... Apostolicæ Lit- « teræ sint expeditæ, et actualiter præsentatæ ipsi Capi- « tulo. »

Tenor Extrav. *Injunctæ* legi potest supra (242) : hîc addenda sunt tantùm sequentia verba, quæ præsenti materiæ magis congruunt : « Capitula verò et Conventus Ecclesia- « rum et monasteriorum ipsorum, ipsos absque hujus- « modi dictæ Sedis litteris recipientes vel obedientes eis- « dem, tamdiu sint à beneficiorum suorum perceptione « suspensi, donec super hoc ejusdem Sedis gratiam me- « ruerint obtinere. » Ita etiam C. *Apost. Sedis.*

Hæc Decretalis pro jure communi habetur : unde cavendum est, ait Leurenius, à paucis quibusdam auctoribus qui, ante ostensas Capitulo litteras, jurisdictionem Episcopo confirmato attribuunt.

Cessare insuper potest jurisdictio Vicarii Capitularis per ipsius renuntiationem à Capitulo acceptatam; tuncque alius à Capitulo deputari potest. Sed ambigitur an, casu quo plures Vicarii fuerint deputati, et unus ex eis renuntiat, cæteris remanentibus, alius etiam in locum renuntiantis, possit à Capitulo subrogari : affirmat auctor *Prælect. S. Sulpitii* (n° 185), casu quo hæc subrogatio bono diœcesis necessaria existimatur; nobis tamen potiùs amplectenda videtur sententia negans : quia Capitulum non habet jus eligendi Vicarios, nisi in casibus quibus ipsi devolvitur diœcesis administratio; undè si Vicarius aut Vicarii superstites administrationi diœcesis impares videntur, ad Sedem Apostolicam est recurrendum.

Vide alia plura in nostro *Manuali*, n° 1259, etc.

CAPUT IV.

DE PAROCHIS ET ALIIS SACERDOTIBUS QUI IPSIS AUXILIANTUR VEL IN PAROCHIA SACRUM MINISTERIUM EXERCENT.

487. Vox *Parochus*, juxta Leurenium (*Forum benefic.*, t. 1, q. 142), derivatur « à græco παρέχω quod *præbere* si-« gnificat; alii derivant à græco πάροικος quod accolam seu « incolam, uti et parœcia accolarum conventum seu habi-« tationem significat. »

Vox *parochia* etiam ab antiquo fuit adhibita ad designandam certam partem diœceseos; frequentiori tamen usu ad totam Diœcesim significandam primis ævis fuit usurpata. Sufficiat hîc referre canonem 13 Apostolorum : « Episcopo « non licere alienam parochiam, *propriâ relictâ*, pervа-« dere. »

Duo erunt articuli : in 1° dicemus de Parochis; in 2° de Vicariis parochialibus et iis qui in parochiâ sacrum ministerium exercent.

ART. I.

DE PAROCHIS.

§ I.

Expositio et confutatio errorum circa parochos.

488. Sæculo XIII, Guillelmus à S. Amore, inter alia erronea, contendit parochos solos, exclusis etiam Papâ et Episcopo, intellectos fuisse à Concilio Lateranensi IV, quando jubet confiteri *proprio sacerdoti* : qui error fuit damnatus, anno 1255, ab Alexandro IV. Alius Doctor Sorbonicus, Joannes de Poliaco, docuit ita teneri fideles, etiam à regularibus jam absolutos, confiteri suo parocho tempore Paschatis, ut ne Deus quidem in tali obligatione possit cum iis dispensare ; quæ deliramenta damnavit Joannis XXII, Extrav. *De Hæreticis*, cap. 11.

Gerson Universitatis Parisiensis Cancellarius, initio sæculi XV, divinam parochorum institutionem eorumque à 72 discipulis derivationem primus asseruit, eos Prælatos esse et Hierarchas tum dignitatis tum honoris contendit ; tribuitque eis in Conciliis votum decisivum. Suum Cancellarium præfatis erroribus imbutum secuta est Sorbona ; ac Joannem Gorel, anno 1408, coegit ut sequenti propositioni subscriberet : « Domini Curati sunt in Ecclesiâ mi« nores Prælati et Hierarchæ ex primâ institutione Christi ». Anno verò 1429, ab eâdem Sorbonâ compulsus fuit J. Sarrazin ad profitendum quòd : « Dicere inferiorum Prælato« rum potestatem jurisdictionis, sive sint Episcopi sive « sint curati, esse immediatè à Deo, Evangelicæ et Apos« tolicæ consonat veritati. »

Doctrinam Gersonis et Sorbonæ circa divinam institutionem parochorum et eorum prærogativas amplexatus est Jansenismi parens Joannes Du Verger de Hauranne, San-Cyrani Abbas, affirmando parochos esse in suis parochiis *minores Episcopos* ; opinioni magistri tota adhæsit schola Jansenistarum, à quibus innumeri in lucem editi fuêre libri parochismi erroribus scaturientes.

Audaciâ antecelluit Egmundus Richer, Sorbonæ Syn-

dicus, cujus doctrina sic resumi potest : Nihil posse Sedem Apostolicam in diœcesibus absque consensu Episcoporum; nihil vicissim posse Episcopum in parœciis, nisi consentientibus parochis. Quid senserit Bailly, vide dictum supra (343).

Parochis votum deliberativum in Ecclesiæ regimine asseruit Simon Vigor, ardens Richerista, qui primas partes egit in congressu dicto : *Projet de Bourg-Fontaine*.

Morinus vult curatos fuisse antiquitùs *Pastores* nuncupatos. Si autem Juvenino credatur, parochi sunt institutionis divinæ, iidem ac ii qui primitùs presbyteri vocabantur, Prælati, Principes, seniorum et 72 discipulorum successores; vetus presbyterium efformantes, in regendâ diœcesi partes habebant, de causis majoribus noscebant, pœnitentes publicos absolvebant, tonsuram conferebant, excommunicabant, etc.

His apertè favet Van Espen, qui, inter multa heterodoxa, insuper docet posse clericum quem suus superior ecclesiasticus censurâ perculit, ad Gubernium recurrere : cujus si protectionem obtineat, licitè pergit sacrum ministerium exercere, nihil curans de censurâ et Superiore suo ecclesiastico. Quâ regulâ parochis applicatâ, nemo non videt eos evadere ab Episcopo prorsus independentes, modò in id consentiat civilis potestas.

Non satis ab hâc Van Espen doctrinâ se alienos ostenderunt quidam clerici et parochi gallici, qui, his recentioribus annis, ad Consilium Statûs appellârunt contra censuras eis per suos Prælatos inflictas.

In Italiâ, Guadagninus zelantissimum se ostendit Parochismi promotorem in suo opere : *De antiquâ parœciarum origine*, in quo carpit Thomassinum, eò quòd negaverit exstitisse parochos per tria priora sæcula, et toti Trinitati ipsorum institutionem adscribit. Inter parochismi defensores numerantur etiam Travers unus ex appellantibus à Bullâ *Unigenitus*; J. Bapt. Thiers, parochus et doctor Sorbonicus. Quinimò, sæculo XVIII, ad parochismum declinasse videtur Academia Lovaniensis, quæ, juxta Nardi, asseruit « quòd Episcopus non possit dici rector

« seu parochus totius Diœcesis, sed solius Ecclesiæ Cathe-
« dralis ». Hoc tamen assertum Academiæ Lovaniensis D. André non respuit. V. *Cours du droit canonique*, v° *Paroisse*, p. 338, edit. Paris. 1853.

Si vera essent præfata asserta quòd nempe Episcopus et Papa mediatam solùm in fideles habeant potestatem, concludendum esset nec Episcopum nec ipsum Papam valere, per se aut per alios, ullam extra casum necessitatis peragere sacram functionem, v. g., prædicare, confessiones excipere, nisi ex consensu parochorum; absque enim tali consensu eas functiones exercere non possent nisi ex jurisdictione immediatâ, quæ, juxta præfatos errantes, ad Episcopum et ad Papam non pertinet.

Cùm, juxta præfatos auctores, parochus sit sponsus verus et propriè dictus suæ parochiæ, et de naturâ spiritualis sponsalitii sit ut perpetuum exstet, exhinc juxta ipsos, inquit D. Bouix (*De Paroch.*, p. 91), « dari nequit curatus,
« seu curam alicujus populi habens, revocabilis ad nu-
« tum ; sed ejus officium tàm est perpetuum quàm officium
« Episcopi. Item parochus est pastor propriè dictus;
« pastoratus autem potestatem includit gregem regendi
« et gubernandi, ac proinde jurisdictionem etiam fori
« externi, ac proinde potestatem excommunicandi ; cùm-
« que aliunde jurisdictio omnis parochi sit immediata
« privatim ad Episcopum, nec fori etiam externi ullum
« actum exercere poterit Episcopus circa parochiam et
« parochianos, nisi consentiente parocho. Item parochi
« jurisdictio est *ordinaria* eo sensu quòd delegare possit.
« Ergo pro arbitrio quemlibet presbyterum, absque ullo
« interventu Episcopi poterit approbare et deputare ad
« prædicandum et sacramentum Pœnitentiæ ministrandum
« in suâ parochiâ. Et tandem cùm parochus hæc omnia
« ex institutione divinâ, à Christo immediatè acceptatâ et
« ipsius officio divinâ auctoritate alligatâ, à nullo poterunt
« ejusmodi jura restringi... : cùm non possit Ecclesia jus
« divinum immutare... ; cùm parochi tàm pertineant ad
« hierarchiam Ecclesiæ integritati necessariam quàm ipsi
« Episcopi et Papa, nec magis stare possit Ecclesia sinè
« parochis quàm sinè Episcopis. »

Ex his intelligi potest quid veneni contineatur in parochismi systemate supra exposito.

Bossuetius verissimum putat assertum Facultatis Parisiensis nempe quòd : « ille ordo (parochorum) sit in « Ecclesiâ necessarius, et secundo loco sub Episcopis, eccle« siasticam jurisdictionem exerceat ; quam cùm exercet, « non ab alio quàm à Christo, secundùm canones et Episco« porum justa præcepta exercendam accipiat ; ita ut Epis« copis, à quibus... instituuntur, tanquam immediatis « pastoribus vicariam operam præstent. » (*Def. Decl.*, edit Lebel, 1817, tom. 32, p. 604.) — Quamvis ex dictâ assertione Bossuetii non fluant supra enumerata infanda consectaria, ex eâ tamen sequitur æquè necessarios esse Ecclesiæ parochos ac sunt Episcopi, cùm utrique sint pariter à Christo instituti.

Contra illos errores statuendæ sunt propositiones sequentes :

489. Propositio I. — *Parochi non sunt institutionis divinæ, nec 72 discipulorum successores.*

Propositio constat ex dictis supra (211). — Dicitur quidem in Epistolâ ad Timoth. (c. 5, v. 17) : « Qui benè « præsunt presbyteri duplici honore digni habeantur » ; et ad Titum (c. 1, v. 5) : « Et constituas per civitates pres« byteros, sicut et ego disposui tibi ». Sed gratis asseritur in his textibus agi de parochis ; eruditis enim compertum est in remotissimâ illâ antiquitate voce *presbyteri* designatos fuisse Episcopos ; et quamvis Episcopi in præfatis verbis non significarentur, remaneret probandum quòd in iisdem agatur de parochis. Parochi ergo non sunt institutionis divinæ. Ergo sunt tantùm de jure ecclesiastico.

Frustrà objiceretur eos esse institutionis divinæ, cùm illorum ministerium sit Ecclesiæ necessarium. Nam etsi spiritualis seu pastoralis animarum cura sit in Ecclesâ necessaria, hæc tamen aliter quàm per parochos exerceri potest : possent enim illam exercere Episcopi, vel per seipsos, vel per meros delegatos, ut de facto contigit prioribus Ecclesiæ sæculis, quod nunc est demonstrandum [1] :

[1] Etsi parochi non sint institutionis divinæ, sunt tamen institutionis

490. Propositio II. — *Parochi non exstitêre in parochiis ruralibus nisi circa IV sæculum, et in civitatibus (Româ fortè et Alexandriâ exceptis) ante annum* 1000.

1° Legitur in Apologeticâ 2ª S. Justini : « Solis die (sci-
« licet Dominicâ), omnium qui in urbibus vel agris degunt,
« in eumdem locum conventus fit... Præpositus præest
« et Eucharistiam facit... Distributio fit cuique præsenti :
« absentibus per Diaconos mittitur. » Certè ibi duntaxat erat parochia, ubi solùm celebrabantur mysteria et administrabantur sacramenta ; atqui tempore S. Justini, scilicet secundo sæculo, non in singulis locis, sed in uno tantùm celebrabantur mysteria sacra, ubi nempè erat Præpositus seu Episcopus, et in eo loco sacramenta administrabantur. Ergo ibi erat tantùm parochia seu potiùs Caput diœcesis. Ergo præter diœcesim nullæ tunc erant parochiæ.

« Parochiæ, inquit Ferraris (v° *Parochia*, n° 7), anti-
« quitùs non erant distinctæ, sed Episcopus curam ani-
« marum totius diœcesis, per sacerdotes pro suo libitu
« missos et ad nutum amovibiles, administrabat. » Illud constat ex textu Tertulliani supra relato (211).

2° In Capitulari Theodolphi Aurelianensis Episcopi anno 797, hæc statuuntur, cap. 1 : « Sancitum est ut
« missæ, quæ per dies dominicas *peculiares à sacerdotibus*
« *fiunt*, *non ita in publico fiant ut populus audire queat..*,
« ut omnes ad publicam sanctam matrem Ecclesiam, ad
« missarum solemnia et prædicationem audituri, conve-
« niant. »

Thesis adhuc probatur ex eo quòd vox *parochia*, à quarto circiter sæculo, ubi cœpit adhiberi non tantùm pro designandis integris diœcesibus, sed etiam earum quibusdam partibus, constanter usurpetur in variis traditionis monumentis pro significandis non urbanis sed ruralibus parochiis. Ergo parochiæ tunc non in urbibus, sed rure

ecclesiasticæ, et sub hoc titulo annexas habent sibi prærogativas ab Ecclesiâ concessas. Episcopus ergo hodie non posset efficere ut parochus ritè institutus nullâque censurâ innodatus, non haberet jus munia pastoralia obeundi, aut ut ita jurisdictio ipsius imminueretur ut ferè inanis remaneret. Sic Bened. XIV (*De Syn.*, lib. 5, cap. 4, n° 3).

tantùm erant. Ex multis hujusmodi testimoniis unum aut alterum proferamus; in canone 15 Concilii Arvernensis anni 535, sic legitur : « Si quis ex presbyteris aut diaconis « qui neque *in civitate neque in parochiis* canonicus esse « dignoscitur..., etc. » Ergo tunc *parochiæ* à civitatibus distinguebantur.

Item in Capitulari Theodulphi Aurelianensis modò citato : « Nulli liceat... tàm in *civitatibus* quàm in *parochiis*, « edere vel bibere ante publicum peractum officium. » Ergo iterum parochiæ non erant in civitatibus, sed ruri tantùm.

« Urbanarum parochiarum primum indicium ac veluti « lineamenta quædam... adhuc prorsus imperfecta in « urbe, ex Concilio Lemovicensi anni 1032 deprehendere « putavit Marius Lupus », inquit Bouix, *ibid.*, p. 41.

Diximus *Româ fortè et Alexandriâ exceptis*; nam « Epi- « phanius..., dum..... historiam Arii describit, quiddam « de urbe Alexandrinâ tanquam ei *peculiare*, aut certè « *propter raritatem* memoriâ dignum, fuisse plures in eâ « ecclesias, quibus regendis presbyteri præponebantur, qui « ecclesiastica munera præstarent iis qui circa unamquam- « que domicilium haberent. » Ita Petavius, ap. D. Bouix (*ib.*, p. 39). Porrò incertum est utrum præfatæ ecclesiæ Alexandrinæ, sicut pariter varii tituli Romæ existentes, essent veræ parochiæ; et insuper hoc erat *peculiare Alexandriæ*, juxta S. Epiphanium. Ergo nihil inde potest concludi in gratiam aliarum ecclesiarum.

491. Propositio III. — *Nullo modo dici potest parochos, jure divino, conflare tertium ordinem hierarchicum.*

Vel enim agitur de hierarchiâ ordinis vel de hierarchiâ jurisdictionis. Si priùs : parochi quidem quatenus sacerdotes, sunt jure divino, non in tertio sed in secundo gradu hujusmodi hierarchiæ, quæ ex Concilio Tridentino (sess. 23, can. 6), *constat Episcopis, presbyteris et ministris*; sed ad eam *quatenus parochi* non pertinent, ut patet.

Si posteriùs : nullo modo conflant, *jure divino*, talem imaginarium tertium gradum, cùm ex propositione 1ª (489) non sint ex *jure divino*, sed tantùm Ecclesiastico. Ergo, etc.

492. Propositio IV. — *Parochi non sunt judices fidei, nec habent vocem definitivam in Conciliis.*

Hoc privilegium parochis tribuebat Gerson, cujus error à Gallicanis, imò à prioribus Jansenistis, primùm rejectus, posteà tamen, præsertim in Synodo Pistoriensi recruduit. Confutatur autem in variis tractatibus de Ecclesiâ, ad quos remittimus. Sufficiat hîc referre duntaxat n^m 10 Bullæ *Auctorem fidei* :

« Item doctrina, quâ parochi aliive sacerdotes in Synodo « congregati pronuntiantur unà cum Episcopo Judices « fidei, et simul innuitur judicium in causis fidei ipsis « competere jure proprio et quidem etiam per ordina- « tionem accepto : *falsa*, *temeraria*, *ordinis hierarchici* « *subversiva*, *detrahens firmitati definitionum judiciorumve* « *dogmaticorum Ecclesiæ*, *ad minus erronea*. » Vide etiam n^is 9 et 11. Unde in Conciliis œcumenicis Ephesino I et Chalcedonensi dicebatur : « *Superfluos foras mittite* : Sy- « nodus Episcoporum est, *non clericorum*. »

493. Propositio V.— *Parochus nullam habet jurisdictionem in foro externo.*

Ita S. Liguor., lib. 7, n° 107. Si enim hanc haberet, esset vel ex *jure divino*, aut *naturali*, aut *ecclesiastico* : porrò non ex *jure divino*, cùm parochi non sint institutionis divinæ; nec ex *jure naturali*, cùm natura functionum parochi non exigat hujusmodi jurisdictionem, pro cujus exercitio sufficit auctoritas Episcopalis ; nec ex *jure ecclesiastico*, cum (hodie saltem) talem externam jurisdictionem Ecclesia in parochis non agnoscat, ut fatentur ipsimet adversarii.

Ex dictis plura sequuntur Corollaria :

Corollarium I. *Ergo parochi, saltem in statu præsenti Ecclesiæ, non habent potestatem excommunicandi vel alias censuras ferendi.* Si quidem ad hoc requiritur jurisdictio in foro externo quam parochi non habent.

Utrum verò parochi aliquando habuerint jure proprio et ex officio hanc potestatem, affirmant Parochistæ, et cum eis etiam Thomassinus (pars 1, lib. 2, cap. 26, n° 7, et alibi); sed varii textus ab ipsis allegati non benè illud

probant, cùm intelligi possint vel de non curatis, vel de casu specialis delegationis, vel aliquo alio modo vim probandi auferente.

Corollarium II. *Ergo parochi non sunt propriè Prælati etiam minores, nec Dignitates.* Prælati enim propriè dicti, etiam minores, habere debent saltem jurisdictionem fori externi et contentiosi. Idem est dicendum de Dignitatibus, quibus etiam annecti debet jurisdictio externa, vel saltem tales haberi debent à lege vel legitimâ consuetudine, quod locum non habet pro parochis. Ergo, etc.

Corollarium III. *Ergo parochi non sunt proprio et rigoroso sensu Pastores.* Quia per hanc vocem propriè illi designantur qui habent jurisdictionem legislativam et propriè dictam, ut constat ex Christi verbis, apud Joannem (cap. 21, v. 15) : « *Pasce oves meas, pasce agnos meos* »; et verbis Act. Apostol. (cap. 20, v. 28) : « *Attendite vobis*, etc. », ubi vox *regere* idem est in Græco ac vox *pascere* adhibita in textu præfato S. Joannis. Porrò illa jurisdictio est fori externi; proinde differt à jurisdictione parochi. Ergo, etc.

Attamen parochi, etsi hoc antiquitùs ferè inusitatum fuerit, sæpe hodie, saltem in sensu minus stricto, vocantur *Pastores*, nempè secundi ordinis; vide Concil. Trident. (sess. 25, cap. 12), ubi : « Hortatur omnes et singulos, « pro christianâ charitate debitoque erga suos *Pastores* « munere, ut de bonis sibi à Deo collatis, *Episcopis* et *Pa*« *rochis*... largè subvenire ad Dei laudem atque *Pastorum* « *suorum*... dignitatem tuendam, etc. » Vide etiam *Pontificale* in ultimâ allocutione ad Synodum.

§ II.

De verâ notione parochi.

494. Sic recensentur requisita ad *parochiatum* in causâ *Egitaniensi*, 27 jun. 1789 (*Thes.*, tom. 58, p. 137); « Hæc « verò requiruntur ut verus quis dicatur parochus : quòd « potestatem nempè habeat fori pœnitentialis; quòd certam suo nomine administret parochiam; quòdque de « necessitate ministret, ab eoque parochiani necessariò « recipiant sacramenta. »

Exhinc, juxta Bouix (*ibid.*, p. 184), definiri potest parochus : « Legitimè deputatus ad ministrandum, ex obliga-« tione et proprio nomine, verbum Dei et sacramenta « certo diœcesanorum numero, qui ab eodem vicissim « sacra recipere aliquatenus teneantur. » Unde eo ipso quòd quis instituitur parochus, habet jurisdictionem ordinariam in foro interno et potest absolvere si sit sacerdos. Ita omnes.

Vox autem *parochiæ* duplici sensu accipitur : vel pro designandâ sacrâ æde, et sic est *ecclesia cui adscriptus est certus populus à rectore ejusdem ecclesiæ tanquam parocho curandus* ; vel pro significandâ parochianorum collectione, et in hoc sensu, *est certa diœcesis incolarum pars, alicui tanquàm parocho subjecta.*

Cura animarum vel est superior et plena, qualis competit S. Pontifici et Episcopis, et sic etiam includit potestatem in foro externo ; vel est inferior et partialis, et sic non extenditur ad ea quæ sunt fori externi, sed ad ea quæ fori interni sunt restringitur; ista duntaxat parochis competit. Verumtamen quando de curâ animarum fit sermo absque addito, communiter in hoc posteriori sensu potiùs accipitur quàm in priori.

Cura animarum dividitur adhuc in *habitualem* et *actualem* : ille dicitur curam duntaxat *habitualem* habere, qui eam non exercens, nec etiam valens exercere, debet tamen providere ut per alium exerceatur, prout evenit quando Capitulo annexa est cura animarum. *Actualem* verò habet qui de facto eam exercendi jus possidet. Cura *habitualis* non sufficit ut quis *verus* dicatur *parochus* : quippè nec etiam jus confert administrandi quæ sunt necessaria ad salutem. « Exploratum in jure est... dum erigitur vicariæ « perpetua, habitualem curam residere quidem penes « Capitulum, at actualem sive illius exercitium transferri « omnimodè in Vicarium perpetuum. Hinc nullo modo « potest principalis, spreto Vicario, se ingerere curæ « animarum. » (Thesaur. res. S. Cong. C., t. 80, p. 161 et 262.)

Sufficit verò cura *actualis*, etsi hanc possidens *Vicarii nomine* nuncupetur, cùm jus habeat ex officio *suo* ea præ-

standi quæ ad parochum pertinent, et sit potiùs nomine quàm re vicarius parochi habitualis: nam exercere curam nomine alicujus qui jus non habet in exercitio curæ se immiscendi, prout Capitulum, est reverà illam exercere independenter ab eo; proinde non eam exercere tamquam ipsius vicarius.

495. Quærit. 1° Utrum perpetuitas sit de essentiâ parochiatûs?

Observandum est officium dici *perpetuum*, quando auferri nequit nisi judicialiter et ex causis in jure determinatis; *manuale* verò seu *revocabile* nuncupari, quando absque formâ judicii potest retrahi. His prænotatis:

Resp. Negativè: si enim perpetuitas requireretur ut quis verus censeretur parochus, esset vel ratione officii, vel ratione beneficii: atqui neutrum dici potest; non prius: nam presbyter, etsi deputetur ad *nutum* Episcopi, nihilominus deputari potest ad ministrandum ex *obligatione et proprio nomine verbum Dei*, etc., prout facere debet verus parochus; proindè in eo inveniri possunt omnes conditiones quæ in vero parocho desiderantur. Hinc quoties à S. Congr. quæritur nùm curati ad nutum amovibiles astringantur iisdem obligationibus ac parochi propriè dicti, S. Congr. respondet *affirmativè*, modò proprio nomine curam actualem exerceant, et cura actualis non resideat apud alterum cujus sunt duntaxat vicarii.

Nec etiam posterius dici potest: ad hoc sufficit quòd parochus possit creari vel sinè beneficio, vel cum beneficio non perpetuo; atqui res ità se habet: 1° regulariter quidem erigi non debet ecclesia parochialis quin provideatur aliquo modo sustentationi parochi, sed illi diversimodè potest provideri: nempe, vel per portionem congruam ex bonis ecclesiæ matricis solvendam, vel per subventionem annuam à parochianis præstandam, vel aliâ aliquâ ratione quæ decentem et certam procuret parocho sustentationem; imò, juxta Fagnan.: « Si neque id fieri possit, et egestate « omnes laborent, novus parochus, propriis manibus ex « artificio victum sibi quærat (Cap. *Clericus*, 1 et 2, dis- « tinct. 91) et sic dabitur casus in quo parochialis ecclesia « construi poterit sinè dote. » (In cap. *Ad audientiam*, *De*

ecclesiis ædific., nº 6, etc.) — Ergo parochus absolutè potest creari sinè beneficio. — 2° Potest creari sinè beneficio perpetuo : nulla enim lex, quæ hoc prohibeat, citari potest. Certum est insuper beneficia curata regularia esse ordinariè manualia; imò juxta plurium canonistarum sententiam, etiam manualia sunt beneficia sæcularia curata, si ita cautum fuit in fundatione, aut à S. Sede dispositum, aut per legitimam præscriptionem obtentum.

Et quòd de facto exstiterint et hodiedum exstent ejusmodi manualia beneficia etiam curam animarum sibi annexam habentia, perspectum habebit qui vel obiter pervolverit Thesaurum resolutionum S. Congr. Conc. Ergo sinè beneficio perpetuo creari potest parochus. Ergo, etc.

496. Quærit. 2° An parochorum amovibilitas contraria sit sacris canonibus?

Resp. Revocabiles esse possunt parochi vel ad nutum Ordinariorum, vel ad nutum parochorum principalium, nempe Capitulorum, monasteriorum aliorumve similium : hâc distinctione factâ, variis documentis ostendit D. Bouix, aliquatenus quidem canones repugnare revocabilitati ex parte parochorum principalium, nullatenùs verò revocabilitati ex parte Ordinariorum, imò à Synodo Tridentinâ supponi ab Episcopo constitui posse parochos ad ejus nutum revocabiles. Sic enim habet S. Synodus (sess. 7, c. 7) : « Sollicitè providere procurent [Episcopi] ut per idoneos « vicarios, *etiam perpetuos*, *nisi ipsis pro bono ecclesia-* « *rum regimine aliter expedire videbitur.* » Capit. verò 11, sess. 25, *de Regul.*, loquendo de domibus religiosis, quibus imminet animarum cura personarum sæcularium, dicit : « Nec ibi aliqui, etiam *ad nutum revocabiles*, deputentur, « nisi de ejusdem [Episcopi] consensu ».

3 14. Et de facto, in diœcesi Hispalensi in Hispaniâ, Archiepiscopus erat olim in possessione removendi ad nutum omnes curatos; et hoc pariter in pluribus aliis locis, etiam in Italiâ, ut asseritur in *Analectis jur. pontif.*, sept. 1855, col. 1609.

Re quidem verâ (sess. 24, cap. 13, *De ref.*) : « Mandat « S. Synodus (Trid.) Episcopis, pro tutiori animarum « salute, ut, distincto populo in certas propriasque paro-

« chias, unicuique suum perpetuum peculiaremque paro-
« chum assignent » ; sed statim addit : « *Aut alio utiliori*
« *modo, prout loci qualitas exegerit, provideant* ». Quibus verbis totius negotii decisio relinquitur judicio Episcoporum. Ergo, etc. Vide supra (312).

Nota hîc quòd Papa beneficiatum, etiam sinè causâ, privare potest beneficio (Vide Garcias, pars 5, c. 1, § 2). Omnia enim beneficia respectu Papæ sunt manualia.

497. Quærit. 3° An parochi, quales sunt hodiè in Galliâ, sint verè et propriè dicti parochi ?

Pro solutione hujus dubii quædam sunt præmittenda : veteres diœceses et parœciæ in Galliâ suppressæ fuêre per Concordatum, seu potiùs per Bullam *Qui Christi Domini* Pii VII, anno 1801 : ex Concordato autem novæ parœciæ non erant erigendæ, nisi concurrente simul utrâque potestate, ecclesiasticâ scilicet et civili ; nam hæc statuuntur in præfato Concordato : « Art. 9. Episcopi in suâ quisque
« diœcesi novas parœcias circumscribent : quæ circum-
« scriptio suum non sortietur effectum nisi postquam Gu-
« bernii consensus accesserit ».

Porrò cùm Episcoporum consensu executioni mandata fuerit Legis Organicæ dispositio statuens : « Art. 60. Il y
« aura au moins une paroisse par justice de paix ; il sera
« en outre établi autant de succursales que le besoin
« pourra l'exiger. — Art. 61. Chaque Évêque, de concert
« avec le Préfet, règlera le nombre et l'étendue des suc-
« cursales » : indè evenit quòd duplex genus parochorum exstiterint apud nos ; videlicet : qui parœciis præfecti fuerunt et inamovibiles recogniti sunt ab utrâque potestate ; et parochi qui succursalibus vel capellaniis fuerunt præpositi, *deservitores* nempè, seu *succursalistæ* aut capellani, qui ad *nutum* revocabiles instituti fuêre ab Episcopis, etsi cum ordinariâ, et à parochis propriè dictis independente potestate ; deputati enim fuêre cum clausulâ *ad beneplacitum*, vel expressâ, vel saltem subintellectâ, et amovibiles semper habiti fuerunt à potestate sæculari (32 art. organ.).

Re quidem verâ, ex art. 31 Legis Organicæ : « Ces vi-
« caires et desservants exerceront leur ministère sous la
« surveillance et la direction des curés » ; sed hæc legis

dispositio, vi cujus succursalistæ et capellani non essent nisi vicarii parochorum, non admissa fuit ab Episcopis, et ipsummet Gubernium suum articulum intellectum voluit eo sensu qui modo agendi Episcoporum consonaret, ut videre est in Epistolâ D. Portalis (25 therm. an X).

Succursales ergo, imò et capellaniæ rurales non habendæ sunt apud nos hodie veluti pars parœciæ principalis, prout olim erant, et prout adhuc sunt extra Galliam; quædam tamen diœceses, etiam hodie in Galliâ, sunt fortè excipiendæ.

Sunt ergo apud nos parochi duplicis speciei, inamovibiles et amovibiles, et quæritur utrum sint omnes veri et propriè dicti parochi?

Resp. 1° De parochis inamovibilibus nulla potest esse difficultas.

2° Deservitores, licet amovibiles, veri etiam parochi sunt, et veluti tales haberi debent: nam ipsis cura animarum proprio nomine exercenda committitur; tenenturque ipsi ex officio sacramenta ministrare suis parochianis, qui vicissim ad ipsos recurrere debent in omnibus casibus quibus parochiani adire suum parochum tenentur. Ergo, etc.

Reverà non sunt perpetui, sed, ut supra vidimus, non necessariò parochus est perpetuus (495).

498. Quærit. 4° An Episcopus possit, absque Indulto pontificio, deservitores reddere inamovibiles?

Vide solutionem ejus dubii supra (220).

§ III.

De canonicâ normâ parochos instituendi et removendi.

499. Quærit. 1° Quis valeat parochos instituere?

Resp. Huic quæstioni satisfecimus supra, 267, etc.

500. Quærit. 2° Quænam dotes requirantur in promovendis ad officium parochiale?

Resp. Etsi quæ supra diximus (273, etc.) sufficere possint, nobis tamen utile videtur hîc transcribere ex Leurenio sequentia circa requisitam scientiam: requiritur, inquit, « ut « tales (promovendi) sciant inter peccata distinguere, « Evangelium declarare, sacramenta ritè administrare « (Trident., sess. 24, c. 18, *De reform.*), adeòque major

« in iis requiritur scientia quàm in simplici sacerdote. » *Forum benefic.*, p. 1, q. 246.

501. Quærit. 3° Quâ formâ constituendi sint parochi?

Resp. Juxta Concilium Tridentinum (sess. 24, c. 18, *De reform.*), instituendus est concursus in quo examinandi sunt candidati, et digniori reperto parochia est conferenda. Sed cùm hæc lex, à tempore Concordati 1801 usque ad præsentem diem, nunquam apud nos fuerit observata, quæritur an reverà de jure in Galliâ non obliget? — D. Bouix, in suo tractatu *De Parocho* (p. 353-361), expendit varias rationes quæ pro et contra adduci possunt; et, sat clarè probato quòd neque à Concordato neque à consuetudine sublata fuerit prædicta lex in regionibus nostris, tandem sic concludit : « Expositis hinc inde rationibus... « fateor me non audere in re tàm gravi quidquam con- « cludere. Unum duntaxat annotabo : nimirum difficul- « tates illas et pertimescenda incommoda, quæ in causâ « esse potuerunt cur, primis post Concordatum tempo- « ribus, prætermissa fuerit concursûs forma adhuc etiam « fortè ex parte perseverare : ut adeò mirum videri non « debeat, etiamnum retineri praxim illam, etsi fortè, « neque vi Concordati, neque vi consuetudinis satis tuta « existimetur. Certum enim est non obligare legem eccle- « siasticam, quæ vel nullo modo, vel nonnisi cum magno « incommodo et animarum detrimento, ob peculiares cir- « cumstantias observari potest. »

502. Quærit. 4° Quomodo removendi sint parochi sive amovibiles, sive perpetui?

Resp. Pro solutione hujus dubii vide supra dicta (307, 308, 313) et nostrum *Manuale*, 6337, 6353, 6570, etc.

503. Quærit. 5° Utrum et quandonam dandi sint coadjutores ei qui Officium parochi debitè non potest adimplere?

Resp. I. Per coadjutorem parochi, intelligitur sacerdos qui, Ordinarii auctoritate, ex causis à jure determinatis, deputatur ad auxiliandum parocho in exercitio curæ pastoralis. Distinguitur à simplici vicario, quia iste, jure communi, assumitur à parocho ob nimiam populi multitudinem, aut ob alias causas; coadjutor verò auctoritate Ordinarii

deputandus est, quod fieri nequit nisi in casibus à jure determinatis.

II. Dandi sunt coadjutores parochis etiam invitis, in pluribus casibus : videlicet : 1° quando ob perennem corporis aut animi infirmitatem, parochiam suam regere nequeunt. Ita omnes. — Cùm enim infirmitas non sit motivum sufficiens amovendi parochum, et tamen parochiæ spirituali indigentiæ sit providendum, Episcopus non debet carere potestate necessariâ ut parochia detrimentum non patiatur. Ergo tunc coadjutorem dare potest, cùm, in factâ hypothesi, sinè eo parochia detrimentum pateretur. Vide cap. *Ex parte*, et cap. *Pastoralis*, *De Clerico ægrotante*.

2° Ob defectum scientiæ requisitæ : « Quia, inquit Tri-
« dent. (sess. 21, cap. 6), illiterati et imperiti parochia-
« lium ecclesiarum rectores sacris minùs apti sunt officiis..,
« Episcopi, etiam tanquam Apostolicæ Sedis Delegati, eis-
« dem illiteratis et imperitis, si aliàs honestæ vitæ sint,
« coadjutores aut vicarios pro tempore deputare, partem-
« que fructuum eisdem pro sufficienti victu assignare, vel
« aliter providere possint, quâcumque appellatione et
« *exemptione* remotâ. »

In casu autem parochi turpiter viventis, pœnis plecti debet ex eodem Concilio (*ibid.*) ; et, si interdicatur, cogendus est ut idoneum sibi constituat vicarium ; quòd si nolit talem deligere, deputari debet ab Episcopo.

3° Magna populi multitudo non est causa cur parocho dandus sit coadjutor, sed solùm cur parochus cogatur ad sibi adjungendum tot sacerdotes quot *sufficiant ad sacramenta exhibenda et cultum divinum celebrandum* (Concilium Tridentinum, sess. 21, c. 4).

Nota quòd Episcopus, ex eodem Concilio (sess. 25, c. 7), nequeat dare parocho coadjutorem cum futurâ successione : tales coadjutores, juxta S. Synodum, dari possunt solummodò Episcopis et Abbatibus, *ob urgentem necessitatem aut evidentem utilitatem*. Recurrendum ergo esset ad S. Sedem, si parocho dari deberet coadjutor cum futurâ successione.

504. Quærit. 6° An à decreto Episcopi, coadjutorem parocho imponenti, liceat appellare?

Resp. Cum distinctione : 1° A decreto coadjutorem parocho imponenti ob causam infirmitatis animi aut corporis, licet appellare etiam ad effectum suspensivum, quia nulla lex, in tali casu, privat beneficio hujusmodi appellationis. — 2° A decreto imponenti parocho coadjutorem ob *imperitiæ* causam, licet quidem etiam appellare, sed ad devolutivum effectum duntaxat, quia per clausulam quâ utitur Synodus Tridentina loco supra citato, *quâcumque appellatione remotâ*, aufertur appellatio in suspensivo tantùm, non verò in devolutivo, ut omnes concedunt.

505. Quærit. 7° Quid possit et ad quid teneatur parochi coadjutor? — Vide nostrum *Manuale*, n° 1342.

§ IV.

De parochorum juribus et prærogativis.

I. — De jure parochorum nominandi et amovendi vicarios seu coadjutores suos.

506. Hîc agetur de vicariis, qui deputantur ad auxiliandum parocho, non ex eo quòd is sit infirmus aut imperitus, sed quòd ita numerosus sit populus ut parochus istius indigentiæ spirituali non valeat solus providere.

Quidam auctores, quorum præcipuè Corgne, in suo opere *Défense des droits des Evêques*, hujusmodi vicariorum nominationem Episcopis vindicant. Communiter verò Canonistæ illam parochis tribuunt, validissimis fulti momentis. *Analecta* tamen excipiunt curatos amovibiles (sept. 1855, col. 1645) et dictum jus reservant *parocho in habitu*. — Sic autem probatur communis DD. sententia.

In cap. 4, sess. 21 Conc. Trid. sic legitur : « Episcopi, « etiam tanquam Apostolicæ Sedis Delegati, in omnibus « ecclesiis parochialibus, vel baptismalibus, in quibus po- « pulus ita numerosus sit, ut unus rector non possit suf- « ficere ecclesiasticis sacramentis ministrandis et cultui « divino peragendo, *cogant rectores* vel alios ad quos « pertinet, sibi tot sacerdotes ad hoc munus adjungere

« quot sufficiant ad sacramenta exhibenda et cultum di-« vinum celebrandum ». — Si autem vicarii nominarentur solâ auctoritate Episcopi, *cogi* non deberent parochi ad adjungendos sibi vicarios necessarios. Ergo non à solo Episcopo, sed à parocho nominandi sunt vicarii.

In gratiam ejusdem sententiæ producuntur variæ S. Concil. Congregat. declarationes, quarum plures citantur in nostro *Manuali*, nº 1344.

Constat ergo vicariorum nominationem jure communi ad parochos pertinere, quamvis isti possint ab Episcopo cogi ad illos sibi adjungendos, casu quo pastorali curæ non sufficiunt. Licet autem vicarii à parochis nominentur, necessaria est adhuc Episcopi approbatio, non solùm pro audiendis confessionibus, sed etiam pro munere vicarii adimplendo.

507. Quæritur nunc 1º An parochi habeant potestatem removendi vicarios suos, sinè causâ ab Episcopo approbatâ?

Resp. De hoc non omninò constare : pro affirmatione dici potest quòd, juxta Bened. XIV (*De Syn.*, lib. 12, nº 2), certum sit Capitulum, licet non sit parochus *nisi in habitu*, posse *Vicarium curatum* amovibilem, ad curæ exercitium deputatum, removere sinè causâ; ergo à pari, imò à fortiori, vicarium suum sinè causâ removere potest parochus qui non tantùm habitualem sed et actualem curam habet.

Pro sententiâ negante citantur à D. Bouix plures decisiones S. Congr. Conc. et imprimis ea quæ data fuit in causâ *Lunensi-Sarzanensi*, 2 sept. 1747, in quâ dicitur : « Duo sunt oppida in diœcesi Sarzanensi uni subjecta « parocho : alterum Folli, alterum Bastremoli... Veteri « consuetudine... receptum est ut parochus oppidum Folli « incolat, in altero Bastremoli capellanum curatum reti-« neat. Venit in mentem parocho capellanum hunc remo-« vendi; sed obstitit capellanus...; obstitêre homines « Bastremoli negantes parocho hoc jus, nullâ redditâ « causâ et sinè cognitione Episcopi, etiam contendentes « non posse eum parochiales functiones exercere in eodem « oppido... Dubia duo proponuntur : 1º An liceat parocho « Folli ad arbitrium removere capellanum curatum à

« terrâ Bastremoli ab ipso nominatum, etiam absque « causâ ab Ordinario cognoscendâ; 2° an liceat eidem « parocho Folli ad suî libitum explere omnes functiones « parochiales in ecclesiâ, et... loco Bastremoli, ibique ad « libitum residere... (Responsum fuit) : — Ad 1^m *negativè*; « ad 2^m *dilata, et scribatur Episcopo juxta instructionem*».

Potuerunt verò esse peculiares rationes propter quas *negativè* ad primam quæstionem fuit responsum, proindè non constat præfatam declarationem habendam fore tanquam *regulam generalem*.

Relatis autem pro et contra variis argumentis, D. Bouix (*ib.*, p. 658) indecisam relinquit dubii solutionem; et nos pariter relinquimus.

508. Quærit. 2° An Episcopus possit sinè causâ supradictos vicarios removere?

Resp. Certum est Episcopum posse eos removere ob culpam gravem, etiam extrajudicialiter. An autem id possit sinè causâ, videtur quòd non; chimerica enim esset potestas quam habent parochi nominandi tales vicarios si Episcopus statim valeret illos sinè causâ removere. Reverà potest Episcopus revocare approbationem à se datam hujusmodi vicariis, sed illud non valet sinè causâ rationabili.

509. Quærit. 3° Quid sit dicendum pro Galliâ?

Resp. A tempore Concordati 1801, Episcopi nostri vicarios quoscumque soli nominant et revocant; et hoc exigere videtur bonum religionis apud nos : etenim, cum sat raræ sint vocationes ad statum Ecclesiasticum in Galliâ, cogunt nostri Præsules clericos absque patrimonii titulo ordinare; et cum aliunde, nulla ferè existant beneficia præter parochias quibus præfici non decet sacerdotes recenter ordinatos, necesse est ut isti, tanquam vicarii, alicubi deputentur : sed ad hoc requiritur, ut patet, quòd Episcopi valeant vicarios nominare et destituere : alioquin plures sacerdotes à parochis rejicerentur, nec posset provideri eorum omnium sustentationi. Cæterùm praxis hæc Romæ, quæ tamen silet, non ignoratur, nec ipsi etiam reclamant parochi, optimè intelligentes rerum ecclesiasticarum apud nos angustias et indigentias.

II.—De jure parochi quoad sacramenta.

510. Jus habent parochi plura sacramenta parochianis suis conferendi : Baptismum videlicet, Eucharistiam, Pœnitentiam, Extremam Unctionem, et Matrimonium benedicendi : hoc extra controversiam est ; sed pro praxi plura hîc sunt sigillatim explicanda, quæ ut benè intelligantur, quædam notiones sunt præmittendæ circa *domicilium* et *habitationem*.

Ex fidelibus qui sunt intra parochiam : 1° alii habent *domicilium strictè dictum* : id est huc venerunt cum intentione manifestatâ ibi perpetuò commorandi si nihil avocaret, vel ibi decem annis manserunt, non manifestatâ intentione aliò remeandi.

2° Alii habent *quasi-domicilium* : seu ibi manent cum intentione commorandi per notabile tempus, quale est major pars anni, et dicuntur *incolæ*.

3° Alii habitant temporaneè et dicuntur *advenæ* seu *peregrini* ; vocantur autem *vagi* quando nullibi habent *domicilium* vel *quasi-domicilium*. Aliquis simul potest habere alicubi *domicilium* et alibi *quasi-domicilium*, aut *simplicem habitationem* : hoc patet ex præfatis definitionibus.

His præmissis, jura parochorum circa sacramentorum administrationem, sigillatim exponamus.

511. — 1° *Quoad Baptismum* : tenentur parochiani pueros suos ad parochiam suam baptizandos deferre, et probabiliùs etiam ubi habent quasi-domicilium in quo actu habitant ; graviterque peccant qui, absque licentiâ proprii parochi, in alienâ parochiâ baptismum fieri procurant. Qui verò nec *domicilium* nec *quasi-domicilium* habent, baptizari possunt ubi volunt.

Noviter ad fidem conversi, in parochiâ in quâ degunt, sunt etiam baptizandi.

Sacerdos qui, extra casum necessitatis, infantem sinè proprii parochi licentiâ baptizat, mortaliter peccat, et incurrit censuras contra usurpantes jura aliarum ecclesiarum latas. Sufficere potest licentia præsumpta.

« Si mulier casu pariat in pago non suo, proles ab

« illius pagi parocho est baptizanda : verumtamen si ille « pagus parùm distaret à pago proprio, v. g., duabus vel « tribus horis, potest baptizari proles etiam in ecclesiâ « suâ. » Ita S. Liguor. (lib. 6, n° 114).

512.— 2° *Quoad Pœnitentiæ sacramentum :* vi officii sui parochus jurisdictionem *fori interni* habet *in suâ parochiâ*, ut colligitur ex Concil. Trident. (sess. 23, cap. 15, *De ref.*); eam tamen habet dependentem ab Ordinario quoad culparum reservationem ; sed *sinè legitimâ causâ non potest prorsus auferri aut adeo minui ut ferè inanis remaneat.* Bened. XIV, *De Syn.*, lib. 5, cap. 4, n° 3.

Diximus *in parochiâ suâ* tantùm, proinde illam jurisdictionem non habet parochus in totâ diœcesi ; sed potest in suâ ecclesiâ parochianos alterius parochiæ absolvere absque licentiâ speciali (S. C. Conc., 25 jun. 1639).

Quæsitum fuit « An curati unius diœcesis, vocati à pa- « rochis alienæ diœcesis, possint in illâ audire confessiones, « tàm suorum subditorum quàm alienorum, absque licen- « tiâ Episcopi loci. S. Congr. Conc. rescripsit : *affirmativè* « *quoad subditos*, *negativè quoad reliquos* » (In *Posmaniensi*, 3 decemb. 1707). Confessiones ergo suorum parochianorum parochus potest ubique audire. Ita omnes.

Jus autem non habet parochus ut sibi, tempore Paschatis aut instante mortis periculo, parochiani faciant sacramentalem confessionem ; sed cui voluerint ex approbatis presbyteris sive regularibus sive sæcularibus confiteri possunt. Regulares autem, qui infirmorum confessiones audierunt, debent de eo parochum certiorem facere : sufficit tunc certioratio per scripturam apud ipsum infirmum relictam. Constit. *Suprema* Clementis X, 11 junii 1670.

513. Quærit. Utrum parochus à suis parochianis Eucharistiam in Paschate poscentibus, jus habeat exigendi quòd sibi ostendant attestationem de factâ confessione alicui approbato ?

Resp. Hoc generali decreto præscripsisse S. Carolum Borromeum ; sed dicendum parochum id exigere haud posse, si nihil de hâc re statuerit Ordinarius, nisi ex gravibus rationibus suspicaretur non esse credendum parochiano

asserenti ad sacramentum expiationis accessisse. Ita Bened. XIV (*Instit.* 45, n° 15).

« Testimonium (autem) de peractâ confessione, tribuen-
« dum sinè ullâ absolutionis mentione...; nam si alius de
« confessione solùm peractâ, alius verò de acceptâ pariter
« absolutione, testimonium accipiat, suspicandi locus
« præbetur, et sigillum confessionis aliquo pacto violatur.»
(Bened. XIV, *Instit.* 45, n° 10).

Nequit parochus admittere sacerdotem ad audiendas confessiones vel ad prædicandum divinum verbum in suâ parochiâ, nisi ab Episcopo loci, quoad hæc, hic sacerdos fuerit approbatus. Constat ex Concil. Trid. (sess. 23, cap. 15, et sess. 5, cap. 2.)

514. — 3° *Quoad Sacramentum Eucharistiæ* :

Tenentur fideles communionem Paschalem facere in suâ ecclesiâ parochiali ; estque rejicienda opinio nonnullorum olim sentientium huic præcepto posse satisfieri in Ecclesiâ Cathedrali à parochianis aliarum diœcesis parœciarum. Hoc fuit pluries decisum, et constat Encycl. *Magno* 2 jun. 1751, § 21, Benedicti XIV. Vide etiam *Instit.* 18, ejusdem Pontificis. Excipiendus est casus quo Episcopus expressè vel tacitè consentiret (S. Liguor., lib. 6, n° 300, 4°). Nomine enim *pastoris* veniunt non solùm parochi sed etiam S. Pontifex, Episcopus et Vicarius Generalis. Unde Cathedralis est parochia communis, quando in eâ Episcopus administrat sacramenta [1], cùm ipse sit parochus totius diœcesis, non autem quando parochus ejusdem cathedralis illa administrat.

Eximuntur ab hâc obligatione communicandi in ecclesiâ parochiali peregrini et vagi, qui parochiam non habent, qui vel ab eâ absunt, ita ut commodè ad illam accedere nequeant. Nec tunc tenentur communicare in ecclesiâ matrice oppidi illius, neque in parochiâ in quâ transeunter commorantur.

« An laicis qui intra claustra regularium habitant et illis
« actu serviunt, possint Regulares Sacramentum Eucha-

[1] Secus sentit Guillois cum Sættler et Barran : *Explicat. du catechisme*, t. 2, p. 475, etc.

« ristiæ tempore Paschæ, ac Extremæ-Unctionis minis-
« trare, nec non in earum ecclesiis eisdem laicis sepultu-
« ram dare? — S. Congr., sub mense jun. 1587, rescrip-
« sit : *posse.* »

In decisione autem 22 nov. 1721, « dictum fuit teneri
« recipere communionem (paschalem) in parochiâ, famulos
« monialium degentes in domibus sitis in atriis monaste-
« riorum muro circumvallatis, quæ sunt contigua monas-
« teriis cum januâ quæ clauditur. »

Qui morantur apud regulares tanquam hospites, paschalem communionem in parochiâ recipere debent.

Regulares possunt communionem distribuere sæcularibus, quolibet die anni, solo excepto die Paschatis.

In oratoriis privatis communio dari nequit sinè licentiâ Episcopi, etsi in eis missam celebrandi obtenta fuerit à S. Sede licentia. Ita declaravit Bened. XIV, in Encyclicâ *Magno*, supra citatâ.

Idem Bened. XIV (*De Syn.*, lib. 11, cap. 14, nº 10) cum pluribus aliis asserit : « integrum hodie omnibus esse, in
« quâlibet ecclesiâ, modò non sit... oratorium privatum,
« sacris interesse mysteriis, quia contrariâ consuetudine,
« in toto christiano orbe receptâ, derogatum est præcepto
« audiendi missam parochialem... Non posse hodie Epis-
« copum præcipere suis subditis ut se sistant missæ paro-
« chiali, quia non potest delere consuetudinem quæ, cùm
« vigeat toto orbe, jam inducit naturam juris communis. »

In ipsis privatis regularium *oratoriis* seu domesticis, missæ audiendæ præcepto satisfieri potest, juxta communiorem et tutam in praxi sententiam.

515. An possit parochus exigere ut fideles parochialem
« ecclesiam adeant ad audiendum verbum Dei? — Respon-
« dendum, *negativè.* » Quæ sententia jam recepta generaliter, quo fundamento nitatur et quomodo respondeatur Tridentinæ Synodo, in quâ dicitur teneri unumquemque parochiæ suæ interesse, ubi commodè id fieri potest, ad audiendum verbum Dei, vide ap. Bened. XIV, *De Syn.*, lib. 11, c. 14, nis 12 et 13.

516. Quærit. 1º An possit parochus binas missas eâdem die celebrare?

Resp. Quamvis olim missa pluries eâdem die celebrari potuerit, à multis tamen sæculis id prohibitum est, præterquàm in festo Natalis Domini et casu necessitatis : « Ex- « cepto die Nativitatis Domini, inquit Innocent. III (cap. « *Consuluisti* 3, *De celebr. miss.*), nisi causa necessitatis « suadeat, sufficit sacerdoti semel in die unam missam « solummodo celebrare. » Porrò quamvis Pontifex utatur voce *sufficit*, certum est apud omnes in hoc verbo contineri præceptum propriè dictum. Id supponunt omnes S. Congregationum declarationes.

Per *necessitatis casum*, non intelligitur si superveniant hospites aut peregrini, princeps aut Episcopus : quia ad sacrum audiendum non tenentur, quando nullus est sacerdos qui possit jure celebrare. Ita probabiliùs, juxta S. Liguor., contra quosdam (lib. 6, n° 352, 5°). Nec si nuptiæ non possent in crastinum diem differri : quia celebrari possunt absque missâ : in quo casu, benedictio crastinâ die in missâ impendi poterit.

Utrum veluti casus necessitatis haberi debuerit, si in die festivo, celebranda esset secunda missa pro defuncto cadavere præsente?—Affirmat Glossa, in dicto cap. *Consuluisti*, *De celebr. miss.*, ubi, v° *Necessitatis*, dicit : « Si celebravit « de die, potest et aliam missam dicere pro defuncto » ; et hanc opinionem admisit Bened. XIII, in sermone de Purgatorio (Vide S. Lig., lib. 6, 351) : « modò sacerdos sit « jejunus, et non sit alius qui pro defuncto celebret ». — Sed juxta Bened. XIV, in Indulto *Quod expensis*, 26 aug. 1748, hoc non ampliùs est licitum « cùm juxta hodiernam « disciplinam, liceat presbytero, relictâ missâ de die, « missam pro defuncto, si præsens sit corpus, cum cantu « celebrare » ; missa verò pro populo tunc transferri debet in diem aliam hebdomadis.

Ut legitimus casus *necessitatis*, in quo licet binas missas die festivo celebrare, communiter habetur quando parochus duas habet parochias ita dissitas ut populus in alterutram parochiam non possit commodè convenire, nec præstò est alius sacerdos qui possit alteram celebrare missam. Ita statutum refertur à S. Turribio Limani Archiepis-

Item in *eâdem ecclesiâ* licet bis celebrare, si magna pars populi missâ die festi carere deberet; hunc etiam casum memorat Bened. XIV, in Bullâ *Declarasti*, 16 mart. 1746, et dicit eodem jure esse censendum ac præcedentem. Decisum fuit in hoc sensu à S. Cong. Concil., in causâ *Auxitanâ* die 28 maii 1854; et reverà tres missæ die Nativitatis, in eâdem ecclesiâ dici possunt, et pluries antiquitùs in eâdem ecclesiâ celebrabatur.

« Sæpius in die celebrare licet.., inquit S. Liguor. (lib. 6. « n^is 351 et 352)... 4° si concursus sit tantus ut ecclesia « non capiat... etsi tunc potiùs expediat celebrare extra. »

Necessitas bis celebrandi adesse nequit nisi die festivo de præcepto, quo fideles tenentur sacris mysteriis interesse. Quidam tamen dicunt licere, in die feriali binas celebrare missas, ne populus sufficiens in numero privetur missâ; et Salmantic. cum Ledesma dicunt standum esse consuetudini. Sed omninò illud reprobat Bened. XIV, *De sacrificio missæ*, lib. 3, cap. 5, cum declarat. S. C. In hoc pariter sensu decisum fuit, 23 jan. 1847, in *Lingonensi*.

Non licet ergo bis celebrare, feriâ V in *Cœnâ Domini*, quippe, hoc die, fideles non astringuntur ad sacrum audiendum; idem est dicendum de feriâ VI Hebdomadæ Sanctæ: quibusdam tamen locis introducta fuit praxis quòd parochi duas administrantes parochias, sumerent solummodo hostiam sinè vino in unâ parochiâ, ut iterum in alterâ parochiâ possint jejuni communicare cultu hoc die præscripto; at hæc consuetudo communiter reprobatur, utpote contraria ritui quem adhibet universalis Ecclesia.

Die 11 septemb. 1841, responsum fuit ad Episcopum Namurcensem, *non expedire* ut concederetur licentia bis celebrandi diebus festis suppressis. Hæc tamen licentia concessa fuit à S. C. Conc. 19 sept. 1859, Argentinensi Episcopo pro festo Circumcisionis, sed hoc solùm ad quinquennium.

Nota quòd parochus, qui ex necessitate duas missas celebrat, unam tantùm teneatur applicare pro populo. Ita S. Cong. Rit., apud Gardellini, n° 4869.

Ab uno autem Episcoporum Galliæ consulta fuit S. Congr. Concilii circa sequentia dubia:

« I. An parochus, qui duas parochias regit, et ideo bis « in die celebrat, utrique parochiæ suam missam applicare « teneatur, non obstante redditurum exiguitate.

II. An parochus, qui in unâ eâdemque parochiâ bis « eodem die celebrat, utramque missam populo sibi com- « misso gratis applicare omnino teneatur in casu, etc.

« III. An vicarii, aut alii sacerdotes curam animarum « non habentes, si quando bis in die celebrant,.. secundam « et ipsi missam populo gratis applicare teneantur, etc... « Die 25 sept. 1858, S. Congregatio ad supradicta dubia « rescripsit :

« Ad 1^m *affirmativè* [1].

« Ad 2^m *negativè*, firmâ prohibitione recipiendi eleemo- « synam pro secundâ missâ.

« Ad 3^m *negativè*, quatenus curam animarum non ha- « beant, firmâ semper prohibitione recipiendi eleemosy- « nam pro secundâ missâ... » Vide alia dubia in nostro *Manuali*, n° 1369.

517. Quærit. 2° An in præfatis casibus requiratur licentia Episcopi?

Resp. Regulariter loquendo, die Natalis Domini excepto, ad iterationem missæ requiritur licentia Episcopi; et si missa in duabus ecclesiis celebretur, sufficit certè hæc licentia. Quæstio quidem olim erat controversa an licentia Episcopi necessaria foret; sed hodie sententiæ affirmanti esse standum ut communiori, sentit Benedictus XIV, *De Sacrificio missæ*. Testatur insuper Verricelli sic à Sacrâ Congregatione fuisse resolutum.

Dictum fuit *regulariter loquendo*, quia in uno aut altero casu, præsertim repentino, et in quo non facilis patet ad Episcopum recursus, si aliunde certò adesse videatur sufficiens necessitas à jure requisita, crimini non est vertendum parocho quòd dictam licentiam non exquirat.

Si verò duæ præfatæ missæ in eâdem ecclesiâ recitentur, iste casus *eodem jure est censendus ac præcedens*, ut ait

[1] Pro secundâ missâ tamen potest ab Episcopo permitti ut solvatur aliquod subsidium intuitu laboris aut incommodi suscepti. Ita decisum à S. Congr. Concilii refertur apud *Rev. des sciences eccles.*, n° 17, p. 463.

ipse Benedictus XIV, in Brevi *Declarasti* anni 1746. Proinde, etiam in hoc casu, sufficit licentia Episcopi.

518. Quærit. 3° An casu binæ missæ necesse sit eumdem calicem adhibere? Et quænam cautiones sint tunc adhibendæ?

Resp. Sacra Congregatio Rituum, Decreto 16 septembris 1815, ejusdem calicis usum præscripserat pro casu quo bis missa ab eodem sacerdote celebratur; sed, suo Decreto 11 martii 1858, usum duplicis calicis permisit ubi talis viget consuetudo, vel quando duæ missæ celebrandæ sunt in duabus ecclesiis longè dissitis; et vult, in hoc casu, quòd post ultimum Evangelium, detecto calice, inspiciatur an aliquid pretiosi Sanguinis ad imum se receperit; et si res contingat, diligenter sorbeatur ex eâdem parte cuppæ quâ primùm sumptus fuerat pretiosus Sanguis. Postmodum in calicem tantum saltem aquæ fundat sacerdos quantum priùs vini posuerat, eamque circumactam ex eâdem parte in paratum vas demittat, et calicem Purificatorio abstergat. Aqua è calice demissa vel ad diem crastinum servetur, vel gossipio vel stupâ absorpta comburatur, vel exsiccanda relinquatur, vel demittatur in piscinam.

519. — 4° *Quoad matrimonium*: Ut validum sit, debet contrahi coram proprio contrahentium parocho. Ita statuit Concilium Tridentinum (sess. 24, cap. 1, *De reformatione*). Et matrimonium coram parocho contractum est validum, etiamsi prohibuisset Episcopus. Vide nostrum *Manuale*, n° 1373.

520. Quærit. 1° Quisnam sit quoad matrimonium proprius parochus?

Resp. 1° Esse parochum non originis, sed domicilii (Bened. XIV, *Institut.* 43, n° 6); non tamen per hunc excludi vel S. Pontificem, vel Episcopum, vel ipsius Vicarium Generalem, vel Vicarium Capitularem.

2° Qui domicilium habet in duabus parochiis, matrimonium potest contrahere coram eo parocho, in cujus territorio degit, quando contrahit (Bened. XIV, *Instit.* 33).

3° Sufficit præsentia parochi unius è contrahentibus, etiam in alterius parochiâ. Decentiùs tamen fit in præsentiâ parochi sponsæ.

4° Qui ruri degit, recreationis vel rusticani negotii causâ tantùm, coram parocho illius loci non potest validè contrahere. Id pluries decisum vide apud Benedictum XIV (*Instit.* 33, n° 7).

5° Vagorum, seu eorum qui, relicto proprio domicilio, sedem in exteris quærunt, proprius parochus quoad matrimonium est ille in cujus parochiâ vagi actu reperiuntur, etsi unus tantùm sponsorum sit vagus. Idem dicendum est de militibus; attamen in actuali expeditione contrahere possunt coram capellanis militiæ. Ita S. Congr., nov. 1676.

6° Detenti in carcere, pœnæ luendæ causâ, parochus est ille in cujus parochiâ extat carcer; illius verò qui in carcere detinetur solùm custodiæ causâ, donec, v. g., de eo sententia proferatur, est parochus domicilii quod habebat detentus antequam in carcerem detruderetur.

7° Disputatur quoad domicilium illius qui in xenodochio degit, et consulendus est Episcopus. Vide tamen S. Liguor., lib. 6, n° 1091 pro casu necessitatis urgentis.

8° Puellæ quæ in hospitio spuriarum detinentur, contrahere debent, non coram illius hospitii capellano, sed coram parocho loci in quo situm est hospitium.

9° Quæ verò in monasterio degunt, vel habent aliud domicilium, v. g., paternum, maternum, fraternum in civitate, vel non habent : si priùs, coram parocho domicilii contrahere debent, in utroque tamen loco factis denuntiationibus ; si verò posteriùs, contrahere debent coram parocho loci in quo exstat monasterium.

Idem dic quoad famulos et famulas, qui si habeant domicilium familiæ extra urbem et in urbe famulatum, tunc coram parocho urbano contrahere debent; possunt tamen, si velint, contrahere coram parocho domicilii familiæ, cùm videantur inibi retinuisse domicilum.

Ad proprium parochum pertinet publicatio matrimoniorum (Trident., sess. 24, cap. 1, *De reform.*); et si contrahentes sint è parochiis diversis, ad unumquemque earum parochiarum rectorem pertinet hæc matrimonii denuntiatio. Sic consuetudo Concilium Tridentinum explicat. — Item ad proprium parochum spectat benedictionem nuptialem impertiri (Trident., *ibid.*).

Si aliquid spontè offeratur pro benedictione nuptiali, hoc ad parochum pertinet etiamsi alius sacerdos ab ipso deputatus fuerit pro illâ impertiendâ.

521. Quærit. 2° Quænam cautiones à jure parochis præscribantur quando agitur de matrimoniis vagorum et alienigarum ? — De iis vide nostrum *Manuale*, n° 1382, etc.

522. 5° *Quoad Extremam-Unctionem et Viaticum* : Jus habet parochus Extremam-Unctionem et Viaticum parochianis suis, etiam sacerdotibus, imò et canonicis ministrandi ; aliique sacerdotes nequeunt dicta sacramenta ministrare absque parochi vel Ordinarii licentiâ. Parochus autem potest alii sacerdoti dare licentiam sibi ægroto eadem administrandi.

Extranei administrari possunt à sacerdotibus loci ubi infirmantur.

Regulares verò, qui extra casum necessitatis, hæc sacramenta administrarent, invito parocho, excommunicationem Sedi Apostolicæ reservatam incurrerent (Clement. 1, *De Privileg.*). Sixtus autem IV concessit regularibus dare Viaticum et Extremam-Unctionem suis pœnitentibus, si parochus injustè ea denegaverit vel malitiosè distulerit illa conferre. Servata est censura C. *Apost. Sedis.*

Possunt autem regulares eadem sacramenta ministrare tàm professis quàm novitiis fratribusque oblatis et donatis, necnon famulis actu inservientibus, et intra septa monasterii degentibus. Item peregrinis et vagis : sed hoc aliquatenus controvertitur.

III. — De jure parochi quoad oblationes.

523. Oblationum vocabulo intelligimus illas res mobiles quæ à fidelibus offeruntur ad Ecclesiæ vel ministrorum usum, tùm ad altare intra missam, tùm occasione aliarum sacrarum functionum, puta pro benedictione nuptiarum et aliis similibus. Gallicè vocantur *Casuel.*

Jure communi, oblationes sive jure debitæ, sive spontè oblatæ (nisi tunc specialem destinationem ex offerente habeant), ad parochum pertinent, etsi non ipse parochus, sed alter functiones sacras in parochiali ecclesiâ peragat. Vi autem consuetudinis res aliter esse possunt, et quando

nullo titulo debetur oblatio, si offerens expressè dicat se velle dare sacerdoti functionem sacram peragenti, ad hunc non ad parochum oblatio tunc pertinebit.

Regulariter, oblationes quæ fiunt alicui capellæ vel imagini ecclesiæ parochialis, vel alicui oratorio extra ejus ambitum, ab offerentibus destinantur ad ornamentum capellæ, imaginis, aut oratorii; ad parochum tamen pertinet administrare hujusmodi oblationes.

Quærit. 1° An oblationes ex justitiâ debeantur?

Resp. Neque jure divino neque humano teneri fideles ad illas faciendas, communiter docetur. Ita Leuren., Lessius, Barbosa, etc., contra quosdam alios.

1° Ordinarius non potest illas reddere obligatorias, si aliunde non desit congrua Cleri sustentatio, quia ei non licet de bonis temporalibus diœcesanorum pro libitu disponere, sed tantùm ex causis et in casibus à jure determinatis.

2° Parochi non possunt accipere aliquid à sponte dantibus pro administratione sacramentorum; possunt tamen accipere quod sponte pro eleemosynâ offertur. S. Congr. Conc., 5 febr. 1593.

3° Consuetudine induci potest obligatio certas et determinatas oblationes faciendi.

Insuper in triplici casu oblationes debentur : 1° cùm debentur per modum censûs, pensionis aut conventionis antea factæ cum Ecclesiâ; 2° cùm debentur ex testamento, legato, donatione; 3° dum minister ecclesiæ non habet congruam sustentationem, et ipsi possunt subvenire parochiani. Circa oblationes, vide insuper dicenda infra (779, etc.).

Quærit. 2° Quomodo in Galliâ jus parochorum ad oblationes determinetur?

Resp. Gubernium in Galliâ sibi reservat jus approbandi vel rejiciendi Episcoporum de oblationibus dispositiones : « Les Évêques rédigeront les projets de règlement relatifs « aux oblations que les ministres du culte seront autorisés « à recevoir pour l'administration des sacrements. Les « projets de règlement rédigés par les Évêques ne pour- « ront être publiés, ni autrement mis à exécution qu'après

« avoir été approuvés par le gouvernement. » (Art. 60 Legis organicæ.)

Unde oblationes quæ non sunt à Gubernio approbatæ, in foro sæculari apud nos exigi nequeunt. Sed cùm hæc sint certò de competentiâ ecclesiasticæ potestatis, certum est statuta Episcopi, etiam antequam à Gubernio approbentur, imò etiamsi ab eodem rejicerentur, plenam vim habere pro conscientiâ.

Quomodo autem obtineatur Gubernii approbatio pro *tariffâ* oblationum, vide explicatum à DD. Affre, *Abrégé de l'administration tempor. des paroisses* (p. 97-99).

Nota quòd ex lege 25 maii 1838, art. 1 : « Les juges de « paix connaissent de toutes actions personnelles et mobi- « lières en *dernier ressort* jusqu'à la valeur de 100 fr., et « à charge d'appel jusqu'à la valeur de 200 fr. »

IV. — De jure parochi quoad funeralia.

524. Jus illud tria complectitur : 1° jus sepeliendi ; 2° jus funeribus interveniendi ; 3° jus emolumenta ex funeribus provenientia percipiendi.

I. *Jus sepeliendi. Exceptis casibus quibusdam à jure determinatis*, jus sepeliendi parochianos, pertinet ad parochum. Id constat ex cap. *Ex parte*, *De sepulturâ*, et cap. *Is qui*, *De sepulturis*, in 6°.

Jure communi parochus jus habet sepeliendi suos parochianos, licet extra parochiam decedant, *si absque periculo ad ipsam parochiam valeant deportari*, ut ait cap. *Is qui*. Generali autem usu, in Galliâ, loci decessûs parochus facit sepulturam : attamen familiarum arbitrio hoc relinquitur.

Quando quis habitat in confinio duarum ecclesiarum parochialium, censetur parochianus illius in quâ domus aditum magis frequentatum habet.

Occisus seu casu moriens in confinio duarum parochiarum, si priùs non elegerit sibi sepulturam, nec habeat sepulchrum majorum, sepeliendus est in parochiâ sub cujus finibus reperitur caput cadaveris, quia est pars corporis nobilior.

Dictum fuit *exceptis quibusdam casibus à jure determinatis* : nam qui habet majorum suorum sepulchrum alibi

quàm in parochiâ, vel qui jam ad ætatem pubertatis perventus alibi sepulturam elegit, potest et debet extra ecclesiam vel cœmeterium parochiæ sepeliri, modò sepulturæ electio non fuerit revocata, quod semper fieri potest. Constat ex pluribus juris capitulis, nempe cap. *Nos instituta*, *De sepulturis*, etc.; hoc jus tamen à Gubernio nostro non agnoscitur, nisi dependenter ab auctoritate municipali, quando agitur de sepulturâ extra cœmeterium communitatis propriæ electâ.

Pro impubere, sepulturam eligere potest pater et, ipso deficiente, mater; hisque deficientibus, consanguinei, affines, etiam tutor, modò ea sit regionis consuetudo. Ex cap. *Licet* modò citato.

Pro uxoribus, vide canonem *Ebron*, causa XIII, q. 2, et can. *Unaquæque*, ib.

Eligi nequit à laicis utriusque sexûs sepultura in ecclesiis monialium, absque speciali licentiâ S. C. Episc. et Regul. Sic pluries decisum à S. C. Congr. Episcop. et Regul.

In Galliâ sepultura non potest eligi in ecclesiis sinè consensu Gubernii, juxta decretum 23 prairial an XII, in quo dicitur : « Art. 1. Aucune inhumation n'aura lieu dans les « églises, temples, synagogues, hôpitaux, chapelles publi- « ques, et généralement dans aucun des édifices clos et « fermés, où les citoyens se réunissent pour la célébra- « tion de leurs cultes, ni dans l'enceinte des villes et des « bourgs. »

Clerici beneficiati et parochi qui specialem non elegerunt sepulturam, sepeliendi sunt in ecclesiâ ubi beneficium obtinent, servitiumque personale exhibent, etiamsi in alienâ parochiâ habitent et defuncti fuerint : quod facilè eveniri potest in amplis urbibus. Ita communiter; et eruitur ex capit. *Dilectus*, *De rescriptis* : ex quo deducitur locum beneficii censeri residentiæ locum.

In monasterio suo respectivo, etiam parocho invito, sepeliri possunt novitii, etiam extra monasterium decedentes, non electo loco sepulturæ, si ad illud transferri queant; item in monasterio possunt sepeliri postulantes, domestici religiosis inservientes et apud ipsos degentes, quando intra septa monasterii decedunt; tertiarii qui col-

legialiter vivunt; tertiariæ quæ cum habitu tertiarum et voto castitatis collegialiter vivunt.

Advenæ seu hospites, aliique casu decedentes in regularium conventibus, nisi elegerint ibidem sepulturam, sepeliendi sunt de jure communi in parochiali : cap. *In nostrâ* 10, *De Sepulturis.* Ita censuit S. C. Conc. in *Ripanâ*, 3 febr. 1652.

Infirmi in hospitali absque electione sepulturæ decedentes, sepeliri possunt ab hospitalis rectore et in ecclesiâ hospitali annexâ, si privilegio sepulturas habendi donata sit.

Officium super cadaveribus in ecclesiis regularium fieri debere per ipsos regulares, non autem per alios curatos, etiam cathedralium, non obstante quâcumque contrariâ consuetudine, declaravit S. Congr. Rit., 10 febr. 1629.

Quando defunctus sæcularis tumulatur in ecclesiâ regularium, tàm parochus quàm regulares, in quorum ecclesiâ fit sepultura, possunt respectivas earum ecclesiarum pulsare campanas. Ita S. Congr. Rit.

525. — II. *Jus funeribus interveniendi.* — Jus habet parochus interveniendi, imò vocatus tenetur intervenire parochianorum suorum sepulturæ, etiam in iis casibus, in quibus non habet jus eos sepeliendi. Quod ita est verum, ait Leurenius, « ut licet à defuncto jussi sint advocari soli « regulares ad sepeliendum cadaver, nullatenus parochus « sit excludendus..., juxta declarationem Congr... Epis- « coporum... Item ut regulares... sinè parocho funus « peragere nequeant extra suas ecclesias ut ad illas cada- « ver ducatur, quia esset exercere jurisdictionem in terri- « torio parochi, in quo illi jus nullum habent, utpote « constrictum ad territorium ipsorum proprium, quod « consistit *intra septa et ambitum monasterii.* » (Leuren. *Forum benef.*, pars 1ª, q. 453.)

Debent regulares vocati ad funus associandum accedere ad ecclesiam parochialem, et exinde cum parocho ad domum ex quâ exportandum est cadaver se conferre, nisi alia esset consuetudo in ecclesiâ. — Ad hoc autem non tenentur canonici Cathedralis capitulariter incedentes : juxta decisionem S. C. Rituum.

Etiam in casu quo parochianus decedit in monasterio, vel casualiter vel tanquam hospes, parochus ad funus vocari debet.

Non autem necessariò vocandus est parochus quando religiosus decedit extra monasterium. Iste enim defunctus potest deferri ad monasterium et sepeliri, inconsulto parocho. S. Congr. Conc., 2 julii 1620.

Quando regularis defunctus sepeliri nequit in conventûs ecclesiâ (obstante, v. g. lege civili, ut hodie in Galliâ), possunt regulares cadaver ad commune cœmeterium deferre cum stolâ et cruce conventûs, absque interventu ullius parochi, dummodo tamen cadaver deferatur absque solemni pompâ et recto tramite ad cœmeterium. Res decisa fuit in causâ ordinis Prædicatorum, 24 januar. 1846. Quædam tamen oriri possent difficultates apud nos circa præfatum casum, juxta Episcopum Andegav.

Clerus sæcularis nihil potest prætendere propter exequias aut sepulturam monachorum morientium extra claustra. S. C. Episcop. et Reg., 24 novemb. 1634, et 24 sept. 1636.

Ad parochum pertinet, quando ejus parochianus ab aliis sepelitur, et in alienâ ecclesiâ, stolam deferre, corpus è domo levare, aquâ benedictâ respergere et præcinere antiphonam *Exultabunt Domino*, orationem solitam ante januam ecclesiæ cantare. — Ita pluries S. Congreg. Rituum.

Hæc regularibus non licent, etsi in earum ecclesiâ sepultura fiat, nisi casu quo vocatus parochus, et per tempus unam horam non excedens expectatus, renuerit intervenire; tunc possunt ad suam ecclesiam deferre.

Parochus autem tenetur associare cadaver usque ad ecclesiæ regularium januam. « Occasione funerationis « cadaverum alterius diœcesis aut parochiæ in ecclesiis « regularium, potest proprius parochus defuncti ad effec- « tum deferendi processionaliter cadaver ad dictas eccle- « sias, liberè transire per quascumque diœceses et paro- « chias cum stolâ et cruce elevatâ, etiam irrequisitis « earumdem parochis. » (S. Congreg. Episcopor., 24 novembris 1713.)

Defunctorum corpora in ecclesiis regularium tumulanda, deferenda sunt, recto tramite et per viam à parocho designandam, ad ecclesias ipsorum regularium, etiam contradicentibus hæredibus. S. R. Congr., 19 decembris 1671 in *Savon.* — Nulla est ergo obligatio præsentandi corpus ad parochiam, quando sepultura fit in aliâ ecclesiâ.

Quæsitum fuit à Sacrâ Rituum Congregatione : « An et « cui competat elevatio crucis? — Responsum est : Crucis « elationem competere ad ecclesiam parochialem tumu- « lantem : nempe si cadavera deferantur ad ecclesiam « Collegialem S. Mariæ Magdalenæ, hujus ecclesiæ crux « est elevanda, etiamsi defunctus ad S. Hilarii parœciam « pertineret : et vicissim crucis elevatio competit ad pa- « rœciam S. Hilarii, si defunctus in hâc ecclesiâ sit « tumulandus, quamvis de parœciâ Collegiatæ esset; « cùm sub unâ tantùm cruce ecclesiæ tumulantis in fu- « neribus esse procedendum pluries decreverit S. R. Con- « gregatio. »

Attamen si interveniret Capitulum Cathedralis aut etiam Collegiatæ, non alia crux esset deferenda quàm Capituli vel Collegiatæ.

« An plebanus Oppidi Ploraci, associando cadavera « sepelienda in ecclesiâ S. Francisci Patrum Minorum « Conventualium, teneatur incedere sub illorum cruce, « seu potiùs valeat propriam crucem elevare : Sacra Con- « gregatio respondit : *Affirmativè* ad primam partem, et « *Negativè* ad secundam. » — In *Camerinâ*, 17 septem- bris 1750. — « Nisi tamen, inquit Ferraris (v° *Parochus*, « art. 3, n° 58), alicubi tàm parochi quàm regulares eri- « gerent propriam crucem ex legitimâ consuetudine, quæ « est servanda. »

« Associato funere ad ecclesiæ portam, debere paro- « chum, vel illum ex Capitulo et Clero penès quem anima- « rum curæ exercitium existit, ad populum convertere, « eique absolutione impertitâ, recedere, relicto cadavere « in ecclesiâ dictorum regularium, ad quos duntaxat pera- « gendi officii cura spectabit », declaravit Sacra Rituum Congregatio 23 martii 1619, apud Gardellini, n° 422. — Vide alia in *Manuali*, n° 1416.

In ingressu portæ vel atrii ecclesiæ regularis, aut alterius in quâ sepeliendus est defunctus, Prælatus istius domûs, vel alius de ejus mandato, officium funeralium reassumit.

Prohiberi nequeunt à parocho regulares ne, ad funus vocati, corpus associent, psalmos de more cantando (S. Cong. Rit.).

Parochus impedire nequit quin confraternitates funus associent (S. R. Congr.).

Parochus per cujus parochiæ fines transit funus, nullum jus acquirit, nec transitum impedire potest, aut quidquam stipendii petere (S. C. Rit., 14 sept. 1626). Auctor tamen *Prælect. S. Sulpitii* (nº 534) contrarium asserit, sed nullam auctoritatem in probationem affert.

Ad parochum spectat declarare per quam viam exportandus sit defunctus. Decisum à S. Congr. Episc.

Non ad parochum, sed ad hæredes pertinet quos voluerint clericos convocare; si ab hæredibus id non fiat, parochus vocare potest quos voluerit, ita ut clerici ecclesiæ externis præferantur. S. C. Episcop. et Regular., 23 apr. 1649.

Ad hæredes pariter spectat determinare numerum cereorum atque alia ad majorem minoremve pompam adhibenda. Pluries decisum refert Leurenius.

« Parochi non possunt cogere hæredes... ut pro defunc-
« tis qui tumulantur in ecclesiis regularium, in ecclesiis
« etiam parochialibus celebrari faciant officia novennalia,
« anniversaria, prout celebrantur in ecclesiis regularium
« in quibus cadavera sepeliuntur... S. Congr. Conc., 15
« martii 1705. »

Confraternitates possunt, in funeribus confratrum aut consororum, adhibere pannum ipsis proprium. Cogi ergo non debent ad utendum panno parochiali; sed, etiam utentes proprio, solvere debent jus funerarium ab Ordinario præscriptum. S. Congr. Conc., 24 feb. 1853. Idem videtur esse dicendum de simplicibus fidelibus.

Quoad præcedentiam, si neque Cathedralis neque Collegiatæ Capitulum interveniat, præcedentia debetur parocho stolâ induto et funus ducenti: unde parochus immediatè

ante cadaver, post alios omnes incedere debet. Si verò interveniat Cathedralis Capitulum, ipsi præcedentia debetur; parochus tunc stolâ indutus, immediatè ante Capitulum incedit; si tamen adsint Cathedralis parochus et Sacrista, quamvis amovibiles, præferuntur parocho, utpote incedentes sub cruce Capituli.

526. Circa tempus inhumationis et cæremonias adhibendas consule *Rituale Romanum* et Statuta diœcesi propria.

In *Rituali autem Romano* dicitur : « Nullum corpus se-
« peliatur, præsertim si mors repentina fuerit, nisi post
« debitum temporis intervallum, ut nullus omninò de
« morte relinquatur dubitandi locus. »

Sic autem habet Codex noster civilis : « Art. 77. — Au-
« cune inhumation ne sera faite sans une autorisation sur
« papier libre et sans frais, de l'officier de l'état civil..., et
« que 24 heures après le décès, hors les cas prévus par les
« règlements de police. »

Decreto verò 23 julii 1805, sic statuitur: « Il est défendu
« à tous curés, desservants... d'aller lever aucun corps,
« de l'accompagner hors de l'église, qu'il ne leur appa-
« raisse de l'autorisation donnée par l'officier civil pour
« l'inhumation, à peine d'être poursuivi comme contreve-
« nant aux lois. » Defuncti proximi licentiam eum inhumandi petere tenentur.

Nihil generaliter statuitur à jure canonico circa intervallum quod intercedere debet inter mortem et inhumationem.

527. — III. *Jus emolumenta ex funeribus provenientia percipiendi.*

Certum est parochum nihil posse à pauperibus exigere (*Rit. Roman.*).

Quoad alios : vel agitur de modo sepeliendi ordinario, sinè extraordinariâ pompâ, et tunc, *seclusâ consuetudine in contrarium*, non debet parochus quidquam exigere, quia, vi sui muneris, parochus debet talem functionem, prout alia pastoralia, suis parochianis præstare. Si verò agatur de modo extraordinario sepeliendi, si exigantur v. g. missa

cantata aut alia indebita, pro hujusmodi funeribus stipendium exigi potest.

Diximus, *seclusâ consuetudine in contrarium*; nam juxta Abbatem contra quosdam alios, talis consuetudo, post traditum sepulturæ corpus, est observanda. — Sed, sepultura non est retardanda prætextu compositionis *quartæ funeralis*. Sic decisum à S. Congr. Episcop. et Regular., 5 maii 1617.

« Parochi, inquit *Rituale Romanum*..., iis eleemosynis « contenti sint quæ, aut ex probatâ consuetudine dari so- « lent, aut quas Ordinarius constituerit. » — Ergo parochi possunt aliquid legitimè exigere pro officio sepulturæ, nempe quæ dari solent ex legitimâ consuetudine, aut quæ Ordinarius constituit.

Quærit. 1° Quænam emolumenta ad parochum pertineant quando funeralia extra ecclesiam parochialem peraguntur? De iis consule nostrum *Manuale*, à nº 1427, etc.

528. Quærit. 2° Quid sentiendum de modo hodierno procedendi in Gallià, quando corpora sepeliuntur extra propriam parochiam? Vide responsionem in nostro *Manuali*, nº 1430, etc.

Nota tantùm tenorem sequentis Decreti Napoleonis I, 26 nov. 1813 :

« Art. 1. Dans toutes les paroisses de l'Empire, les « cierges qui, aux enterrements et services funèbres, sont « portés par les membres du clergé, leur appartiendront ; « les autres cierges placés autour du corps et à l'autel, aux « chapelles et autres parties de l'église, appartiendront, « savoir, une moitié à la fabrique, et l'autre moitié à ceux « qui y ont droit : ce partage sera fait en raison du poids « de la totalité des cierges. »

Medietas cereorum ecclesiæ non adjudicata, ad parochum et clerum dictæ ecclesiæ pertinet ; et idem est dicendum de cereis expositis in ecclesiâ domicilii defuncti, si cadaver in eam, hæredibus consentientibus, deferatur. Olim, in quibusdam locis apud nos, omnes cerei ad parochos pertinebant, ut videtur ap. *Mémoires du clergé*.

Confraternitates sæcularium funera associantium, de

intortitiis seu cereis quartam funeralem parochis non debent. S. C. Episc. et Regul., in *Firmanâ*, 5 martii 1616.

V. — De jure parochi quoad functiones parochiales.

529. Cùm multæ circa hanc quæstionem exortæ fuerint contentiones, editum fuit, 10 decembr. anni 1703, celebre Decretum quo diremptæ sunt pleræque difficultates; integrum reperitur in nostro *Manuali* (618, 619).

Controvertitur utrum parocho competat stolæ delatio in signum jurisdictionis. In Decis. S. R. C., 7 sept. 1816, à S. Pontifice approbatâ, dicitur : « Stolam non esse adhi« bendam, præterquàm in collatione et confectione sacra« mentorum, ideòque consuetudinem in contrarium esse « abusum, per locorum Ordinarios omninò eliminandum.» Adhibenda tamen est etiam in sacramentalibus, uti sunt benedictiones, etc., pro quibus *Rituale* stolam præscribit.

De jure parochi quoad confraternitates aut alia pia loca, vel regulares, vide in nostro *Manuali* (611-620 et 4657-4680).

VI. — De potestate parochi in nonnullis dispensandi.

530. 1° Jure consuetudinis parochi possunt dispensare in jejuniis, ex justâ causâ, cum suis subditis particularibus, non verò pro totâ parochiâ. Ita ex communi sententiâ. Imò valdè probabiliter potest parochus in iis dispensare, etiam præsente Episcopo. Id etiam possunt vicarii parochorum qui exercent actus parochiales jurisdictionem exigentes, nisi parochi expressè repugnent. De simplici confessario controvertitur.

2° Quoad licentiam operibus servilibus vacandi diebus festis, sic habet S. Liguor. (lib. 3, n° 288) : « Parochus « dispensare potest, quando subditus nequit adire Episco« pum, sed tantùm ad tempus, et pro aliquo particulari « casu. Est doctrina communis. » Imò, inquit idem (lib. 1, n° 190), ex consuetudine, etiamsi sit facilis recursus ad Episcopum.

Etsi causa laborandi die festo sit indubitata, « semper « tamen petenda est licentia... quando publicè laborandum

« est; cùm (ad Superiorem) non ad quemcumque privatum hominem spectet judicium ferre de veritate causæ, « nisi fortè periculum esset in morâ, et grave inde damnum « sequeretur, juxta decretum Congr. Concil., 12 apr. « 1797. » Ita Barbosa.

3° Ex consuetudine parochi possunt dispensare in minutis et frequentibus, in iis tamen rebus tantùm in quibus ex consuetudine introductum est ipsos dispensare.

De jure parochorum circa alia superiùs non recensita, vide in nostro *Manuali*, n° 1439, etc.

§ V.

De obligationibus parochorum.

I.—De emittenda professione fidei et spondenda obedientia romano pontifici.

531. Sic à Concilio Tridentino (sess. 24, cap. 12, *De ref.*) fuit sancitum : « Provisi de beneficiis quibuscumque « curam animarum habentibus, teneantur à die adeptæ « possessionis, ad minus intra duos menses, in manibus « ipsius Episcopi, vel, eo impedito, coram Generali ejus « Vicario seu Officiali, orthodoxæ fidei publicam facere « professionem, et in Romanæ Ecclesiæ obedientiâ se « permansuros spondeant ac jurent. »

Ad hanc fidei professionem emittendam ultrò parochus tenetur se offerre, juxta Giraldum, et hoc intelligendum de quâlibet parochiæ adeptione; nec per procuratorem, sed per seipsum emittere tenetur. S. Cong. Conc., 9 febr. 1726.

Juxta Concil. Trident. modò relatum, omittens professionem fidei amittit fructus omnes sui beneficii, sed à die tantùm elapsorum duorum mensium; si postea obligationi huic satisfaciat, tunc quidem fructus suos faciet, sed non recuperabit amissos. Nequit autem Episcopus fructus amissos condonare, sed ad Sedem Apostolicam est recurrendum. Controvertitur utrum ante sententiam declaratoriam teneatur parochus illos fructus restituere.

Ad illam professionem astringi non videntur jure communi parochi ad nutum amovibiles.

II. — De obligatione residendi in parochia.

532. De hâc obligatione sic decernit Synodus Trident. (sess. 23, cap. 1, *De ref.*) : « Eadem omnino, etiam quoad « culpam, amissionem fructuum et pœnas, de curatis « inferioribus et aliis quibuscumque qui beneficium ali- « quod ecclesiasticum, curam animarum habens, obti- « nent, Sacrosancta Synodus declarat et decernit : ita ta- « men ut quandocumque eos, causâ priùs per Episcopum « cognitâ et probatâ, abesse contingeret, vicarium ido- « neum, ab ipso Ordinario approbandum, cum debitâ « mercedis assignatione relinquant. Discedendi autem licen « tiam, in scriptis gratisque concedendam, ultra bimestre « tempus, nisi ex gravi causâ, non obtineant. Quòd si per « edictum citati, etiam non personaliter, contumaces fue- « rint, liberum esse vult Ordinariis, per censuras eccle- « siasticas et sequestrationem et substractionem fructuum « aliaque juris remedia, etiam usque ad privationem com- « pellere ; nec executionem hanc, quolibet privilegio, « licentiâ .., exemptione..., pactione, statuto juramento « aut quâcumque auctoritate confirmato, consuetudine « etiam immemorabili (quæ potiùs corruptela censenda « est), sive appellatione aut inhibitione, etiam in Romanâ « Curiâ..., suspendi posse. »

Certum est parochos ad residentiam teneri sub gravi peccato : in præfatis enim verbis, Synodus Tridentina eadem de curatis inferioribus decernit ac de Prælatis ; porrò de istis loquens paulò superiùs in eodem capite, S. Synodus affirmat eos *mortalis peccati reatum* incurrere, si non residentiam à Concilio statutam observent. Ergo, etc.

533. Quærit. 1° An parochi ad residentiam teneantur jure divino ?

Resp. Id à multis affirmari : et ita esse tenendum asserit S. Liguor., lib. 4, n° 121.

Probatur hæc sententia ipsismet verbis Concilii Tridentini (*ibid.*) : « Cùm præcepto divino mandatum sit (inquit) « omnibus, quibus animarum cura commissa est, oves « suas cognoscere... ; quæ omnia nequaquam ab iis præ- « stari... **possunt**, qui gregi suo non invigilant neque

« assistunt, sed mercenariorum more deserunt, etc. » Ergo, etc. Vide tamen nostrum *Manuale*, n° 1449.

534. Quærit. 2° An sint causæ ex quibus legitimè parochi abesse possint à suâ parochiâ?

Resp. Affirmativè, etiam in sententiâ eorum qui volunt parochos ad residentiam obligari jure divino; quia non alia residentia, juxtà eos, exigitur jure divino, quàm ea quæ ad convenientem gregis custodiam sufficiat; porrò nonnullæ ad tempus et justis de causis absentiæ non impediunt hanc sufficientem gregis custodiam : « Quoniam, « inquit Concil. Trident. (sess. 23, cap. 1, *De reform.*), « qui aliquantisper tantùm absunt, ex veterum canonum « sententiâ non videntur abesse, quia statim reversuri « sunt, Sacrosancta Synodus vult illud absentiæ spatium « singulis annis, sive continuum sive interruptum, *extra* « *prædictas causas*, nullo pacto debere duos aut ad sum- « mum tres menses excedere; et haberi rationem ut id « æquâ ex causâ fiat, et absque ullo gregis detrimento. » Ita loquitur S. Synodus de Episcopis; sed ex eodem Concilio, prout supra vidimus, hæc eadem curatis sunt applicanda.

Illas autem *prædictas causos* propter quas ultra duos aut tres menses abesse possunt Episcopi, sic eodem capite, recenset S. Synodus : « *Cùm Christiana charitas*, *urgens* « *necessitas*, *debita obedientia ac evidens Ecclesiæ vel Rei-* « *publicæ utilitas*, aliquos nonnunquam abesse postulent « et exigant. » (Sess. 23, cap. 1, *De reform.*)

535. Quærit. 3° Quænam causæ legitiment parochorum absentias?

Resp. 1° Si agatur de absentiâ ultra bimestre, requiritur causa gravis, videlicet : *christiana charitas*, *urgens necessitas*, etc., prout modò retulimus in quæstione præcedenti ex Concilio Tridentino.

Servitium ipsi Episcopo præstandum non est causa sufficiens pro hujusmodi absentiâ, uti declaravit S. Cong. Concilii.

2° Si agatur de absentiâ tantùm per bimestre, sive continuum sive interruptum, non requiritur causa gravis : cùm talem Concilium solummodo requirat pro absentiâ

ultra bimestre, sed sufficit *æqua seu rationabilis*, imò sufficit recreationis causa vel similis.

536. Quærit. 4° An præter legitimam causam, etiam licentia superioris requiratur pro absentiâ parochi? et cujusnam Superioris? et an in scriptis?

Resp. Ad Episcopum pertinet judicare de legitimitate causæ, sive ad bimestre, etiam ad unam hebdomadam, sive ad longioris temporis absentiam. Ab Episcopo tamen datur recursus ad Superiorem, uti declaravit S. C. Conc. Sunt autem auctores qui ad absentiam bimestrem non requirunt licentiam Episcopalem, ut videre est ap. S. Liguor., lib. 4, n° 123, dub. II[1].

Pro absentiâ perpetuâ, quantumvis gravis adsit ratio, non sufficit Episcopi licentia, sed requiritur Apostolicæ Sedis Indultum. Id constat ex Concilio Trident. (sess. 6, c. 2), ubi dicitur : « Nullique privilegia, seu indulta *perpe-* « *tua de non residendo*, suffragentur » ; non tamen solent Romanæ Congregationes perpetua illa indulta concedere, sed facultates duntaxat ad sex menses. Imò S. Liguor., lib. 4, n° 121, dicit in hoc Summum Pontificem non posse dispensare, sed tantùm declarare jus divinum tunc non obligare, justis intervenientibus causis.

Unde ob inimicitias ipsi parocho personales, licentiam perpetuam non residendi Episcopus concedere nequit; imò in hoc casu, nec etiam licentiam ad tempus. Ita S. C. Conc., anno 1589, in *Faventinâ*. « Prætextu inimicitia- « rum minimè eximendos esse (parochos à residentiâ), nisi « obtinuerint litteras à Congreg. Concilii. Ubi autem ini- « micitiæ sunt verisimiliter duraturæ, ait Fagnanus, ut « consulatur curæ animarum, inducendus est parochus ad « resignandum, vel permutandum. » Vide etiam S. Liguor. (lib. 4, n° 125) qui dicit hoc fieri debere *transacto anno*, et tunc parochus cogi debet ad renuntiandum.

[1] De his prodiit edictum Gubernii in Galliâ 13 martii 1832, juxta quod Episcopi non possunt concedere licentiam abessendi suis parochis ultra octo dies. Pro absentiâ unum mensem non excedente præmoneri debet Præfectus, Minister verò cultuum pro absentiâ ultra mensem. Sed hæc legis dispositio non potest, uti evidens est, conscientiam ligare.

Ad legitimandam absentiam, etiam bimestris, non sufficit causa justa, sed requiritur licentia etiam scriptis data. Ita S. C. Concilii quæ, anno 1573, declaravit parochos per duos menses abesse non posse, *nisi causâ cognitâ et probatâ ab Ordinario, et ab eodem in scriptis obtentâ licentiâ.*

Item disputatur utrum *de jure communi* necessaria sit Episcopi licentia, pro absentiâ intra hebdomadam quæ ultra biduum duret : supponitur quòd interim idoneus relinquitur vicarius in diœcesi approbatus; licentiam tunc non esse necessariam putat Ferraris, v° *Parochus*, art. 2, n° 33; et huic sententiæ praxis consonare videtur apud nos.

Diximus *jure communi*, quia standum esset statutis diœcesanis quæ hanc licentiam obtinendam præscriberent, etiam pro absentiâ qualicumque.

Si abessendi necessitas ita urgeat, ut non patiatur moram expetendæ licentiæ, parochus abscedere poterit, *relicto idoneo vicario*, dummodo quamprimùm de suâ absentiâ certiorem faciat Episcopum. Constat ex declar. S. C. Conc., 7 oct. 1604.

Approbari debet hic vicarius ab Ordinario. Posse autem substitui *parochum omninò vicinum*, qui ferè eâdem facilitate arcesseretur ac si habitaret in ipsâ parochiâ, affirmat Lequeux (n° 382) qui vult *ut iste diligenter præmoneatur*, ne absit pariter, et ut *in parochiâ absentis nemo ignoret* ad quem, necessitate urgente, sit recurrendum. Vide etiam *Prælect. S. Sulpitii*, n° 226.

Multi tenent, quòd abesse absque substitutione vicarii *per duas vel tres dies*, etiam nullo infirmante, si nulla causa extraordinaria talem absentiam legitimaret, esse *probabiliter mortale*, maximè in villis ubi non facilè alius sacerdos adiri posset. Citantur Possevin., Barbosa, Reiffenst., etc.

Si tempore quo urget repentina dicessio ob periculum instans, adsit infirmus, et non habeat parochus quem substituat ad conferenda sacramenta, nec infirmus commodè possit expectare sacerdotem aliunde arcessendum, tenetur curatus subire quodvis periculum potiùs quàm relinquere infirmum.

Motivum absentiæ Episcopo est exponendum, nec suffic

ipsi dicere causam esse gravem, et hoc juramento firmare. Ita Declarat. S. Congr. Conc., 17 oct. 1604.

In dubio de justitiâ causæ, Episcopi judicio standum est.

Quærit. 5° An consuetudo possit excusare à residentiâ?

Resp. Negativè, cùm, juxta Concil. Trident., *potius corruptela censenda sit* (Sess. 23, c. 1).

An parochi studentes vel docentes à residentiâ eximantur, vide solutum in nostro *Manuali*, n° 1467.

537. Quærit. 6° Utrum aeris intemperies sit legitima non residendi causa?

Resp. Morbum cum aeris inclementiâ esse causam sufficientem ut Episcopus ultra duos menses abessendi licentiam concedat, modò tamen infirmitas non sit perpetua et absentia non sit ovibus graviter nocitura; tunc enim pastor deberet vel residere, vel curam resignare. Item modò periculum sit particulare ipsi pastori : nam quando est commune toti populo, prout accidit tempore pestis, tunc residere debet parochus ut, per se vel per alios, administret sacramenta Baptismi et Pœnitentiæ : sic declaratum fuit à S. C. Conc., anno 1576, 11 oct., instante S. Carolo Borromæo [1]. Idem est dicendum, ait Sporer, de tempore incursionis hostium; et tunc parochus, etiam cum periculo mortis, tenetur ministrare duo præfata sacramenta. An idem sit dicendum de Viatico, controvertitur ap. S. Liguor., lib. 6, 233. Negatur verò quoad Extremam-Unctionem, *ib.*, n° 729. Non autem potest parochus in præfatis circumstantiis officio suo renuntiare, licet possit alios substituere cum Ordinarii licentiâ.

538. Quærit. 7° An legem residentiæ impleat qui residet inutiliter, nihil operando pro parochiæ bono?

Resp. 1° Ex Bened. XIV (*Inst.* 17, n° 6) certum est ujusmodi parochos desides lethali crimini esse obnoxios.

[1] Mandavit Gregor. XIII : « Scribendas simpliciter litteras ad Card. « S. Praxedis, quibus significetur Sanctitatem Suam decrevisse paro- « chos tempore pestis omnino teneri residere in suis ecclesiis, posse « tamen per alium idoneum ministrare sacramenta Baptismi et Pœni- « tentiæ : et si non residerint, contra eos procedendum, servatâ formâ « Trident., sess. 23, cap. 1 ».

« Potest tamen parochus, inquit Ferraris (v° *Parochus*, « art. 2, n° 20), unum vel plures cooperatores habere, et « ipsi seu ipsis relinquere munera magis ardua, ut ire de « nocte ad infirmos, peragere divina officia in ecclesiis « filialibus distantibus, confessiones multas audire et « hujusmodi : dummodo simul ipsemet parochus, cessante « justo impedimento, aliqua etiam munia pastoralia, « præsertim principaliora personaliter præstare non inter- « mittat; et quando nominatim vocatur à parochianis, ad « ipsos præsertim infirmos ire non recuset... Docetque « hoc recepta consuetudo, quæ est optima legum inter- « pres. »

Quoad restitutionem fructuum, quidam dicunt ad illam non teneri parochos inutiliter residentes, quia, tales corporaliter resident, et per cooperatores, curam animarum suis sumptibus gerunt; sed contrarium verius putat S. Liguor., lib. 4, n° 127.

539. Quærit. 8° In quo loco possint et debeant residere parochi?

Resp. Regulariter parochos debere habitare intra parochiæ limites et in domo parochiali, si adsit. Ita S. Congr. Conc.

Justâ autem causâ interveniente, potest parochus alibi quàm in parochiali domo habitare; sic parocho seni concessit S. Congregatio ut in domo paternâ ecclesiæ vicinâ manere posset.

Imò extra parochiæ limites habitare potest parochus, justâ de causâ cum licentiâ, modò locus ita vicinus sit ut officium suum convenienter explere valeat; sic S. Congr. Conc., die 16 jun. 1607 : « Censuit... Episcopum... posse « permittere, ut rector, qui neque ex fructibus ædes in « parochiali construere, nec alias intra suæ parochiæ fines « conducere potest, inhabitet domum in alterâ parochiâ « viciniori.., atque ita... animarum curam gerat, fructus- « que suos faciat.., donec alia ratio, quâ residentiæ ada- « mussim satisfiat, possit iniri. » Vide in nostro *Manuali*, n° 1475.

« Quando parochia distat à civitate duobus passuum mil- « libus aut ampliùs, non licet parocho in civitate diu noc-

« tuque exceptis diebus festis, commorari, etiam relicto « in parochiâ substituto : item non ei licet nocturno dun- « taxat tempore in parochiâ habitare et, dictâ missâ summo « mane, ad civitatem redire...., quamvis etiam substitu- « tum in parochiâ manentem haberet. Item, vice versâ, « non ei licet nocturno tempore, per majorem anni par- « tem in civitate morari, quamvis diurno in parochiâ dege- « ret atque ibi habitantem substitutum haberet ». Ita decisum à S. C. Conc., 10 maii 1687.

« Quando parochus absque legitimâ causâ non habitavit « in domo parochiali, sed in aliâ intra fines parochiæ, etsi « contra præceptum residentiæ peccaverit, non tamen « tenetur ad fructuum restitutionem ; atque idem dicen- « dum videtur si habitaverit extra parochiæ limites, modò « necessaria ad curam præstiterit. In utroque casu, si jus- « sus ab Episcopo ut debito loco habitaret, parere renuerit, « mulctari potest. » Ita Bouix, *ibid.*, p. 562 et 563.

540. Quærit. 9° Quomodo amittant fructus sui beneficii parochi non residentes?

Resp. Parochos, ultra bimestre absentes sinè sufficienti causâ, *fructus suos pro ratâ temporis absentiâ non facere, nec tutâ conscientiâ (aliâ etiam declaratione non secutâ) illos sibi detinere posse, sed teneri,* ipsis non præstantibus, *per superiorem ecclesiasticum illos fabricæ ecclesiarum, vel pauperibus loci erogare.* Id constat ex Conc. Trid. (sess. 23, cap. 1, *De ref.*); postquam enim hoc S. Synodus, contra Episcopos ultra trimestre non residentes, statuit, sic addit: « Eadem omninò, etiam quoad culpam (sed hîc ultra « bimestre), amissionem fructuum..., de curatis inferio- « ribus... Sacrosancta Synodus declarat et decernit ».

Si abesset parochus cum justâ causâ, sed sinè licentiâ, non teneretur ad restitutionem fructuum ante judicis sententiam.

Si verò parochus bonâ fide abesset ultra bimestre cum existimatione causæ sufficientis, quæ reverà talis non esset, quidquid dicant in contrarium Viva et Garcias, excusari non potest, juxta S. Liguor., ab obligatione fructus restituendi (lib. 4, n° 127, dub. 2).

Controvertitur autem utrum sit obligatio omnes fructus

tempori absentiæ correspondentes, restituendi. Probabilem putat S. Liguor., cum aliis pluribus, sententiam quæ dicit esse tantùm obligationem restituendi partem fructuum quæ residentiæ correspondet : quia fructus dantur pastoribus non solùm pro onere residentiæ, sed etiam pro recitatione divini officii et aliis muneribus (*ib.*, dub. 4).

541. Quærit. 10° Quomodo Episcopus procedere debeat contra parochos non residentes?

Resp. Liberum est Episcopo, sive per substractionem fructuum, sive per censuras, sive per privationem beneficii, procedere contra parochos et omnes curam animarum habentes qui non resident. Ita Conc. Trident. (Sess. 23, cap. 1, *De ref.*).

Si velit Episcopus per privationem fructuum tantùm procedere, tenetur servare intervalla et quantitates, prout quoad Episcopos præscribitur (Sess. 6, cap. 1). Ita S. C. Conc.; et ratio est quòd statuta, contra Episcopos non residentes, applicanda sunt parochis non residentibus, expressè quoad privationem fructuum. Potest tamen Episcopus exsequi privationem, nulla observando intervalla, quoad fructus quos ob omissam residentiam parochus non fecit suos. Ita S. Congr. Concil.

Procedens per privationem beneficii, non tenetur Episcopus citare parochum tribus edictis, sed sufficit uno, cum assignatione competentis termini.

A Decretis Episcopi exsecutoriis contra parochos non residentes, non datur appellatio ad effectum suspensivum, sed duntaxat ad effectum devolutivum, ut colligitur ex his Tridentini verbis : *nec exsecutionem appellatione suspendi posse*. Ita communiter.

III. — De obligatione missam offerendi pro populo.

542. Tenentur parochi etiam amovibiles, vicariique parochi ad offerendum pro populo diebus dominicis et festis de præcepto, non obstante quâvis contrariâ consuetudine, et etiamsi congruis redditibus non fruantur. Id constat ex Concilio Trident. (sess. 23, cap. 1, *De reform.*), ubi dicitur : « Cùm præcepto divino mandatum sit, omni« bus quibus animarum cura commissa est, oves suas

« dignoscere, *pro his sacrificium offerre*, etc.» Item constat ex Bullâ *Cùm semper* Bened. XIV. Dicitur autem in hâc Bullâ quòd fiat satis obligationi offerendi missæ sacrificium pro populo, si ii, qui animarum curam habent, missam applicent populo *dominicis aliisque per annum diebus festis de præcepto*; et insuper quòd sub dictâ obligatione comprehendantur *vicarii parochi*, seu ii qui curæ exercitium habent, remanente penes alium *habituali curâ*; itemque vicarii seu œconomi qui, vacante parochiâ, ad curam in eâ exercendam deputantur; et curati ad nutum amovibiles, sive sæculares sive regulares.

Quoad eos verò qui se ab hujusmodi onere eximi posse sibi persuaserunt, ob contrariam consuetudinem saltem immemorabilem, addit Bened. XIV pluries à S. Congreg. fuisse responsum : *hujusmodi consuetudinem, licet immemorabilem, quæ potiùs abusus et corruptela dicenda est, nemini suffragare.*

Quòd autem præfatâ obligatione teneantur etiam parochi congruis redditibus destituti, declaravit Innocent XII, Bullâ *Nuper*, 24 apr. 1699; itemque Bened. XIV in citatâ Constit. *Cùm semper.*

543. Quærit. 1° Utrum parochi teneantur ad celebrandum pro populo, etiam in festis per indultum 9 aprilis 1802 in toto Gallicæ Reipublicæ territorio suppressis?

Resp. Affirmativè. Illud constat plurimis S. Congr. Conc. instruct., et novissimè Encyclicâ Pii IX *Amantissimi Redemptoris*, 3 maii 1858, ad Episcopos universi orbis directâ, in quâ sic legitur : « Hisce litteris declaramus om-« nes animarum curam actu gerentes, sacrosanctum Missæ « Sacrificium pro populo sibi commisso celebrare et appli-« care debere, tum omnibus diebus, qui ex præcepto « adhuc servantur, tum illis etiam qui, ex hujus Aposto-« licæ Sedis indulgentiâ, ex dierum de præcepto festorum « numero sublati ac translati sunt... Id unum excipimus « ut scilicet quandò unà cum solemnitate divinum officium « translatum fuerit in Dominicam diem, una tantùm missa « pro populo sit à parochis applicanda.» Vide alia in nostro *Manuali*, n^is^ 1486, etc.

544. Quærit. 2° Quænam fuerint illa festa suppressa

in quibus remanet obligatio pro populo Sacrum faciendi?

Resp. Illa esse, ex Encyclicâ suprà relatâ, quæ determinantur in catalogo Festorum Urbani VIII, additâ Conceptionis Immaculatæ Festivitate, quæ postea à Clemente XI fuit præscripta ; videlicet : « Natalis Domini, Circumcisionis, Ephiphaniæ, Paschatis cum duabus diebus subsequentibus, Ascensionis, Pentecostes cum duabus diebus subsequentibus, Trinitatis, Corporis Domini, Inventionis Sanctæ Crucis, Purificationis, Annuntiationis, Assumptionis, Nativitatis B. Mariæ Virginis, Dedicationis, S. Michaelis, Nativitatis S. Joannis Baptistæ, SS. Petri et Pauli, S. Andreæ, S. Jacobi, S. Joannis, S. Thomæ, SS. Philippi et Jacobi, S. Bartholomæi, S. Matthæi, SS. Simonis et Judæ, S. Matthiæ, S. Stephani, SS. Innocentium, S. Laurentii, S. Sylvestri, S. Josephi, S. Annæ, Omnium SS., Festum unius è præcipuis Patronis cujusque civitatis aut loci » ; et insuper omnes alias Dominicas anni.

Per Festum Patronorum intelligitur Patronorum totius regni, vel totius diœcesis aut civitatis, qui fuerunt legitimè assumpti, nempe per electionem à populo factam cum assensu Sedis Apostolicæ. Non intelligitur autem per Festum Patronorum Festum Titularium Ecclesiæ, quippe non erat de præcepto ante annum 1802.

Controvertitur utrum die Natalis Domini parochus teneatur tres missas recitare : Bened. XIV (*De Sacrif. Missæ*, lib. 3, cap. 9, n° 9) adhærere videtur sententiæ affirmanti ; sed addit nihil ab Ecclesiâ et Sacris Congregationibus fuisse decisum quoad obligationem illas tres missas populo applicandi ; unde eo die non est obligatio applicandi populo nisi unam missam.

Die verò Commemorationis omnium Defunctorum, parochus non tenetur specialiter missam applicare pro defunctis parochiæ.

545. Quærit. 3° An parochi per seipsos teneantur celebrare missam pro populo ?

Respondit affirm. S. C. Concil., 25 sept. 1847 : excipiendo tamen *casum veræ necessitatis et concurrente causâ canonicâ*.

Causæ legitimæ celebrandi per alium sunt: Non quidem absentia, sed 1° infirmitas : parochi enim etiam infirmi pro populo sacrificium offerre, per se aut per alios, tenentur; 2° obligatio celebrandi missam conventualem : v.g., in Cathedrali. Missa autem celebranda pro defuncto, etiam die funerum, non esset ratio sufficiens cur parochus vicario suo committeret celebrationem missæ pro populo.

Contra prædictam parochorum per seipsos offerendi obligationem nulla valet consuetudo. Ita S. Congr. Conc., 25 sept. 1847.

An parochus legitime absens celebrare facere teneatur in ecclesia propria per alium missam pro populo, S. Congregatio Concilii affirmative responderat *in Lucana* 15 sept. et 17 nov. 1629 ; sed, 14 dec. 1872, declaravit parochum posse satisfacere in loco ubi degit, dummodo alius sacerdos in parochia celebret et verbum Dei explicet (V. *Revue des sciences ecclés.*, t. XXVII, p. 227).

Prædictæ obligationi satisfacere potest parochus per missam privatam quâcumque horâ. S. Congr. Rit., ap. Gardellini, n° 4968.

Qui ex ignorantiâ, errore, negligentiâ, etc., omisit applicare missam populo, debet præteritas omissiones supplere, nisi obtinuisset condonationem à S. Sede.

Casu quo aliquis parochus sit adeò pauper ut vivere cogatur ex eleemosynis missarum, Bened. XIV (in Encyclicâ *Cùm semper*) facultatem concedit Episcopis cum eo dispensandi ut ipse possit, etiam diebus festis, missam applicare pro eleemosynam offerentibus, modò intrà eamdem hebdomadam missas omissas pro populo applicet.

IV. — De obligatione parochi prædicandi et pueros edocendi.

546. Tenetur parochus, etiam amovibilis, per seipsum, nisi sit legitimè impeditus, verbum salutis habere ad populum, diebus dominicis et festis solemnibus. Ita Concil. Trident. (sess. 5, cap. 2); et ad hoc tenetur jure divino (Sess. 23, cap. 1).

Si verò per alios fiat prædicatio, prædicatores deputantur ab Episcopo *impensis eorum* qui eas præstare vel tenentur vel solent... « Tempore autem jejuniorum Quadra-« gesimæ et Adventûs Domini, quotidie vel saltem tribus « in hebdomadâ diebus, si ita oportere duxerint (Episcopi), « Sacras Scripturas divinamque legem annuntient, et aliàs « quotiescumque id opportunè fieri posse judicaverint » iidem Episcopi (Conc. Trid., sess. 24, cap. 6).

« Si curatores animarum per se velint munus prædica-« tionis obire, non debent impediri » (ab Episcopo). Ita declaravit S. C. Concilii.

Sinè licentiâ Ordinarii parochus nulli potest permittere ut prædicet, quamtumvis prædicator sit sibi notus, et etiamsi semel aut bis tantùm esset prædicaturus, et etiamsi esset Episcopus. Ita ex declarat. Clement VIII. Hæc intelligenda sunt etiam de *pronao* et catechesi. Ex praxi tamen parochi permittunt prædicare semel aut bis sinè recursu ad Ordinarium, qui in id solet consentire.

Ex responso S. Congr. ad Episcopum Melitensem, non opus est ut sit perpolita et elaborata concio; sed *satis est* ut « parochi, saltem Dominicis et festis diebus, plebes « sibi commissas, pro suâ et earum capacitate, pascant « salutaribus verbis. » Ita etiam Bened. XIV, *Instit.* 10, n° 3.

Juxta sententiam communiter receptam, graviter peccant parochi qui, sive *per unum mensem continuum*, sive *per tres menses non continuos*, nec per se nec per alios prædicant.

Quoad pœnas autem quibus plecti possunt parochi hanc prædicandi obligationem non implentes, sic habet Concil. Trident. (sess. 5, cap. 2) : « Ubi ab Episcopo moniti, « trium mensium spatio, muneri suo defuerint, per cen-« suras ecclesiasticas, seu alias ad ipsius Episcopi arbi-« trium cogantur. »

Circa obligationem parochi pueros edocendi, sic statuit idem Concil. Trid. : « Idem etiam, saltem Dominicis et « aliis festivis diebus, pueros, in singulis parochiis, fidei « rudimenta et obedientiam erga Deum et parentes, dili-« genter, ab iis ad quos spectabit, doceri curabunt, et, si

« opus sit, etiam per censuras ecclesiasticas compellent, « non obstantibus privilegiis et consuetudinibus. » (Sess. 24, cap. 4, *De reform.*)

Juxta Barbosam, mortaliter peccat parochus, qui nimiùm negligens est in hujusmodi doctrinâ christianâ edocendâ.

V. — De obligatione parochi ministrandi sacramenta.

547. Dicemus hìc solùm an et quomodo teneantur parochi administrare in genere sacramenta.

« Commune est, inquit S. Liguor. (lib. 6, nº 58), quòd « pastores teneantur ex justitiâ, ratione stipendii quod « exigunt, sacramenta ministrare suis subditis rationa- « biliter petentibus, etiam extra gravem necessitatem (aut « casus quibus præceptum communicandi obligat, lib. 6, « nº 553). Et proinde peccat pastor qui morosum vel dif- « ficilem subditis se reddit... Excusabitur tamen à mortali, « si semel aut iterum extra necessitatem sacramenta dene- « gat; quia non videtur tàm strictè se obligasse... Aversa... « excipit si subditus peteret ex urgenti occasione, v. g. « Festi solemnis, etc. »

« Pueris qui jam sunt compotes rationis, in articulo « mortis, non solùm communio dari potest... sed etiam « debet. » S. Liguor., lib. 6, nº 301, dub. 2.

Pro Eucharistiâ, vide S. Liguor., lib. 6, nº 252; et pro Pœnitentiâ, *ib.*, nº 623.

VI. — De administratione temporali parochiæ.

548. « Bona ecclesiarum et clericorum esse... exempta « à jurisdictione Principis sæcularis, magno Patrum con- « sensu... declaratum est in... Concilio Generali sub Inno- « centio III, cap. 44 (seu in cap. *Cùm laici*, *De rebus Ec- « clesiæ non alien.*)..., et hanc quoque exemptionem esse « de jure divino constate videntur ex... cap. *Quamquam*, *De « censibus*... ibid. — *Cùm igitur Ecclesiæ ecclesiasticæque « personæ, ac res ipsarum, non solùm jure humano, quin « imò et divino à sæcularium exactionibus sint immunes...*, « hinc sequitur ut Princeps sæcularis nullam sibi auctori-

« tatem aut jurisdictionem in ecclesias, personas et bona « hujusmodi possit vindicare... Unde... infertur ut omnes « leges quæ habentur in titulis Codicis (nempe Justiniani) « de sacrosanctis ecclesiis, de Episcopis et clericis... cum « similibus, non valeant ex defectu potestatis... Hinc etiam « fit ut nulla ratio habenda sit solemnitatis ab Imperatore « introductæ in alienatione bonorum Ecclesiæ... Ejusmodi « autem legibus sacri canones vehementer resistunt, ita ut « earum conditores etiam sententiæ excommunicationis « subjaceant. » Ita Fagnan.

Etiam Concilio Tridentino nititur hæc doctrina : sic enim legitur sess. 22, cap. 11 : « Si quem clericorum vel lai- « corum, quâcumque is dignitate, etiam imperiali aut « regali præfulgeat, in tantum... cupiditas occupaverit, ut « alicujus ecclesiæ, seu cujusvis... beneficii... aliorumque « piorum locorum jurisdictionem, bona... ac jura..., per « se vel alios..., quâcumque arte aut quocumque quæsito « colore..., usurpare præsumpserit, seu *impedire ne ab iis* « *ad quos jura pertinent percipiantur*, is anathemati tam- « diù subjaceat, quamdiù jurisdictiones, bona... eccle- « siæ ejusque administratori... integrè restituerit, ac deinde « à Romano Pontifice absolutionem obtinuerit... Clericus « verò qui nefandæ... usurpationi hujusmodi... consentiens « fuerit, eisdem pœnis subjaceat. »

Ex concessione tamen S. Sedis, aliquid juris in administrandis Ecclesiæ bonis competere potest sæculari potestati.

549. Quærit. 1° Quid possit aut debeat facere parochus circa temporalem parochiæ suæ administrationem?

Resp. Parochus, inquit Bouix, *De Parocho*, p. 615, etc., « 1° Debet inventorium facere rerum, bonorum, et reddi- « tuum ad ecclesiam pertinentium.... atque hujusce inven- « torii unum exemplum Episcopo tradere, in archivio epis- « copali asservandum, alterum propriâ manu subscriptum « inter ecclesiæ scripturas retinere. De quo vide disposita « in Bullâ S. Pii V, etc.

« 2° Parochus nullatenus distrahere potest... res ad eccle- « siam pertinentes sinè obtentâ ab Ordinario licentiâ : « quam ille non aliter concedere debebit, quàm si alias res

« meliores aut saltem æquales, in locum amovendarum, « parochus reipsâ substituat, nisi fortè justa aliqua neces- « sitas secus suadeat, quod Episcopi prudentiæ statuendum « relinquitur. » Ita S. Pius V.

« 3° Sub excommunicationis aliisque gravissimis pœnis « constitutum est in Extrav. *Ambitiosæ*, *De rebus eccles.* « *non alien.*, ne, absque auctoritate apostolicâ, ullo « pacto, bona immobilia ultra triennium locentur, aut « aliâ ratione alienentur... Nomine alienationis intelligo « omnem actum quo dominium rei directum, vel utile, « aut ususfructus, aut usus in alterum transfertur aut « abdicatur [1].

« 4° In alienatione rerum tenuiorum (quæ non exce- « dunt 25 scutorum aureorum valorem, licet immobilium.., « sufficit (sicut pro mobilibus) licentia Ordinarii, non « tamen Vicarii Generalis. » Sed vide nostrum *Manuale* (2915) ubi usque ad 500 fr. hanc licentiam extendit ipse- met Bouix.

« 5° Nequit parochus bona ecclesiæ locare cum antici- patis solutionibus (Trident., sess. 24, sess. 11).

« 6°... Exceptis prohibitis casibus, ad ipsum (paro- « chum) spectat contractus quoad res ecclesiæ suæ tem- « porales facere, in judicio stare pro tuendis ejusdem « ecclesiæ juribus, et uno verbo, personam administra- « toris facere. »

7° Jus tamen parochi remanet semper et in omnibus auctoritati Ordinarii subordinatum : proinde liberum est Episcopo quas existimaverit parocho præscribere regulas, circa temporalem parochiæ administrationem, modò Apo- stolicis Constitutionibus, seu universalibus Ecclesiæ legibus non adversentur.

550. Quærit. 2° An legitime laicis (v. g. matricularii

[1] Circa hanc Extravag. sic habet Reiffenst., lib. 3, tit. 13, n° 32 : « De consuetudine, præsertim in Germaniâ et locis ab Urbe remotis, « ubi difficilis aditus ad Papam est, dicta Extravagans recepta non « est, saltem quoad hoc ut etiam inferiores Prælati Episcopis subjecti « teneantur in ejusmodi alienationibus consensum Papæ exquirere : « adeò ut ibi sufficiat consensus Episcopi. » Sed vide nostrum *Manuale* (5320, etc.) et C. *Apost. Sedis.*

quales sunt apud nos) possit committi temporalis Ecclesiæ administratio ?

Resp. Affirmativè, dummodo ab ecclesiasticâ auctoritate deputentur. Id supponit Concil. Trident. (sess. 22, cap. 9).

Quomodo autem introductum fuerit in Galliâ quòd independenter ab auctoritate ecclesiasticâ res ecclesiarum administrarent laici, invenire non potuit Thomassinus : « Quand « et comment ces marguilliers sont devenus ce que nous « les voyons présentement dans nos églises de France, « c'est un détail que je voudrais apprendre de quelqu'un « plus habile que moi ». Sed hoc à manifestâ usurpatione laicæ potestatis initium sumpissse videtur. Vide nostrum *Manuale* (5303-5315).

Quamvis norma à legibus civilibus statuta pro administratione bonorum ecclesiasticorum illegitima sit, quando consensu Ecclesiæ non fulcitur, à parochis tamen addisci debet, cùm obtemperare hujusmodi ordinationibus cogantur.

VII. — De quibusdam aliis parochorum obligationibus.

551. 1° Sacra Congregatio censuit Episcopum cogere posse, ad interessendum congregationi casuum conscientiæ parochos, tàm sæculares quàm regulares, curam animarum exercentes (3 sept. 1650).

Imò proposito dubio « An Episcopus possit compellere « Canonicos confessarios, cæterosque presbyteros Cathe- « dralis, sub pœnâ pecuniariâ, ut accedant ad congrega- « tionem casuum conscientiæ : — Rescriptum fuit : *posse* « *compellere omnes sacerdotes sæculares confessarios, etiamsi* « *sint Canonici; cæteros verò non posse compellere, sed* « *hortari* ». 26 januarii 1732.

2° Certum est Parochos teneri Synodo interesse, uti constat ex Concil. Trid. (sess. 24, cap. 2, *De ref.*) : « Ratione parochialium aut aliarum sæcularium eccle- « siarum, etiam annexarum, debeant illi qui illarum curam « gerunt, quicumque illi sint, Synodo interesse ». — Sub prælatâ lege patet comprehendi parochos etiam ad nutum « amovibiles. Bened. XIV (*De Syn.*, lib. 3, c. 5, n° 2).

3° « Parochi exercitiis spiritualibus quotannis vacare « debent. » Ita Bened. XIV, Constit. *Ubi primùm*, § 3.

4° Parochus relinquere non potest animarum curam, inconsulto Episcopo. Bened. XIV, Const. *Ex quo*. Vide tamen nostrum *Manuale* (2616, etc.).

5° Debet habere libros in quibus accuratè describantur nomina baptizatorum, matrimonio conjunctorum, et defunctorum. Monetque insuper Rituale Romanum ut parochi alium librum conficiant de statu animarum, in quo consignentur nomina et conditio singulorum parochiæ incolarum.

ART. II.

DE VICARIIS PAROCHIALIBUS ET ALIIS SACERDOTIBUS QUI IN PAROCHIA SACRUM MINISTERIUM EXERCENT.

§ I.

De Vicariis parochialibus.

552. *Vicarii* nomine intelligitur in genere ille qui vicem alterius tenet. Per *vicarios* autem *parochiales* intelligendi sunt qui vicem parochorum implent.

I. — DE VICARIIS QUI AD REGENDAM PAROCHIAM SUO PAROCHO ORBATAM DEPUTANTUR.

553. 1° Ad Episcopum, seu ad eum qui potest instituere concursum, pertinet deputare vicarium ad regendam parochiam suo parocho per mortem orbatam : hæcque deputatio quamprimum fieri debet, ex Bened. XIV Constit. *Cùm illud*, § 16, et ex Concilio Trident. (sess. 24, c. 18), ubi dicitur : « Debeat Episcopus statim habitâ notitiâ vaca- « tionis ecclesiæ, si opus fuerit, idoneum in eâ vicarium, « cum congruâ ejus arbitrio fructuum portionis assigna- « tione, constituere ».

Hujusmodi vicarii ab Episcopis, etiam sinè causâ, revocari possunt; missam applicare debent pro populo diebus Dominicis et festis de præcepto, ex Const. *Cùm semper*.

2° Si agatur de *œconomo* seu vicario deputando *propter absentiam parochi*, illius nominatio regulariter ad ipsum

parochum spectat, cum approbatione tamen Episcopi, per quem fit congrua assignatio. S. Congr. Episc... 7 dec. 1691.

II. — De vicariis qui parocho residenti et parochiam administranti auxiliantur.

554. Diximus supra ad quem pertineat hujusmodi vicariorum nominatio aut revocatio : omninò autem necessaria est Episcopi approbatio, quæ non sit tantùm pro audiendis confessionibus, sed expressè pro vicarii munere. Constat ex Constitut. Bened. XIII et Innoc. XIII.

Item ad Episcopum pertinet assignare congruam dictis vicariis tribuendam, ex Constit. Innocent. XIII, *Apostolici muneris*.

Ex eâdem Constit. : « Si parochi ab Episcopis moniti... « vicarios... assumere neglexerint, poterunt ipsi Episcopi « eos... auctoritate propriâ deputare... » Quæ sanè applicanda sunt imprimis casui quo parochi ab exercitio suarum functionum fuerint interdicti.

555. Quærit. 1° Quamnam jurisdictionem habeant vicarii de quibus hîc agitur?

Resp. Cùm ejusmodi vicarii deputari soleant ut parochum in administratione sacramentorum adjuvent, ex ipsâ eorum deputatione meritò censetur eis concessa facultas omnia sacramenta ministrandi, ac proinde Pœnitentiæ et Matrimonii. Ita communiter.

Si, ab Episcopo tantùm, non verò à parocho, limitaretur generalis deputatio vicariorum, ad validitatem matrimoniorum sufficiens esset ipsorum præsentia, quamvis non ad liceitatem. Ita decisum à S. C. Concil. Ex quâ decisione patet vicarios posse habere et reverà accipere à suis parochis jurisdictionem, quamvis pariter ab Episcopis recipiant.

Idem et propter eamdem rationem videtur esse dicendum, si à parocho tantùm, non autem ab Episcopo limitaretur generalis delegatio vicariorum, casu saltem quo Episcopus, approbando vicarium, simul ipsi jurisdictionem præbet, prout hodie ordinariè contingit, juxta S. Liguor., lib. 6, n° 564 : quâ Episcopali delegatione non impeditur

ea quæ à parocho dimanat, cùm vicarius possit jurisdictionem simul et à parocho et ab Episcopo recipere.

Dicit quidem auctor *Prælect. S. Sulpitii* (nº 228, III) vicarios temporales, juxta disciplinam apud nos vigentem, delegari ab Episcopo cum jurisdictione tantùm pro confessionibus audiendis et pro celebratione missæ : quoad verò cæteras functiones, arbitrio parochi dimitti ut eas sibi reservare possit. Unde, juxta ipsum, invalidi essent actus à vicario peracti absque delegatione parochi, ut puta Matrimonium. Sed immeritò nobis videtur asseri talem disciplinam apud nos generaliter vigere.

Cùm autem delegatus ad generalitatem causarum possit subdelegare ad aliquem particularem casum, sequitur dictos vicarios posse etiam aliquem sacerdotem ad assistendum alicui Matrimonio validè subdelegare. Sed non potest subdelegare pro generalitate causarum.

556. Quærit. 2º Utrum vicarii jurisdictionem erga parochianos possint extra parochiam exercere per se vel per alios?

Resp. 1º Certum est quòd non possint absolvere sacramentaliter parochianos extra parochiam vel parochias pro quibus approbantur, cùm ad hoc sit necessaria approbatio Episcopi loci in quo confessiones audiuntur. Ita decisum à S. Congr. Concil., 19 januar. 1641 et 3 dec. 1707.

2º Quoad alia sacramenta, v. g., quoad Matrimonium, an vicarii possint jurisdictionem exercere extra parochiam erga parochianos, controvertitur : plures negant; quia ex Clement. *Dudum*, *De sepulturis*, regulares approbati cum jurisdictione delegatâ nullatenus confessiones audire debent, *extra civitates et diœceses* in quibus fuerunt deputati : tempore enim publicationis Clementinarum, nondum approbatio erat requisita ad validitatem sacramenti Pœnitentiæ, sed hâc epochâ sufficiebat, potestas jurisdictionis; si ergo tunc deficiebat potestas jurisdictionis pro sacramento Pœnitentiæ quando regulares confessiones excipiebant *extra civitates et diœceses* pro quibus delegati fuerant, ergo tunc jurisdictio delegata ad territorium restringebatur; ergo idem esse debet hodie, proinde generaliter dici debet quòd vicarii jurisdictionem exercere non

valeant extra parochiam, etiam erga parochianos : et in hoc sensu fuisse decisum affirmant Barbosa et Fagnan., apud Lequeux, n° 64.

Multi èncontra affirmant pro casibus qui à jure non excipiuntur, inter quos non computandum est Matrimonium : « Ratio est quòd Concilium Trident. exigat tantùm assis- « tentiam sacerdotis de licentiâ parochi, et nihil decernat « de loco. Insuper assistentia Matrimonio non est actus « jurisdictionis... Pariter licentia non est propriè dicta de- « legatio, sed conditio, quâ positâ, Concilium ipsum dele- « gationem confert... Ergo nulla est ratio cur exerceri non « possit extra territorium parochi. » Ita Carrière cum aliis pluribus.

Ad rationes adversariorum responderi potest quòd Clement. *Dudum* dicat quidem regulares non approbatos, nequire extra loca in quibus fuerunt approbati, audire validè et licitè confessiones fidelium locorum pro quibus non fuerunt approbati, si quidem pro iis carebant jurisdictione; sed minimè dicat, extra indicata loca, non posse saltem validè audire confessiones fidelium locorum pro quibus fuerunt approbati. Unde nihil concludendum ex hâc Clement. contra secundam sententiam. Vide nostrum *Manuale*, n° 1524.

In hoc autem opinionum conflictu, prudenter extra necessitatem vicarius se abstinebit ab exercitio prædicto jurisdictionis extra parochiam. Posito tamen quòd eam exercuerit, Matrimonium censendum erit validum juxta sententiam quam S. Liguor. (lib. 1, n° 50) vocat *communissimam*; quia in hoc casu Ecclesia supplere valet jurisdictionem et meritò præsumenda est eam supplere. Imò juxta principia ejusdem S. Liguor. vicarius assistens Matrimonio in præfato casu, aut sacerdotem delegans licitè ageret, saltem si locus non esset existimandi in hoc parochum esse justè invitum.

557. Quærit. 3° An quando parochus accepit ab alio, pro casu determinato, facultatem assistendi Matrimonio eorum qui non sunt ipsius parochiani, suum vicarium delegare valeat ad hujusmodi Matrimonii celebrationem?

Respondet D. Carrière n° 1343) illud pendere à voluntate

parochi contrahentium : vel enim licentiam assistendi præfato Matrimonio præbet, quia parochus delegatus specialem habet rationem ei assistendi, v. g. quia est partium cognatus : et tunc parochus delegatus non valet suum vicarium in vicem suam implendam deputare, ex principio quòd *delegatus non potest subdelegare*. Si verò nullum sit motivum speciale cur parochus potiùs quàm vicarius assistat Matrimonio, sed licentia ideò fuerit data ad vitandas expensas vel alia incommoda, tunc videtur posse deputari vicarium, quia delegans præsumi potest in hoc consentire.

558. Quærit. 4° Quomodo cesset jurisdictio vicariorum?

Resp. Non cessat jurisdictio vicarii parochialis per mortem aut qualemcumque mutationem sui parochi, quia de eo non est idem dicendum ac de Vicario Generali : vicarius enim parochialis non eamdem personam facit cum parocho ; alioquin potestatem ordinariam haberet prout habet Vicarius Generalis ; atqui tamen vicarius parochialis est solummodo delegatus, et quidem ad *universitatem causarum* ; unde ipsius delegatio, cùm sit gratia facta, non expirat morte concedentis. Præterea facultates vicario concessæ, non solùm à parocho, sed ab Ordinario venire solent. Ergo non possunt cessare per solam mortem aut mutationem parochi.

Idem dicendum est pro casu mortis aut mutationis Episcopi propter eamdem rationem.

Vide insuper nostrum *Manuale*, n^is^ 490-497.

559. *Nota* : Salutaria Concil. Suessionensis anni 1849 monita ob oculos semper habere deberent vicarii : « Vica-
« rii, inquit Concil. (tit. 15, cap. 2, p. 118), in adjutorium
« ministerii parochialis instituti sunt... : quamobrem, non
« proprio nomine curam habent animarum, sed tanquam
« parochum repræsentantes. Debent igitur cum reve-
« rentiâ et subjectione erga eum se habere ; nihil, ipso
« invito, muneris obire nisi ob graves causas aliter ab
« Episcopo statutum fuerit. Curent, quantùm fieri potest,
« ut uniformem cum Parocho agendi rationem teneant ;
« nimia enim inter utrumque, quoad sacri ministerii
« praxim, discrepantia, in destructionem potiùs vergeret
« quàm in ædificationem. Summopere etiam caveant ne

« verbis aut factis parochum in mente fidelium imminuant; « sed in omnibus modestè, sicut decet, sese gerentes, « cum diligenti curâ fideli populo salutis adjumenta præ- « beant. »

§ II.

De aliis sacerdotibus qui in parochiâ sacrum ministerium exercent.

I. — De capellanis seu eleemosynariis.

560. Per Capellanos hîc intelliguntur sacerdotes, qui ad sacrum ministerium exercendum, apud certas et determinatas personas, deputantur, prout illæ opus habent.

Jus habent quoddam parochiale improprium cum quâdam jurisdictione in personas absque territorio, ait Cardinalis De Luca loquens de Capellanis hospitalium.

Jurisdictionem ordinariam saltem propriè dictam non habent Capellani, sed facultates eorum ordinariè ab Episcopis determinantur secundùm indigentiam eorum pro quibus deputantur.

Multiplicis generis sunt Capellani, videlicet : Capellani monialium, Capellani collegiorum aut aliorum Institutorum, Capellani hospitalium aut carcerum, Capellani tandem militum. De singulis est hîc disserendum :

561. — I. *Capellani monialium* : Ex Sacrâ Congregatione Episcoporum et Regularium, debent esse maturæ ætatis nempe 40 annorum. Unde, non obstante quòd moniales, jus habeant nominandi capellanum, potest illum Episcopus ex justâ causâ rejicere, puta si sit junior (S. C. Episcop. in *Bononiensi*, 31 maii 1602 et 29 novembris 1605). Ubi tamen senes de facili non inveniuntur, relinquitur prudentiæ Episcopi, ut etiam juvenes possint admittere, dummodo ornati sint qualitatibus requisitis. Removentur quicumque capellani vitæ dissolutæ, maximè si contrahant amicitias et mittant munera monialibus (S. C. Episc. 14 jan. 1742). Regulares non possunt esse capellani monialium (S. C. Episc. 17 apr. 1604) nisi propter penuriam presbyterorum

sæcularium. Capellani monialium debent esse amovibiles.

Monialium confessarii non possunt eligi ab ipsis monialibus (nisi ex lege fundationis hoc jus habeant, vel consuetudine), sed ab ipso Episcopo loci, pro monialibus sibi subditis. S. C. Episc. et Regul., in *Lauret.*, 20 sept. 1588, etc.

Circa hanc materiam, notandum quòd confessarii monialium cujuscumque communitatis, elapso triennio, declarantur suspensi ab audiendis ipsarum confessionibus, nisi licentiam S. Congr. obtineant. Ita ex pluribus Declarat. S. C.

« Advertit De Alexandro quòd Episcopi, in aliquibus « locis, ratione deficientiæ confessariorum idoneorum « sinant ipsos durare ultra triennium... Advertit (idem) « cum Bordonio (q. 5), quòd aliquando moniales possint « recusare confessarium ab Episcopo deputatum, ex justâ « causâ, nempe si confessarius sit inimicus propinquorum « aliquarum monialium, vel si sit nimis rigidus, etc. » S. Liguor., lib. 6, n° 577.

Nota adhuc « quòd prohibeantur eligi in confessarios « monialium Vicarii Generales; parochi, si cura notabi- « liter læderetur; omnes regulares, ex pluribus decretis « S. C. ap. De Alexandro, cap. 6, § 6; item Canonici « Pœnitentiarii, ex declar. S. C. Conc.; sed eos posse « eligi, si Episcopus aliter judicaret, sentit De Alexandro, « q. 7... » S. Liguor. (*ibid.*).

562. Præter confessarium ordinarium, dari debet monialibus extraordinarius; et hoc quidem *bis* vel ter in anno, imò quater juxta Constit. *Pastoralis* Bened. XIV. De hoc providere debet Episcopus, etiam pro monialibus exemptis si ipsarum superiores eis non concedant : « Quòd si Epis- « copus in hâc re negligens esset..., volumus, inquit Be- « nedictus XIV in dictâ Bullâ, *Majorem Pœnitentiarium*, « statim ac... requisitus fuerit, confessarium extraordina- « rium, ex eorum tamen numero qui ad excipiendas « monialium confessiones ab ipso Ordinario approbati « fuerint, cum omnibus necessariis facultatibus concedere « et deputare. »

In eâdem Bullâ, inquit S. Liguor., sancitur quòd « Mo-

« niales, etsi non teneantur extraordinario (confessario) « confiteri, teneantur tamen ei se sistere, ad audienda mo- « nita salutaria. Item quòd Episcopi hoc idem observent « *cum Conservatoriis*. Item quòd in articulo mortis, cuili- « bet moniali postulanti concedatur ab Episcopo confessa- « rius particularis. Item quòd si aliqua monialis renuat « confiteri ordinario, deputetur ei alius ab Episcopo pro « certis *viribus*. Hortatur autem Pontifex Episcopos ne sint « difficiles ad peculiaribus monialibus extraordinarium « confessarium aliquando petentibus concedendum. Et « eo tempore (confessarius) ordinarius nullius, neque « Abbatissæ neque novitiarum audiat confessiones. » S. Liguor., lib. 6, n° 576.

Cùm moniales non sint exemptæ in Galliâ, solent Episcopi deputare Capellanos cum facultate eadem peragendi ac facit parochus, licet, seclusâ in contrarium consuetudine, ad parochum jure communi pertineat Viaticum et Extremam-Unctionem non exemptis ministrare.

(Imò confessarii Conservatoriorum possunt feminas Conservatorio adscriptas, etsi extra monasterium existant, in confessione audire. — Decisum à Sacrâ Congregatione Episcoporum et Regularium 29 junii 1847.)

563. « Confessarius et Capellanus quarumcumque monia- « lium, quæ ad chorum sunt professæ (et recitant totum Offi- « cium canonicum, non autem tantùm parvum Officium « Beatæ Mariæ Virginis) aliique omnes et singuli, qui ex « debito tenentur celebrare in ecclesiâ earumdem monia- « lium, dummodo celebrent in ipsarum ecclesiâ, possunt et « debent quotidie dicere missam solemnem aut privatam, « modò hæc sit missa principalis..., conformem officio et « in colore ejusdem officii quod à monialibus in choro « recitatur, licet officium monialium sit etiam inferioris « ritûs (S. R. C., 11 junii 1701)... In casu... debent... « facere omnes commemorationes quas facerent si officium « monalium recitassent; missam autem dicere debent ex « Missali Romano ». Ita De Herdt (*Sacr. Liturg.*, t. 1, p. 1, n° 35). Neque missas proprias Sanctorum monialibus concessas possunt recitare, sed de communi, nisi de iis sit etiam missa propria et non superaddita in Missali

Romano. Vide alia in nostro *Manuali*, n° 1540 *in notâ*.

564. Quærit. Utrum Capellani monialium teneantur ad missam pro eisdem applicandam, diebus festis de præcepto?

Resp. Sacra Congregatio Rituum, circa hoc dubium interrogata ab Archiepiscopo Quebensi, ipsi respondendum censuit : — « Ad IV, *non teneri cùm non sint parochi* ». In eodem sensu decidit S. Congreg. Concilii 2 junii 1860.

565. — II. *Capellani Collegiorum* : Diximus de illorum nominatione supra (270). Ipsorum facultates ab Episcopis determinantur.

III. *Capellani Hospitalium et Carcerum* : De illorum nominatione vide (270). De illorum autem facultatibus, vide nostrum *Manuale* (612) et supra 520.

566.— IV. *Capellani Militum* : Sacra Congregatio Concilii, 6 martii 1694, *negativè* respondit dubiis sequentibus : « 1° An Capellani cujuscumque exercitûs, sive regulares, « sive sæculares, possint administrare militibus in præsi- « diis degentibus sacramenta Pœnitentiæ, Eucharistiæ et « Extremæ-Unctionis, sinè speciali facultate Sedis Apos- « tolicæ, vel licentiâ et approbatione Ordinarii in cujus « diœcesi exstare contigerit?

« 2° An assistere matrimoniis militum cujuscumque na- « tionis degentium in præsidiis, cum militaribus feminis, « sinè dictâ facultate Apostolicâ et præcedenti probatione « liberi statûs ejusque recognitione coram Ordinario loci, « et licentiâ parochi sub cujus parochiâ maneant?

« 3° An idem cum militibus degentibus in castris et sta- « tionibus hybernis vel æstivis?

« 4° An idem cum militibus *in actuali expeditione po- « sitis*?

« 5° An idem cum militibus nubere volentibus cum fe- « minis non militaribus, sed Italis, originariis loci seu diœ- « cesis in quâ reperiuntur? »

Eadem decisio fuit repetita 28 junii 1704. Ex his deduci debet quòd Capellani militum in præsidiis sint approbandi ab Ordinariis locorum, nisi facultates speciales à S. Sede obtinuerint.

Dicitur tamen in *Analectis juris pontificii* (janvier 1856, col. 1883) : « La Sacrée Congrégation du Concile... dé-

« cida... qu'ils (*les chapelains militaires*) seraient censés « autorisés pour les sacrements que les simples curés peu- « vent administrer..., pour le temps où l'armée est dans « une expédition actuelle, et non quand les troupes sta- « tionnent dans les garnisons. De cette décision que prit « une congrégation spéciale de quatre Cardinaux, sous la « date du 10 juillet et du 20 novembre 1690, il résulte que « les aumôniers assistent *validement aux mariages pen-* « *dant... les expéditions militaires* ; mais, dans les garni- « sons, il faut la permission de l'Ordinaire, et le mariage « est nul sans cela, sauf les Indults particuliers que le « Pontife Romain est libre d'accorder. »

Hæc autem conclusio, quoad matrimonia *in actuali expeditione contracta*, expressè contradicit decisionibus supra memoratis 6 martii 1694 et 28 junii 1704, in quibus dicitur, ad IV^m^, non posse Capellanos militum, *sinè licentiâ parochi, assistere matrimoniis militum in actuali expeditione positorum.*— Attamen, ex præfatis decisionibus, possunt Capellani alia sacramenta conferre militibus *in actuali expeditione positis.*

Ex dictis concludendum est Capellanum Majorem Regium non posse approbare capellanos militum, nisi facultatem ad hoc obtinuerit à S. Sede. Ita fuisse responsum à Sacrâ Congregatione Concilii 22 martii 1687, refertur apud Ferraris, v° *Capellanus militum*, n° 1.

Etiamsi capellani à Sede Apostolicâ habeant facultatem assistendi matrimonio suorum militum, non tamen habent privativè ad contrahentium parochos. Ita decisum à Sacrâ Congregatione Concilii, 29 maii 1683.

Pro Galliâ, vide dicta supra (270). Dicit autem auctor *Prælect. S. Sulpitii* (n° 232) olim in Galliâ inter Episcopos conventum fuisse ut Capellani militum, qui terrâ marique præliantur, jurisdictionem acciperent ab Ordinario loci ubi stabant legiones aut naves. Unde novâ approbatione non indigebant quando in aliam diœcesim Galliæ divertebant : citat *Rituale Lingonense* et Collatorem Andegavensem. Si verò in exteras gentes commeabant, ad Ordinarium loci vel ad Sedem Apostolicam recurrere debebant. — Porrò nobis videtur quòd legitimè dubitari possit an talis

hodie existat concordia inter nostros Antistites; proinde saltem tutius est ut Eleemosynarii militum approbationem ab Ordinariis locorum, per quæ transeunt, semper obtineant, etiam intra Gallici imperii limites : huic opinioni consonat Breve Apostolicum *Quæ superni*, 17 junii 1857, supra citatum (270).

Cùm hujusmodi Breve facultates Majoris Eleemosynarii restringat ad Capellanos militum qui terrâ præliantur, remanet difficultas quoad Capellanos navium, præsertim earum quæ commercium agunt. Usus autem invaluit ut jurisdictionem accipiant ab Ordinario loci unde proficiscuntur, usquedum appulerint ad loca ubi alius Ordinarius degit.

II. — De confessariis.

567. De jurisdictione quâ indigent Confessarii ad absolvendum, de approbatione pluribus ipsorum necessariâ, de casibus sive S. Sedi sive Episcopo reservatis, multa hîc essent dicenda; sed quia hæc omnia addiscuntur in cursu theologico, et est nobis brevitati consulendi necessitas, ea omnia prætermittimus, remittentes lectorem ad nostrum *Manuale*, à n° 1550, ubi legi poterit series plerorumque casuum S. Pontifici reservatorum.

SECTIO SECUNDA.

DE HIERARCHIA ORDINIS.

568. Ordinis Hierarchia est series personarum quæ, juxta varios gradus, potestatem habent Ordinis seu potestatem ex officio res sacras peragendi.

« Ordo seu sacra ordinatio, inquit Ferraris (v° *Ordo*, « art. 1, n° 2), *est sacramentum novæ legis initerabile, quo « subjecto capaci, cum impressione caracteris, spiritualis « potestas confertur ad sacramentum Eucharistiæ conficien- « dum, aut circa illud ministrandum.* »

De fide est existere in Ecclesiâ, jure divino, Hierarchiam Ordinis : « Si quis dixerit, in Ecclesiâ Catholicâ, « non esse Hierarchiam divinâ ordinatione institutam, quæ « constat ex Episcopis, presbyteris et ministris, anathema « sit. » Ita Concil. Trid., can. 2 et 6, sess. 23.

Quinam verò sint illi ministri majoribus vel minoribus ordinibus decorati, eadem S. Synodus, in cap. 2, ejusd. sessionis, nos edocet his verbis : « Non solùm de sacerdo- « tibus sed et de diaconis Sacræ Litteræ apertam mentio- « nem faciunt; et ab ipso Ecclesiæ initio, sequentium ordi- « num atque uniuscujusque propria ministeria, subdiaconi « scilicet, acolythi, exorcistæ, lectoris et ostiarii in usu « fuisse cognoscuntur » : ad quos ordines SS. Conc. dicit non posse ascendere *nisi qui clericali tonsurâ insigniti fuerint* (*ib.*)

« Ordines (ergo) sunt septem : Ostioratus, Lectoratus, « Exorcistatus, Acolythatus, Subdiaconatus, Diaconatus « et Sacerdotium; quod rursus est duplex minus et majus « sive *Episcopatus* : undè quidam octo enumerant. Prima « verò Tonsura non est ordo..., sed tantùm dispositio ad « ordines. » (Apud S. Liguor., lib. 6, n° 734.)

Apud tamen Græcos hodie tantùm numerantur Episcopi, Presbyteri, Diaconi, Subdiaconi et Lectores. Munera verò quæ apud nos minoribus ordinibus tribuuntur, Græci partim lectoribus dant, partim subdiaconis.

569. In duplicem classem ordines dividuntur, in majores nempe et minores : majores hodie habentur Sacer-

dotium, Diaconatus et Subdiaconatus; cæteri verò ut minores reputantur.

Præsentem sectionem dividemus in tria capita : in primo agemus de objecto et facultatibus singulorum ordinum seorsim sumptorum ; in secundo, de requisitis ad receptionem vel exercitium ordinum; in tertio, de obligationibus eorum qui ordinibus sunt initiati.

CAPUT I.

DE OBJECTO ET FACULTATIBUS SINGULORUM ORDINUM SEORSIM SUMPTORUM.

ART. I.

DE TONSURA.

570. Per Tonsuram intelligitur « Ritus solemnis eccle- « siasticus, consistens in levi detonsione capillorum cum « certis verbis, per ministrum idoneum celebratus, ex « institutione Ecclesiæ, significans masculum baptizatum « à statu laicali in sortem Domini et statum clericalem « transferri ». Ita S. Liguor., lib. 6, n° 735.

Disputatur utrum prima tonsura sit ordo : sat communiter affirmant Canonistæ cum Covarruviâ et Fagnano, etc. Negant econtra communiter Theologi post S. Thomam, et quidem, ut videtur, multò probabiliùs, innixi auctoritate Concilii Trident. (sess. 23, c. 2), ubi dicitur : « Ut qui *jam tonsurâ insigniti essent, per minores ad ma-* « *jores ordines* ascenderent ». Præterea c. 17 ejusd. sess. (*De reform.*) testatur hos solos ordines ab initio fuisse in Ecclesiâ receptos à *Diaconatu ad Ostioratum*. Ergo tonsura non est ordo.

Juxta hanc posteriorem sententiam, Episcopus valet in alienâ Diœcesi tonsuram conferre, sinè Ordinarii licentiâ, quia tonsura sinè Pontificalibus privatim conferri potest.

Juxta Concil. Trid., sess. 23, c. 4, ad primam tonsuram non sunt initiandi qui *sacramentum confirmationis non susceperint*. Sed probabiliùs hoc non requiritur sub gravi peccato.

571. Materia *remota* primæ tonsuræ, secundùm Canonistas, est superpelliceum; *proxima* autem est traditio et

acceptatio ipsius superpellicei; forma verò, illa verba : *Induat te Deus novum hominem*, etc... Secundùm Theologos, cùm tonsura non sit ordo, non constat materiâ et formâ propriè dictâ. Juxta eosdem tamen, abscissio capillorum stat loco materiæ, et locum formæ tenent verba : *Dominus pars*, etc.

572. Per tonsuram fit quis de foro Ecclesiæ, capax redditûs beneficiorum, jurisdictionis ecclesiasticæ, clericaliumque privilegiorum particeps, atque ei confertur potestas canendi officium ecclesiasticum in ecclesiâ : sic enim, post illorum ordinationem, Pontifex clericos alloquitur : « Filii charissimi, animadvertere debetis quòd « hodiè de foro Ecclesiæ facti estis, et privilegia clericalia « sortiti estis. Cavete igitur ne propter culpas vestras illa « perdatis; et habitu honesto, etc. »

Proindè clericis et quidem solis competit facultas standi prope altare inter cancellos ad ministrandum et psallendum : sic enim habet cap. *Ut laici* 1, *De vitâ et honest...* « Ut laici « secus altare, quando sacra mysteria celebrantur, stare vel « sedere inter clericos non præsumant, *sed pars illa, quæ « cancellis ab altari dividitur, tantùm psallentibus pateat « clericis.* Ad orandum verò et communicandum, laicis « et feminis (sicut mos est) pateant Sancta Sanctorum ».

Jus habent etiam gestandi vestes clericales, nempe superpelliceum in sacris cæremoniis, et, extra cæremonias sacras, vestem talarem, tonsuram et alia quæ clericis conveniunt. Minimè tamen ad hæc tenentur sub peccato, quando non sunt beneficiati, uti tenet sententia communior; imò ea non possunt deferre quando sunt bigami. Vide S. Liguor., lib. 6, n^is^ 825 et 826.

An autem Episcopus valeat prohibere clerico gestare habitum clericalem, vide expensum in nostro *Manuali*, n° 1674, etc.

Quoad sacras vestes, nota quòd usus albæ, dalmaticæ, pluvialis et similium non permittatur laicis, licet regularibus. S. R. C., 19 mart. 1659, n° 1825, et 11 sept. 1847, n° 4942. Quoad superpelliceum autem, ferè communis habet consuetudo, ut à laicis possit deferri.

De privilegiis clericorum, vide *Manuale*, à n° 1677, etc.

ART. II.

DE MINORIBUS ORDINIBUS.

573. « Disputant inter se viri docti, inquit Devoti (tit. 2, « sect. 2, § 29), num minorum ordinum origo ab ipsis « Apostolis sit repetenda. Affirmant Baronius... et Bellar- « minus...; negant Morinus..., Card. Bona, Amalarius..., « Petrus Lombardus..., D. Thomas. » Vide etiam Benedictum XIV (*De Synod.*, lib. 8, c. 9, n° 1), qui addit graviter peccare qui ordines minores suscipit non ignorans se esse lethali culpâ obstrictum.

574. Ordines minores sunt Ostioratus, Lectoratus, Exorcistatus et Acolythatus.

1° *Ostioratus est ordo quo confertur alicui specialis potestas aperiendi et claudendi januam ecclesiæ, et admittendi dignos excludendique indignos.*

Ostiarii est campanas pulsare, quæ intra ecclesiam sunt custodire, ei qui prædicat aperire librum.

Ad hoc officium referunt Canonistæ quæ in jure dicuntur de officio *Sacristæ, Custodis, Thesaurarii*, etc. De variis his denominationibus, vide Bened. XIV (*De Syn.*, lib. 8, c. 9, n^is 7 et 8).

575. 2°*Lectoratus est ordo quo confertur alicui specialis potestas legendi psalmos et lectiones ex pulpito in ecclesiâ, ac populum catechizandi seu instruendi in rebus fidei.* Item potest panem et novos fructus benedicere, non autem prædicare. Hodie novorum fructuum benedictio à solis sacerdotibus impertitur.

« Olim apud eos (lectores nempe) sacri codices serva- « bantur, et sæpe, Ethnicis eos postulantibus, ab Episcopis « responsum constat : *Scripturas Lectores habent.* Lege- « bant autem è pulpito, sive suggestu, et antequam initium « lectioni facerent, silentium à Diacono indicebatur verbo : « *Attendamus* ». (Devoti, lib. 1, tit. 2, sect. 2, § 32.)

576. 3° *Exorcistatus est ordo quo alicui confertur specialis potestas ejiciendi dæmonia et exorcizandi catechumenos.* Tenent Suarez et Sanchez contra Philip. omnes fideles posse exorcizare, quamvis hoc magis possint ordi-

nati ad hujusmodi munus ab Ecclesiâ; et ideò hi solùm solemniter illud exercere valent.

« Privatim omnibus quidem licitum est adjurare; so- « lemniter autem tantùm Ecclesiæ ministris ad id consti- « tutis, et cum Episcopi expressâ licentiâ. Ita communiter « Salmant. cum aliis ex Lucâ, 10, 19, et ex Marco, 16... » (S. Liguor. lib. 3, 193, *App.* ad nº IV.) — Quomodo in exorcismis sit procedendum, vide Rituale Roman., *De exorcizandis obsessis à dœmonio.*

577. 4º *Acolythatus est ordo quo confertur alicui specialis potestas in missâ solemni subdiacono inserviendi, accendendo cereos, præparando et porrigendo illi ampullas vini et aquæ.*

Olim acolythi etiam Eucharistiam deferebant.

Acolythus venit à voce græcâ ἀκωλυτος *non exclusus, non prohibitus*, vel à voce ἀκολουθος *comes*. Dicitur etiam *Cereferarius* quia ejus munus est cereos ferre.

« Quæstio celebris est an singuli septem ordines sint « sacramenta: adsunt quatuor sententiæ : 1ª *Sententia* « universè affirmat et hanc docet S. Thomas..., quem se- « quuntur Sanchez..., Bellarminus..., Salmantic... 2ª *Sen-* « *tentia* dicit solùm Sacerdotium esse sacramentum, et sic « tenent Durand..., Cajetan. 3ª *Sententia* dicit esse sacra- « mentum tantùm tres Ordines Majores : ita Navarr., « Sotus, Vasquez... 4ª *Demum sententia* dicit solùm Pres- « byteratum et Diaconatum esse sacramenta : et hanc « tenent Tournely..., Cabassut... » Ita S. Liguor. (lib. 6, nº 736), qui deindè (nº 737) dicit primam sententiam esse probabilem, non verò secundam, tertiam quoque esse probabilem, quartam verò ipsi videri probabiliorem; quod deinde variis argumentis probat.

578. *Ostiarius* ordinatur traditione clavium ecclesiæ: sed sufficit ad validitatem unam clavem tangere; Rubrica tamen plures tangere præscribens est observanda. *Lector* ordinatur traditione libri lectionum; *Exorcista*, libri exorcismorum; *Acolythus*, ampullarum vacuarum, vel saltem unius, et candelabri cum cereo extincto. « An autem ma- « teria Acolythatûs sit traditio urceolorum, vel candelabri? « — Respond. esse utrumque, cum S. Thom., Salm...,

« contra alios; caracter verò, juxta sententiam affirmantium « omnes ordines esse sacramenta, probabiliùs imprimitur « in porrectione urceolorum, prout proximiùs ad sacrifi- « cium deserventium, ut Sanch. et Bonac. cum Salm. » Ap. S. Lig. lib. 6, nº 745.

ART. III.

DE MAJORIBUS ORDINIBUS.

579. Majores Ordines seu sacri, sunt illi qui conferunt potestatem circa res consecratas ad sacrificium pertinentes, altarisque ministerio irrevocabiliter mancipant, quales sunt Episcopatus, Presbyteratus, Diaconatus et Subdiaconatus.

« Præscribit *Pontificale* ut ordinandi Eucharistiam acci- « piant; sed hoc non sub mortali...; imò nec sub levi « tenentur communicare initiandi ad ordines minores... « Presbyteri autem veriùs tenentur communicare sub « mortali, cùm ipsi verè celebrent cum Episcopo ». (S. Liguor., lib. 6, nº 801.)

§ I.

De Subdiaconatu.

580. « Subdiaconi... diù fuerunt minorum clericorum « numero, sed postea in Latinâ Ecclesiâ majoribus ad- « scripti sunt; quod factum videtur undecimo Ecclesiæ « sæculo, Urbano II Pontifice. » Ita Devoti, lib. 1, tit. 2, sect. 2.

Subdiaconatus est ordo quo confertur alicui specialis potestas in missâ solemni inserviendi Diacono et solemniter canendi Epistolam.

« Ad similitudinem Diaconi et Presbyteri, Subdiaconus « debet continentiam observare, sicut est in sextâ Synodo « constitutum. » Ita cap. *A multis*, *De ætate et qualit.*, etc.

Subdiaconorum munera describuntur in canone *Perlectis* 1, dist. 25, ex S. Isidoro. Vide etiam *Pontificale*.

Apud Græcos materia et forma Subdiaconatûs est manuum impositio; apud Latinos controvertitur an sit calix

cum patenâ, vel Liber Epistolarum : alii dicunt materiam proximam esse solam traditionem calicis vacui cum patenâ, et formam verba correspondentia : *Videte cujus,* etc... Alii verò dicunt materiam essentialem esse insuper traditionem Libri Epistolarum, quia munus est subdiaconi speciale solemniter Epistolas legere. In praxi S. Liguor. (lib. 6, n° 746) dicit posteriorem hanc sententiam esse sequendam, utpote tutiorem et non improbabilem.

Disputatur pariter an calix et patena, in ordinatione Subdiaconatûs adhibenda, consecrata esse debeant; certò quidem consecrata esse debent ex necessitate præcepti, sed controvertitur an talia esse debeant pro validitate ordinationis. In praxi tenenda est sententia affirmans. S. Liguor. (*ibid.*).

581. Circa pœnitentiam Diaconis et Subdiaconis ab Episcopo post ordinationem imponendam, dicitur in *Pontificali* : « Ad Subdiaconatum vel Diaconatum (promoti) : « Nocturnum talis diei... dicite... » Cùm verò de sensu horum verborum disputaretur, interrogata S. Rit. Congr. an hæc verba de toto Officio nocturno et Laudibus intelligenda essent, vel de unico Nocturno et quali? Resp., 11 aug. 1860, intelligenda esse de unico Nocturno feriali, vel de primo Dominicæ ut in psalterio, id est 12 psalmorum cum suis Antiphonis de tempore, quem Episcopus designare potest, vel ipsius diei quo habet ordinationem vel alterius pro suo arbitrio ; ita ut non possit designare Nocturnum officii tribus tantùm psalmis constantem. Si verò Episcopus nihil aliud expresserit quàm quod verba Pontificalis sonant, dicendum est *Nocturnum feriale* correspondens diei in quo peracta fuit ordinatio. Nulla fit mentio de Invitatorio, hymno et lectionibus. Vide *Analecta,* 41 livr., et *Revue des sciences eccl.*, 20 aug. 1861.

§ II.

De Diaconatu.

582. *Diaconatus est ordo quo confertur alicui specialis potestas in missâ solemni immediatè assistendi presbytero et solemniter canendi Evangelium.*

Ejus munus est ministrare ad altare, catechizare, cantare Evangelium, et cum facultate parochi prædicare, baptizare, Eucharistiam dare, sed solùm in necessitate.

Munus prædicandi sinè Episcopi veniâ, etiam à diaconis et presbyteris exerceri nequit.

Quoad munus baptizandi sic dicitur in canone *Diaconus*, dist. 93, ex Papâ Gelasio : « Diaconi, absque Episcopo vel « presbytero, baptizare non audeant, nisi prædictis ordi- « nibus longiùs constitutis, necessitas compellat. »

« Ex præfato autem textu rectè infert Gonet quòd talis commissio nequit diacono fieri nisi ob magnam necessitatem, vel Ecclesiæ utilitatem, puta si non adessent sacerdotes : velut dicunt Suarez..., Palaus, Sporer..., nisi adsit multitudo baptizandorum, aut nisi parochus sit graviter infirmus, vel excommunicatus, vel aliàs occupatus confessionibus excipiendis aut prædicationi. » S. Liguor., l. 6, nº 116.

Secundùm sententiam communiorem et probabiliorem, diaconus baptizans *solemniter sinè commissione*, sive in necessitate sive extra, incurrit irregularitatem, si illud faciat ex temeritate et cum scientiâ, secus si per ignorantiam etiam crassam. Vide cap. *Si quis, De cleric. non ord. min.*

Quoad Eucharistiæ administrationem, « omnes... con- « veniunt quòd in necessitate extremâ, absente sacerdote, « diaconus poterit et tenebitur Viaticum ministrare adhuc « sinè commissione..; Diaconus autem, dum Eucharistiam « ministrat, debet esse indutus superpelliceo et stolâ « transversâ...

« Cum *commissione* verò, communiter dicunt Suar., « Paulus, De Lugo, Salmant., etc., sufficere necessita- « tem gravem, nempè cùm nullus adsit sacerdos, qui com- « modè possit ministrare.» (Vide S. Liguor., lib. 6, nº 237.)

Controvertitur quænam sit materia et forma Diaconatûs : alii dicunt esse solam traditionem libri Evangeliorum cum suâ formâ : *Accipe*, etc. Alii dicunt esse solam impositionem manuum cum formâ : *Accipe Spiritum Sanctum ad robur*. Alii tandem dicunt duo præfata esse materiam essentialem. Vide rationes allatas pro respectivis illis sententiis, ap. S. Liguor. (lib. 6, nº 748), qui sic concludit :

« His positis, dico primam sententiam esse probabilem, « secundam probabiliorem, tertiam adhuc probabilem, « et ideò omninò in praxi sequendam utpote spectantem « ad valorem sacramenti. »

Juxta Perronne (*Prælect. Theolog.*, *Tract. De Ordine*, cap. 2, n° 80), « Diaconatum sacramentum esse, commu- « nis et certa est theologorum sententia. »

§ III.

De Presbyteratu.

583. *Presbyteratus, sive sacerdotium, est ordo, quo con fertur alicui specialis potestas consecrandi Corpus et Sanguinem Christi, absolvendi quoque à peccatis et pascendi subditos opere et doctrinâ.*

Sacerdotium Novæ Legis à Christo fuit institutum pridiè ipsius mortis in Cœnâ, simul ac sacramentum Eucharistiæ (Concil. Trident., sess. 22, cap. 1, can. 2, et sess. 23 cap. 1, can. 3.)

Cùm de fide sit Ordinem esse sacramentum, utpote definitum à Concilio Trident. (Sess. 23, can. 3), ubi dicitur: « Si quis dixerit Ordinem, sive Sacram Ordinationem « non esse verè et propriè sacramentum à Christo Domino « institutum... anathema sit. » Illud intelligi saltem debet de Sacerdotio, in quo omnes convenire videntur; proinde de fide est Presbyteratum esse sacramentum. (*De Syn.*, lib. 8, cap. 9, n° 2.)

Non consentiunt tamen DD. in assignandâ materiâ et formâ Presbyteratûs : alii dicunt cum Fagnano ipsius materiam esse solam traditionem instrumentorum ; et formam verba ab Episcopo prolata in hâc traditione : *Accipe potestatem offerendi*, etc... ; et probant ex Decreto Eugenii IV ad Armenos, ubi asseritur : « Ordo Presbyteratûs « traditur per calicis cum vino et patenæ cum pane por- « rectionem. »

Alii cum Bellarmino tenent Presbyteratûs duplicem esse materiam essentialem, traditionem videlicet instrumentorum, quâ traditur potestas super Corpus Christi reale cum formâ : *Accipe potestatem*, etc., et impositionem manuum

quâ traditur potestas super Corpus Christi mysticum cum formâ : *Accipe Spiritum Sanctum, quorum remiseris peccata*, etc.; et probant tum ex Decreto ad Armenos, tum ex Actib. Apostol., cap. 13, v. 3; tum ex Concil. Trident., sess. 23, can. 4.

Alii tandem dicunt tradi sacerdoti utramque potestatem sacrificandi et absolvendi per solam secundam manuum impositionem. Et probant 1° Ex Concil. Trident. (sess. 14, cap. 3), ubi dicitur quòd ministri Extremæ-Unctionis sunt « aut Episcopi aut Sacerdotes ab ipsis ritè ordinati *per im-* « *positionem manuum presbyterii*. » Porrò prima et secunda tantùm impositiones manuum ab Episcopo fiunt cum presbyteris assistentibus, ac proinde solæ dici propriè possunt *impositiones manuum presbyterii*; sed in primâ nihil ab Episcopo dicitur; superest ergo ut secunda sit materia presbyteratûs, et forma oratio correspondens. 2° Græci per solam manuum impositionem ordinantur, et tamen eorum sacerdotes veri sacerdotes habentur; ergo et sola impositio manuum sufficere debet pro Latinis. 3° « Accedit quod ad- « vertit Bened. XIV (*De Syn.*, lib. 8, cap. 10, n° 5), ex « doctissimo Martène, quòd instrumentorum traditio non « priùs inventa est quàm à sæculo VIII vel IX, undè si « priùs sacerdotes per solam impositionem manuum va- « lidè ordinabantur, cur non hodiè? »

Hæc tertia sententia sicut probabilior videtur S. Liguor. (lib. 6, n° 749), sic et nobis. — « Nec obstat, inquit S. « Liguor., quòd Eugenius IV... assignaverit pro materiâ « Presbyteratûs traditionem instrumentorum cum formâ : « *Accipe potestatem*, etc. — Nam sapienter respondet... « Bened. XIV (*De Syn.*, ibid., n° 8)... Eugenium tantùm « ibi locutum fuisse de materiâ et formâ integrali, quam « intendit tradere Armenis qui optabant aggregari Eccle- « siæ Latinæ; et ideò non fuit opus eis assignare imposi- « tionem manuum : cùm illi juxta ritum Græcorum, quo « priùs ordinabantur, jam eam adhibebant. »

Cùm tamen secunda sententia sit etiam probabilis, juxta S. Liguor., in praxi omnino sequenda est utpotè tutior. « Quapropter, inquit, benè advertit Croix... quòd ordina- « tio facta sinè secundâ manuum impositione tota repe-

« tenda est, ut etiam declaravit S. C. apud Bened. XIV « (*De Syn.*, ibid., n° 13). Ratio, quia qui non accepit po- « testatem super Corpus Christi verum, nec etiam potuit « accipere potestatem super Corpus Christi mysticum. Si « verò ordinatio facta fuit sinè tertiâ manuum impositione, « hæc tantùm supplenda est. » S. Lig., *ibid.*

Quoad traditionem instrumentorum, vide multas quæstiones praticas, ap. S. Liguor. (*ib.*, n^is^ 750-759).

584. Præcipuæ functiones Presbyteri memorantur in *Pontificali* : « Sacerdotem enim oportet offerre, benedi- « cere, præesse, prædicare et baptizare. »

De functionibus à sacerdotibus peragendis, vide nostrum *Manuale*, à n° 1713.

585. Quoad missas et preces ordinatis ab Episcopo impositas, etsi plures dicant eas sub gravi esse impositas, attamen multi alii hoc negant, et ad summum ordinatos sub levi tantùm obligari ad eas affirmant. Vid. Ferraris (v° *Ordo*, art. 2, n° 112, etc.); S. Liguor. (lib. 6, n° 829) qui addit : « Ex quibus verbis (*Pontificalis*) rectè infert « P. Mazzotta... non esse obligationem applicandi prædic- « tas missas juxta intentionem Episcopi; dum ibi præscri- « bitur tantùm ut initiati pro se orent...: patet autem quòd « hujusmodi missæ non priùs dicendæ sint quàm adve- « niant dies non impediti. » Pro iis ergo accipi potest stipendium.

§ IV.

De Episcopatu.

586. *Episcopatus est ordo quo confertur alicui specialiter potestas confirmandi fideles, ordinandi ministros sacramentorum... necnon consecrandi res ad divinum cultum pertinentes.* Quâ definitione patet quodnam objectum et quænam sint præcipuæ facultates Ordinis Episcopalis.

« Quamvis, inquit Ferraris (v° *Episcopus*, art. 1, n° 42), « Apostolos omnes à Christo Domino fuisse ordinatos Epis- « copos sit valdè controversum, ut patet ex pluribus tra- « ditis à Cardin. Bellarmino, *De Romano Pontifice* (lib. 4. « cap. 13)... et id (seu opinio affirmans) videatur inferri

« ex verbis Divi Augustini..., *Nemo ignorat, Episcopos*
« *Ecclesiis Salvatorem instituisse; ipse enim priusquam*
« *cœlos ascenderet, imponens manus Apostolis, instituit eos*
« *Episcopos, et ordinavit*; tamen communior opinio tenet
« solum Petrum fuisse immediatè ab ipso Christo Domino
« Episcopum consecratum (quando illi dixit : *Pasce oves*
« *meas.* Idem (v° *Episcopatus*, n° 8.) Bellarminus..., Tur-
« recremata..., Barbosa..., Henriquez..., Fagnan..., et alii
« passim... S. Petrus alios Apostolos in Episcopos conse-
« cravit, ex quibus primi fuerunt filii Zebedei Jacobus et
« Joannes, quorum interventu facta fuit consecratio Jacobi
« Alphæi in Episcopum Hierosolymitanum. Cap. *Porrò* 2
« dist. 66. »

« Inter... (Theologos) communiter convenit veram sa-
« cramenti rationem participare Episcopatum... Id esse
« pariter ex fide affirmat Petrus Soto..., aut saltem non
« posse, sinè periculo et gravis erroris notâ, hoc tempore
« negari, asserunt Medina et Vasquez. » (Bened. XIV, *De*
Syn., lib. 8, cap. 9, n° II.)

587. Quærit. 1° An Episcopatus sit ordo distinctus et sacramentum distinctum à presbyteratu ?

Resp. Cum S. Liguorio (lib. 6, n° 738) : « Negant
« S. Thomas, S. Bonaventura et alii : sed communiùs
« affirmant Bellarminus, Tournely...: tum quia in ipso tra-
« ditur distinctus caracter et specialis potestas ad Eucha-
« ristiam, nempè constituendi hujus sacramenti ministros;
« tum quia Ordo Episcopatûs confertur per manuum im-
« positionem et per formam : *Accipe Spiritum Sanctum.*
« etc. Nec valet dicere quòd, si Episcopatus esset distinc-
« tus ordo, posset Episcopus validè saltem ordinari licet
« non esset sacerdos; nam respondetur quòd hoc ordina-
« tione divinâ requiritur, sicut requiritur ut sit baptizatus
« qui vult confirmari, aut ordinari. »

Ultrà pergit Perrone in suis *Prælect. theol.* (*tract. De Ord.*, n° 78) dicens quòd « sententia, nunc temporis *com-*
« *munis et omnino tenenda, est Episcopatum et ordinem*
« *esse specie distinctum à presbyteratu, et sacramentum.* »
Et in *notâ* (ibid.), de sententiâ oppositâ dicit : « nedum

« probabilis nunc hæc sententia censetur, sed jam à non-
« nullis censurâ notatur. »

Sed, prout observat D. Bouix (*De Episcopo*, tom. 1, p. 98), nondum definita quæstio erat tempore Bened. XIV, prout constat ex Bullâ *In postremo*, 20 octob. 1756, in quâ dicitur § 17 : « Cùm nemo prohibeat disceptare, num Epis-
« copatus sit ordo à presbyteratu distinctus, an caracter
« in Episcopali consecratione impressus differat, vel potiùs
« sit ampliatio quædam caracteris in collatione presbyte-
« ratûs ordinis impressi. » Porrò à tempore Benedicti XIV usque hodiernum diem, nullum emanavit Sedis Apostolicæ Decretum, ex quo deduci valeat unam sententiam potiusquam alteram omninò esse amplectendam.

Potestas autem ordinis æqualis est in omnibus caractere Episcopali insignitis, nec ipse Papa majorem cæteris habet. Ita omnes.

588. Quoad materiam ordinis Episcopalis, pro certo dicendum videtur eam esse impositionem manuum. Nam ex Concil. Trid. (sess. 23, can. 4), frustra non dicitur ab Episcopo in sacrâ ordinatione : *Accipe Spiritum Sanctum.* Porrò hæc verba dicuntur Episcopo consecrando, dum illi manus à consecrante imponuntur, et ut forma haberi debent.

Probabile est etiam ad materiam Episcopatûs pertinere traditionem libri Evangeliorum cum iis verbis : *Accipe Evangelium*, etc. ; quæ ideò tanquam forma partialis habenda sunt. Deducitur præsertim ex Decreto ad Armenos

Episcopus non potest validè ordinari nisi ab alio Episcopo.

Ordo Episcopalis conferri debet die Dominicâ, Natalitiis Apostolorum et aliis Festis de præcepto. Ita *Pontificale.*

An autem ad valorem ordinationis Episcopalis exigatur semper trium Episcoporum assistentia, vide dictum in nostro *Manuali*, n° 1735, etc.

589. Quærit. 1° An possit consecrari Episcopus is qui nondum est presbyter?

Resp. Sat communiter haberi ut certum, saltem in praxi, neminem esse habendum tanquam Episcopum, nisi post receptam ordinationem sacerdotalem. Hoc tamen contro-

vertitur juxta D. Bouix (*De Episc.*, p. 246 et 247), qui citat Bened. XIV (Constit. *In postremo*, 20 octob. 1756, § 10 et 17) et alios.

590. Quærit. 2° Quænam pertineant ad Ordinem Episcopalem?

Respondet Devoti : « Ordinis potestatem... Episcopus « semel acceptam nunquam amittit, eamque alteri delegare non potest, ut rectè delegat potestatem jurisdictionis « (Cap. 9, *De consecr. eccles.*). Ab eâ manat regum, sacrarum virginum (Can. 24, dist. 23, can. 1, § *Ad Episcopum*, dist. 23), altarium, ecclesiæ consecratio, ejusque « post pollutionem expiatio (Cap. 9, *De consecr. eccles.*, « cap. unicum, *eod.* in 6°), Abbatum benedictio, collatio « ordinum et sacramenti confirmationis (Concil. Trid., « sess. 23, cap. 4), confectio chrismatis et olei infirmorum « (Can. *Perlectis*, dist. 23) ». (Devoti, lib. 1, sect. 1, § 13, etc.)

CAPUT II.

DE REQUISITIS AD RECEPTIONEM VEL EXERCITIUM ORDINUM.

591. Conditiones ad receptionem vel exercitium ordinum requisitæ aliæ sunt *negativæ*, aliæ *positivæ* :

Negativæ sunt exemptiones ab iis quæ receptionem vel exercitium ordinum impedirent, prout immunitas à peccato mortali, vel à censuris aut irregularitatibus aut aliis incapacitatibus.

Positivæ verò sunt eæ quæ requiruntur ad dignam receptionem vel dignum exercitium ordinum.

ART. I.

DE CONDITIONIBUS NEGATIVIS.

592. — 1° Circa immunitatem à peccato mortali, « communiter tenent theologi, inquit Lequeux (n° 533), eum « peccare mortaliter qui cum peccati mortalis conscientiâ.

« ad ordines accedit. Idque plures videntur ad tonsuram « extendere, quia licet probabiliùs sit eam esse cæremo- « niam ab Ecclesiâ institutam, est tamen solemnis professio « vitæ Deo mancipatæ, fitque per talem receptionem in- « juria ordini clericali. Ita Hallier, Habert, Collet, *De Or- « dine*. Negat Billuart, *De Ordine*, dissert. 3, art. 3. »

2° De censuris dicturi sumus in tertio libro, *De Judiciis*, Superest ergo ut hîc tantùm tractatum de irregularitatibus instituamus. Expendemus : 1° Quid et quotuplex sit irregularitas et quinam sint illius effectus; 2° quomodo incurratur et tollatur irregularitas; 3° quænam sint irregularitates ex delicto; 4° quænam sint irregularitates ex defectu.

§ I.

Quid et quotuplex sit Irregularitas et quinam sint illius effectus.

593. Sat communiter definitur *Irregularitas : Impedimentum canonicum susceptionem ordinum et susceptorum usum impediens.*

1° Dicitur *impedimentum* non pœna, quia irregularitates, etsi privent à receptione vel exercitio ordinum, non tamen privant præcisè ob culpam, cùm sint plures irregularitates quæ à delicto non proveniunt, ut puta pleræque irregularitates ex defectu, sed privant propter indecentiam quæ inesset receptioni vel exercitio ordinum cum talibus defectibus.

2° *Canonicum* : id est canonibus seu decretis Ecclesiæ introductum : Irregularitas enim non incurritur nisi in casibus *jure ecclesiastico* expressis, non verò ultra, nec in dubio. (Cap. *Is qui* 18, *De sent. excomm.*, in 6°.)

Hinc infertur non valere in hâc materiâ argumenta à pari, nec à majori ad minus. Ita communiter. Si tamen dubitetur an irregularitas sit expressa in jure, admittenda est semper ac eam communis sensus DD. et consuetudo firmaverint : quia illi sunt optimi legis interpretes.

3° *Susceptionem ordinum* : quod communiter intelligitur etiam de tonsurâ. Vide S. Liguor., lib. 7, n° 342.

Et 4° *susceptorum usum impediens* : Non tamen irregula-

rıtates, solâ autoritate Ecclesiæ institutæ, impediunt receptionem vel exercitium ordinum quoad validitatem, sed quoad liceitatem duntaxat.

594. Quærit. 1° An inter irregularitates recenseri possint ea quæ jure divino impediunt receptionem vel exercitium ordinum, prout defectus baptismi, sexus femineus, peccatum, etc.?

Resp. Generatim dici posse quòd ea, quæ jure divino impediunt receptionem vel exercitium ordinum, non sint propriè irregularitates, cùm talia non sint *impedimenta canonica*, *sed divina*; cùm tamen ea possint esse etiam impedimenta *canonica*, si nempe Ecclesia specialiter prohibeat recipere vel exercere ordines cum hujusmodi impedimentis juris divini, non videtur cur in eo casu non vocarentur irregularitates. Et reverà inter irregularitates computantur amentia et defectus scientiæ, quæ etiam jure divino impediunt receptionem vel exercitium ordinum.

595. Quærit. 2° Quotuplex sit irregularitas?

Resp. Irregularitates dividi :

1° In *perpetuas* et *temporales* : Perpetuæ eæ sunt quæ solâ dispensatione tolli possunt : uti v. g., irregularitas ex homicidio proveniens; temporales sunt quæ etiam solo temporis lapsu cessare possunt, ut defectus ætatis.

2° *In totales et partiales* : Totales sunt quæ absolutè et totaliter excludunt ab omni ordine, ordinisque usu et beneficio; partiales verò quæ aliquos tantùm ex hujusmodi effectibus producunt. Sic, v. g., ex cap. 11, *De filiis presbyt.*; filius etiam legitimus inhabilis est seu irregularis ad immediatè possidendum beneficium à patre dimissum.

Irregularitates autem quas incurrunt laici habentur semper ut totales; iis tamen exceptis quæ oriuntur ex defectu ætatis vel scientiæ.

Irregularitates verò quas incurrunt clerici habendæ sunt quidem semper ut totales respectu promotionis ad ordines, non autem semper ut tales sunt habendæ relativè ad functiones ordinis jam suscepti, ut patet ex c. 12, *De homicidio.*

3° In irregularitates *ex defectu* et irregularitates *ex delicto*: Istæ incurruntur propter indecentiam propriâ culpâ contractam; illæ oriuntur ex indecentiâ, quæ licet inculpabilis

sit, vel repugnat spiritui Ecclesiæ, vel ejus ministrum in contemptum adducere potest.

596. Quærit. 3° Quinam sint effectus irregularitatum? Resp. 1° Ex definitione, patet irregularitatem inhabilitare ad ordines recipiendos et impedire legitimum usum susceptorum; unde « graviter peccat, qui in irregularitate « exercet actum ordinis, aut (eos) suscipit... Et sic etiam « peccat graviter irregularis suscipiens primam tonsuram, « sicut Episcopus qui eam illi confert... Notandum quòd « irregularitas nullo modo privet iis actionibus quæ non « requirunt exercitium ordinis, et quas etiam laici exercere « possunt : ut recipere sacramenta et officia canere, sicut « et conferre beneficia : quia hæc spectant ad exercitium « jurisdictionis non ordinis; item matrimonio assistere, « vel licentiam assistendi alteri præbere, dispensare in « votis, absolvere à censuris, dare facultatem audiendi « confessiones... » Ita S. Liguor., lib. 7, n° 342.

Nota adhuc quòd irregularis, etsi graviter peccet sacrorum ordinum munia implendo, nullam tamen propterea censuram vel aliam irregularitatem incurrit.

Attamen qui ante legitimam ætatem, proinde dum est irregularis, subdiaconatum vel alios Sacros Ordines reciperet, incurreret suspensionem Papæ reservatam, uti expressè statutum fuit per Constit. *Cùm ex sacr.*, Pii II. Sed non incurrit eo ipso irregularitatem annexam violationi censuræ sic contractæ, etsi functionem sui ordinis adimpleret in missâ ordinationis, canendo v. g. Epistolam vel Evangelium, aut consecrando cum Episcopo. Ita communiùs et probabiliùs, juxta S. Liguor. (lib. 6, n° 799, *dubit.* 3). Ratio est quia non esset æquum quòd unâ actione morali duplex incurreretur pœna. Ablata est susp. C. *Apost. Sedis.*

Secus esset dicendum de eo qui, jam ante ordinationem ligatus aliquâ censurâ, exerceret in ipsâ ordinationis missâ, functiones ordinis sacri quem recepit, canendo Epistolam, Evangelium, consecrando, etc.; hic certè fieret irregularis per tale exercitium ordinum susceptorum, quia, uti videbitur infrà, irregularis fit qui aliquâ ligatus censurâ functiones alicujus sacri ordines exercet.

Notandum est autem quòd dicta à S. Liguor. (lib. 7,

n° 170) de excommunicato, etiam irregulari applicanda videantur : « Excommunicatus vitandus, inquit, etiam « licitè sacramenta ministrat quando aliàs grave incom- « modum, puta jacturam famæ vel bonorum timeret : quia « præcepta Ecclesiæ non obligant cum incommodo gravi.»

2° Alter effectus irregularitatum est inhabilitare ad beneficia et officia, ad quorum functiones inhabilis est irregularis : sic habet Conc. Trid. (sess. 14, c. 7, *De ref.*) de homicidio voluntario : « Qui suâ voluntate homicidium per- « petraverit... omni ordine, ac beneficio et *officio* eccle- « siastico perpetuò careat. »

Circa hunc secundum effectum, quæritur an irregularis ipso facto beneficiis ante irregularitatem obtentis privetur?

Resp. Vel irregularitas provenit ex infirmitate sinè culpâ, vel ex delicto.

In primo casu, non solùm irregularis sua beneficia non amittit ipso facto, sed nec iis privari debet à judice (Cap. *Ex parte*, *De clerico ægrot.*).

In secundo casu, non privatur quidem ipso facto, ut constat ex cap. *Ex litteris*, *De excess... Prælat.*, sed per judicem privari debet, et interim tenetur petere dispensationem; et, si non petat, aut non possit obtinere, tenetur statim, nisi magnâ laboret necessitate, beneficia dimittere, aut saltem in favorem tertii resignare. Ita communiter. Non est tamen fructibus sui beneficii privandus, si munia ipsius per alium impleverit; imò, nisi crimen valdè fuerit grave, non est privandus pensionibus quas possidet.

Sed quid de collatione beneficii factâ in gratiam ejus qui jam est irregularis? Est-ne ipso jure invalida?

Resp. Si agatur de irregularitate partiali, nempe si quis ob aliquem defectum corporalem nequeat fieri sacerdos, tunc communiter tenetur collationem huic factam validam esse et licitam. Ita S. Liguor. (lib. 7, n° 343).

Si verò agatur de irregularitate totali, vel beneficium hujusmodi irregulari collatum est simplex obligans tantùm ad recitationem Horarum, aut ad aliud Officium quod à laicis vel clericis minoribus exerceri potest; et tunc collatio est certè valida. Si verò officium vel beneficium non sit simplex, aut si exigat exercitium ordinis sacri, controver-

âtur utrum sit valida hujusmodi collatio dicto irregulari facta.— *Prima* sententia, quæ negat, nititur pluribus juris canonici capitibus à S. Liguor. (*ib.*) indicatis, et præsertim Conc. Trident. (sess. 22, cap. 7, et cap. 4), ubi loquendo de præbendis Canonicorum dicitur : « Nec aliis in poste- « rùm fiat provisio, nisi iis qui jam ætatem et cæteras ha- « bilitates integrè habere dignoscuntur; *aliter irrita erit* « *provisio.* » Et ratio est, inquit S. Liguor., « quia bene- « ficium datur propter officium; undè qui inhabilis est ad « officium cùm non possit ordinem exercere, est etiam « inhabilis ad beneficium. »

In hâc tamen sententiâ, quando non denuntiatur irregularitas, error communis cum titulo colorato præbet jurisdictionem.

Secunda sententia dicit hujusmodi collationem esse solùm irritandam, quia non sunt imponendæ pœnæ nisi sint à jure expressæ : nullibi autem in lege habetur expressum quòd irregularitas hominem reddat incapacem beneficii : canones enim ab adversariis allegati nihil aliud probant, nisi quòd talis collatio sit illicita, non verò quòd sit invalida. Nec etiam dicunt obstare textum modò allatum Conc. Trid., ubi dicitur *irrita* provisio beneficii personæ inhabili facta : quia dicitur irrita pro illicitâ, et persona dicitur inhabilis seu indigna, non verò incapax.

Sic autem concludit S. Liguor. (*ibid.*): « Prima sententia « videtur probabilior (quia) communior sententia DD. sic « legem (Tridentin.) interpretatur [1]... Sed hoc non ob- « stante, secunda sententia videtur satis probabilis. Hìc « tamen advertendum quòd, adhuc stante probabilitate « hujus sententiæ, nequit irregularis se immittere in pos- « sessionem beneficii; quia... nemo cum opinione proba- « bili potest inchoare possessionem rei alienæ. »

§ II.

Quomodo incurratur et tollatur Irregularitas.

597. Jam diximus nunquam incurri irregularitatem nisi in lege expressè habeatur. Undè si jura non supponan

[1] De eâ tamen sententiâ, Stremler (*Des peines ecclésiast.*) dicit « Cette opinion a peu de probabilité. » Vide p. 50.

ipso facto effectum induci, sed requirant ut pœna à judice infligatur, certum est non esse sermonem de irregularitate.

Si quod statuunt esse impedimentum ad ordines suscipiendos vel exercendos peccato vacat, non potest esse censura, sed est irregularitas *ex defectu*.

Hæc verba : *ad ministrandum non accedat : ab altaris ministerio abstineat*, vel *in sacris ordinibus non debet ministrare*, non judicantur inducere irregularitatem : quia suspensioni æquè conveniunt. Econtra sequentes formulæ : *nunquam ordinetur* ; *non est ordinandus* ; *in clerum nullatenus admittatur*, et similes certò exprimunt irregularitatem.

598. Sed quærit. 1° An quis in dubio debeat tanquam irregularem se gerere ?

Resp. 1° Si dubitet propter scrupulos ex levibus rationibus, vel si ejus dubium sit negativum seu suspensivum nullas habens rationes pro aut contra, tale dubium nihili est faciendum.

2° Si dubium sit positivum : ante diligentiam ad veritatem inquirendam, quisque debet se gerere ut irregularem, nisi gravis necessitas urgeat, v. g. si occasio occurrat recipiendi Ordines aut beneficium. Post verò diligentiam, si dubium remaneat : vel dubium est juris, si nempe dubitetur an irregularitas exprimatur, necne, in lege, et tunc dubitans potest se habere ut non irregularis, quia lex dubia non obligat : ita communiter ; vel dubium est facti, an videlicet patraverit crimen irregularitatem inducens ; et tunc iterum distinguendum est : aut enim quæstio est de criminibus præter homicidium, aut de homicidio agitur : si priùs, quidquid dixerint Concina, Tourn., Habert, etc., sententia communis et verior tenet talem dubitantem non debere in illis casibus tanquam irregularem se reputare : quia *odia sunt restringenda* ; si posteriùs, nempe si quis dubitet an patraverit homicidium, tunc adsunt tres sententiæ : « Sed veriùs, inquit S. Liguor., lib. 7, n° 347, « tenendum cum communi, hunc in utroque foro (externo « scilicet et interno) judicandum esse irregularem » ; et probatur ex cap. *Significasti*, cap. *Ad audientiam*, et cap. penultimo *De Homicidio*, ubi data ratio, quòd pars tutior est eligenda, de utroque foro intelligenda est.

Sed hîc notandum est : Quòd hoc procedat casu quo aliquis certus est de homicidio ; et solùm dubitat an ipse suâ actione fuerit causa illius ; secus si dubitet de ipso homicidio. Unde si medicus aperuit venam prægnanti ut abortus sequeretur, sed postea non constet de abortu secuto, non est censendus irregularis. Sic etiam non habendus est irregularis, si dubitetur an fœtus fuerit, necne, animatus : capite 2, *De Homicidio*. Secus verò dicendum, si media adhibita ad abortum fuerint adeò efficacia ut ex eis communiter sequatur effectus, quia tunc præsumptio fit ex communiter contingentibus.

599. Quærit. 2° Quale debeat esse peccatum quando irregularitas venit ex delicto?

Resp. Debet esse *mortale*, *externum* et *consummatum*.

1° *Mortale* : Constat ex cap. 5, *De Pœnis*, in 6°, in quo dicitur *pœnam esse metiendam ex culpâ*.

2° *Externum* : Quia Ecclesia non fert leges nisi de iis de quibus potest judicare. (Cap. *Consuluit* 2, q. 3.)

3° *Consummatum* : Quia odiosa sunt strictè intelligenda. Ita communiter.

600. Quærit. 3° An ad incurrendam irregularitatem *ex delicto* requiratur scientia legis ecclesiasticæ peccatum vetantis, et pariter scientia irregularitatis prohibitioni annexæ? — Certum est quòd ad incurrendam irregularitatem *ex defectu*, minimè requiritur scientia legis aut irregularitatis.

Resp. 1° Quoad *scientiam legis ecclesiasticæ*, duplex est sententia : *Prima* negat : quia qui vult peccatum, implicitè vult pœnam quæ huic inuritur. *Secunda* sententia affirmat, et vocatur à S. Liguor. *communissima et probabilior* : probatur ex cap. *Proposuisti*, dist. 82, ubi Innocent. I declarat deponendos non esse quosdam clericos incontinentes, prout statutum fuerat à Papâ Siricio, eò quòd illius Pontificis dispositionem ignoraverint. Ergo, etc.

Circa tamen homicidium, etsi S. Liguor. non audeat reprobare hanc secundam sententiam, ipse tamen putat primam esse tenendam, ob indecentiam quæ reperiretur in eo quòd talis homicida altare conscenderet; undè Concil. Trident. (sess. 14, c. 7) dicit talem ab altari debere avelli.

2° Quoad *scientiam irregularitatis*, duplex etiam est sententia : *Prima* negat hanc scientiam esse requisitam ad incurrendam irregularitatem ; quia irregularitas, aut non est pœna, aut saltem non est pœna medicinalis, prout sunt censuræ ; porrò ut pœnæ præter medicinales incurrantur, non requiritur earum cognitio. Ergo, etc. Hæc prima sententia vocatur à S. Liguor., *valde probabilior* (*ib.*, n° 351).

Secunda sententia, quam idem Sanctus *satis probabilem* nuncupat, affirmat notitiam irregularitatis requiri ad illam incurrendam ; quia licet non requiratur scientia pœnæ, ut ipsa incurratur quando est ordinaria, et talis ut ex naturâ ipsius criminis aliquo modo prævideri possit, tamen illa scientia requiritur, quando pœna est extraordinaria et talis ut nec in confuso prævideri potuerit ; et hujusmodi utique est pœna irregularitatis. Ergo, etc.

601. Quærit. 4° Quotuplici modo tollantur irregularitates ?

Resp. Eas tolli posse quatuor modis : 1° *Per cessationem causæ* : si, v. g., irregularitas proveniat ex defectu ætatis, scientiæ, bonæ famæ.

2° *Per Baptismum*, si irregularitas sit ex delicto, etsi delictum esset homicidium ; secus si irregularitas sit ex defectu, v. g., si proveniat ex bigamiâ ; attamen irregularitas ex defectu famæ tollitur quoque per Baptismum si sit facti, modò emendatio, ordinariè saltem, per triennium perseveret. Si verò sit juris, non tollitur nisi per dispensationem, quamvis Bonacina teneat hanc etiam tolli per Baptismum.

3° *Per professionem religiosam in Religione approbatâ* : Non tamen quoad prælaturas religionis.

602. — 4° *Per dispensationem*, non verò per absolutionem. Dispensatio autem hâc vel simili formâ dari potest : *Dispenso tecum in irregularitate, quam ob hanc vel illas causas, incurristi.*

Illa dispensatio dari potest 1° à Papâ, etiam sinè causâ, saltem validè quamvis illicitè.

2° Cum causâ ab Episcopo dari potest dispensatio super irregularitatibus ex delicto occulto provenientibus, modò delictum non sit deductum ad forum contentiosum.

Si delictum esset publicum, sed populus ignoraret indè nasci irregularitatem, putat Collet posse tunc Episcopum dispensare; id econtra fieri non posse ab Episcopo, probabiliùs tenetur ex Bened. XIV; quia Conc. Trident. non loquitur de irregularitatibus occultis, sed de irregularitatibus ex delicto occulto provenientibus, et quia error juris præsumi non debet.

Non autem potest dispensatio dari ab Episcopo si irregularitas proveniat ex homicidio directè et in se volito, etsi occulto. —(Concil. Trid., sess. 24, c. 6.)

In quibus casibus Episcopus potest aliis dispensationem concedere, etiam secum dispensare valet, alium ad hoc delegando.

Dispensare potest Episcopus super defectu natalium, quoad receptionem ordinum minorum duntaxat. Idem valent Capitulum et Vicarius Capitularis, Sede vacante. Sed Vicarius Generalis indiget speciali ad hoc delegatione.

Solus autem Papa (et qui ab eo accipit hoc privilegium) potest dispensare super aliis irregularitatibus ex defectu.

An autem Episcopus possit dispensare in irregularitatibus (et suspensionibus) occultis cum suo subdito in alienâ diœcesi exstante. Vide decisum in nostro *Manuali*, nº 1777.

Haud posse Episcopos dispensare super irregularitatibus cum peregrinis declaratum fuit à Gregor. XIII, etiamsi Prætores vel medici ibidem exercerent.

Si tamen peregrini alicubi essent cum animo manendi per majorem anni partem, juxta plurium sententiam, cum iis tunc posset ab Ordinariis dispensari super irregularitatibus, votis et aliis.

Quid valeant Prælati regulares circa dispensationem irregularitatum, vide *ib.*, nº 1779.

Juxta S. Congr. Concilii, *occultum* censeri non deberet quod probari posset per duos aut tres testes: undè, ait Stremler (*Des peines ecclés.*, p. 52-59), Episcopus non potest dispensare circa irregularitates provenientes ex delicto quod potest probari coram Judice ecclesiastico. Attamen auctores communiter dicunt, apud S. Liguor. (lib. 6, 593), quòd *occultum* id sit quod non est notorium, et aliquâ ter-

giversatione potest celari, etsi per aliquos testes posset probari; crimen verò publicum, quando scitur à majore parte oppidi, viciniæ vel collegii, modò saltem ibi sint decem personæ.

Ita strictè interpretanda est dispensatio super irregularitatibus, ut qui est dispensatus pro diaconatu, non sit dispensatus pro sacerdotio. Imò dispensatus pro ordinibus in genere, sit duntaxat dispensatus pro minoribus ordinibus, nisi jam iis fuisset initiatus; et qui est dispensatus pro sacris ordinibus, non sit censendus dispensatus pro Prælaturis; et qui pro beneficiis simplicibus, non sit dispensatus pro beneficiis ad curam animarum obligantibus, vel pro Canonicatibus aut Dignitatibus. Uno verbo, extendi non debet dicta dispensatio de casu in casum non comprehensum in verbis dispensationis. Vide cap. *Innotuit* 20, *De Electione*, etc., et Concil. Remense anni 1857, p. 70.

§ III.

Quænam sint irregularitates ex delicto.

603. Sex recensentur, provenientes :

1. *Ex iteratione baptismi, aut ipsius collatione ab hæretico declarato peractâ.* Et quidem primùm ob baptismum seriò et scienter iteratum fit irregularis tàm rebaptizans, ut constat cap. *Ex litter.*, 2, *De Apostatis*, sic communiter interpretatum, quàm rebaptizatus, ut probatur c. 65, dist. 50. Sed probabiliùs requiritur ut rebaptizatio fiat modo solemni.

Non incurritur irregularitas in casu rebaptizationis conditionalis, ob prudens dubium de validitate prioris baptismi. An autem incurratur, si id fiat ob dubium non sat prudens, controvertitur. Sed de eo et quibusdam aliis vide nostrum *Manuale*, n^is^ 1786 et 1787.

Etiam irregularis est qui scienter ab hæretico declarato baptizatur extra casum necessitatis. Cap. *Ventum est*, 18, causa 1, q. 1.

604. II. *Ex violatione censuræ* fit irregularis clericus censurâ innodatus, qui temerè et solemniter exercet, sinè justâ necessitate, actus ordinis sacri quem habet, etsi invalidè exerceat, et licet sit toleratus, modò à censurâ id

ipsi prohibitum sit et culpabiliter agat. Ita communiter ex cap. *Si celebret*, *De clerico excomm.*

Non incurrit hanc irregularitatem qui functiones sui ordinis exercet, ab aliis requisitus, si sit toleratus : quia tunc licitè potest eas exercere, ex Bullâ *Ad evitanda scandala.*

Controvertitur utrum irregularitas contrahatur, ob violationem censuræ ad tempus determinatum illatæ. De quo et aliis pluribus vide nostrum *Manuale*, nis 1789-1797.

Etsi duplicem irregularitatem non incurrat qui sacros ordines exercet, duplici censurâ ligatus; id tamen exprimi debet in petitione dispensationis. Non concordant auctores num multiplicem incurrant irregularitatem, qui unâ censurâ ligati pluries sacros ordines exercent.

605. III. *Ex ordinis sacri*, *quem non habent*, *exercitio*, irregularis evadit clericus, seriò, scienter, temerè ac solemniter ministrans in hujusmodi ordine. Id eruitur, cap. 1 et 2, *De clerico non ordin. ministr.* Sed irregularis fit tantùm quoad ordines non susceptos; suspensus tamen evadit, per biennium ab ordine proximè suscepto. Probabiliùs hujusmodi irregularitas à laico non incurritur. Vide alia in *Manuali*, nis 1789-1803. Ablata est susp. C. *Ap. Sed.*

606. IV. *Ex malâ susceptione ordinum* fit irregularis : 1° qui furtivè, sinè approbatione Episcopi, ordinem recipit : c. 1, *De eo*, *qui furtivè*; 2° qui sinè dispensatione, eodem die, accipit plures ordines quorum unus est sacer : cap. 2 et 3, *eod.*; 3° qui post matrimonium contractum ordinem sacrum, renitente uxore, recipit : Extrav. *Antiquæ*, *De voto.*

In hâc irregularitate dispensare nequit Episcopus, si crimen fuerit publicum, et ipse ante ordinationem præceperit, ut mos est, sub pœnâ excommunicationis, neminem furtivè accedere. Cap. 1, *eod.* Alia invenientur in *Manuali*, nis 1804, etc.

607. V. *Ex hæresis delicto.* « Jure Decretalium, in-« quit Card. Soglia (*Inst. jur. priv.*, § 69), non hæretici « modò alieni à canone sunt (seu irregulares), verùm etiam « illi qui cum hæreticis aliquo modo conjuncti sunt; quo-

« rum triplex genus est : primum est eorum qui hæreticis « in crimine hæresis consortes et participes sunt; alterum « eorum est qui, quanquam pravis erroribus non adhæ- « reant, tamen errantibus favent, eosdem auxilio et ope « juvando; et fautores in jure vocantur : cap. 2, *De hæret.*, « in 6°; tertium genus eorum est qui... hæreticis... com- « munione sanguinis conjuncti sunt, videlicet... filii... « Hæretici verò, etiamsi ad catholicam fidem redierint, « non idcirco irregularitate solvuntur. » In eâ irregulari- tate Episcopi possunt dispensare quando est occulta.

608. VI. *Ex homicidio vel mutilatione.* Homicidium dividi potest in *necessarium*, *voluntarium* et *casuale*.

Necessarium seu justum vocatur illud quod contingit ex quâdam necessitate vitam suam vel justitiam conservandi; nempè si agatur de necessariâ defensione.

Voluntarium, quod etiam injustum vocatur, est illud quod contra æquitatis regulas intenditur directè in se, vel indirectè in causâ quæ tamen inseparabiliter et proximè sit cum eo conjuncta, v. g., lethaliter vulnerando, morti- ferum venenum propinando, etc.

Casuale est illud quod in se non est volitum, sed ad summum in causâ quæ cum effectu non ità proximè sit conjuncta : unde duplex est, *mere casuale* quod nec in se nec in causâ fuit culpabiliter volitum, v. g., si quis omnino nesciens et sinè suâ culpâ propinaret cibum et potum vene- natum; et *casuale mixtum* quando culpabiliter, saltem in causâ fuit volitum, non adhibendo diligentiam necessariam ad illud præcavendum, v. g., si quis sinè sufficienti cau- tione projiciat lapidem quæ hominem occidat.

Quæ in præsenti puncto dicturi sumus de homicidio, applicanda sunt etiam mutilationi, quæ pariter dividitur in voluntariam et casualem.

609. Propositio 1. — *Homicidium voluntarium gravissi- mam inducit irregularitatem.*

Constat ex cap. 4, dist. 50, et Concil. Trident. (sess. 14, c. 7), ubi dicitur : « Qui suâ voluntate homicidium perpe- « traverit, etiamsi crimen id, nec ordine judiciario proba- « tum, nec aliâ ratione publicum, sed occultum fuerit, « nullo tempore ad sacros ordines promoveri possit; nec

« illi aliqua ecclesiastica beneficia, etiamsi curam non « habeant animarum, conferri liceat »; etc.

610. — Propositio 2. *Homicidii voluntarii rei sunt omnes qui, actione sive physicâ sive morali, proximi mortem directè intendunt et procurant.*

Constat ex regulâ juris : « *Is damnum* dat, non solùm « qui per se agit, sed *et qui jubet.* » Undè irregulares fiunt qui voluntariè cooperantur ad homicidium, vel ut illud celeriùs, audaciùs aut securiùs fiat : prout mandantes, consulentes, si reverà mandatum vel consilium in occisionem influxerit : ex cap. *Si quis viduam*, et cap. 8, dist. 50, cap. *Significasti* 18, *De homicidio*, et cap. 23, *De Pœnitentiâ*, dist. 1.

Omnes qui se ad homicidium excitant, quamvis unus solus occidat, irregulares fiunt : uti omnes qui præliantur in bello injusto, si aliquis in eo occidatur, etsi hoc non intendant alii : sed tunc respectu illorum homicidium erit casuale mixtum. Item omnes qui ministrant arma aut pecunias ad homicidium vel bellum injustum.

Veriùs irregularis fit homicida etsi, ante mortem occisi, facti sui pœniteat.

Qui consuluit homicidium, casu quo consilium falsitate fuerit innixum aut datum auctoritativo modo, si illud revocet et falsitatem ejus patefaciat, non fit irregularis : quia tunc causam impulsivam totam revocat; secus si consulens insinuavit motivum vel modum occidendi : quia motivum vel notitia modi semper influere pergunt. Hæc quæstio tamen controvertitur.

Disputatur an incurrat irregularitatem is qui primus lethaliter percussit, si alii postmodum peremerint. De quo vide *Manuale*, n° 1821.

Quærit. An irregularis habendus sit mandans aut consulens, in dubio an mandatum vel consilium fuerit, vel ne, causa efficax homicidii?

Resp. Communiorem DD. sententiam affirmare : quia in dubio præsumitur mandatum vel consilium suum effectum produxisse usquedum contrarium probetur. Præterea ex cap. *Ad audientiam*, in dubio homicidii, tutior pars est

eligenda. Est tamen alia sententia negans quæ S. Liguorio (lib. 7, 371) improbabilis non videtur; ratio quia irregularitas non incurritur nisi sit expressa in jure; jura autem loquuntur de iis qui certè sunt causa homicidii, mandando vel consulendo, vel qui dubiè homicidium committunt; non autem de iis qui tantum dubiè ad illud concurrunt.

611. Propositio 3.—*Non incurritur irregularitas propter homicidium merè casuale; propter homicidium verò casuale mixtum quod sit mortaliter culpabile, incurritur.*

Propositio constat ex Clem. *Si furiosus*, *De homicidio*, cap. *Presbyterum* 7, et cap. *Joannes* 23, *De homicidio*; et ut certum communiter habetur. Ratio est quòd pœna gravis qualis est irregularitas, non debet infligi nisi ob grave delictum.

Qui dat operam rei licitæ, debitam adhibendo diligentiam ne homicidium sequatur, ille non incurrit irregularitatem si mors accidat.

Ita communiter. Et patet ex cap. *Is qui*, c. *Sœpe*, c. *Si duo fratres*, dist. 50, etc.; secus si diligentiam sufficientem omitteret, ut colligi potest ex cap. *Dilectus* et cap. ultimo, *De homicidio*. Tunc enim homicidium indirectè volitum esset in causâ.

Non requiritur tamen diligentia summa, sed sufficiens: illa nempe quam vir prudens juxta rei qualitatem adhibet. Unde irregularitas non oritur nisi ex negligentiâ quæ ad peccatum mortale pertingat.

Vide varios casus quibus regula applicari valet, in *Manuali*, nº 1826, etc.

612. Quærit. 1° An irregularis fiat qui dat operam rei illicitæ, si ex eâ mors alterius sequatur?

Resp. Vel res est illicita quia est periculosa, vel talis est ob aliam causam. Si *priùs*: duplex est sententia probabilis; *prima* affirmat cum Suar. et aliis ex cap. *Tua nos* 9, *De homicidio*; — *secunda*, quam probabiliorem S. Liguorius vocat (*ibid.*, nº 387), dicit quòd si opus sit ita periculosum ut ex eo frequenter mors sequatur (ut admovere ignem bombardæ ubi est frequentia hominum, aut pugnare in

bello, etc.), tunc incurritur irregularitas, quamvis omnis adhibeatur diligentia ne mors sequatur ; secus si opus rarò sit mortis inductivum et debita diligentia adhibeatur : tunc enim homicidium nec in se nec in causâ est volitum.

Ad textum cap. *Tua nos*, ubi irregularis declaratur monachus, licet peritus, incidens apostema cujusdam mulieris quæ ex suâ incuriâ postea decessit, respondetur casum illum specialem esse in jure, et non esse extendendum ad alios.

Ex hâc sententiâ inferunt Salm. cum aliis, non esse irregularem clericum si, ipso torneamenta vel ferarum venationem exercente, mors alicujus contingeret; nisi negligentiam committeret ad mortale pertinentem.

Si *posteriùs*, si res nempe non est illicita quia est periculosa, sed ob aliam causam : tunc qui rei hujusmodi vacat, peccat quidem, sed juxta communem sententiam non incurrit irregularitatem, modò sufficientem diligentiam adhibuerit : v. g., si dum quis cædit arborem in fundo alieno, merè fortuito homo aliquis occidatur. Ita communissimè DD., et colligitur ex Clement. unicâ, *De homicidio*, ubi ideò exercens opus licitum excusatur : quia *homicidium* non est voluntarium ; unde semper ac homicidium est omnino involuntarium, non oritur irregularitas, quamvis rei illicitæ vacetur.

613. Quærit. 2° An irregularis fiat qui alterum mutilat aut occidit, ad necessariam suî vel alterius innocentis defensionem cum moderamine inculpatæ tutelæ?

Resp. Negativè ; et illud ut certum habetur pro casu suæ defensionis : ex cap. *Significasti* 18, § fin., *De homicidio* ; et ex Clem. *Si furiosus*, eodem tit. Et pro defensione innocentis verisimiliùs deducitur ex cap. *Ex litteris*, *De homicidio*.

Nec obstat Concil. Trid. (sess. 14, c. 7), ubi dicitur de eo qui occidisset « *casu*, *vel vim vi repellendo*, *ut se à* « *morte defenderet*, *quòd jure quodammodo dispensatio de-* « *beatur* » ; nam communiter intelligitur hic textus de eo qui moderamen in suî defensione non servasset.

Hàc tamen occurrentiâ, homicidium reputatur *casuale*, et ideò Episcopus, si crimen sit occultum, potest in hàc

irregularitate dispensare. — Valdè autem probabiliter censent plures quòd si quis alterum provocet verbis aut facto, prævidens se facillimè aggrediendum, fiat irregularis, si postmodùm, ob suî defensionem, aggressorem occidat; quia tunc dat operam rei illicitæ proximè periculosæ; secus verò si non prævideat. Idem est dicendum de eo qui accedit ad uxorem alterius, prævidendo periculum esse ne occidat maritum aggressorem.

An idem sit dicendum de eo qui alterum occidit aut mutilat, ob defensionem libertatis, honoris, pudicitiæ vel bonorum temporalium, expenditur in *Manuali*, nº 1832, etc.

Juxta sententiam, quæ à S. Liguor. (*ib.*, nº 394) probabilior dicitur, homicidium in repentinâ rixâ patratum, haberi debet ut voluntarium et non casuale : quia homicida « suâ voluntate et ex proposito occidit, et non ex casu ». Vide Conc. Trident., sess. 17, cap. 7. Secus tamen sentiunt Salmantic. et quidam alii; quia non censeri debet voluntarium homicidium, sed *casuale tantùm mixtum*, quando *subitò*, quasi absque déliberatione, in alium insilit homicida.

614. Propositio 4. — *Incurritur etiam irregularitas ob mutilationem membri.*

Ita cap. *Significasti*, *De homicidio*, et Clement. *Si furiosus*, eodem titulo.

Quidam cum Suar. dicunt nomine *membri* esse intelligendum non solùm oculum, manum, etc., sed etiam nasum, digitos et auriculam, quia per eorum abscissionem aufertur corporis integritas; sed probabiliùs, inquit S. Liguor., communissimè DD. tenent nomine *membri* venire tantùm partes illas corporis quæ proprium officium habent ab aliis divisum, ut oculus ad videndum, manus ad agendum, pes ad ambulandum, etc. Undè irregularitatem non incurrit qui amputaret auriculam : quia, eâ ablatâ, non tollitur omne officium audiendi; nec qui dentes evelleret, nec qui auferret alteri digitum : nisi sibi, extra casum infirmitatis vel necessitatis, digitum vel partem digiti amputaret : quia cap. *Qui partem* 6, dist. 55, expressè declarat in hoc adesse irregularitatem. Item irregularis est qui suâ

culpâ gravi fit eunuchus : cap. *Ex parte* 3, *De corpore vitiato.*

Nec etiam fit irregularis sacerdos jubens fieri abscissionem membri præscriptam à medico, modò ipse non exsequatur. Imò valdè probabiliter eximeretur ab irregularitate qui adjuvaret mutilantem congruè ægrotum.

615. Irregularitas ex homicidio vel mutilatione proveniens tollitur per Baptismum : ex cap. *Si quis*, dist. 50; et per dispensationem S. Pontificis, qui dispensare potest etiam in irregularitate ex homicidio voluntario, licet ordinariè non deceat, et sic intelligi debet c. *Minor.*, dist. 50.

Episcopi possunt quidem dispensare in omni irregularitate *ex delicto occulto* proveniente etiam *ex delicto occulto* mutilationis voluntariæ, aut homicidii casualis mixti, ut constat ex Concil. Trident. (sess. 24 ,c. 6); sed ex eodem Concil. (*ib.*) excipi debet ea quæ oritur ex homicidio voluntario, etsi delictum probari nequeat in judicio, quidquid in contrarium dicant nonnulli, ap. S. Liguor. (*ib.*, nº 392). Potest tamen Episcopus dispensare cum homicidâ occulto ut ministret in sacris, si magna urgeat necessitas, et ad Papam recurri non possit. Vide alios casus in *Manuali*, nº 1841, etc.

§ IV.

De irregularitatibus ex defectu.

Octo species irregularitatum ex defectu recensentur.

616. I. Ex defectu animæ : Irregulares ex defectu animæ censentur : amentes, phrenetici, arreptitii, epileptici, illiterati, neophyti.

1º *Amentes* et *phrenetici :* ex cap. *Maritum* 2, dist. 33. Si tali defectu laborans jam ordinatus est, cessante defectu per diurnum tempus, judicio Episcopi poterit ordines susceptos exercere ; si verò nondum sit ordinatus, nunquam ei licebit ordines suscipere casu quo amentia orta fuisset ex causâ permanenti, fundatâ in læsione organorum. Sufficit semel insanivisse ; secus tamen si amentia provenerit ex accidente : v. g., ex vi febris, vulneris ; et postea cessaverit.

2º *Arreptitii* seu *dæmoniaci et epileptici.*: De ipsis pariter

distinguendum inter nondum ordinatos et jam ordinibus insignitos : priores enim veluti perpetuò irregulares habendi sunt. Ita communiter, ex totâ distinct. 33. Vide in *Manuali* de quibusdam casibus, nº 1847, etc.

Si de jam ordinatis quæstio instituatur, cap. *Communiter*, dist. 33, dicit quidem : « Qui (epileptici) et ipsi « (obsessi) tamdiù erunt ab officii sui ordine et loco suspensi, « quousque *unius anni spatio* per discretionem Episcopi « inveniantur ab incursu dæmonis liberati » ; sed illud spatium *unius anni* Suarez dicit non esse in usu, et nunc esse relictum prudentûm judicio. Undè si rarò, v. g. semel in mense, aliquis cadat, nec spumet, poterit privatim celebrare, adjuncto sacerdote jejuno, qui missam possit, adveniente morbo, perficere.

3º *Illiterati :* non concordant DD. quid hîc sit intelligendum per illiteratos. Tales tamen reputandi sunt, juxta S. Liguor., lib. 6, nº 790, qui linguam latinam saltem non intelligunt. Vide *Manuale*, nº 1851, etc.

In his tribus modò expositis irregularitatibus nec etiam Papa valet dispensare, quia hujusmodi inhabiles sunt jure divino, tàm ad suscipiendum quàm ad exercendum ordinem : cessante defectu, si agatur de illiteratis, cessat omninò irregularitas. Si verò de aliis agatur, cessante defectu ante ordinationem, non potest dispensare Episcopus, quia dispensare non valet in irregularitatibus ex defectu, nisi in duobus casibus de quibus infra ; sed posset solvere dubia de iis exorta, vel in iis dispensare.

4º *Neophyti* seu recenter conversi, ex cap. 2, 3, 4, 5, distinct. 61. Juxta Toletum et alios, post decennium neophytus desinit esse irregularis : imò anteà, si Episcopus judicet illum benè moribus profecisse. Non tamen propriè irregulares sunt qui nondum sunt confirmati...

617. — II. *Ex defectu corporis.* Non exstitisse hanc irregularitatem ante quintum sæculum, dicit et probat Collet (*Curs. compl.*, t. 17, col. 234).

Duplici autem ex capite procedit illa irregularitas : vel quia impedit congruum ordinis exercitium, vel quia inducit notabilem indecentiam et horrorem ingerit.

Hinc ex primo capite irregularis est :

1° *Cæcus*, qui nempe omnino visu caret : cap. ult., dist. 55... Si jam sit sacerdos, poterit à S. Pontifice obtinere dispensationem, si constet posse non errare.

Si cuidam desit solùm visus oculi dextri, non est irregularis; secus si sinistri, nisi oculus dexter aptus esset ad legendum canonem sinè magnâ deformitate.

2° *Surdus :* ex can. 7 Apost. Si tamen surditas superveniat, sacerdotio suscepto, non interdicitur sacerdoti celebratio missæ. Communiter docent DD. surdastrum, seu difficulter audientem non esse irregularem.

3° *Mutus* qui non possit loqui, aut verba integra proferre, ita ut nullam possit vocem pronuntiare, quin aliquid omittat, vel nisi cum magnâ difficultate, et idem dicit Holzm. de eo qui loquelam penitùs præcipitem habet. Blæsi verò sive balbutientes, aut carentes dentibus, non sunt irregulares, nisi afferant causam risûs aut contemptûs.

4° *Claudus* qui sinè baculo nequit ire ad altare, ex cap. *Nullus Episcopus*, 57, *De Cens.*, dist. 1. Si baculo non indigeat, minimè est irregularis : cap. *Si quis* 19, dist. 55; sicut nec etiam qui habet crura distorta, si in hoc non esset magna difformitas. Irregularis autem est qui indiget pede ligneo, quia in hoc adest magna difformitas. Attamen juxta quosdam, si talis defectus non esset magnus et indecentia reparari valeret, permitti posset celebratio : et in dubio standum judicio Episcopi.

5° Qui caret manu, aut digitis omnibus, aut pollice, irregularis est ex cap. ult. *de corpore vitiato.* Idem dicunt plures, de eo qui caret indice, vel parte pollicis, aut indicis, vel qui habet eos ita debiles ut nequeat hostiam elevare aut frangere. Qui caret tribus posterioribus digitis, etiam est irregularis; non verò si careat tantùm uno digito minori, aut etiam duobus; aut si habeat sex digitos : sextus autem digitus posset abscindi, sinè periculo irregularitatis, abesset periculum vitæ.

Carens indice potest obtinere dispensationem. Si quis autem jam ordinatus haberet pollicem impeditum, v. g., podagrâ, in casu gravissimæ necessitatis probabiliter posset Eucharistiam ministrare posterioribus digitis. Ita communiter.

6° *Morbus*, non qualiscumque, sed qui exercitium ordinis impediat vel notabile scandalum sive indecentiam afferat : v. g., febris continua, non autem quartana, aut levis; paralysis, aut talis manuum debilitas ut sit periculum effundendi calicem, prout contingit in eo qui manus admodum tremulas habet ; item tussis qui periculosam redderet communionem.

Item irregularis est abstemius qui vinum nequit sumere nisi cum periculo evomendi. S. Liguor., lib. 7, 409.

Ex secundo capite irregulares sunt :

1° Ii quibus deest aliquod membrum (Cap. *Presbyterum*, *De cleric. œgr.*), nempe qui carent naso (Cap. penult., *De corp. vitiat.*), vel habent nimis deformem, valdè demissum aut promissum.

Item si alicui est erutus oculus sive dexter sive sinister, nisi per oculum vitreum reparetur illa deformitas, item qui caret auriculis, nisi capillis aut alio modo defectus occultetur.

2° *Leprosi* : ex cap. *Tua nos, De cleric. ægrot.* Si tamen abesset scandalum, leprosus posset celebrare in loco privato. Sic pariter irregulares sunt qui laborant morbo gallico qui foris appareat ; aut qui habent faciem ex alio morbo valdè maculatam, aut ex quâcumque causâ valdè deformatam.

3° *Monstruosi* : prout habendi sunt qui gibbam valdè enormem habent, ita ut nequeant recto capite stare ; pygmæi, ita breves ut ad risum moveant, præsertim si habeant caput valdè ingens, vel si non possint brachia extendere ad altaris ministerium.

Circa hæc omnia nota quòd si illi defectus accidant ante receptionem ordinum, irregularem reddunt quoad omnes ordines recipiendos : quia cùm omnes ordines sacerdotium respiciant, exclusus à sacerdotio, ab aliis etiam ordinibus repellitur ; si verò illi defectus superveniant ordinibus susceptis, sacerdos non impeditur exercere illos ordines quos valet implere sinè indecentiâ : sacerdos claudus, v. g., potest confessiones excipere ; sic pariter cæcus, et etiam Evangelium cantare (Cap. 7, *De Cleric. ægrot.*).

In hâc irregularitate solus Papa potest dispensare ; Epi-

copi duntaxat possunt declarare in dubio an defectus magnam vel levem afferat indecentiam.

618. — III. *Ex defectu natalium.* Irregulares sunt omnes illegitimi, etiam occulti : ita cap. 1, et fin. *De filiis Presbyter.*

Triplici modo hujusmodi irregulares legitimantur :

1° *Per subsequens matrimonium* : modò tempore conceptionis parentes potuerint validè contrahere ; undè si, mortuâ conjuge, adulter ducat mulierem ex quâ filium habuit, iste manebit illegitimus : ex cap. *Tanta, Qui filii sint legitimi.*

Filii nati ex matrimonio, irrito quidem ob occultum impedimentum, sed bonâ fide existimato valido saltem ab uno ex contrahentibus, tanquam legitimi, juxta sententiam communem haberi debent, ex cap. *Cùm inter* 2, *Qui filii sint legit.* : modò tamen factæ fuerint denuntiationes, aut saltem in eis dispensatum fuerit, et coram parocho et testibus requisitis celebratum fuerit ; hoc locum non habet quando ambo contrahentes, tempore celebrationis matrimonii, erant in malâ fide. Cap. *Cùm inhibitio* 3, § *Si quis, De cland. despons.*

Vide plures alios casus in *Manuali*, n^is^ 1871, etc.

2° *Per professionem religiosam solemnem*, ut colligitur ex cap. 1, *De filiis presbyt.* Sed advertendum est quòd irregularitas *quoad ordines* tantùm tollatur in hoc casu, non verò quoad dignitates, etiam in Religione, v. g., Abbatias, Prioratus, etc.

Aliæ irregularitates non auferuntur per professionem religiosam ; sed Prælati regulares ex privilegio à SS. Pontificibus ipsis concesso, possunt dispensare cum suis subditis, pluribus in casibus.

3° *Per dispensationem pontificiam* : Papa non solùm potest illegitimis dispensationem concedere, sed etiam ipsam legitimationem quæ irregularitatem aufert quoad omnes effectus. Ita communiter.

Episcopus verò potest cum illegitimo dispensare tantùm ad ordines minores et ad beneficium simplex : ex cap. 1 et 2, *De filiis presbyt.*, in 6°, etsi illegitimitas esset occulta.

Idem dicendum est de Capitulo, Sede vacante; et idem proinde de Vicario capitulari.

Quærit. An expositi, quorum parentes ignorantur, habendi sint ut illegitimi?

Resp. Duplicem adesse sententiam : unam affirmantem, quia vehementes sunt conjecturæ expositos esse illegitimos cùm legitimi non soleant exponi; alteram negantem, quia illegitimi non sunt habendi nisi ii quos constat tales esse : quod hîc non contingit, cùm sæpè etiam conjugati filios suos exponant. S. Liguor. (lib. 7, n° 431) vocat probabiliorem hanc secundam sententiam, et affert declarat. Gregor. XIV anni 1590, in gratiam Confraternitatis pro expositis, ubi dicit eos non esse reputandos illegitimos, nisi tales probentur.

Nota quòd quilibet præsumendus sit legitimus donec contrarium probetur; neque quis tenetur credere ipsimet matri, sub juramento asserenti, etiam in fine vitæ, nisi rationibus convincat, vel pater etiam asserat. In hoc sensu pronuntiavit S. Congr. Concil., 27 jun. 1857.

619. — IV. *Ex defectu ætatis.* Irregulares sunt qui non habent ætatem à sacris canonibus requisitam ad ordines recipiendos. Prob. ex Conc. Trid., sess. 23, cap. 12, *De ref.*; et Clement. ultimâ, *De ætate et qualit. ordin.*

Porrò ætas à canonibus requisita est pro primâ tonsurâ, ut saltem sit septennis et polleat usu rationis (Bened. XIV, Bulla *Inter sollicitas,* anni 1745, § 19); pro ordinibus minoribus nulla in jure assignatur ætas : solent tamen conferri, ait idem Bened. XIV (*ib.*), ab anno 7 ad 14; pro Subdiaconatu statuitur annus 22; pro Diaconatu 23; pro Sacerdotio 25. Ita in Concil. Tridentin. (sess. 23, cap. 12): sufficit autem ut annus præscriptus sit inceptus, ut colligitur ex eod. Concil. (sess. 24, c. 12); pro Episcopatu verò requiritur annus 30, et quidem completus; ex Concordato autem inter Leonem X et Franciscum I inito, sufficiebat annus 27, sed ex lege organicâ (art. 14) annus 30 requiritur.

Irregularitas orta ex defectu ætatis cessat quidem, adveniente ætate requisitâ : unde ordinatus, completâ ætate, statim potest ordines exercere; attamen qui ante legitimam ætatem scienter ordinatur sinè dispensatione,

incurrit ipso facto perpetuam suspensionem Papæ reservatam ab exercitio ordinis suscepti, à quâ absolvere non possunt Episcopi, nisi sit occultè contracta (Concil. Trid. sess. 24, c. 6) : proinde taliter ordinatus non potest ordinem susceptum exercere sinè absolutione, etiam postquam ætatem compleverit ; et si exerceat, irregularis fit : sic ordinatus, completâ ætate, potest ordinem susceptum exercere ; si verò antea exerceret, peccaret quidem, sed non incurreret irregularitatem. Suspensio fuit ablata C. *Ap. Sed.*

Episcopus autem ordinans scienter aliquem, ante ipsius legitimam ætatem, suspenditur à collatione omnium ordinum. Ita communiter ex cap. *Vel non est compos*, 14, *De temp. ordin.* — Sed hæc suspensio est ferendæ sententiæ.

Nota quòd ætas computanda sit à die nativitatis, non verò baptismi, uti constat ex cap. 3 et aliis, dist. 77.

Certum est quòd, ætate non completâ, Episcopi nullo modo possint in hâc irregularitate dispensare, etiam ad exercendum ordines ante ætatem susceptos.

620. —V. *Ex defectu sacramenti seu ex bigamiâ.* Bigamia in eo consistit quòd quis cum duabus vel pluribus uxoribus matrimonium contrahat, sive ante sive post baptismum ; tunc adest irregularitas ex defectu sacramenti : quia is, qui duas duxit uxores, non potest aptè significare unionem Christi cum Ecclesiâ unicâ ejus sponsâ. Constat ex toto titulo *De Bigamiâ* ; et infertur ex his Apostoli verbis, 1 ad Timoth., c. 3, v. 3 : « Oportet Episcopum unius « uxoris esse virum ».

Non fit irregularis conjugatus aut sacerdos adulterium committens cum aliis.

Triplex distinguitur bigamia, *vera* nempe, *interpretativa* et *similitudinaria.*

Vera est quando quis cum duabus successivè verum contraxit matrimonium, modò utrumque fuerit consummatum, et quidem saltem probabiliter per utriusque seminis commixtionem.

Interpretativa dicitur de eo qui, quâdam juris interpretatione seu fictione, censetur duas habuisse uxores, quam-

vis reverà non habuerit : hocque quadrupliciter contingere potest :

Primus modus, quando quis viduam jam cognitam ducit, etsi invalidè : cap. *A nobis*, ult., *De Bigamiâ*, quamvis non cognoverit.

Secundus modus, quando quis ducit mulierem ab alio corruptam, etsi bonâ fide putasset virginem, et quamvis ipse eam non cognoverit. Ita communis et verior sententia, ex cap. ultimo, dist. 51. Secus esset si quis duceret mulierem à se priùs cognitam.

Tertius modus est, quando quis, etiam penitùs ignorans, cognoscit uxorem postquam illa adulterium commiserit : ex cap. *Si cujus* 11, et cap. *Si laici* 12, dist. 34 : etsi adulterium fuerit occultum et solummodo materiale, ut dicunt Tourn., Elbel, etc.; sed alii contradicunt.

Quartus modus est, quando quis duo contrahit et consummat matrimonia, unum validum et alterum invalidum : ex cap. *Nuper*, *De Bigam.* — Quid si duo matrimonia fuissent invalida ? — Contrahens essetne irregularis ? — De hoc disputatur.

Nota ex Collet (*Curs. compl.*, tom. 17, col. 258), quòd « nusquam ex matrimonio juris (seu validi), aut facti (seu « invalidi) nascitur bigamia vera vel interpretativa nisi ad « copulam ventum sit ; undè qui legitimo matrimonio « accipit virginem quam non cognoscit, eâque mortuâ, « ducit alteram quam cognoscit, non est bigamus ; sicut « nec ille qui duceret uxorem alterius, nec ab eo nec ab « alio cognitam ; quia nec ipse, nec illa, carnem suam « divisit in plures. Cap. 5, *De Bigamiâ.* »

Bigamia similitudinaria est illa quæ contrahitur ex attentatione matrimonii, quamvis invalidi, post votum solemne Religionis vel susceptionem Ordinis Sacri : communiter ad hoc requirunt DD. quòd matrimonium attentatum, etiam consummatum fuerit ; quod deducitur ex verbis : *Si posteà uxori fuerit sociatus.* Cap. *Monacho* 32, c. 27, q. 1.

Irregularitas ex Bigamiâ proveniens tollitur :

1° Per Baptismum : cap. *Si quis viduam.*

2° Per dispensationem S. Pontificis, non obstante in-

stitutione apostolicâ (1 ad Timoth., cap. 3, v. 3 et 18) : quia Apostolus jure humano, non divino, hanc instituit.

3° In Bigamiâ verâ et interpretativâ Episcopi dispensare non valent, neque ad Sacros Ordines suscipiendos, neque ad ministrandum in eis, neque ad beneficia iis annexa : probat. ex cap. *Super eo*, *De Bigam.*

In Bigamiâ *similitudinariâ*, Episcopi possunt dispensare etiam ad ordines sacros suscipiendos et ministrandos, ex cap. *Sanè* 4, *De cleric. conjug.* Et hoc currit etiamsi crimen fuerit publicum : quia hæc irregularitas non provenit ex delicto, sed ex defectu.

621. — VI. *Ex defectu bonæ famæ* : Hæc irregularitas potiùs ex defectu quàm ex delicto vocari debet, cùm infamia non sit aliud quàm defectus bonæ famæ, et incurratur in quibusdam casibus ubi non est delictum proprium.

Duplex distinguitur infamia : alia *juris*, altera *facti*.

« Infamia *juris* ea est, inquit Collet (*Curs. compl.*, tom. « 17, col. 251), quæ contrahitur, seu per sententiam judi- « cis declaratoriam aut definitivam, seu per juridicam rei « confessionem...; infamia verò *facti*, ea est quæ contra- « hitur ipso facto, et antè quamlibet sententiam ; et hæc « duplex distinguenda videtur : alia est *legalis*, alia *popu-* « *laris* : infamia *legalis facti* ea est quæ oritur ex solo « facto, sed cui annexa est (per legem) infamia...; infamia « *popularis* ea est quæ incurritur ob crimen quod, licet « infamiâ non notetur in jure, tale tamen est ut, ex pru- « dentûm et bonorum æstimatione, boni nominis amis- « sionem pariat. »

Propositio. — *Omnes infames, sive juris etiam civilis, sive facti, irregulares sunt habendi.*

Propositio constat ex cap. *Infames* 6, q. 1, in quo enumerantur « omnes quos *sæculi* aut *Ecclesiæ* leges *infames* « pronuntiant ».

Bonacina tamen cum Azor dicit infamiam *facti* inducere quidem irregularitatem ad non suscipiendos ordines, non verò ad non ministrandum in susceptis ; *infamiam* verò juris ad utrumque.

Dictum fuit *etiam civilis* : quia omnis infamia civilis habetur ut ecclesiastica, modò reverà proveniat ex crimine.

Porrò infames sunt, ex nostro Codice pœnali, qui sequentibus pœnis plectuntur : « Art. 7. Les peines afflictives « et infamantes sont : 1° la mort; 2° les travaux forcés à « perpétuité; 3° la déportation; 4° les travaux forcés à « temps; 5° la détention; 6° la réclusion. — Art. 8. Les « peines infamantes sont : 1° le bannissement; 2° la dé« gradation civique. »

Olim in Galliâ infames reputabantur qui erant *décrétés de prise de corps pour un crime dont on ne se justifiait pas*; sed res aliter se habet sub hodiernâ legislatione.

« Ad incurrendam hanc irregularitatem (ex defectu « bonæ famæ, requiritur, inquit S. Liguor., lib. 7, n° 363, « ut crimen cui annexa est infamia, sit notorium notorie« tate facti, vel juris; — *facti* per publicam famam..; re« quiritur... ut factum... sit ita evidens majori parti viciniæ « seu collegii (ubi ad minus sint decem), ut nullâ possit « tergiversatione celari. Item, ait Viva..., requiri... ut « crimen sit qualificatum, ut hæresis, parricidium, etc., « vel continuatum, ut concubinatus. » Idem exigere videntur Ferraris, v° *Irregularitas*, n° 11, *Sexto*; et Devoti; —econtra Reiffenstuel, lib. 2, tit. 20, n^is^ 31 et 36; Lequeux, n° 499, putant infamiam oriri posse ex omni peccato mortali; citant cap. *Illi qui* 6, q. 1 : quod reverà id dicere videtur.

« Juris (infamia, pergit S. Liguor., *ibid.*) habetur per « confessionem rei, vel per sententiam judicis, saltem cri« minis declaratoriam.

« Crimina autem, quibus de jure annexa est infamia, « sunt : homicidium, perjurium factum in judicio, hære« sis, simonia, sodomia, crimen læsæ majestatis, adul« terium, proditio, rapina, lenocinium, exercitium usu« rarum, invasio Cardinalium vel Episcoporum : item « raptus mulierum seu ad illum cooperatio, duellum (non « tantùm duellantes, sed ipsorum patrini, ex Concilio « Trid., sess. 25, cap. 19), paratio armorum contra pa« rentes, etc. »; addictio ad pœnitentiam publicam. Cap. *Maritum*, dist. 33.

« Item exercitium histrionis cum turpibus repræsenta« tionibus, ita ut non fiat sinè peccato mortali; non autem

« Macellatoris, Carnificis [1], Lictoris et similis generis, cùm « hæc officia benè exerceri possunt sinè peccato. » Ita S. Liguor. (loco citato). Plures tamen alii secus sentiunt : vide Ferraris (v° *Irregularitas*, n° 12, in fine). Sed ab iis sicut ab officio tabernariorum se abstinere debent clerici ; et si non desistant tertiò moniti, vel si reassumant, privilegium clericale amittunt, ex cap. *Diœcesanis* 1, lib. 3 Clement.

Incurri potest hæc irregularitas etiam ob infamiam alterius, « prout incurrunt filii eorum qui damnati sunt ob « delictum læsæ majestatis, filii nati ex matre meretrice..., « filii hæreticorum (licet hoc neget Viva..., sicut negat « etiam de filiis illegitimorum), et etiam nepotes per viam « masculinam ab iis descendentes ; modò tamen sit noto- « rium parentes fuisse hæreticos et in hæresi decessisse [2]. « Ut autem omnes hi irregularitatem contrahant, opus est « ut nati sint post delictum. » — (S. Liguor., lib. 7, n° 363.)

Irregularitas ex infamiâ proveniens tollitur, si sit infamia *facti*, per Baptismum vel per notoriam emendationem, sinè dispensatione.

Ita colligitur ex cap. *Si duo*, causa 35, q. 6, modò emendatio, generatim loquendo, saltem per triennium duraverit. Si verò sit *juris*, non tollitur nisi per dispensationem : attamen Bonacina tenet hanc etiam tolli per baptismum, et Salmant. hoc non improbabile putant.

« Episcopus, pergit idem S. Liguor. (*ibid.*), non potest « dispensare, ut infamis infamiâ facti ad sacros ordines « ascendat : potest tamen ut in susceptis ministret, si cri- « mina sint minora adulterio, et reus egerit pœnitentiam. « Si verò infamia sit per sententiam judicis, potest ab illo

[1] Mores nostri non sinerent ad ordines admitti carnifices ; sed aliundè, ex defectu lenitatis sunt irregulares.

[2] Vide caput *Statutum* 15, *De hæreticis*. Sic habet Clemens VIII in suâ Constit. *Cùm ex injuncto*, 6 oct. 1593 : « Præcipimus... supra « dictas personas quascumque ab hæreticis per paternam lineam ultra « secundum, et per maternam, ultra primum gradum, vel à Judæis « originem trahentes, à sacris ordinibus in posterùm minimè excludas. »

« irregularitas tolli per aliam sententiam quâ reo fama res-
« tituatur...

« Irregularitas ob crimen parentum, vel ob officium
« infame tollitur per ingressum in Religionem... »

Regulares ex privilegio Pii IV et S. Pii V possunt dispensare cum suis subditis in hâc irregularitate, sive contractâ ante ingressum in Religionem, sive post : item sive infamia fuerit *juris* sive *facti*, nullâ exceptâ.

Nota quòd collatio beneficii ei facta qui infamis est infamiâ facti, est quidem illicita, prout etiam illicita est ejus electio et præsentatio ; sed non est pleno jure nulla, sicuti est quando fuit facta infami infamiâ juris : est enim tantùm à judice irritanda.

622. — VII. *Ex defectu libertatis.* Defectu libertatis irregulares sunt :

1° Servi propriè dicti donec consequantur plenam libertatem. Cap. 1, distinct. 54. De quo vide *Manuale*, n° 1924.

2° Conjugati, nisi uxores consentiant et castitatem voveant : cap. *Conjugatus, De convers. conjug.* : non autem tenentur Religionem ingredi, nisi vir assumeretur ad Episcopatum. Volunt tamen quidam ut Religionem profiteantur præsertim si sint juvenes ; sed cap. *Conjugatus* non loquitur nisi de continentiæ professione. — Disputatur verò utrum, post mortem conjugis ad ordines sacros promoti, mulier, quæ simplex votum castitatis emisit, possit validè ad novas nuptias convolare. — Sententia negans habetur ut communior et probabilior à S. Liguor. (lib. 6, n° 812, *dub.* 2).

3° Curiales, id est Curiæ sæculari obligati, facto jura-
« mento, vel stipendio : ut judices, advocati, etc., quan-
« diù talia officia habent (in cap. 1, 2 et 3, dist. 51, et cap.
« unico, *De Oblig. ad rat...*). Excipe tamen, nisi habeant
« specialem dispensationem Papæ (aut tacitam concessio-
« nem, aut adsit consuetudo), ut quidam clerici in aulis
« principum, in causis civilibus, non autem criminalibus
« occupati. » S. Liguor., lib. 7, n° 456. Talem in Galliâ existere consuetudinem plurimi contendunt.

4° Milites, saltem quando juramento tenentur : item thesaurarii et depositarii publici, et qui rempublicam admi-

nistrant; item apparitores et similes qui sæva, turpia exercuerunt.

« Certum est illicitum esse clericis exercere officium « tutoris, curatoris (nisi ad id cogantur, ut in Galliâ, à « lege civili), aut procuratoris pupillorum, et qualecumque « aliud officium publici ministerii, ex quo teneantur ratio- « nes reddere de justitiâ vel de bonis administratis. Ta- « men... si à clerico suspiciatur administratio post ordi- « nationem, non incurritur irregularitas, cùm hæc non « inveniatur expressa in jure...

« Ut clericus qui hujusmodi officia exercuerit, possit « ordinari, sufficit quòd, depositâ administratione, ido- « neam fidejussionem de gestis præbeat; imò... quòd « reddat rationes, et administrationem deponat, etiamsi « debita non solveret... » (S. Liguor., lib. 3, 838.)

Administratores autem locorum piorum, aut viduarum, aut pupillorum indigentium, qui causâ pietatis tale onus susceperunt, ordinari possunt, etiam ante redditas rationes : ex cap. 1, *Ne clerici*, c. 6, q. 1, et cap. *Pervenit*, causa 2, q. 3.

Non licet clericis procurationem gerere personæ privatæ sæcularis non miserabilis, cum obligatione reddendi rationes, ut habetur ex cap. *Sed nec* 4, *Ne clerici, vel mon...* Non tamen dicitur quòd tunc clericus fiat irregularis.

Quidam apud Collet (*Curs. compl.*, tom. 17, col. 249) excipiunt si « jàm ipsis actio seu lis mota fuerit, aut subsit « suspicio doli ». Alii dicunt quòd tunc irregularitas per Episcopum possit relaxari.

Notat (autem) Bened. XIV *Quæst. canon.* 449, S. Congr. Concil. declarasse eum, qui solvendis creditoribus impar, cessit bonis suis, non esse ordinandum: partim, ut videtur, propter quamdam infamiam, partim quia si redierit ad pinguiorem fortunam, erit obnoxius reddendis ratiociniis.

623. — VIII. *Ex defectu lenitatis*: Duplici modo contrahitur irregularitas ex defectu *lenitatis*; qui modi explanantur in propositionibus sequentibus :

Propositio 1. *Irregulares sunt ex defectu lenitatis, qui manu propriâ in bello justo offensivo occidunt vel mutilant.*

Probatur ex cap. *Petitio tua, De homicidio voluntario*: quia Ecclesia abhorret à sanguine.

Dicitur 1° *Qui propriâ manu occidunt vel mutilant*: undè irregularis non esset clericus exhortans ad fortiter pugnandum in bello justo etiam offensivo ; secus tamen si ad occidendum hunc vel illum in particulari, licet probabiliter in hoc contradicant Salmant., ap. S. Liguor., lib. 7, n° 460: quia cap. *Petitio tua*, *De homicidio*, loquitur tantùm de *occidente* vel *mutilante*, non verò de exhortante. Idem est dicendum de duce exercitûs, tubicine, etc., sed addit S. Liguor. (lib. 7, 459), *Clericus in sacris vel beneficiatus* militans in bello, fit irregularis, si aliquando sclopum adhibuerit in aliquo conflictu, etsi juraret nullum læsisse.

Dicitur 2° *In bello justo*; nam, si bellum esset evidenter injustum, non tantùm qui propriâ manu occiderent vel mutilarent essent irregulares, sed omnis exercitus et quicumque huic fuisset cooperatus : sed illa irregularitas est *ex delicto*.

Dicitur 3° *In bello offensivo* : si enim bellum esset merè *defensivum*, non fieret irregularis, etiam qui occideret : ex cap. 2, *De Immunit. eccles.*, et Clement. unica, *De homicidio*. Dicitur *merè defensivum* : nam si ad prælium sponte milites venirent animo præliandi, bellum non esset merè defensivum, et incurreretur irregularitas.

A fortiori non fit irregularis qui mutilat vel occidit in defensionem inculpatam honoris, vitæ, castitatis, et etiam proximi, cum de iis sileat jus irregularitatem constituens.

Propositio 2. — *Irregulares fiunt qui, in judicio justo, ad mortem vel mutilationem cooperantur voluntariè, activè, efficaciter et proximè, per actionem ex naturâ suâ ad id ordinatam.*

Probatur ex Clement. unicâ, *Si furiosus*, *De homic.*, etc., cap. *Clericis*, cap. *Sententiam*, *Ne clerici vel mon.*, et cap. *Ex litteris*, *De excess. Prælat*, etc.

Dicitur 1° *In judicio justo* : si enim manifestè injustum esset judicium, irregulares ex delicto fierent qui modo enuntiato cooperarentur ad mortem aut mutilationem.

Dicitur 2° *ad mortem aut mutilationem* : non enim sufficeret verberatio etiam usque ad sanguinem.

Dicitur 3° *Qui cooperantur* : irregulares enim fiunt omnes qui ad sententiam sanguinis concurrunt, nempè :

1° Judices eorumque assessores, non autem domini temporales, etiam ecclesiastici, aliis committentes hujusmodi causas : cap. ult., *Ne clerici vel mon.*, in 6°, nisi ipsimet juberent ut judex aliquem determinatum ad mortem damnaret, vel sententiam exsequi facerent.

2° Testes voluntarii seu liberè se offerentes ad testificandum contra reum, etsi protestentur se non intendere sententiam sanguinis. Si verò coacti sint ad ferendum testimonium (prout in Galliâ fieri solet), excusantur ab irregularitate; judices verò et alii ministri justitiæ non habentur ut *coacti*, cùm saltem voluntariè officium suum susceperunt.

3° Item irregulares fiunt accusatores vel denuntiatores petentes vindictam, si agatur de crimine digno sententiâ sanguinis. In Galliâ autem officium accusatoris impleri nequit nisi à Procuratore publico (seu Imperiali). Clerici autem in sacris aut beneficiati, si accusent sinè justâ causâ ; aut si, cum causâ sufficienti, accusent sinè protestatione quòd non intendant pœnam sanguinis, præter irregularitatem quam incurrunt, peccant mortaliter.

Minimè tamen irregularis efficitur accusator, sive laicus sive clericus, qui accusat ad præcavendum aut resarciendum proprium damnum, factâ præfatâ protestatione, etsi hæc sincerè non fieret, modò ante sententiam fiat C. *Prælatis*, *De homicid.*, in 6°. Hujusmodi protestatio suffragatur tantùm in causâ propriâ, non alienorum, nisi sint propinqui usque ad quartum gradum, vel nisi sit causa propriæ ecclesiæ.

Item irregulares fiunt : notarius sententiam scribens, quod tamen à quibusdam negatur; ministri exsequentes; lictores reum comprehendentes, etc. (S. Liguor., lib. 7, n° 461). — An verò *jurati* (in Galliâ) fiant irregulares disputatur : sed cùm *jurati* ex art. 396, *Code d'Instruct. criminelle*, nequeant se abstinere, de iis est pronuntiandum sicut de testibus.

Dicitur 4° *Voluntariè seu scienter et liberè* : undè furiosus, infans, dormiens, ebrius, etc., si occidant, non fiunt irregulares. — Clement. unica, *De homicidio.*

Dicitur 5° *Efficaciter* : undè assistens supplicio non fit irregularis, si suâ præsentiâ in illud non influat. Ita communissimè. Attamen cap. *Sententiam*, *Ne clerici vel monachi*, vetatur clericis interesse hujusmodi suppliciis.

Dicitur 6° *Proximè* : undè irregulares non fiunt qui gladios faciunt aut vendunt; legislatores leges capitales condentes.

Dicitur 7° *Per actionem ex naturâ suâ* : undè judices ecclesiastici degradatum tradentes brachio sæculari, non fiunt irregulares.

Ex cap. *Sententia sanguinis*, *Ne cler. vel mon.*, vetitum est clericis in sacris constitutis, vel beneficiariis et omnibus regularibus, se intromittere in causam sanguinis, judicando, testificando, exsequendo, etc., ideòque mortaliter peccant, si quomodolibet ad exsecutionem hujusmodi sententiæ adjuvent.

Veriùs Episcopi, in hâc irregularitate, licet fuerit occulta, non possunt dispensare : quia Concil. Trident. loquitur tantùm de irregularitate *ex delicto occulto.*

Irregularitas ex defectu lenitatis non incurritur ex occisione et mutilatione antè baptismum commissis ; quia jura de solis baptizatis loquuntur : cap. 8 et 61, dist. 50. Ita communiter. Vide alia in *Manuali*, n^is^ 1932-1953.

ART. II.

DE CONDITIONIBUS POSITIVIS AD DIGNAM RECEPTIONEM VEL DIGNUM EXERCITIUM ORDINUM.

624. Non tantùm à vitiis aut variis impedimentis immunes esse debent qui cupiunt ad ordines promoveri, sed etiam plures alias adimplere debent conditiones, sive internas sive externas.

1. Conditiones internæ sunt præsertim vocatio divina, vitæ probitas seu sanctitas præcellens, recta intentio.

1° *Vocatio divina* : Quàm necessaria sit hujusmodi vocatio patet ex SS. PP. et ex ipsis Scripturis divinis : dici

enim Apostolus ad Hebræos, cap. 5, v. 4 : « *Nec quisquam « sumit sibi honorem, sed qui vocatur à Deo tanquam « Aaron*, etc. » Vide insuper S. Joann., c. 15, v. 16 : « *Non vos me elegistis?* » etc.

Anno 1829, aug. 27, Sacra Pœnitentiaria respondit non esse cogendum ad suscipiendos ordines clericum, qui, licet à suis superioribus electus, et à suo confessario dignus judicatus sacro ministerio, obtemperare illorum monitis renuit, causâ humilitatis, vel timore periculorum; nec etiam cogendum censuit diaconum ad suscipiendum presbyteratûs ordinem, *etsi à superioribus eligatur tanquam aptissimus, et à confessario dignus judicetur.*

2° *Vitæ probitas seu sanctitas præcellens :* Non solùm status gratiæ requiritur in eo qui vult ad ordines ascendere, sed insuper necesse est ut in gratiâ sit jam probatus; unde habituatus alicui vitio, præsertim turpi, etsi sufficienter dispositus ad recipiendam absolutionem, non ideò esset dispositus ad ordines recipiendos. Vide hoc multiplici argumento probatum à S. Liguor. (lib. 6, nis 64-77).

Quapropter Concil. Trident., ordinantes alloquens (sess. 23, c. 12), sic ait : « Sciant Episcopi debere ad hos ordines « assumi dignos duntaxat et quorum probata vita senec- « tus sit » ; juxta illud (Sap., c. 4, v. 9.), *Ætas senectutis vita immaculata.* Hinc Apostolus (1 Tim., 3) prohibet ordinari neopnytos, id est (ut explicat D. Thomas), qui non solùm ætate neophyti sunt, sed et qui neophyti sunt perfectione. Quapropter idem S. Doctor... (*Suppl.*, q. 35, art. 1, ad 3) ait : *ad idoneam exsecutionem ordinum non sufficit bonitas qualiscumque, sed requiritur bonitas excellens.*

3° *Recta intentio :* « Nimirum, inquit S. Liguor. (lib. « 6, n° 802), desiderium vacandi divinæ gloriæ et saluti « animarum, non autem, ut ait D. Bernardus *(Declam. « in Evang. Ecce nos*, etc.), *honorem quærendi proprium, « aut corporis voluptatem ; quæ sua sunt, non quæ J. C.* »

II. Quoad *conditiones externas*, quinque potissimùm requiruntur in promovendis ad ordines, nempe :

625. — I. *Ordinatio fieri debet à proprio Episcopo.* Regulariter Episcopus tenetur suos subditos per se ordinare, nisi sit impeditus ex causâ justâ : ut constat Trident.

(sess. 23, cap. 3). Nullus Episcopus debet alterius subditos ordinare sinè expressâ illius licentiâ : præsumpta tamen ratihabitio, non de futuro sed de præsenti, probabiliter potest admitti, juxta S. Liguor. et alios, saltem sinè gravi culpâ (lib. 6, n° 789).

626. Quærit. 1° Quisnam sit proprius Episcopus quoad susceptionem ordinum?

Resp. Quadruplici modo Episcopum posse esse proprium quoad ordines conferendos : 1° ratione *originis*, 2° *domicilii*, 3° *beneficii*, 4° *commensalitatis*.

Pro tribus prioribus modis, probat. ex cap. *Cùm nullus* 3, *De temporib. ord.*, in 6°.

Pro posteriori modo, probatur ex Concil. Trident. (sess. 23, c. 9, *De ref.*). Hæc omnia plenè confirmantur et explicantur ab Innocentio XII, in Constit. *Speculatores*.

Præfatam disciplinam circa Episcopum proprium quoad ordinationem, observatam fuisse etiam in Galliâ, constat ex Collatore Andegav. (*Confér. de mai*, 1709, q. 3) ubi legitur : « En France... l'Évêque du lieu de la naissance... « ne passe pas seul pour le propre Évêque, par rapport à « l'ordination ; et l'on n'a point donné l'exclusion à « l'Évêque du bénéfice, ni à celui du domicile » : quod deinde probat multis Conciliis Provincialibus et synodalibus statutis.

Quædam hic notanda sunt :

1° Quoad *Episcopum originis* : talis non est habendus Episcopus loci in quo quis natus est accidentaliter : v. g., occasione itineris, dum pater ejus alibi habebat domicilium : quia tunc proprius Episcopus est originis Patris, ut constat ex Constit. modò citatâ Innoc. XII *Speculatores*, § 4, nisi pater posteà in loco ubi initiandus natus est, contraxerit domicilium (*ib.*, § 5).

Non est ergo hodiè ampliùs attendendus Episcopus loci ubi quis baptizatus fuit, nisi tamen agatur de Judæis, Turcis et Paganis, qui ordinandi sunt ab Episcopo loci in quo fuerunt baptizati, ut constat ex Constitutione *Cupientes* Pauli III, anno 1542.

Quoad expositos, ut originis haberi debet Episcopus loci ubi facta fuit expositio, vel loci nativitatis si sciatur.

Ex Jure Romano ab Ecclesiâ admisso, domicilium in quo paternus avus natus est, potest esse domicilium originis nepotis, modò iste conceptus saltem fuerit, avo adhuc vivente.

2° Ut Episcopus legitimè aliquem ordinare possit ratione domicilii, requiritur ut ordinandus, alibi natus, domicilium ità stabiliter in diœcesi hujus Episcopi statuerit, « ut vel per decennium saltem in eâ habitando, vel majo- « rem rerum ac bonorum suorum partem cum instructis « ædibus in locum hujusmodi transferendo, ibique insu- « per per aliquod considerabile tempus commorando, « satis superque suum perpetuò ibidem permanendi ani- « mum demonstraverit » (quasi-domicilium ergo non sufficit ad ordines alicubi recipiendos) ; « et nihilominus « ulterius utroque casu, se verè et realiter animum hujus- « modi habere jurejurando affirmet. » Ita Constit. Innoc. XII modò citata, § 5.

Additur in eâdem Constit. (§ 6) : « Si quis tamen à pro- « priæ originis loco in eâ ætate discesserit quâ potuerit « alicui canonico impedimento obnoxius effici, etiam « Ordinarii suæ originis testimoniales litteras... afferre « debebit, ac de illis expressa... mentio in susceptorum « ordinum litteris facienda est. »

Quando autem quis duplex domicilium habet, duplex est ejusdem Episcopus domicilii.

3° Ut quis possit ordinari titulo beneficii, requiritur ut beneficium *actu* possideat, quod *de se*, detractis oneribus, sufficiat ad congruam ipsius sustentationem sinè supplemento patrimonii.

4° Initiatus tonsurâ vel minoribus à proprio Episcopo, non potest ulteriùs ordinari ab alio, titulo beneficii, nisi exhibitis priùs litteris testimonialibus Episcopi, tàm originis quàm domicilii, super suis natalibus, ætate et moribus (Constit. *Speculatores*, § 3).

Item ordinans titulo familiaritatis debet exigere litteras testimoniales Episcopi originis et domicilii.

5° *Episcopus originis* sive domicilii potest à suis subditis, etiam cum suâ dimissoriâ ab alieno Episcopo ordinatis, petere ut intra aliquod tempus exhibeant ordinum suscep-

torum testimoniales, in quibus inseratur **observata esse** quæ in hâc Bullâ (*Speculatores*) præscribuntur; **aliàs potest** eos suspendere ab exercitio suscepti ordinis.

6° Qui in unâ diœcesi est natus, in alterâ habet domicilium, in tertiâ beneficium, à quovis trium illorum Episcoporum potest ordines vel dimissorias accipere. Dummodò non in fraudem fiat, prout adjecit S. Congr. Conc. in *Fundanâ*, 27 febr. 1666; aut nisi adscriptus fuerit Ecclesiæ, vel obtinuerit beneficium cujus servitium exigit personalem residentiam.

7° Episcopus ordines conferens alienis, sinè proprii Episcopi licentiâ, suspenditur per annum à collatione ordinum sic collatorum, vel à collatione tonsuræ, si tonsura tantùm fuerit data; — ordinati verò suspenduntur, quoadusque cum eis dispensetur per proprium Episcopum, et si censuram violent, irregulares fiunt; possunt insuper privari suis beneficiis. Ablata cens. quoad ordinatos C. *Ap. Sed.*

Scienter ordinatus cum falsis dimissoriis, incurrit ipso facto suspensionem Papæ reservatam. Item ablata C. *Ap. Sed.*

627. Quærit. 2° Quis valeat litteras dimissoriales concedere?

Resp. **Ultra Romanum Pontificem**, qui has litteras potest omnibus **concedere**, quilibet Episcopus, licet extra diœcesim existens, modò fuerit confirmatus et canonicè possessionem diœcesis inierit, potest etiam easdem concedere, suis tamen subditis: sive is sit Episcopus originis, sive domicilii, sive beneficii, textu expresso, cap. *Cùm nullus* 3, *De temp. ordin.*, in 6°. Potest etiam Episcopus dimissorias concedere suo familiari triennali.

Dimissoriæ ab Episcopo concessæ **non expirant per** ipsius mortem, sed tantùm per earum revocationem, **vel** elapso tempore pro quo concessæ fuêre. Secundùm **usum** in Galliâ vigentem, eæ durant per annum.

Quærit. 3° Quid exprimi debeat in litteris **testimonialibus** pro ordinibus suscipiendis?

Resp. Duplicis generis esse litteras testimoniales: **alias** nempe quæ clericis iter facturis conceduntur, in quibus exprimitur quidem eos esse bonis moribus nullâque censurâ esse irretitos, sed in iis **nihil** dicitur de eorum idonei-

tate ad suscipiendos ordines quibus carent; alias econtrà in quibus insuper exprimitur illas dari intuitu ordinum recipiendorum ab impetrantibus : porrò quando de jure requiruntur litteræ testimoniales ut quis valeat ordinari, non sufficiunt litteræ prioris speciei, sed necessariæ sunt posterioris, prout constat ex declarat. S. Congr. Concil., 8 aug 1733.

An autem Episcopus possit aliquando ordinationem et litteras dimissorias suo subdito recusare, vide discussum in *Manuali*, nis 1987, etc.

A quonam regulares ordines et litteras dimissoriales recipere debeant, vide in nostro *Manuali*, nis 1990, etc.

628. — II. *Necessarius est titulus in promovendis ad ordines.* Per titulum intelligitur propriè Ecclesia cui ordinatus, etiam prioribus sæculis ascribebatur, in quâ sustentationem habebat, quæque beneficium debuit esse post eorum institutionem.

In defectu tituli hujusmodi, admissus fuit sæculis Ecclesiæ posterioribus, titulus patrimonii pro sæcularibus, et pro religiosis titulus paupertatis. Unde hæc statuuntur :

Ad legitimam sacrorum ordinum susceptionem requiritur canonicus sustentationis titulus, nempè beneficium pacificè possessum, vel in ejus defectu patrimonium sufficiens ad honestam sustentationem, aut paupertas religiosa.

Ita communiter ex *Pontificali Romano*, de ordinatione subdiaconi, necnon ex Conc. Trident. (sess. 21, cap. 2), ubi datur ratio hujus dispositionis, videlicet : ne *cogantur clerici cum ordinis dedecore mendicare, aut sordidum aliquem quæstum exercere.*

Ad Episcopum pertinet determinare quid requiratur ad sufficientiam beneficii. De quo vide *Manuale*, nis 2001, 2002.

Ordinatus ad titulum beneficii nequit illud resignare, « nisi factâ mentione quòd ad illius beneficii titulum sit « promotus; neque ea resignatio admittatur nisi constito « quòd aliunde vivere commodè possit, et aliter facta « resignatio nulla sit.» (Concil. Trident., sess. 21, cap. 2).

« Ordinarius qui admisit resignationem factam ab ali-

« quo presbytero, qui nihil aliud præter illud beneficium « habebat, undè commodè sustentari possit, teneatur eum « alere. » S. C. Conc.

Quoad titulum *patrimonii* vel *pensionis*, observandum est: 1° quòd sic ordinari nequeunt, « nisi illi quos Episco- « pus judicaverit assumendos pro *necessitate* vel *commodi-* « *tate* Ecclesiarum suarum; eo quoque priùs perspecto, « patrimonium illud vel pensionem verè ab iis obtineri, « taliaque esse quæ eis ad vitam sustentandam satis sint. » (Conc. Trid., sess. 21, cap. 2.) — Non potest quis ordinari ad titulum propriæ industriæ.

Patrimonium illud vel pensio, sinè licentiâ Episcopi, alienari aut extingui, vel remitti nullatenus potest, etiamsi beneficium sufficiens postea sic ordinatus obtinuerit, nisi hoc beneficium titulo patrimonii subrogatus ab Episcopo fuerit, vel aliundè habeat unde vivere possit. Colligitur ex Conc. Trident. (*ibid.*), et firmatur variis Decis. S. Congr.

Quoad *titulum paupertatis religiosæ*, dicendum quòd soli verè *professi* possint hocce titulo ordinari : unde novitii et qui non sunt propriè religiosi professi, nequeunt ordinari sinè titulo beneficii, vel patrimonii aut pensionis : constat ex *Pontificali*, etc.

Excipiendi sunt tamen scholastici et Patres formati Societatis Jesu, qui, absque titulo, de licentiâ Generalis Præpositi ordinari possunt, licet sola vota simplicia emiserint, quibusque, si à Societate dimittantur, nulla debentur alimenta nec à Societate, nec ab Episcopo à quo ad sacros ordines fuerunt promoti.

629. Quærit. 1° An in Galliâ et Belgio Episcopis liceat ordinare sæculares absque titulo canonico?

Resp. Invaluit apud nos, prout etiam in Belgio, consuetudo admittendi ad ordines absque titulo aut patrimonio. Tolerata videtur à S. Sede. Vide nostrum *Manuale*, n^is^ 2009, etc.

In art. 26 Legis Organicæ dicitur : « Ils ne pourront (les « Évêques) ordonner aucun ecclésiastique, s'il ne justifie « d'une propriété produisant au moins un revenu annuel « de 300 fr. » Sed hic articulus fuit revocatus per artic. 2 decreti 28 febr. 1810.

630. Quærit. 2° Quas pœnas incurrant tàm ordinantes quàm ordinati absque vero titulo?

Resp. 1° Scienter Ordinantes, vel dimissorias concedentes sinè titulo *certo*, ipsorumque Successores, etiam Capitulum, Sede vacante, sic ordinatis providere tenentur donec obtineant beneficia ecclesiastica ad ipsorum sustentationem sufficientia : sic Innocent. III, cap. *Cùm secundum* 10, *De Præbendis*; vide insuper cap. *Recipimus*, *De ætate et qual. ordin.*

Ad nihil autem tenentur Ordinantes : 1° si debitam diligentiam adhibuerint ut verus esset titulus; 2° si clericus possit aliundè vivere etiam ex honestis laboribus, vel si habeat patrem divitem : quia is, jure naturali, tenetur filium alere.

Resp. 2° Pœnâ suspensionis feriuntur clerici sinè titulo vero ordinati, juxta saltem probabiliorem sententiam : de quo vide nostrum *Manuale*, n° 2018. Ablata est censura.

Clerici titulum post ordinationem alienantes graviter quidem peccant, censuram tamen non incurrunt, quia de eo jus omninò silet.

631. — III. *De necessitate Ordines recipiendi ordinatè et non per saltum* : Inferior ordo ante superiorem recipiendus est; aliàs non solùm graviter peccatur, sed etiam incurritur suspensio ab exercitio ordinis suscepti, si sit sacer, quousque Episcopus dispenset : ex cap. unico, *De cleric. per saltum ord.*, et Conc. Trid., sess. 23, c. 14, in fine. Si autem minores ordines ante tonsuram reciperentur, adhuc mortaliter peccaretur, sed tunc non incurritur suspensio. De dictâ suspens. silet C. *Ap. Sed.*

« Si verò quis reciperet Episcopatum ante sacerdotium, « invalidè susciperet, ut docent Suar., Sanch. et alii com- « muniter. Si autem quis susciperet sacerdotium ante alios « ordines, posset quidem Episcopus fieri et validè hic « suum munus exerceret, non tamen licitè, ante suscep- « tionem ordinis omissi. » S. Liguor., lib. 4, n° 793.

« Cum promotis per saltum, si non ministraverint, Epis- « copus ex legitimâ causâ possit dispensare », ait Trident., sess., 24, c. 14, in fine.

Si ministraverint, irregulares effecti sunt.

632. — IV. *De loco et statis ordinationum diebus ac de interstitiis.* — *Circa locum* · 1° Episcopo licet ordines conferre tantùm in propriâ diœcesi, nisi licentiam habeat Ordinarii, vel Abbatis exempti.

2° In Cathedrali Ecclesiâ, vocatis præsentibus Canonicis, ordinationes sacrorum ordinum publicè celebrandæ sunt. Si autem in alio diœcesis loco peragantur, dignior, quantùm fieri poterit, ecclesia adeatur, et adsit clerus loci. (Trid., sess. 23, c. 8, *De Reform.*)

633. *Circa statos ordinationum dies* : 1° Prima tonsura conferri potest, quocumque die, horâ et loco. Vide *Pontificale.*

2° Si ordines minores conferantur uni aut duobus aut saltem paucis, non per modum generalis ordinationis, conferri possint singulis dominicis et diebus festivis (etiam suppressis) de præcepto, sed in mane tantùm. Ita ex Urbano VIII, Congr. Conc., et S. C. Rit., 12 nov. 1831.

3° Si minores ordines per modum generalis ordinationis conferantur, iisdem diebus conferri debent ac solent majores ordines. Non requiritur ut Ordinans et ordinati sint jejuni. Conferri possunt extra *missarum solemnia.* Ita *Pontificale.*

Si ordinatio fieri vel perfici non possit sabbato, inquit S. Liguor., lib. 6, n° 796, continuari potest die Dominicâ sequenti, modò servetur jejunium ecclesiasticum, non tamen naturale, id est, nullâ cœnâ factâ, tàm ex parte ordinantis quàm ex parte initiandi.

4° Ordines majores conferendi sunt solummodo Sabbatis Quatuor Temporum, Sabbato ante Dominicam Passionis et Sabbato Sancto, nisi obtenta fuerit à S. Sede licentia illos extra tempora à jure præscripta conferendi.

Intra missarum solemnia, quæ ab ipso Ordinante celebrari debent, conferendi sunt præfati ordines majores. Ita *Pontificale.* Si secus fiat, tàm Ordinans quàm ordinati graviter peccant, gravique pœnâ plecti possunt, sed nullam pœnam ipso facto incurrunt.

Quando fit ordinatio extra tempora à jure præscripta, legi debet Mandatum Apostolicum vi cujus fit ordinatio. Ita *Pontificale.*

5° Duo ordines sacri, eodem die, conferri nequeunt. (Conc. Trid., sess. 23, c. 13, *De reform.*) — Eâdem die conferri non possunt ordines minores et subdiaconatus, nisi adesset consuetudo, quam probare Episcopo incumbit ut pœnis non subjaceat.

6° Episcopi consecratio fieri potest quâvis die Dominicâ, ex cap. *Ordinationis*, et cap. *Quod die*, dist. 75. Diana addit, ex *Pontificali*, posse etiam fieri in Natalitiis Apostolorum. De aliis diebus festivis controvertitur.

7° Ordines conferri possunt extra tempora à jure præscripta, ex privilegio S. Pontificis; talique privilegio gaudent regulares; proinde absque indulto novo tutè possunt ordinari extra tempora à jure determinata; nititur hoc privilegium concessione factâ à Bened. XIII; sed ordinatio probabiliùs fieri debet diebus festivis de præcepto. Sed de hoc vide *Manuale*, n° 2033.

334. *Circa interstitia* : 1° Etsi jure inter minores ordines servanda sint interstitia, tamen non fuit determinatum quanta illa esse debeant : quidam putant sufficere intervallum de unâ ordinatione ad aliam; alii dicunt sufficere de uno festo ad aliud.

Conveniunt DD. levem sufficere causam ut Episcopus in hoc dispensare valeat : imò observari potest generalis consuetudo illos ordines eodem die conferendi, probabiliùs tonsuram simul cum aliquo minori ordine conferri potest, quia tonsura non est ordo.

2° Inter postremum minorem ordinem et subdiaconatum, annus interponi debet, *nisi necessitas, aut Ecclesiæ utilitas, judicio Episcopi, aliud exposcat.* Concil. Trid., sess. 23, c. 11.

3° Inter subdiaconatum et diaconatum, annus item interfluere debet, *nisi aliud Episcopo videatur.* (Trident., sess. 23, c. 13.)

4° Inter Diaconatum et Presbyteratum, annus pariter est interponendus, *nisi ob Ecclesiæ utilitatem ac necessitatem, aliud Episcopo videretur.* (Trid., *ib.*, c. 14.)

Potest autem Episcopus in interstitiis dispensare, ex causis modò gravioribus modò levioribus, prout colligi potest ex verbis supra relatis Conc. Trident. ; sed dispen-

sare tantùm potest cum suis subditis. non cum alienis.

Dispensare cum regularibus ad Episcopum pertinet, non verò ad eorum Prælatos; quorum tamen judicio stare tenetur Episcopus, si Prælati asserant adesse justam causam omittendorum interstitiorum. Idem possunt Vicarius Generalis et, Sede vacante, Vicarius Capitularis.

Nota quòd adesse meritò censeatur *Ecclesiæ necessitas*, quoad omittenda interstitia, quando deest sufficiens presbyterorum numerus; *utilitas* autem, quando presbyteri jam ordinati, etsi numero sufficientes, parùm tamen idonei sunt, dum promovendus vir est præstantis doctrinæ et maturæ ætatis.

635. Quærit. Quasnam pœnas incurrant tàm Episcopus ordinans quàm ordinati, non observantes locum et tempus ordinationis, aut interstitia à jure præscripta?

Resp. 1° Episcopum, qui in diœcesi alienâ ordines confert, ipso facto suspensionem ab exercitio pontificalium incurrere; ordinatum verò suspensione ab exercitio ordinis suscepti ipso pariter facto constringi (Trid., sess. 6, c. 5). Hoc tamen rectè dicunt Salmant. cum Bonac., etc., non intelligi de collatione primæ tonsuræ, cùm hæc sinè pontificalibus conferatur. Idem asserit Phillipps (*Droit ecclés.*, tom. 1, p. 469) et Hallier (*Cursus complet.*, tom. 24, col. 1381) de minoribus ordinibus.

Resp. 2° Qui ordines, extra tempora à jure præscripta, sinè licentiâ S. Pontificis confert, suspensionem ferendæ sententiæ à collatione ordinum sic collatorum simul et superiorum incurrit. Cap. *Sanè*, *De temp. et qual. ord.*

Clericus *scienter* ad sacros ordines promotus extra tempora, sinè debitâ dispensatione, ipso facto fit suspensus; et si ministret, irregularis efficitur: à quibus pœnis absolvere vel in eis dispensare posset Episcopus, si delictum sit occultum; si verò sit publicum, an tunc sit recurrendum ad Sed. Apost. controvertitur. Ablata est susp. C. *Ap. Sed.*

Resp. 3° Qui duos ordines sacros confert eâdem die, etiam regularibus, suspensionem à collatione ordinum incurrit. Sed disputatur an hæc suspensio sit latæ vel ferendæ sententiæ. De eâ silet C. *Ap. Sed.*

Qui recipit duos ordines sacros, eodem die, vel duabus

diebus continuatis extra tempora, sinè licentiâ, suspensus est ab ultimo; et plures DD. sustinent eum esse quoad utrumque suspensum. Suspensio hæc S. Pontifici reservatur. Ablata est susp. C. *Ap. Sedis.*

Qui, eâdem die, quatuor minores ordines simul cum subdiaconatu susciperet, peccaret quidem graviter, nisi adesset consuetudo in contrarium; sed probabiliùs suspensionem non incurreret, quia de eo jura silent. Irregularis tamen fieret quoad superiores ordines suscipiendos: ex cap. 2, *De eo qui furt.*

Conferens, eâdem die, ordines minores et subdiaconatum, nullas pœnas incurrit ipso facto.

Non observans interstitia, peccat quidem graviter, sed probabiliùs suspensionem non incurrit.

636. — V. *De examine et proclamationibus ordinandorum.* I. *Quoad examen* : 1° Certum est Episcopum, antequam subditos suos ordinet, teneri, per se vel per alios, diligenter eos examinare, non tantùm circa doctrinam, sed etiam quoad genus, personam, ætatem, mores et fidem, nisi sint saltem licentiati, vel nisi aliunde sit certus de illorum idoneitate per propriam notitiam vel communem opinionem.

2° Examen illud peragere debet non solus, sed sibi adscitis ad id peritis et idoneis viris, ut vult Conc. Trident. (sess. 23, c. 7). — Ad idem examen tenetur Episcopus, etiam casu quo per semetipsum subditos non ordinat, sed ad alium Episcopum eos dimittit ordinandos.

3° Quando verò Episcopus ordinat subditos alienos venientes cum debitis dimissoriis, ad præfatum examen non tenetur, quia ordinandi supponuntur sufficienter examinati et approbati; posset tamen eos iterùm examini subjicere.

4° Certè, si velit, Episcopus potest religiosos, antequam illos ordinet, examinare (Conc. Trid., sess. 23, c. 12); sed potest etiam eos sinè examine ordinare, acquiescendo testimonio suorum Prælatorum.

637. Quærit. Qualis scientia requiratur ad susceptionem ordinum ?

Resp. 1° Promovendi ad primam tonsuram fidei docu-

menta edocti esse debent, et scire legere et scribere. (Trid., sess. 23, c. 4, *De ref.*)

2° Initiandi ad minores ordines saltem linguam latinam intelligere debent. (Trid., sess. 23, c. 11, *De ref.*)

3° Ad subdiaconatum et diaconatum assumendi debent in litteris et in iis quæ ad ordinem exercendum pertinent esse instructi (Trid., *ib.*, c. 13). Licitè autem potest ordinari subdiaconus, vel admitti ad beneficia, licet adhuc nesciat ordinare suum officium, si probabiliter præsumi potest de brevi ipsum instructum iri, et promittit.

4° Pro initiandis ad sacerdotium, vult Conc. Trident., *ib.*, c. 14 et 25, *ut ipsi, ad populum docendum ea quæ scire omnibus necessarium ad salutem, ac ad administranda sacramenta, diligenti examine... idonei comprobentur.*

Circa hæc adverte « quòd esto Episcopus licitè possit « petentes ordinare, si eam afferant scientiam quam Tri- « dent. requirit, per hoc tamen non ideò ei prohibetur « quominus majorem exigat scientiam à suis subditis, « maximè si illi ordinentur ad ecclesiam amplæ civitatis : « quia Concilium... non prohibuit, quin Episcopi majo- « rem scientiam requirant, nisi necessitas loci aliud om- « ninò postularet. » S. Liguor., lib. 6, n° 792.

Benigniùs agendum est cum iis qui Religionem professi sunt vitæ contemplativæ, ut sunt Camaldulenses, Carthusiani et similes.

« Commune est inter DD. sufficere quòd isti sciant le- « gere (seu intelligere) linguam latinam et canere, ac ea « quæ pertinent ad sacrificium...

« Difficultas an idem dici valeat pro religiosis... qui « sunt ad vitam activam destinati ? Negant Ledesma.. ; « sed communissimè affirmant Salmant... Ratio quia si « alia (necessaria) ignorent, possunt postea ex suis ea ad- « discere. » S. Liguor., lib. 6, n° 791.

638. — II. *Quoad proclamationes ordinandorum*, hæc statuit Trident., sess. 23, c. 5, *De ref.* : « Qui ad singulos « majores (ordines) erunt assumendi, per mensem ante « ordinationem, Episcopum adeant, qui parocho aut alteri « cui magis expedire videbitur, committat ut, nominibus « ac desiderio eorum qui volunt promoveri publicè in

« ecclesiâ propositis, de ipsorum ordinandorum natalibus, « ætate, moribus et vitâ à fide dignis diligenter inquirat : « et litteras testimoniales ipsam inquisitionem factam con- « tinentes ad ipsum Episcopum quamprimùm transmit- « tat. » Vide insuper *Manuale*, n^is^ 2052, etc.

CAPUT III.

DE OBLIGATIONIBUS CLERICORUM.

639. « Nihil est quòd alios magis ad pietatem et Dei « cultum assiduè instruat quàm eorum vita et exemplum « qui se divino ministerio dedicârunt ; cùm enim à rebus « sæculi in altiorem sublati locum conspiciantur, in eos « tanquam in speculum, reliqui oculos conjiciunt, ex iis- « que sumunt quod imitentur : quapropter sic decet om- « nino clericos, in sortem Domini vocatos, vitam mores- « que suos omnes componere, ut habitu, gestu, incessu, « sermone, aliisque omnibus rebus, nihil nisi grave, mo- « deratum ac religione plenum præ se ferant ; levia etiam « delicta, quæ in ipsis maxima essent, effugiant, ut eorum « actiones cunctis afferant venerationem. » Trid., sess. 22, cap. 1, *De ref.*

Notandum autem leges, aliquid clericis præcipientes vel prohibentes, intelligendas esse potissimùm de clericis in sacris constitutis vel beneficium possidentibus ; quoad cæteros verò clericos : vel ad eos hujusmodi leges non pertinent, vel saltem eos sub gravi non solent obligare, nec nisi sub pœnis ab iisdem determinatis.

ART. I.

DE VITANDIS A CLERICIS.

§ I.

Professiones, artes et actiones à clericis vitandæ.

640. — I. Officia quæ clericis prohibentur, sunt judicis in causâ sanguinis, advocatorum, tabellionum seu nota-

riorum, tutoris, curatoris aut procuratoris pupillorum, et qualecumque officium ministerii publici ex quo teneantur rationes reddere de justitiâ vel de bonis administratis. « Nemo militans Deo », inquit Apostolus, « implicat se « negotiis sæcularibus. » (2 ad Timotheum, cap. 3, v. 4.)

Possunt tamen esse administratores locorum piorum, aut viduæ aut pupilli indigentis : ex cap. *Pervenit* 1, c. 21, q. 1; ac cap. *Indicatum* 5, dist. 90.

Illicitum verò est clericis procurationem gerere personæ secularis privatæ non miserabilis, cum obligatione rationes reddendi : cap. *Sed nec* 4, *Ne clerici vel mon.*

Consuetudine autem inductum fuit, ut clerici officio Cancellarii, Consiliarii, imò et judicis in causis civilibus fungi possint.

Auctor verò *Prælect. S. Sulpitii*, n° 320, « *non arbitra-* « *tur contrarium esse disciplinæ ecclesiasticæ...* , si clerici « comitiis municipiorum, aut provinciæ interfuerint, modò « non assumant gestionem rerum temporalium, nec cæte- « roquin desint officiis propriis sui statûs. »

Etsi, ut diximus, officium advocatorum clericis prohibeatur, ipsis tamen advocare licet pro Ecclesiâ, vel pro personis conjunctis intra quartum gradum, aut pro miserabilibus personis, orphanis nempe et viduis qui defensorem non invenirent.

Clerici autem in minoribus licitè possunt, in quocumque foro, causas civiles tueri, et etiam reis in criminalibus patrocinari. Monachis permissum est, ex licentiâ Prælati, causas tueri monasterii.

Olim clerici in judicio (secus extra judicium), non poterant jurare laicorum more, sed nunc et ipsi jurant *de calumniâ*, modò cum veniâ S. Pontificis si Episcopi sint; cum veniâ autem proprii Antistitis, si sint clerici inferiores. — Hoc inter clericos et laicos discrimen est quòd isti tactis, illi verò propositis evangeliis jurant.

641. — II. *Quoad artes* : prohibentur macellariorum, tabernariorum, joculatorum, quorum etiam ludis interesse vetantur. (Clement. *Diœcesanis, De vitâ et honestate clericorum.*)

Item medicorum aut chirurgorum, ubi opus est incisione

aut adustione, nisi erga pauperes aut propinquos, aut in necessitate (S. Liguor., lib. 4, nº 189) : « Nec ullam chirur-« giæ artem, subdiaconus, diaconus vel sacerdos exerceat « quæ adustionem vel incisionem inducat. » Ita Concil. Lateran. III (cap. *Sententiam* 9, *Ne clerici*). Veriùs est, in illo canone non comprehendi beneficiarios qui in sacris non essent : nec propriè in illam legem offendit qui consulit ut membrum abscindatur, imò qui opem præstat abscindenti.

Exercitium medicinæ, ubi incisione aut adustione non est opus, in jure canonico non vetatur, benè tamen à jure naturali ei qui satis non est peritus.

Studium tamen medicinæ, uti etiam juris civilis, prohibitum fuit primùm ab Alexandro II, in Concilio Turonensi (cap. *Magnoperè*, *Ne clerici*, etc.) ; deinde hæc prohibitio per Honorium III (cap. *Super speculatore*, *Ne clerici vel monachi*), extensa fuit ad omnes Archidiaconos, Decanos, Præpositos, cantores, presbyteros, sub pœnâ excommun. (suppr. C. *Apost. Sedis*) ; in quâ tamen comprehendi non censentur clerici diacono inferiores, nec ii qui hujusmodi scientiis privatim et non publicè in Universitatibus vacant.

In exercitio autem medicinæ, cavendum est ut non offendatur in leges civiles illud prohibentes. Lex enim 19 ventosi an. XI, sic decernit : « Art. 23. Six mois après la pu-« blication de la présente loi, tout individu qui continuerait « d'exercer la médecine ou la chirurgie, ou de pratiquer « l'art des accouchements, sans avoir le diplôme de récep « tion, sera poursuivi et condamné à une amende pécu-« niaire envers les hospices. »

Idem est dicendum de exercitio pharmaciæ : hæc enim habet lex 2 germinalis an. XI (11 apr. 1803) : « Art. 25. « Nul ne pourra préparer, vendre ni débiter aucun médi-« cament, s'il n'est reçu suivant les formes voulues...

« ...Art. 35. Tout débit au poids médicinal, toute dis-« tribution de drogues (etiam gratuita) et préparations « médicamenteuses sont sévèrement prohibés. »

Non autem censentur medicinam exercere parochi consilia et auxilia parochianis suis ægrotantibus præbentes : « pourvu », inquit decisio Consil. Statûs (30 sept. 1805) ap-

probata à Napoleone, « qu'il ne s'agisse d'aucun accident « qui intéresse la santé publique, qu'ils ne signent ni « ordonnances, ni consultations, et que leurs visites soient « gratuites..; puisqu'ils ne font que ce qui est permis à la « charité de tous les citoyens. »

642. — III. *Actiones* clericis prohibitæ sunt : 1° *armorum gestatio :* « Clerici arma portantes et usurarii excom- « municentur ». Ita cap. *Clerici*, *De vitâ et honest. cleric.* Exhinc infert Abbas peccare mortaliter clericos arma prohibita deferentes. Excipitur tamen casus quo clericus justam haberet causam timendi : v. g. si iter faceret per loca latronibus infestata : *quia vim vi repellere omnia jura permittunt.* — Hodie tamen non videtur de se *sub gravi* clericis vetitum ne arma deferant : id non esset grave nisi ex adjunctis, v. g., ob scandalum aut alia hujusmodi : et hoc deduci posse videtur ex iis quæ S. Liguor. dicit de venatione, lib. 3, n° 606.

2° *Participatio exsecutioni sententiæ sanguinis* : sic enim ait Conc. Later. III (cap. *Sententiam*, *Ne clerici*, etc.) : « Sententiam sanguinis nullus clericus dictet aut proferat ; « sed nec sanguinis vindictam exerceat, aut ubi exercetur, « intersit. Nec quisquam clericus litteras dictet aut scribat « pro vindictâ sanguinis destinandas. »

« Hic canon (quoad assistentiam suppliciis) vel est abro- « gatus (inquit S. Liguor., lib. 7, n° 463), vel tantùm ve- « nialiter obligat. »

3° *Negotiatio :* « Sub interminatione anathematis, pro- « hibemus ne monachi, vel clerici causâ lucri negotientur, « et ne monachi vel clerici à clericis vel laicis suo nomine « firmas (*fermes*) habeant ». Ita Alexand. III, cap. *Secundùm* 6, *Ne clerici.*

Per negotiationem autem à canonibus vetitam, intelligitur *actus quo quis rem sibi comparat eo animo ut, integram et non mutatam cariùs vendendo vel permutando, lucretur.* Communiter docetur negotiationem prohiberi tantùm clericis in sacris constitutis, vel beneficiatis et religiosis *professis*, qui omnes peccant mortaliter si multam negotiationi dent operam, et incidunt in suspensionem et excommunicationem latæ sententiæ ; non verò peccaret gra-

viter clericus bis vel ter exercens negotiationem non turpem, nec in magnâ quantitate : quia jura loquuntur *de exercente*; nec eum etiam peccare graviter tenent probabiliter quidam ap. S. Liguor., etiamsi semel in materiâ gravi negotietur. Suppressæ sunt dictæ censuræ (C. *Ap. Sed.*).

Ex Bullâ Bened. XIV *Apostolicæ*, pœnæ clericis illicitè negotiantibus inflictæ, extenduntur etiam *ad clericos illicitè* (verba Bullæ), *sub alieno laici nomine*, *quomodolibet negotiantes, perinde ac si per seipsos*, *ac propriè eorum nomine negotia ipsa illicita exercerent.*

Juxta *Analecta jur. pontif.* (mars 1857, 19e livr.), proposita fuit sequens quæstio S. C. Episcop. et Regul.: « Est-« il licite aux ecclésiastiques, élevés aux ordres majeurs « et possesseurs de bénéfices, d'acquérir les actions de la « banque commandite [1], de *N*... dans le cas...? » Et responsum fuit : *Non licere.*

Quoad negotia à laicis incepta, si ad clericum quovis titulo deferantur, statim sunt dimittenda, juxta Bullam *Apostolicæ* modò citatam; si autem dimitti non possint sinè detrimento, permittitur continuatio, sed solum ad tempus, et per interpositam laici personam, de licentiâ tamen S. Congr. Concilii intra Italiam, aut Ordinarii extra Italiam.

Item in gravi propriâ vel suorum necessitate, pro servandâ statûs decentiâ, non est illicitum clerico negotiari.

Item, positis ponendis, licet eis negotiari propter curam pupillorum aut viduarum.

Non solùm clericis negotiatio prohibetur, sed, juxta Concil. Chalced. (Cap. *Pervenit*, causa 21, q. 3), certum est ipsis et religiosis illicitum esse conducere agros alienos ad vendendos fructus, quod quædam negotiationis species videtur. Non tamen illicitum est clerico emere agrum cum

[1] « La société *en commandite* se contracte entre un ou plusieurs « associés responsables et solidaires, et un ou plusieurs associés sim-« ples bailleurs de fonds, que l'on nomme *commanditaires*... » (art. 23, *Code de Comm.*).

« L'associé *commanditaire* n'est passible des pertes que jusqu'à con-« currence des fonds qu'il a mis ou dû mettre en société » (art. 26 *Cod. de Comm.*).

fructibus jam maturis, et illos vendere : quia tunc fructus proprii agri venduntur.

Juxta sententiam communem, licitum est clerico pecora vel porcos emere ut vendat saginatos, vel ut fœtibus, lacte, lanâ lucrum faciat, modò in prædiis propriis animalia alantur; si verò ad hoc conducerentur prædia aliena, hoc illicitum esset, ex præfato Concilio Chalcedonensi, nisi alicubi vigeret contraria consuetudo.

Non autem peccat clericus qui id, quod ad proprios usus emerat, postea, vel quia non indiget vel mutato consilio, cariùs vendit.

Item licet clericis emere ferrum ad vendendos gladios, lanas ad vendendum pannum, modò ipsi ea conficiant, non verò per operarios conductos.

§ II.

Oblectamenta clericis prohibita.

643. 1° *Venatio*, de quâ sic habet, cap. 1, *De clerico venatore :* « Episcopum, presbyterum aut diaconum canes « aut accipitres aut hujusmodi ad venandum habere non « licet : quòd si quis talium personarum in hâc voluptate « sæpius detentus fuerit, si Episcopus est, tribus mensi- « bus à communione; si presbyter, duobus ; si Diaconus « ab omni officio suspendatur ». Cap. 2 ejusdem tituli prohibitionem extendit ad omnes servos Dei, id est ad omnes clericos et religiosos. Vide Concil. Trident., sess. 24, cap. 12.

Duplex est genus venationis, una *clamorosa*, alia *quieta*: illa magno armorum, canum, accipitrum apparatu et tumultu exercetur, ut apri, cervi et majores feræ capiantur; altera solis laqueis et retibus, aut etiam armis, sed paucis adhibitis canibus, ad occidendum lepores, vulpes aliasve minores feras, sinè ullo strepitu instituitur.

Juxta communiorem sententiam, sola venatio clamorosa clericis est interdicta, et deduci posse videtur ex Concil. Trident. (sess. 24, cap. 1) Canonicis præscribente « ut ab « *illicitis venationibus, aucupiis, choreis*, etc., abstineant ». Unde à Concilio non omnes venationes illicitæ supponun-

tur; ergo saltem *quietæ* licitæ sunt. Licet hæc sententia S. Liguorii communior sit, « opposita tamen, inquit Bened. « XIV (*De Synodo*, lib. 11, cap. 10, nº 9), videtur certè juri « conformior : si quidem allegati canones à venatione cle- « ricos arcent, quæ non armis, sed solis avibus venatoriis, « puta falcone aut accipitre, ac propterea sinè ullo... stre « pitu exercetur, uti illos legenti est manifestum ». Ita Benedictus XIV.

Quidquid de his sit, venatio, etiam clamorosa, juxta S. Liguor. (lib. 6, nº 606), non vetatur sub gravi, nisi sit frequens, et insuper sit cum scandalo, vel magnis impensis. Ita Lessius cum aliis multis. Imò, juxta Layman, talis venatio omni culpâ vacat, si sit rara, moderata, vel fiat causâ necessitatis vel exercitii.

Speciali capite clericis prohibetur venatio quæ armis fit : cùm iis illicitum sit arma deferre. *Piscatio* autem nullo canone interdicitur.

644. — 2º *Tabernarum frequentatio* : ut constat ex cap. *Clerici, De vitâ et honest.*, desumpto ex Concil. Later. IV, ubi Innocentius III sic decernit : « Clerici... tabernas pror- « sus evitent, nisi fortè causâ necessitatis in itinere consti- « tuti. »

Tabernarum nomine intelligitur locus ubi cuicumque adventanti, vinum, liquores, cibi, etc., venduntur, ibique sumuntur. Ita communiter.

Præter mortale peccatum quod clerici committunt, manducando vel bibendo in tabernis extra casus à lege exceptos, suspensionem insuper in plerisque diœcesibus incurrunt ipso facto.

645. — 3º *Alearum ludi* : sic enim habent can. 41 et 42 Apostolorum : « Episcopus aut presbyter aut diaconus qui « aleæ indulget, vel desinito vel deponitor. »

« Subdiaconus, cantor, lector qui consimilia facit, vel « desinito, vel à communione sejungitor ; similiter etiam « laicus. » Communiter autem dicunt DD. quoad laicos, huic canoni consuetudine derogatum fuisse, prout etiam quoad clericos in sacris non constitutos et non beneficiatos.

Per aleam autem intelligitur ludus qui soli fortunæ innititur.

S. Liguor. (lib. 3, n° 899, etc.) dicit 1° non peccare graviter clericos qui rarò, moderatè et privatim sinè scandalo aleis ludunt. Imò probabiliter, nec venialiter peccare, si, recreationis causâ, ludant in loco ubi præfati canones non rigidè observantur; secus, si frequenter et per longum tempus, etsi in parvâ quantitate. Ita communissimè. Neque consuetudo id excusare potest: quia Pontifex (cap. *Inter dilectos, De vitâ et honest.*, etc.) illam vocat *corruptelam*, proinde omni tempore reprobandam.

Qualis frequentia ludi habenda sit ut mortalis, Bordonius putat esse ludere semel in hebdomadâ; sed Roncaglia meritò id judicat nimis rigidum.

Dicit 2° S. Lig. *(ib.)* sententias quæ damnant de mortali clericos aleis ludentes, non procedere in ludis chartarum quæ non sunt merè sortis, nisi alicubi esset specialis prohibitio, aut adesset scandalum; secus si essent meræ fortunæ.

Non tantùm aleis ludere prohibetur, sed etiam assistere ludentibus, communiter tamen hujusmodi assistentia non habetur de se ut culpa gravis, nisi esset causa ludi mortalis, vel negligeretur lusorum correctio, etc.

Quoad ludos permissos, parùm decet clericos iis in publico ludere.

646. 4° *Choreæ*, *spectacula*: « Non oportet ministros « altaris spectaculis aliquibus, quæ aut in nuptiis, aut in « scenis exhibentur, interesse. » Ita cap. *Non oportet* 27, *De consecrat.*, dist. 5. Cap. verò *Clerici, De vitâ et honest.*, sic habet: « Clerici... mimis, joculatoribus et histrionibus « non intendant ».

Tandem Concil. Trident. (sess. 22, cap. 1, *De ref.*): « Quæ aliàs à SS. Pontificibus et à sacris canonibus de... « comessationibus, *choreis*, aleis, lusibus, etc., sancita « fuerunt, eadem in posterùm, iisdem pœnis, vel majori- « bus arbitrio Ordinarii imponendis, observentur ».

Ratio cur hæc clericis sint prohibita est, quia talia agere aut spectare nequeunt absque populorum scandalo et proprio peccandi periculo, præsertim contra castitatem quam tanto studio colere debent.

§ III.

Prohibita clericis ob scandalum quod inde oriri posset.

647. I. Clericis prohibetur *cohabitatio cum mulieribus*, etc. Sic generatim habet canon *Hospitiolum*, 17, dist. 32, ex S. Hieronymo desumptus : « Hospitiolum tuum, aut « rarò, aut nunquam mulierum pedes terant... Femina « conscientiam secum pariter habitantis exurit : feminæ « nomen tuum noverint, vultum nesciant. »

De hâc cohabitatione primùm Magna Synodus Nicæna sic statuit : « Interdixit per omnia Magna Synodus non « Episcopo, non presbytero, non diacono, nec alicui om- « nino qui in clero est, licere *subintroductam*[1] habere « mulierem, nisi fortè aut matrem aut sororem aut ami- « tam, vel eas tantùm personas, quæ suspicionem effu- « giant ».

Ad quasdam alias personas licentiam extendit Concil. Carthag. III, anni 397 : sic enim dicitur in canone 17 : « Ut cum omnibus omninò clericis extraneæ feminæ non « cohabitent; sed solæ matres, aviæ et materteræ, amitæ, « sorores et filiæ fratrum aut sororum, et quæcumque ex « familiâ, domesticâ necessitate, etiam antequam ordina- « rentur, jam cum eis habitabant; vel si filii eorum, jam « ordinatis parentibus, uxores acciperent, aut servis non « habentibus in domo quas ducant, aliunde ducere neces- « sitas fuerit ».

Præfatæ licentiæ revocatæ fuêre, etiam quoad matrem et sororem, à variis Conciliis particularibus. Sed Innoc. III disciplinam Nicænam restituit his verbis : « Cum clericis « quoque non permittas mulierculas habitare, nisi fortè de « illis personis existant, in quibus naturale fœdus nihil « permittit sævi criminis suspicari ». (Cap. *A nobis*, 9, *De cohabit. cler. et mulier.*) — Hanc Innocentii III Decretalem pro lege universali habendam tenent DD. communiter. Unde communiter dicitur :

[1] De significatione hujus vocis, vide Bened. XIV, *De Syn. Diœcesanâ*, lib. 11, cap. 4, nis 4-5; et Collat. Andeg., *Sur les États*.

1° Clerico licitum esse, regulariter loquendo, habitare cum feminis sibi in 1° et 2° consanguinitatis gradu conjunctis, nempe cum matre, aviâ, amitâ, materterâ, sorore, nepte.

2° Idem dicendum est de cohabitatione cum affinibus in primo gradu, videlicet cum novercâ, nuru et uxore fratris defuncti, insuper cum affinibus in secundo gradu, quando alter alteri reverentiam debet, v. g., cum uxore patrui, vel avunculi defuncti, etc. : ratio est quia illæ omnes sunt personæ in quibus, prout vult Innoc. III, *naturale fœdus nihil permittit sœvi criminis suspicari.*

3° Quando clericus licitè habitat cum prædictis sibi conjunctis, etiam ipsi licet habitare cum earumdem ancillis et pedissequis... : permittendo enim cohabitationem cum prioribus, canones etiam cum posterioribus eamdem permittere debent, cùm priores posterioribus indigeant.

Omnia hæc intelligenda sunt semper cum hâc limitatione quòd non adsit periculum vel scandalum. « Inhibendum est, ait cap. *Inhibendum*, *De cohabit. cleric.*, etc., ut « nullus sacerdos feminas, de quibus suspicio esse potest, « retineat : *sed neque illas quas canones concedunt*, matrem, « amitam et sororem ».

4° Non prohibentur clerici, etiam extraneas feminas sibi assumere, modò sint provectioris ætatis, honestæ famæ et extra suspicionem. Est enim communis interpretatio Decretalis Innocentii III quòd renovaverit disciplinam à Concil. Nicæno statutam : porrò à Concilio Nicæno permissum est clericis ut possint secum habere mulieres quæ *suspicionem effugiant.* Ergo, etc.

Quærit. 1° Cujus ætatis esse debeant ancillæ clericorum ipsis consanguinitatis aut affinitatis vinculo non conjunctæ?

Resp. Id à jure communi non fuisse mathematicè determinatum ; unde est in hoc recurrendum vel ad propriæ diœcesis statuta, vel ad consuetudinem.

Quærit. 2° An possit Episcopus prohibere ne sui clerici cum ullâ feminâ omnino cohabitent?

Resp. Negativè ; quia Episcopi non possunt tollere facultatem à jure communi concessam. Hinc deceptos putat Benedict. XIV (*De Syn.*, lib. 11, cap. 4, n° 7) aliquot Epis-

copos qui se juri communi institisse existimârunt inhibendo clericis, ne *cum ullâ prorsus feminâ*, licet arctissimo sibi *consanguinitatis nexu obstrictâ*, *cohabitarent*.

« Non propterea tamen, pergit doctissimus Pontifex, « Constitutionem improbamus, quâ Episcopus omnem cum « mulieribus cohabitationem clericis interdicat, nisi ipse « priùs earumdem qualitatibus examinatis, illam pravâ « suspicione vacare compererit. » (*De Syn.*, ib., ubi legi potest Statutum S. Caroli Borromæi in eodem sensu, et quid ipsemet Benedictus XIV statuerit dum esset Bononiensis Archipræsul.)

Quoad pœnas latas contra clericos cum mulieribus contra vetitum commorantes, vide nostrum *Manuale*, n^is^ 559, 6259, 6265.

648. II. *Luxus sæcularis*. De luxu à clericis vitando innumeri canones loquuntur, prout cap. *Clerici* 15, *De vitâ et honestate* ; cap. *Clericus* 8, dist. 41 ; cap. *Episcopus*, 7, *ib.*, Trid. sess. 22, cap. 1, *De ref.*

Vitandus tamen abjectus sordidusque habitus ; tenendaque est regula à S. Ambrosio tradita (*De offic.*, lib. 1) : « Honestati et necessitati nihil desit : nihil accedat nitoris».

Omittuntur plura alia quæ vitam honestatemque clericorum commaculant, quæque propterea sunt etiam ab ipsis sedulò fugienda.

ART. II.

DE IIS QUÆ A CLERICIS SUNT PRÆSTANDA.

649. Jure divino forma omnium virtutum elucere debet in clericis : cùm, juxta Christum, sint *lux mundi* (S. Matth., c. 5, v. 14) ; juxta Principem Apostolorum, debeant esse *forma gregis* (1 Petr., c. 5, v. 3) ; et juxta S. Paulum esse *exemplum fidelium* in omnibus bonis operibus (1 Timoth., c. 4, v. 12 ; Tit., c. 2, v. 7).

Jure verò positivo, ad multa astringuntur, sed potissimùm ad tria : videlicet ad *delationem habitûs clericalis*, ad *continentiam et Horarum recitationem*. De duobus duntaxat prioribus sermonem faciemus ; de Horarum verò recitatione vide nostrum *Manuale*, t. 3

§ I.

De habitu et tonsurâ clericali.

650. — I. *De habitu clericali.* Quinque prioribus Ecclesiæ sæculis, discrepasse non videtur à laicali clericalis habitus : sic enim, anno 428, Papa Cœlestinus I, scribendo ad Episcopos provinciæ Viennensis et Narbonensis, quosdam sacerdotes arguebat, qui, relicto habitu communi, *pallium* assumpserant philosophis proprium : « Dis- « cernendi à plebe vel cæteris sumus *doctrinâ*, non *veste;* « *conversatione*, *non habitu ; mentis puritate*, *non cultu* ».

Mox tamen cœperunt clerici à laicis discerni exteriori corporis cultu ; etenim S. Gregor. Turonensis, qui sæculo VI vixit, eam mutationem in vestibus clericorum innuit, in suâ Francorum historiâ, lib. 3, c. 14, inquiens : « Merevechus tonsuratus est, mutatâque veste, quâ cleri- « cis uti mos est, presbyter ordinatur ».

Idem potest colligi pro Ecclesiâ Orientali ex Synodo Trullanâ anni 688 : « Nullus eorum qui in cleri catalogum « relati sunt, vestem sibi non convenientem induat... ; « sed utatur vestibus quæ eis, qui in clerum relati sunt, « attributæ fuêre. » (Can. 27.)

Nondum tamen, juxta Thomassinum, colore, sed formâ tantùm discrepabant à laicalibus habitus clericales. Isti enim erant oblongi, ad talos usque ferè producti, ut deduci posse videtur ex variis Conciliis : siquidem vocantur *tunica sacerdotalis* à Synodo Romanâ anni 743, *casula* à Synodo Leptinensi[1] ejusdem anni : quæ utræque erant vestes talares.

In Concilio Martini Papæ, canone penultimo, distinct. 23, jubentur clerici : *Secundùm Aaron, talarem vestem induere.*

A tempore autem Concilii Tridentini, Provincialia Concilia ferè omnia « clericos adegerunt ad gestandam ves- « tem talarem, et quidem *nigri coloris*, ad quem, ut Tho-

[1] *Leptines*, seu *Liptines* : « Maison royale en Hainault », juxta *Dictionnaire des sciences ecclésiastiques*, de Richard.

« massinus observat, non erant antea certâ lege adstricti; « sed poterant, alio quolibet modo, decenti et modesto « uti. — S. Carolus Borromæus, in suo Concilio Provin- « ciali Mediolanensi I..., ait : *In omni vestitu color tantùm « niger adhibeatur* : Externa vestis simplex ac talaris « erit. » — Ita Benedictus XIV, *De Synodo*, lib. 11, c. 8, nº 3.

Habitûs clericalis formam non omnino determinavit jus commune; sed in cap. *Clerici* 15, *De vitâ et honestate*, etc., dicitur tantùm : « Clerici... clausa deferant desuper indu- « menta, nimiâ brevitate vel longitudine non notanda ».

Concilium verò Tridentinum (sess. 14, cap. 6) ait ad Episcopum pertinere ipsius formam assignare : vult enim ut clerici deferant « honestum habitum clericalem, illorum « ordini ac dignitati congruentem, et juxta ipsius Episcopi « ordinationem et mandatum ».

Non debent tamen Episcopi formam vestis clericalis decentem, consuetudine generaliter receptam, sinè justâ causâ immutare. Sed non est improbandus Episcopus qui, ea quæ Prælatitiæ Dignitati propria sunt (caudam, v. g., in veste talari), clericis non prælatis vetaret (*ib.*). De quo legendus est canon 2 Concilii Toletani anni 1224, ubi dicitur : « Nullus clericus supertunicale, vel tabardum de- « ferat ita longum quòd si ad pedes contingat, nullatenus « tamen per terram trahatur; cùm hæc non honestas, sed « superfluitas et indecentia censeatur ».

Quærit. 1° Quasnam pœnas incurrant clerici vestem talarem juxta formam ab Episcopo præscriptam non deferentes?

Resp. Episcopum posse clericos, per suspensionis pœnam, imò per officiorum et beneficiorum privationem, si semel correpti non obtemperaverint, adigere ad servandas suas circa clericalem habitum ordinationes. Illud constat ex Concilio Tridentino (sess. 14, c. 6), ubi dicitur : « Omnes ecclesiasticæ personæ, quantumcumque exemp- « tæ, quæ aut in sacris fuerint..., aut... officia aut bene- « ficia... obtinuerint, si, postquam ab Episcopo suo, « etiam per edictum publicum, moniti fuerint, honestum « habitum clericalem, illorum ordini et dignitati con-

« gruentem, et juxta ipsius Episcopi ordinationem et « mandatum non detulerint, per suspensionem ab ordi- « nibus, ac officio et beneficio... ; necnon, si semel cor- « repti, denuò in hoc deliquerint, etiam per privationem « officiorum et beneficiorum hujusmodi coerceri possint « ac debeant, Constitutionem Clementis V, in Concilio « Viennensi editam, quæ incipit *Quoniam*, innovando et « ampliando ».

Cavendum tamen est à nimio rigore, præsertim à censuris *ipso facto* decernendis. Unde Sacra Congregatio Concilii, in causâ *Spoletanâ*, 16 januarii 1764, declaravit : « Ab Edicto Episcopi delendas esse contra inobedientes : « videlicet quoad sacerdotes, pœnas suspensionis ipso « facto incurrendæ ; quoad clericos, pœnam quòd non « possint promoveri ad Ordines sacros, nec admitti ad « beneficia... ; et loco prædictarum pœnarum mulctandos « esse... et in subsidium pœnâ suspensionis et interdicti « ferendæ sententiæ ».

Quærit. 2° An graviter peccent clerici habitum clericalem non deferentes ?

Resp. 1° Juxta sententiam communiorem, non peccant, etiam venialiter, clerici minores, sed privilegium fori amittunt, si tonsuram et vestem clericalem gestare negligant.

2° Constituti verò in ordinibus sacris, aut beneficiati certè peccant graviter : uti potest colligi ex verbis Concilii Tridentini modò relatis et multis aliis.

Limitant tamen DD. et quidem probabilissimè : 1° si id fiat ad breve tempus : nisi quis ideò habitum dimitteret vel occultaret ad alios decipiendos, vel ut liberè per plateas deambularet.

Limitant 2°, si adsit justa causa, v. g., ad vitandam mortem, vel grave damnum.

Limitant 3°, si sit in itinere, modò habitus sit decens; sed, etiam in itinere, non debet sacerdos celebrare sinè veste talari.

651. — II. *De tonsurâ.* « Tonsura clericorum antiquitùs « fiebat raso desuper capite in modum spheræ, et inferiùs « quoque : ita ut, patentibus auribus, sola capillorum

« corona circa caput remaneret (Can. *Prohibitæ* et can. « penult., dist. 23), ad eum videlicet modum quo hodie « monachi regulares capita sua radere consueverunt...

« Tractu... temporis introductum fuit, atque hodie ab « Ecclesiâ generaliter receptum ut, memoratâ coronâ ca- « pillorum à monachis aliisque regularibus, necnon à « Romano Pontifice retentâ [1], reliqui sæculares, loco ejus- « dem coronæ, solummodo circulum aliquem modicum in « superiore parte capitis abrasum gerant. Et de tali coronâ « procedit textus in cap. *Clerici* 15, huj. tit., ubi, loquendo « de clericis sæcularibus, dicitur : coronam et tonsuram « habeant congruentem. » — Ita Reiffenstuel, lib. 3, tit. 1, n^is 85 et 86.

Obligatio tonsuram servandi restituta fuit à Concilio Lateranensi V, sub Leone X. Sic enim legitur in sessione 9: « Clerici in sacris constituti, (nec) barbam nec comam « nutriant, *sed tonsuram ferant*. Si quis contra fecerit, « excommunicationem incurrat. » Jam præiverant Con- cilia Romana sub Zachariâ et Gregorio XI, in quibus dice- batur : « Si quis ex clericis comam relaxaverit, ana- « thema sit ».

Controvertitur utrum sub gravi tonsuram gestare teneantur clerici, etiam in sacris constituti : plures hanc obligationem assimilare videntur obligationi vestem talarem deferendi ; probabiliter tamen, juxta S. Liguorium (lib. 6, n° 826), faciliùs mortaliter peccaretur non deferendo habitum, quàm coronam non gestando. Quis enim, ait Croix, de mortali arguet sacerdotem si per sex aut octo hebdomadas coronam non deferat, etiamsi nullum de eâ vestigium appareat ?

Circa coronæ amplitudinem, hæc habet Benedictus XIV (*Institutio* 96, n° 12) : « Corona clerici, qui nondum sa- « cerdotio initiatus fuit, sacræ Particulæ comparari debet. « Corona sacerdotis divinæ Hostiæ similis decernitur ; « tandem corona Episcopi et Cardinalis ejusdem Hostiæ « amplitudinem tantisper debet excedere. »

[1] Sed hodie à Romano Pontifice hujusmodi corona non retinetur

Quoad usum pileoli vel comæ fictitiæ, vide *Manuale* (3688-3693).

§ II.

De obligatione cælibatûs.

652. Ætate SS. Epiphanii et Hieronymi, in utrâque Ecclesiâ Orientali et Occidentali, vigebat, et verisimiliùs, etiam à primordiis, viguit lex cælibatûs ecclesiastici, ipsosmet subdiaconos obligans.

Sic enim habet S. Epiphanius, *adversùs hæreses* (*Hæres.* 59, IV) : « Qui adhuc in matrimonio degit, ac liberis dat « operam, tametsi unius sit uxoris vir, nequaquam tamen « ad Diaconi, Presbyteri, Episcopi aut *Hypodiaconi* ordi- « nem admittit (Ecclesia); sed eum duntaxat qui ab unius « uxoris consuetudine sese continuerit, aut eâ sit orbatus; « quod in illis præcipuè fit, ubi ecclesiastici canones ac- « curatè servantur ». Ergo tunc ecclesiastici canones continentiam etiam subdiaconis præcipiebant; nam per *Hypodiaconos*, subdiaconi sunt intelligendi.

Sanctus autem Hieronymus adversùs Vigilantium sic loquitur : « Pro nefas ! Episcopos sui sceleris dicitur ha- « bere consortes, si tamen Episcopi nominandi sunt qui « non ordinant diaconos, nisi priùs uxores duxerint... « Quid facient Orientis Ecclesiæ ? Quid Ægypti et Sedis « Apostolicæ, quæ aut virgines clericos accipiunt, aut « continentes, aut si uxores habuerint, mariti esse desis- « tunt. »

Legem cælibatûs longè ante hos Sanctos viguisse, saltem quoad diaconos et superiores ordines, clarè constat ex Concilio Carthaginensi II anni 257, sancti Cypriani ætate, in quo dicitur, can. 2 : « Episcopos, Presbyteros et Dia- « conos ita placuit, ut condecet Sacrosanctos Antistites.., « continentes esse in omnibus.. : ut quod Apostoli docue- « runt et ipsa servavit antiquitas, nos quoque custodia- « mus ».

Non tamen adamussim hæc lex ubique fuit observata : clerici enim matrimonio conjuncti, etiam ad sacerdotium admissi fuêre, nunquam tamen ad Episcopatum.

Hæc legis cælibatûs relaxatio invaluit præsertim in Ecclesiâ Orientali; severior autem permansit Occidentalis Ecclesia : et quamvis S. Gregorius Magnus à subdiaconis Siciliæ, sinè voto cælibatûs ordinatis, exigere noluerit ut nihilominus continentiam servarent, attamen ipsemet decrevit ut nullus in posterùm clericus ad subdiaconatum promoveretur, nisi priùs emisso voto castitatis : « Nullum « facere subdiaconum præsumant Episcopi, nisi qui vic- « turum castè promiserit, quia nullus ad ministerium al- « taris accedere debet, nisi hujus castitas ante susceptum « ministerium fuerit probata ». (Dist. 28, cap. 1.)

Quam disciplinam postea relaxatam, S. Gregorius VII denuò, anno 1074, in Concilio Romano confirmavit, ac strenuè ipsius exsecutionem promovit.

Non tamen omnino constat ex tunc matrimonium à clericis in sacris contractum, habitum fuisse ut prorsus nullum. Sed tale certè declaratum fuit à Concilio Lateranensi IV, et demùm à Concilio Tridentino (sess. 14, can. 9), his verbis : « Si quis dixerit clericos in sacris ordinibus « constitutos, vel regulares, castitatem solemniter profes- « sos, posse matrimonium contrahere, contractumque « validum esse, non obstante lege ecclesiasticâ vel voto..., « anathema sit ».

Etsi lex cælibatûs sit juris ecclesiastici, fundamentum tamen habet in Scripturâ, ut sequentibus patet : dicitur enim in Epistolâ 1ª ad Timotheum (cap. 3, v. 2) : « Opor- « tet Episcopum esse pudicum »; et *ibid.*, v. 8 : Diaconos « similiter pudicos »; et *ibid.*, cap. 5, v. 22 : « Teipsum « castum custodi ». Fundatur item exemplo Christi, S. Joannis, S. Pauli et cæterorum Apostolorum.

Sed quidquid nonnulli dixerint, illa lex non est tamen propriè de jure divino, ut communiter (præciso voto) sentiunt Doctores. Ideòque in eâ dispensare potest Ecclesia, prout reverà sæpè dispensavit : nempe tempore Mariæ Anglorum Reginæ, et post Concordatum 1801, inter Pium VII et Napoleonem I initum.

Sed quæritur utrum obligatio cælibatûs sit immediatè ex præcepto Ecclesiæ, vel mediatè per votum ordinatorum?

Resp. Duas esse sententias, quæ ambæ probabiles dicuntur à sancto Liguorio, lib. 6, n° 308.

Probabilior tamen et communior sententia, juxta eumdem Sanctum, ea est quæ tenet cælibatûs obligationem oriri ex voto, quia illud est expressum in jure, cap. *Cùm olim*, *De clerico conjug.*, ubi dicitur : « Non igitur attendentes quòd Orientalis Ecclesia votum continentiæ non « admisit ». Ergo admisit Occidentalis Ecclesia. Vide in *Manuali* solutionem quorumdam casuum, n^is 2124, etc.

SECTIO TERTIA.

DE PERSONIS VEL AD NEUTRAM HIERARCHIAM PERTINENTIBUS, VEL PERTINENTIBUS QUIDEM, SED EXTRA HAS HIERARCHIAS CONSIDERATIS.

653. Illæ personæ sunt præsertim qui ad varias Clericorum Scholas, Universitates, Seminaria, Collegia, Capitula pertinent; iisque etiam accensendi sunt regulares et laici. Quantumvis fuerit utile de iis omnibus exponere ecclesiasticas sanctiones, cogimur, causâ brevitatis, ea omittere et remittere lectorem ad *Manuale*, n^is 2129, etc. Sed, quoad regulares, vide in hac 4ª edit. ***Supplementum* in fine t. II.**

INDEX

MATERIARUM IN HOC VOLUMINE COMPREHENSARUM.

Numeri.		Paginæ.
	PRÆFATIO.	VII
1.	ELEMENTA JURIS CANONICI.	1
	CAPUT PROŒMIALE.	*ib.*
2.	Art. I. — De nomine, definitione et divisione juris canonici.	*ib.*
10.	Art. II. — De origine seu de fontibus juris canonici.	4
11.	§ I. — Utrum sit in Ecclesiâ fons aliquis juris canonici.	5
15.	§ II. — Quotuplex sit fons juris canonici. .	8
17.	I. — De jure ab Apostolis sancito.	9
20.	II. — De sententiis Patrum. . .	10
21.	III. — De Decretis SS. Pontificum.	11
44.	IV. — De Conciliorum Decretis. .	30
62.	V. — De Romanis Congregationibus quatenus sunt fontes juris canonici.	38
	VI. — De consuetudine. . . .	42
70.	1° — De naturâ consuetudinis et variis ipsius speciebus. .	*ib.*
74.	2° — De conditionibus requisitis ut vim legis habeat consuetudo.	44
103.	3° — Quinam sint effectus consuetudinis.	51
104.	4° — De abrogatione consuetudinis.	52
	Art. III. — De jure canonico nationali. . . .	55
111.	§ I. — De jure nationali in genere. . .	*ib.*
116.	§ II. — De jure gallicano.	57
121.	Art. IV. — De historiâ juris canonici. . . .	63
122.	§ I. — De Isidori Mercatoris Collectione et de falsis Decretalibus.	64
127.	§ II. — De Collectione Gratiani.	69
128.	§ III. — De Collectione Decretalium sub Gregorio IX.	71
131.	§ IV. — De Sexto decretalium, Clementinis et Extravagantibus.	72
134.	§ V. — De Corpore juris canonici. . . .	73

Numeri.		Paginæ.
415.	§ VII.— De potestate Episcopi quoad fidem, doctrinam et impressionem librorum.	288
416.	§ VIII.— De potestate Episcopi dispensandi in legibus Ecclesiasticis.	289
421.	§ IX. — De officio et potestate Episcopi quoad Pontificalia.	296
422.	§ X. — De officio et potestate Episcopi quoad Sacramentum Confirmationis. .	297
426.	§ XI. — De potestate et officio Episcopi in causis hæreseos.	300
428.	§ XII. — De potestate Episcopi casus sibi reservandi.	302
	§ XIII.— De Potestate Episcopi in Clericos.	303
429.	I. — De Potestate Episcopi in Clericos diœcesanos.	*ib.*
432.	II. — De Potestate Episcopi in Sacerdotes extraneos.	306
433.	§ XIV.— De potestate Episcopi quoad indulgentias.	308
435.	§ XV. — De potestate et officio Episcopi quoad Reliquias SS.	*ib.*
438.	§ XVI.— De potestate Episcopi quoad missarum stipendia et reductionem piarum fundationum.	312
443.	§ XVII.— De potestate Episcopi Vicarios constituendi et congruam eisdem assignandi.	317
445.	§ XVIII.— De nonnullis aliis officiis et potestatibus Episcoporum.	318
	Art. III. — De Juribus Episcoporum utilibus et honorificis.	319
446.	I. — De juribus utilibus.	*ib.*
447.	II. — De juribus honorificis Episcoporum.	320
449.	Art. IV. — De ministris jurisdictionis episcopalis.	321
	§ I. — De Vicario Generali seu Officiali. .	322
450.	Punct. I. — De notione Vicarii Generalis seu Officialis.	*ib.*
455.	Punct. II. — De Vicarii Generalis constitutione.	326
456.	I. — De Dotibus requisitis in Vicario Generali.	327

Numeri.		Pagina
458.	II. — A quo constituendus sit Vicarius Generalis.	324
459.	III.— An Episcopus teneatur sibi assumere Vicarium Generalem, et an plures possit habere. . . .	*ib.*
461.	IV.— Quâ formâ instituendus sit Vicarius Generalis.	329
462.	Punct. III.— De Vicarii Generalis potestate.	*ib.*
467.	Punct. IV.— De Vicariatûs Generalis expiratione.	336
468.	Punct. V. — De Vicarii Generalis sustentatione.	337
469.	Punct. VI.— An et quomodo Episcopus ex actis Vicarii sui Generalis teneatur.	33
470.	Punct. VII.— A quo possit puniri Vicarius Generalis qui in officio suo delinquit.	*ib.*
472.	§ II. — De Vicariis Foraneis.	339
	Art. VI. — De administratione diœcesis, sede vacante.	340
473.	§ I. — Ad quem et quomodo devolvatur potestas diœcesim gubernandi, Sede vacante.	*ib.*
479.	§ II. — Quænam sit potestas Capituli aut Vicarii Capitularis.	344
487.	CAPUT IV.— De parochis et aliis sacerdotibus qui ipsis auxiliantur vel in parochiâ sacrum ministerium exercent. .	351
	Art. I. — De Parochis.	352
488.	§ I. — Expositio et confutatio errorum circa parochos.	*ib.*
494.	§ II. — De verâ notione parochi.	359
499.	§ III. — De canonicâ normâ parochos instituendi et removendi.	361
	§ IV. — De parochorum juribus et prærogativis.	367
506.	I. — De jure parochorum nominandi et amovendi vicarios seu coadjutores suos.	*ib.*
510.	II. — De jure parochi quoad sacramenta.	370
523.	III.— De jure parochi quoad oblationes.	379

Numeri.		Paginæ.
371.	Punct. I. — De Congregationibus Romanis.	243
372.	I. — Congregatio Consistorialis. . .	*ib.*
373.	II. — Congregatio S. Inquisitionis. .	244
374.	III. — Congregatio Indicis.	245
376.	IV. — Congregatio Concilii Trid. interpres.	247
377.	V. — Congregatio Episcoporum et Regularium.	248
378.	VI. — Congregatio Rituum. . . .	*ib*
379.	VII. — Congregatio Jurisdictionis et Immunitatis ecclesiasticæ. . .	250
380.	VIII. — Congregatio Iudulgentiarum et Reliquiarum.	*ib.*
381.	IX. — Congregatio Propagandæ Fidei.	251
383.	Punct. II. — De Tribunalibus Romanis. .	252
384.	I. — De Datariâ.	253
385.	II. — Pœnitentiaria.	*ib.*
386.	III. — Rotæ tribunal.	254
	§ III. — De Ministris S. Pontificis extra Curiam Romanam.	255
387.	I. — De Legatis et Nuntiis. . . .	*ib.*
390.	II. — De Vicariis, Præfectis et Commissariis Apostolicis. . . .	257
	CAPUT II. — De Patriarchis, Primatibus et Metropolitanis.	258
391.	I. — De Patriarchis.	*ib.*
392.	II. — De Primatibus.	259
393.	III. — De Metropolitanis.	*ib.*
	CAPUT III. — De Episcopis.	263
397.	Art. I. — De notione officii Episcopi et naturâ potestatis ipsi traditæ. . . .	*ib.*
	Art. II. — De variis officiis et potestate Episcoporum.	275
403.	§ I. — De obligatione residendi. . . .	*ib*
405.	§ II. — De episcopali diœcesis visitatione. .	276
407.	§ III. — De visitatione Sacrorum Liminum.	279
408.	§ IV. — De administratione seminariorum. .	280
411.	§ V. — De officioso et potestate Episcopi quoad synodum diœcesanam. . .	284
413.	§ VI. — De legislativâ Episcoporum potestate.	286

Numeri.		Paginæ.
273.	§ III. — De qualitatibus in promovendis ad dignitates vel officia ecclesiastica requisitis.	147
	CAPUT. III.— De cessatione et restrictione jurisdictionis ecclesiasticæ. . . .	153
285.	Art. I. — De cessatione jurisdictionis delegatæ.	*ib.*
288.	Art. II. — De cessatione jurisdictionis ordinariæ et vacatione officiorum ecclesiasticorum.	157
289.	§ I. — De dimissione seu renuntiatione officiorum ecclesiasticorum. . . .	*ib.*
297.	§ II. — De translatione.	164
304.	§ III.— De revocatione et privatione officiorum ecclesiasticorum.	172
305.	I. — De officiis inamovibilibus. .	*ib.*
312.	II. — De officiis ad nutum amovibilibus.	180
314.	§ IV.— De cessatione jurisdictionis ordinariæ in quibusdam eventibus à supra enumeratis distinctis.	182
315.	Art. III.— De restrictione jurisdictionis. . .	183
321.	CAPUT IV.— De juribus et obligationibus eorum qui habent jurisdictionem ecclesiasticam.	190
322.	Art. I. — De juribus et prærogativis superiorum ecclesiasticorum in genere. .	*ib.*
323.	Art. II. — De excessibus Prælatorum, seu de abusu jurisdictionis ecclesiasticæ.	192
330.	De appellatione ab abusu. . . .	198
	DISSERTATIO II.— DE HIERARCHIA JURISDICTIONIS IN SPECIE.	205
334.	CAPUT I. — De S. Pontifice.	*ib.*
337.	Art. I. — De Primatu S. Pontificis. . . .	209
	Art. II. — De juribus Primatui S. Pontificis annexis.	219
346.	§ I. — De juribus in spiritualia. . . .	*ib.*
360.	§ II. — De juribus in temporalia. . . .	228
364.	De principatu temporali S. Pontificis.	236
	Art. III.— De Ministris S. Pontificis. . . .	239
365.	§ I. — De Cardinalibus.	*ib.*
	§ II. — De SS. Congregationibus et Tribunalibus Romanis.	243

Numeri.		Paginæ.
141.	§ VI. — De jure novissimè statuto. . . .	75
143.	§ VII.— De variis juris Gallicani documentis.	76
	LIBER PRIMUS. — De personis ecclesiasticis.	81
	SECTIO PRIMA. — De personis ad hierarchiam jurisdictionis spectantibus.	82
	DISSERTATIO PRIMA. — De hierarchia jurisdictionis in genere.	*ib.*
	Caput I. — De jurisdictione ecclesiasticâ in genere.	*ib.*
151.	Art. I. — De naturâ et objecto jurisdictionis ecclesiasticæ in genere. . . .	*ib*
161.	Art. II. — De divisione jurisdictionis ecclesiasticæ.	88
173.	Art. III. — De subjecto jurisdictionis ecclesiasticæ.	92
175.	Caput II. — De acquisitione jurisdictionis ecclesiasticæ.	93
176.	Art. I. —De titulo et ipsius necessitate. . .	*ib.*
191.	Art. II. — De adeptione jurisdictionis delegatæ.	98
	Art. III. — De adeptione jurisdictionis ordinariæ.	
208.	§ I. — De constitutione officiorum quibus annexa est jurisdictio ecclesiastica.	*ib.*
218.	I. — De erectione parochiarum per viam creationis. . . .	108
221.	II. — De erectione parochiarum per viam dismembrationis. . .	111
226.	III. — De unione parochiarum. .	115
	§ II. — De institutione canonicâ promovendorum ad officia ecclesiastica. .	119
232.	Punct. I. — De institutione canonicâ in genere.	*ib*
245.	Punct. II. — De variis modis quibus obtineri possunt officia ecclesiastica.	125
246.	I. — De electione.	*ib*
255.	II. — De postulatione.	131
256.	III. — De præsentatione. . . .	*il*
257.	IV. — De collatione.	13
258.	Punct. III. — Ad quem vel ad quos pertineat promotio ad dignitates et officia ecclesiastica. .	134

Numeri.		Paginæ.
524.	IV. — De jure parochi quoad funeralia.	381
529.	V. — De jure parochi quoad functiones parochiales.	389
530.	VI. — De potestate parochi in nonnullis dispensandi.	*ib.*
	§ V. — De obligationibus parochorum. . .	390
531.	I. — De emittendâ professione fidei et spondendâ obedientiâ Romano Pontifici.	*id.*
532.	II. — De obligatione residendi in parochiâ.	391
542.	III. — De obligatione missam offerendi pro populo.	398
546.	IV. — De obligatione parochi prædicandi et pueros edocendi.	401
547.	V. — De obligatione parochi ministrandi sacramenta.	403
548.	VI. — De administratione temporali parochiæ.	*ib.*
551.	VII. — De quibusdam aliis parochorum obligationibus.	406
	Art. II. — De vicariis parochialibus et aliis sacerdotibus qui in parochiâ sacrum ministerium exercent.	407
552.	§ I. — De Vicariis parochialibus. . . .	*ib.*
553.	I. — De Vicariis qui ad regendam parochiam suo parocho orbatam deputantur.	*ib.*
554.	II. — De Vicariis qui parocho residenti et parochiam administranti auxiliantur.	408
	§ II. — De aliis sacerdotibus qui in parochiâ sacrum ministerium exercent. .	412
560.	I. — De Capellanis seu eleemosynariis.	*ib.*
567.	II. — De Confessariis.	417
568.	SECTIO SECUNDA. — De hierarchia ordinis.	418
	Caput I. — De objecto et facultatibus singulorum ordinum seorsim sumptorum.	419
570.	Art. I. — De Tonsurâ.	*ib.*
573.	Art. II. — De minoribus ordinibus. . . .	421
579.	Art. III. — De majoribus ordinibus. . . .	423
580.	§ I. — De Subdiaconatu.	*ib.*

Numeri.		Paginæ.
582.	§ II. — De Diaconatu.	424
583.	§ III. — De Presbyteratu.	426
586.	§ IV. — De Episcopatu.	428
591.	CAPUT II. — De requisitis ad receptionem vel exercitium ordinum.	431
592.	Art. I. — De conditionibus negativis. . .	*ib.*
593.	§ I. — Quid et quotuplex sit Irregularitas et quinam sint illius effectus. .	432
597.	§ II. — Quomodo incurratur et tollatur Irregularitas.	436
603.	§ III. — Quænam sint irregularitates ex delicto.	441
616.	§ IV. — De irregularitatibus ex defectu. .	448
624.	Art. II. — De conditionibus positivis ad dignam receptionem vel dignum exercitium ordinum.	463
639.	CAPUT III.— De obligationibus clericorum. . .	476
	Art. I. —De vitandis à clericis.	*ib.*
640.	§ I. — Professiones, artes et actiones à clericis vitandæ.	*ib.*
643.	§ II. — Oblectamenta clericis prohibita. .	481
647.	§ III. — Prohibita clericis ob scandalum quod inde oriri posset.	484
649.	Art. II. — De iis quæ à clericis sunt præstanda.	486
650.	§ I. — De habitu et tonsurâ clericali. . .	487
652.	§ II. — De obligatione cælibatûs. . . .	491
653.	SECTIO TERTIA. — DE PERSONIS VEL AD NEUTRAM HIERARCHIAM PERTINENTIBUS, VEL PERTINENTIBUS QUIDEM, SED EXTRA HAS HIERARCHIAS CONSIDERATIS. . . .	493

ELEMENTA

JURIS CANONICI

AD USUM

GALLIÆ SEMINARIORUM

ELEMENTA

JURIS CANONICI

AD USUM

GALLIÆ SEMINARIORUM

AUCTORE

D. CRAISSON

VICARIO GENERALI ET SUPERIORE MAJORIS SEMINARII DIŒCESIS VALENTINENSIS IN GALLIA

—

Compendiose extracta e MANUALI TOTIUS JURIS CANONICI *ejusdem auctoris, Romæ auctoritate superiori examinato, laudato atque expresse ab examinatoribus Romanis commendato*

—

EDITIO QUINTA

NON SYLLABO DUNTAXAT, SED CONSTITUTIONI *Apostolicæ Sedis*, ET CONCILIO VATICANO ADAPTATA CUM SUPPLEMENTO DE STATU RELIGIOSO.

—

TOMUS II.

—

PARISIIS

JOUBY ET ROGER, EDITORES

VIA MAGNORUM-AUGUSTINORUM, 7.

—

1879

ELEMENTA

JURIS CANONICI

AD USUM

GALLIÆ SEMINARIORUM.

LIBER SECUNDUS.

DE REBUS ECCLESIASTICIS SEU SACRIS.

654. *Rerum ecclesiasticarum* seu *sacrarum* nomine intelliguntur quæcumque res, præter personas et judicia, quæ ad ordinem seu finem supernaturalem spectant.

Duplicis generis sunt : aliæ spirituales, quæ directè et specialiùs cultum Dei et sanctificationem animarum respiciunt, ut sacramenta, sacramentalia, benedictiones, indulgentiæ, preces, festa, ecclesiæ, vasa sacra, sacra supellex, etc.; aliæ temporales, quæ specialiter destinantur ad sustentationem ministrorum Ecclesiæ, sublevamen pauperum et comparationem eorum omnium quæ ad cultum Dei pertinent. Proinde duæ erunt hujusce libri sectiones : in primâ agetur de spiritualibus rebus sacris ; in secundâ de iisdem temporalibus.

SECTIO PRIMA.

DE REBUS SACRIS SPIRITUALIBUS.

655. De iis omnibus, in uno volumine sufficienter tractare etsi compendiosè, omnino est impossibile; unde circa

plura lectorem remittimus ad nostrum *Manuale*, ubi multæ notiones perutiles et persæpe necessariæ exercitio sacri ministerii invenientur, quæ nullo modo in cursu theologico delibantur; nihil dicturi sumus de sacramentis nisi pauca de Eucharistiâ et Pœnitentiâ; sufficiet ergo tractare quæstiones sequentes in septem capitibus :

1° De Eucharistia; de requisitis nempe tantum ad missam, et de expositione et benedictione Sanctissimi Sacramenti.

2° De Pœnitentia, scilicet solummodo de sancitis à Bened. XIV circa confessionem complicis et de confessariis sollicitantibus.

3° De Sacramentibus et Benedictionibus.

4° De Confraternitatibus.

5° De Exequiis et Cœmeteriis.

6° De Locis sacris.

7° De Jure liturgico.

CAPUT PRIMUM.

DE EUCHARISTIA.

ART. I.

DE REQUISITIS AD MISSAM.

Multa ad eam requiruntur, videlicet :

1° Altare triplici mappa coopertum.

2° Vestes sacræ.

3° Vasa sacra.

4° Corporale, Palla, Purificatorium.

5° Missale.

6° Crucifixus.

7° Lumen.

8° Antipendium.

9° Tabernaculum.

10° Minister.

11° Nudatio capitis.

12° Celebrans qui sit pedibus calceatus et veste talari indutus.

656. — I. *Altare triplici mappâ coopertum :* a primordiis suis, Ecclesia adhibuit altaria ad missæ celebrationem; Romæque servatur, in Basilicâ Lateranensi, tabula lignea quâ, tanquam altari, usus fuit Princeps Apostolor.

Duplicis speciei sunt altaria, *fixa* nempe, et *mobilia* seu *portatilia*: ista in rubricis *aræ* vocantur, illa autem nomen *altaris* retinent. *Fixa* seu *stabilia* intelliguntur quando tabula superior basi immobiliter adhæret, et totaliter consecrantur : *mobilia* verò seu *portatilia* sunt, quando tabula quæ consecratur, basi non hæret, sed transferri potest ab uno altari ad aliud.

Aliquando tamen etiam ista posteriora altaria *fixa* nuncupantur, modo muro hæreant et stabiliter in ecclesia sint constituta.

Altare, sive fixum sive portatile, lapideum esse debet, juxta rubricam modo relatam ; lignea tamen primitus admissa fuisse videntur, ad instar mensæ in qua institutum fuit venerabile Eucharistiæ sacramentum : quæ mensa in Lateranensi Basilica adhuc hodie asservatur, sicut pariter tabula supra quam S. Petrus celebrare solebat, ut modo diximus. Vide Breviarium Romanum in festo Dedicationis Basilicæ S. Joannis Lateranensis, et quid dicat Bened. XIV de ecclesia S. Pudentianæ (*De Sacrif. Missæ*, lib. I, c. II, n° 5). Imo aliquoties altaria fuere aurea et argentea, ut asserit Collet (*Tr. des SS. Mystères*, c. VIII, II, *nota* 3ª) cum Bened XIV (ib. n° 8). Non omnino constat a quo primum præceptum fuerit altare debere lapideum esse. Nonnulli illud decretum Silvestro Papæ adscribunt. (Bened. XIV, ibid. n° 6).

De altari sic habet Rubrica Missalis : « Altare, in quo « SS. Missæ Sacrificium celebrandum est, debet esse lapi- « deum, ab Episcopo consecratum, vel saltem ara lapidea « similiter ab Episcopo consecrata in eo inserta, quæ tam « ampla sit ut hostiam et majorem partem calicis capiat. « Hoc altare operiatur tribus mappis seu tobaleis mundis, « ab Episcopo vel ab alio habente potestatem benedictis, « superiore saltem oblongâ quæ usque ad terram pertin- « gat, duabus aliis brevioribus, vel unâ duplicatâ. »

Tabula autem altaris, etiam fixi, unico lapide constare debet, et esse *tàm ampla* ut *hostiam* et *majorem partem calicis capere valeat.* Imò capere debet etiam parvas hostias, quæ essent consecrandæ, quæque, non tantùm momento consecrationis, sed toto sacrificii tempore, id est usque post communionem, reponi debent supra illam : nec sufficit quòd super Corporale sint collocatæ. Ita communiter, juxta S. Liguor. (lib. 6, nº 373), ubi Busembaum addit minus rectè facere eos sacerdotes qui, consecratione peractâ, statim particulas tradunt alteri ministro ab ipso distribuendas, siquidem super illas particulas, orationes et benedictiones à rubricis præscriptæ, sunt peragendæ. Illud tamen dicit esse tantùm veniale, imò omni peccato vacuum, si adsit necessitas expediendi communionem populi.

Altare majus, pro ecclesiâ consecrandâ, debet omninò esse fixum et simul consecrari cum eâ : ita decisum 19 sept 1665 (nº 2196, 2º).

Basis altaris fixi ab omni parte obstrui debet, ita ut nulla foramina aut fenestellas ad aliquid conservandum habeat.

Consecratum esse debet altare tàm fixum quàm portatile; et quidem ab Episcopo, vel Abbate, aut alio privilegium habente à S. Sede ; et hoc sub gravi : Prælati autem regulares, usu Pontificalium prædíti, pro suis tantùm ecclesiis, altaria aut alia ab Episcopis consecranda, consecrare vel benedicere valent. Et ita declaravit pluries S. R. Congr. Secus tamen sentit S. Liguor. (lib. 6, nº 373) cum pluribus aliis, ex declarat. Cardinal., et Privil. Innoc. III : sed conciliari possunt duæ opiniones, dicendo cum S. Liguorio, validè consecrari in hoc casu altaria, sed illicitè, prout intelligi potest prima sententia.

657. Execratur autem altare : 1º si, cùm fixum sit, lapis consecratus removeatur ab inferiori structurâ : non autem si aliqui tantùm lapides structuræ dimoveantur; si verò altare sit portatile, non execratur, si ara à lignis quibus includitur separetur.

2º Si ita frangatur, tàm fixum quàm portatile, ut in nullâ ejus integrâ parte, calix cum patenâ et hostiâ possit con-

sistere. — An autem ara possit fieri ex duobus lapidibus conjunctis, communissimè et rectè negant Salmanticenses cum aliis, et in hunc sensum citatur decisio S. R. Congr. 17 junii 1843, n° 4820. De Herdt (pars 1, n° 56, II) ait altare perdere suam consecrationem, si pars detracta contineat unam ex lateralibus crucibus ab Episcopo specialiter consecratis; et affert in probationem Decisionem S. R. Cong., 6 oct. 1837, n° 4680.

658. Quærit. An altare amittat consecrationem, si frangatur sigillum, vel removeatur sepulchrum cum Reliquiis? — Observa quòd nomine *sepulchri* intelligatur loculus ille in quo reliquiæ reconduntur. Pro solutione dubii, vide *Manuale*, n° 3603, etc. Sufficiat hîc referre decisionem S. R. Congr., 23 sept. 1848.

Quæsitum fuerat : « 1° utrum altaria portatilia conse-
« crationem suam amittant, quando fractum est sigillum
« quod reliquiis in sepulchro inclusis apponitur, an tan-
« tùm quando, ut loquuntur theologi, fractum sepulchrum?
« 2° Utrum altare portatile, cujus sigillum non existit,
« mitti debeat ad urbem episcopalem et rursus conse-
« crari; an sufficiat tantùm novas addere reliquias vete-
« ribus reliquiis in sepulchro inclusis, et authenticitate
« carentibus, et sigillum Episcopi apponere?

« Resp. ad 1^um^ — quoad primam partem *negativè*, nisi
« fractum sit sepulchrum, vel ejus operculum, aut etiam
« solummodo, si hoc amotum fuerit; — quoad secundam
« partem, provisum in primâ.

« Ad 2^um^ — quoad primam partem, provisum in primo;
« —quoad secundam, nunquam licere certas SS. reliquias
« dubiis immiscere, ac semel execratâ arâ, vel fixâ vel
« mobili, ex communi jure, novâ indigere consecra-
« tione. »

Juxta hoc Decretum, sigillum episcopale non est quid essentiale consecrationi altaris; unde non amittit suam consecrationem ex ejus fractione nisi simul fractum sepulchrum, vel ejus operculum, aut etiam si istud operculum amotum fuerit; proinde in casu fractionis sigilli episcopalis, si ex continuo usu vel aliter certò constet altare debitè esse consecratum, non est denuò consecrandum; secus

autem, indiget consecratione, quando nempe, deleto hujusmodi sigillo, non certò constat per continuum usum fuisse olim consecratum: prout v. g. si altare fuisset à laicis servatum, aut legitimè non constaret reliquias in eo fuisse servatas; tunc sinè facultate Apostolicâ non posset reconciliari altare hujusmodi solâ repositione reliquiarum: posset tamen cum tali facultate, servatis cæremoniis *Pontificalis*, prout fuit indultum 1 maii 1668 (n° 3255).

Nota quòd si Episcopus justè dubitans an violatum fuerit sepulchrum altaris, et falsæ reliquiæ in eo fuerint insertæ, ruperit ipse sigillum, et reliquias authenticè agnoscens, denuò in sepulchro reposuerit et sigillaverit, tunc, juxta Respons. S. Congr. Rit., 14 martii 1693, altare non indiget aliâ consecratione.

Reliquiæ quæ altari includuntur, 1° debent esse Martyrum, juxta Decis. 6 oct. 1837, et solùm permittitur, ut cum his SS. Confessorum reliquiæ uniantur, illorum præsertim in quorum honorem ecclesia vel altare dedicatur; 2° pars aliqua corporis reponenda est, non vestis tantùm, aut aliquid aliud hujusmodi; 3° plurium SS. reliquiæ sunt ponenda, ut verba celebrantis *quorum reliquiæ hîc sunt*, verificentur.

Ex Decreto S. Congr. Episcop. 10 nov. 1599, si sub altari vel sub ejus gradibus humata sint defunctorum cadavera, non est illîc celebranda missa, donec aliò transferantur; Croix tamen dicit quòd si cadavera sint humata profundè, in cellâ aliquâ sub alto fornice constructâ, non videtur prohibitum super hujusmodi altari dici missam, quia cadavera videntur satis separata ab altari, ut verba *quorum reliquiæ hîc sunt* non possint illa respicere.

659. *Triplici mappâ* altare, ut jam prænonuimus, debet esse coopertum: plures tamen dicunt quòd duæ mappæ sufficiant, vel unə duplicata; imò quidam id dicunt, etiamsi hæ duæ mappæ totum altare non tegant, quia, ut dicunt, sic habet usus; sed S. Liguor. cum aliis putat non esse recedendum à Rubricâ supra relatâ, et contrariam opinionem non esse tutam: probabiliter tamen aiunt Escobar et Roncaglia, etc., id non excedere culpam venia-

lem; celebrare autem sinè ullâ mappâ non excusatur à mortali.

Controvertitur an mappæ debeant necessariò esse benedictæ : sententia negans improbabilis non videtur sancto Liguorio, ob auctoritatem DD. qui sic sentiunt, præsertim Suarezii : sed, hoc non obstante, magis adhæret sententiæ oppositæ, ob rubricam supra relatam, vide tit. *De defect.*, n° 4; talis verò defectus non excedit culpam venialem : unde nullum videtur esse peccatum si in necessitate, puta si in die festo adhibeantur non benedictæ eò quòd benedictæ haberi nequeant; imò S. Liguorius putat minorem causam excusare, cùm à veniali excuset quævis causa rationabilis.

660. Quærit. An mappæ et corporalia necessariò ex lino sint conficienda?

Resp. Plures affirmare, et hoc probari posse ex cap. *Consulto* 46, *De Consec.*, dist. 1, ubi dicitur : « Sacrifi-« cium altaris, non in serico panno aut tincto, quisquam « celebrare præsumat, sed in *puro linteo*, ab Episcopo « consecrato, *scilicet lineo procreato* ». Vide etiam, c. 27, dist. 2, *De Consecrat.*

Plures è contra communissimè et probabiliùs dicunt sufficere ex cannabe, quia linum et cannabis, juxta communem usum, indifferenter sumuntur pro se invicem.

Decreto Pii VII, 15 maii 1819, prohibitum fuit uti corporalibus, pallis et purificatoriis ex gossypio confectis; quoad mappas autem, albas et amictus, illicitum est quidem, ex eodem Decreto, ea ex gossypio conficere, sed uti licet iis quæ tempore præfati Decreti jam confecta erant.

Ex rubricâ Missalis, corporale totum album esse debet : ex quo non videtur licere latinis uti corporali græcorum variis picturis tincto, quod ipsis locum tenet altaris portatilis, et vocatur *Antimensa*; illud latinis prohibuit Bened. XIV Constit. *Imposito nobis*; concessit tamen illius usum missionariis in ecclesiis Moscovitarum, si lapidem consecratum non haberent.

661. — II. *Vestes sacræ* : videlicet superpelliceum vel rochettum, amictus, alba, cingulum, manipulum, stola, casula seu planeta.

« 1° Certum est de præcepto benedici debere corporale, « amictum, albam, manipulum, stolam et casulam ex « communi sententiâ. *Rubr.* in *Rit. celebr. Missæ*, tit. 1, « n^is 1 et 2; et *De defect.* tit. X, n° 1 [1]. Licet autem quidam « censeant cingulum, pallam et mappas non debere bene- « dici, probabiliùs tamen est... de præcepto esse benedi- « cenda... (palla autem simul cum corporali benedici « debet ex rubricâ). 2° Dubitatur... an benedici debeat « pluviale, dalmatica, tunicella, superpelliceum et rochet- « tum : unde dicendum conveniens esse, quamvis non « necessarium, ut prædictæ vestes benedicantur. Purifica- « torium benedici non debet, juxta respons. S. R. C. 7 sept. « 1816, n° 4376...; item benedici non debent velum cali- « cis, bursa, antipendium et manutergium...

« Paramenta benedicenda sunt iis benedictionibus quæ « in fine Missalis assignantur, quæ sunt tres : prima, pro « indumentis sacerdotalibus in genere, quâ omnia benedi- « cuntur, exceptis mappis, pro quibus secunda, et excep- « tis corporalibus et pallis, pro quibus tertia assignatur. « Si pluviale, dalmatica, tunicella, superpelliceum, ro- « chettum benedicantur, adhibenda est benedictio prima, « absque ullâ mutatione et sinè nominatione rerum; eâdem « benedictione, sed tantùm simul cum aliis paramentis, « etiam benedici possunt, licet non debeant, velum cali- « cis, bursa et antipendium. » Ita De Herdt (pars 1, n° 54, I).

Sacræ vestes benedicendæ sunt ab Episcopo vel alio privilegium habente.

An Episcopi possint simplicibus sacerdotibus delegare facultatem benedicendi sacras vestes et sacra linteamina, diximus supra (464).

Vestes sacræ benedictionem suam amittunt seu execrantur quando suam formam perdunt, seu quando nequeunt ampliùs decenter ad sacras functiones adhiberi : v. g., si

[1] Hæc benedictio sub gravi obligat, juxta sententiam quam communem vocat S. Liguor.; excipit tamen amictum et cingulum, quorum benedictio probabiliter præcipitur tantùm sub veniali (Lib. 6, n° 377).

alba etiam unâ manicâ careat, si rumpatur cingulum et nulla pars sit sufficiens ad cingendum; secus, si una pars esset sufficiens : tuncque commodiùs connecti posset cum parte detractâ ; sed hoc fieri non posset si nulla pars esset sufficiens ad cingendum.

Generatim si vestes reficiantur paulatim, etiam adjectâ parte non benedictâ, benedictio non deperit : si autem unc actu addatur quid majus parte benedictâ, deperditur bene dictio, majore parte ad se minorem trahente.

Si verò deduplicaretur casula, duas habens facies duplicis coloris, ut modò serviret pro uno colore, modò pro alio, juxta rubricas, non ideò amitteret suam benedictionem, quia benedicta fuit pro utrâque facie, et per deduplicationem casula non amittit suam formam.

662. Quærit. 1° Quid sit faciendum de vestibus sacris ita usu detritis ut decenter ad sacras functiones adhiberi nequeant ?

Resp. Sic haberi in cap. 29, de consecrat., dist. 1 : « Altaris pallæ, cathedra, candelabrum et velum, si fue- « rint vetustate consumpta, incendio dentur... ; cineres « quoque eorum, in Baptisterium inferantur, ubi nullus « transitum habeat; aut in pariete, aut in fossis pavimen- « torum jactentur, ne introeuntium pedibus inquinentur ». Usu introductum fuit ut vasa ex metallo confecta, in fusionem redacta, deinde ad usus etiam profanos possint reduci; sed hoc non licet quoad alia divino cultui consecrata. Ex vestibus detritis nova paramenta confici possunt : v. g. ex albâ amictus, manutergia, etc.

Non autem prohibetur ut res antea ad usus profanos adhibitæ, postea ad sacros usus convertantur : ut casula, v. g., conficiatur ex veste sericâ muliebri : sic etiam templa falsorum deorum gentilium, v. g. Pantheon et templum Lucinæ, à SS. Pontificibus, in veri Dei templa mutata olim fuerunt.—Non decet tamen ut donatorum nomina et stemmata *(armoiries)* in locis apparentibus sacrarum vestium depingantur.

663. Quærit. 2° Ex quâ materiâ conficiendæ sint vestes sacræ ?

Resp. Supra diximus ex quâ materiâ debeant confici

mappæ, corporalia, pallæ et purificatoria ; quoad sacras vestes, generatim dici debet quòd ex quâcumque materiâ decenti confici possint, non tamen ex telâ lineâ, vel gossypio, etiam coloribus præscriptis depictis : Sacra enim Cong. Rit. consulta *num planetæ, stolæ, manipula possint confici ex telâ lineâ, vel gossypio vulgò* percale, *coloribus præscriptis tincta aut depicta :* sic respondit (23 sept. 1837, n° 4666) : « Serventur rubricæ et usus omnium « ecclesiarum quæ hujusmodi casulas non admittunt ».

Cingulum potest esse sericum et coloris paramentorum; sed, juxta præsentem Ecclesiæ usum, congruentius est quòd sit lineum et album. S. R. Congreg., 22 jan. 1701, n° 3426, et jun. 1709, n° 3660. Ex rubricâ Missalis, calix tegi debet pallâ lineâ *et velo serico.*

Extremitates albæ, rochetti, superpellicei, purificatorii, corporalis, pallæ et mapparum texto denticulato circumduci possunt ; sed in fimbriis et manicis albarum et aliarum vestium sub velo transparenti fundum rubrum mittere non licet. Ita S. R. Cong., 17 aug. 1833 (n° 4569 5) ; item in paramentis nigris nullæ imagines mortuorum, vel cruces albæ poni possunt : ita *Cærem. Episcop.*, lib. 1, c. XI, n° 1.

664. Quærit. 3° Cujus coloris esse debeant vestes sacræ ?

Resp. « Paramenta altaris, celebrantis et ministrorum « debent esse coloris convenientis officio et missæ diei, « secundùm usum Romanæ Ecclesiæ, quæ quinque colo- « ribus uti consuevit : *albo, rubeo, viridi, violaceo* et « *nigro.* » Ita rubrica : quâ excludi videntur cæteri colores.

Reverà plures auctores communiter admittunt colorem flavum posse adhiberi pro colore albo, rubro et viridi, non verò pro nigro et violaceo ; imò quidam putant colorem flavum omni colori æquivalere ; sed contra censuit S. R. Congreg., 23 sept. 1837 (n° 4666, *dub.* VIII, ad 1^m^) ; 12 nov. 1831 (n° 4520 54) ; 16 mart. 1833 (n° 4558 4) : in quâ ultimâ decisione dicitur non licere uti colore flavo, vel cæruleo, in sacrificio missæ et expositione SS. Sacramenti.

Paramenta unius coloris esse debent, vel saltem unus color in eis prævalere debet (S. R. Congr., 19 dec. 1829,

n° 4506; 12 nov. 1831, n° 4520 54; 7 apr. 1832, n° 4535 1) : in primâ tamen ex his decisionibus fit potestas Episcopo oratori indulgendi ut in ecclesiis pauperibus permittat uti paramentis diversi coloris donec consumantur. « Contra Rubricam agit, inquit De Herdt (*ibid.*, II 2), qui « casulâ albâ cum cruce rubeâ, et vice versâ, rubeâ cum « cruce albâ utitur pro colore albo aut rubeo, vel pro « utroque. »

In alienis ecclesiis, observanda sunt decreta S. R. Congr., 11 jun. 1701, et 7 maii 1746, ubi dicitur : « Sacerdotes « etiam regulares, diebus quibus officia recitant sub ritu « duplici, celebrantes in alienis ecclesiis, in quibus pera- « gitur festum cum solemnitate et concursu populi, debent « celebrare missas, conformando se ritui et colori earum- « dem ecclesiarum. In aliis verò diebus possunt se confor- « mare, sed non tenentur, nisi quando color fuerit dissi- « milis, quia non licet celebrare v. g., de Confessore cum « colore rubro, neque de Martyre cum colore albo. Si ta- « men in ecclesiâ in quâ celebratur, non prohibentur « missæ privatæ defunctorum, tunc nemo tenetur se uni- « formare, neque quoad colorem. » Eadem decreta fuêre 12 nov. 1831, his verbis: « Missam concordare debere cum « officio quod quis recitavit, dummodo cum colore eccle- « siæ in quâ celebrat, aptetur ». N° 4520.

In sacellis autem privatis, ubi nullum recitatur officium, sacerdos extraneus non tenetur attendere ad colorem localem, nisi esset dies festivus Patroni loci.

In diœcesibus autem in quibus non observantur colores à rubricis Missalis Romani præscripti, videtur quòd sacerdos extraneus possit se uniformare quoad colorem : iis diebus saltem quibus missæ votivæ prohibentur in dictis diœcesibus. Observat tamen D. Bouix (*Rev. des sciences ecclésiast.*, n° 1, p. 51) sacerdotem, liturgiâ romanâ utentem, non teneri se uniformare colori loci in quo viget illegitima liturgia, etsi possit se uniformare casu quo vestes sacræ debiti coloris sibi denegarentur.

Ex supra relatis decisionibus videtur esse concludendum colorem paramentorum esse de præcepto in missâ, quidquid dicant plures apud S. Liguor. (lib. 6, n° 378, *dub.* 5).

« Benè tamen censent Sporer et Quarti, inquit idem S. « Liguor., hanc rubricam non obligare sub gravi, nisi « scandalum adsit, puta si in die Paschatis..., vel in quâ- « cumque missâ festivâ..., celebraretur vestibus nigris. « Addit Sporer satius esse, quocumque die, facere sacrum « in quolibet colore, quàm illud omittere; hinc rectè dicit « à fortiori excusare omnem rationabilem causam, ut si « concursui sacerdotum non sufficerent vestes debiti colo- « ris. » Ex rationabili causâ licitum est uti colore violaceo in missis *De Requiem*.

665. *Nota* quòd vestes sacræ debeant assumi in sacristiâ; cum causâ tamen sacerdos potest se iis induere in altari, modò non ponantur in medio: hoc enim Episcopis, et iis qui speciale privilegium habent reservatur.

Observandum est insuper usum sacrarum vestium, albæ, dalmaticæ, pluvialis et similium non permitti laicis, licet regularibus. S. R. C. 19 martii 1659 (n° 1825 6), et 11 sept. 1847 (n° 4942); quoad superpelliceum, contrarium habet consuetudo ferè communis.

An tollendus sit usus rochetti ubi viget, et timendum est ne ejus sublatio turbas excitet? S. R. Congr. respondit, 27 febr. 1847: *Non esse inquietandos*.

666. III. *Vasa sacra*. Calix « debet esse aureus vel argen- « teus, vel saltem habere debet cuppam argenteam intus « inauratam ». Ita Rubrica: ob paupertatem vel persecutionem permittitur stanneus; admittunt etiam aliqui ex plumbo, et plures alii ex gemmâ quæ æquè pretiosa sit ac aurum vel argentum, modò species non imbibat, nec sit periculum ne effringatur; non autem æreus ob æruginem, neque vitrum ob fragilitatem, neque ligneus ob porositatem. Pes autem calicis potest esse ex quâlibet materiâ solidâ et mundâ.

Controvertitur an liceat celebrare in calice nunquam deaurato. — Probabiliùs autem videtur sancto Liguorio illud non eximi saltem à culpâ veniali, nisi paupertas excuset (*ibid.*, n° 370, *dub.* 3).

Patena debet esse ejusdem materiæ ac calix, et saltem ipsius pars concava debet pariter esse deaurata.

Certa materia præcepta esse non videtur quoad pixidem

seu ciborium, ostensorium, ipsiusque lunulam; juxta tamen *Rituale Roman.*, debet esse ex solidâ decentique materiâ, eâque mundâ. *Cæremoniale* autem *Episcopor.* (lib. 2, c. 30) vult ut pixidis cuppa sit aurea vel argentea, et intus deaurata; ob paupertatem, aut aliam causam justam, saltem sit ex stanno perpolito et intus deaurato: idem dicendum est de lunulâ ostensorii.

Tàm calix quàm patena debent esse consecrata, ritu scilicet et precibus ab Ecclesiâ præscriptis; nec sufficit quòd in illis, nondum consecratis, oblatum fuerit missæ sacrificium, quidquid plures dicant apud S. Lig. (lib. 6, n° 379): quia per contactum sacramenti non ideò res consecrantur, ut patet de pavimento, si quandoque ibi decidat hostia consecrata, vel sanguis pretiosus; et de ecclesiis ubi à longo tempore celebratum est, quæque tamen postea ab Episcopis consecrantur.

Episcopi jure proprio calices et patenas consecrant; sed nequeunt simplici sacerdoti, vel etiam Abbati hanc consecrationem committere.

Pixis quidem consecrari non debet, sed juxta sententiam, quam S. Liguor. (lib. 6, n° 385) putat probabiliorem, est benedicenda, prout etiam lunula ostensorii; quoad verò ipsum ostensorium decet saltem ut benedicatur; hæc autem tria benedici possunt ab iis qui habent facultatem sacra paramenta benedicendi.

667. Quærit. 1° Quandonam vasa sacra suam consecrationem aut benedictionem amittant?

Resp. Generatim id contingere quoties, per fractionem vel aliter, figuram aut formam essentialem sub quâ consecrata aut benedicta fuêre, amittunt, vel inutilia et inepta fiunt ad convenientem usum ad quem sunt consecrata vel benedicta.

Unde 1° calix amittit suam consecrationem, et pixis suam benedictionem, si in eorum fundo (non verò in parte superiori) fiat foramen quantumvis exiguum.

2° Idem dicendum quando vasa ita franguntur ut non ampliùs vel nonnisi indecenter, inservire possint, licet per breve tempus, imò etsi tunc reparentur. — Non autem amittitur consecratio per aliquos ictus à fabro inflictos

quibus vasa non deformantur, ut ineptè à vulgo fuit creditum.

3° Item quando cuppa separatur à pede, nisi calix aut pixis sit tornatilis; imò in hoc casu, si pes tornatilis frangeretur, calix suam consecrationem amitteret, etsi alius pes conficeretur.

4° Item quando calix de novo inauratur, quia non est consecrata superficies quæ sacras species immediatè tangit. Ita S. R. Congreg., 14 jun. 1845. Certum est autem calicem non amittere suam consecrationem si paululum decidat ipsius inauratio; quin imò probabilius est nec illam perdere, etsi per longum usum omnino deficiat: sed maximè decet ut tunc de novo deauretur.

Vasa autem sacra, uti et sacræ vestes suam non amittunt consecrationem aut benedictionem, si sacrilegè ad usus profanos adhibeantur.

668. Quærit. 2° Quibusnam liceat tangere vasa et linteamina sacra?

Resp. 1° Si actu contineant SS. Sacramentum, extra casum necessitatis seu periculum profanationis, nulli licet, etiam sub gravi illa tangere, etiam mediatè, præterquam sacerdoti aut diacono. Ita communiter.

2° Si sint vacua, tangi possunt, non solùm à sacerdotibus et clericis ordini sacro initiatis ac acolytis, juxta cap. *Non liceat*, 32, dist. 23 : « Non liceat cuilibet ministro « tangere, nisi subdiacono aut *acolyto*, in secretario vasa « dominica »; sed juxta plures et ex consuetudine, tangi possunt ab omnibus clericis, aut fratribus religiosis et monialibus. Sed hæc consuetudo non ubique viget, nec videtur existere in multis Galliæ diœcesibus.

Laicis autem non licet ea tangere, nisi in casu necessitatis vel ex licentiâ, aut nonnisi mediante velo : sed ex communi sententiâ, sub veniali tantùm hoc ipsis prohibetur. — Idem est dicendum de sacris linteaminibus.

Ante usum, tangi possunt à laicis ciborium, ostensorium ejusque lunula, etsi benedicta; imò ostensorium potest tangi post usum, quia sacras species immediatè non attingit; altaria autem et omnia quæ sacro chrismate consecrantur non possunt tangi à laicis. Mos est etiam ut agni

cerei à Papâ benedicti et reliquiæ nudâ manu non tangantur, nisi à viris Deo sacris, vel à sanctimonialibus dum eas in thecis collocant et adornant. Videtur tamen licitum laicis reliquias tangere.

In casu reparationis, vasa sacra tangi possunt ab operariis propter necessitatem.

Linteamina autem sacra, id est corporale, palla et purificatorium tangi possunt à laicis ante usum aut post lotionem, non verò post usum. — In Cap. *Nemo* 40, *De Cons.*, dist. 1, Clemens Papa duo statuit : 1^m^ ut sacræ pallæ tantùm à diaconis laventur; 2^m^ ut lotio mittatur in sacrarium. Cùm hodie subdiaconatûs ordo sit sacer, officium hoc nunc ad subdiaconos pertinet. Decisum fuit à S. Congr. Rit., 12 sept. 1857, ipsas moniales non posse, etiam cum licentiâ Ordinarii, abluere corporalia, pallas et purificatoria. Sed hæc quoad primam lotionem; quoad verò secundam vel tertiam, etsi decentiùs fiant à sacris ministris, nullum tamen est peccatum si à laicis.

669. — IV. *Corporale*, *Palla*, *Purificatorium*. Celebrans sinè corporali aut cum eo non benedicto excusari nequit à mortali, nisi gravis urgeat necessitas celebrandi.

Item graviter peccat qui utitur corporali notabiliter immundo; uti autem corporali aut paramentis non enormiter immundis, est solùm veniale, imò nullum peccatum si alia haberi non possunt : unde peregrinus excusari potest celebrando in eis per transitum; nec etiam esset mortale uti notabiliter immundo in necessitate, si omittendum esset sacrum de præcepto. Nec pariter licet uti corporali in quo esset foramen, quantumvis exiguum, in loco ubi reponitur hostia; imò volunt plures non ampliùs posse adhiberi hujusmodi corporalia, sed de hoc ultimo nullum potui deprehendere decretum prohibens.

Palla erat olim ipsummet corporale quatenus replicabatur super calicem : unde eamdem habet benedictionem et pro eodem servire posset si sat capax esset. Potest autem esse intus cartana, sed à parte superiori et inferiori lino seu cannabe circumduci debet, non *drappo deaurato vel serico*, uti fuit prohibitum à S. R. Congr., 27 aug. 1707; attamen hoc tolerari potest ex Decis. ejusd. Congr. 10 jan.

1852, in quâ dicitur : « An, non obstantibus Decretis S. R. « Congr. editis, uti liceat pallâ *à parte superiori* panno « serico coopertâ? — Ad 1^um^ permitti posse, dummodo « palla linea subnexa calicem cooperiat, ac pannus supe- « rior non sit nigri coloris, aut referat aliqua mortis « signa. »

Controvertitur an sit mortale celebrare sinè pallâ, aut cum eâ non benedictâ; si verò palla desit, aut per quadrantem sit expectanda, poterit ejus loco adhiberi aliud corporale, aut, eo deficiente, purificatorium vel bursa.

670. — V. *Missale* sub gravi requiritur canonem saltem continens : tabella autem secretorum non requiritur ex præcepto, sed ad majorem tantùm commoditatem; media tamen tabella à rubricâ præscribitur : sed, juxta De Herdt, quæ in rubricâ præscribuntur de tabellâ, cussino, campanulâ, ampullis, manutergio, sunt pro instructione et non de præcepto.

Sacerdos ritûs romani graviter peccaret utendo *Missali* locorum quà transit; ita S. R. Cong., 19 nov. 1622 : hoc tamen intelligitur si suum ritum possit servare; alioquin uti potest ritu et Missali diœcesis in quâ reperitur.

Olim missalia habentia in canone : *Pro Rege nostro N...* erant interdicta : sed hodiè sinè scrupulo adhiberi possunt ob consuetudinem, juxta S. Liguor. (lib. 6, n° 390). In Galliâ licet nominare Imperatorem in canone, ex Decreto S. R. Congr. 10 sept. 1857, antiquum Galliæ usum approbante; non ideò tamen licet imprimere in canone Missalis *Pro Rege nostro N...*; nec etiam *Pro Imperatore.*

Quærit. An unquam liceat celebrare sinè Missali?

Resp. Quosdam negare ob periculum errandi, etsi quis firmiter sciret memoriter quæ sunt dicenda : sententia tamen communissima affirmat, casu quo Missale deficit, et ob præteritum experimentum, scitur abesse morale periculum errandi.

Hinc probabiliter infertur licitè celebrare posse sacerdotem, qui ob visûs debilitatem memoriter missam recitat, modò discernat calicem et hostiam quantùm sufficit ad evitandam irreverentiam, et habeat Missale vel alium librum in altari, ad notam effugiendam.

671. — VI. *Crucifixus*. De eo sic habet Bened. XIV, Decret. *Accepimus*, 16 julii 1746 : « Nullo modo patiamini « rem divinam fieri.., nisi Crucifixus inter candelabra ita « promineat, ut sacerdos celebrans ac populus sacrificio « assistens eumdem Crucifixum facilè et commodè intueri « possint; quod evenire nequit, si exigua solùm crux « minori tabulæ defixa fidelibus exhibeatur. »

Imago autem Crucifixi non requiritur cum tanto rigore ac crux, quæ jam in mentem revocat sacrificii cruenti memoriam : imò, quidquid dicant nonnulli, juxta communissimam sententiam, ipsamet crux sub gravi non requiritur; unde ex rationabili causâ potest sinè eâ missa celebrari.

Ex *Cæremoniali Episcoporum* (lib. 1, c. 12) in altari, in quo adest magna statua SS. Crucifixi, non est necesse ut ponatur alia crux dum celebratur missa; idque confirmatum fuit per Decretum S. Congreg. Rit., 16 junii 1663 : et idem esse dicendum de imagine Crucifixi depictâ plures aiunt ex Decreto S. Congr. : attamen « crux parva cum « imagine Crucifixi super tabernaculum in quo asservatur « SS. Sacramentum in altari, non est sufficiens in missâ, « sed poni debet alia crux in medio candelabrorum. » Ita S. Congreg., 16 jun. 1663. Nec crux nec imagines sunt necessariò benedicendæ, juxta Decret. S. C. 12 jul. 1704.

Ex Decis. S. R. Congreg. 12 sept. 1857, ad 11^m^, « tole- « rari nequit ut, tempore missæ et officiorum, candelabra « altaris, ne pulvere sordescant, aliquo drappo vel telâ « permaneant vestita : imò ipsa crux eodem modo invol- « vatur, positâ aliâ cruce minore pro cruce altaris pretio- « siori sic obtectâ. »

672. — VII. *Lumen*. In Rubricâ, p. 1, tit. 20, sic habetur : « Super altare collocentur candelabra saltem duo, « candelis accensis, hinc et indè, in utroque latere. » Certum est apud omnes mortale esse celebrare sinè ullo lumine, ut constat ex cap. *Litteras* ult., *De celebrat. missæ*, ubi in perpetuum deponi jubetur sacerdos qui sinè *igne* et *aquâ* sacrificabat; et hoc, etsi urgeret necessitas ministrandi viaticum; ita communiter. — Attamen si post consecrationem deficiat lumen, nec candelæ possint reac-

cendi, aut nonnisi post quadrantem, meliùs est pergere : quia continuatio missæ ad unitatem sacrificii pertinet. — Quidam autem dicunt posse absque peccato recitari evangelium S. Joannis, extincto lumine ; sed probabiliùs candelæ non debent extingui nisi post hoc Evangelium.

Celebrare cum unico lumine cereo est tantùm veniale, juxta communiorem et probabiliorem sententiam : à quo peccato excusat, secluso scandalo, quæcumque causa rationabilis, et etiam sola devotio.

Non esse licitum, etiam Vicariis Generalibus, celebrare missas privatas cum quatuor candelis ; ita ex Declar. S. Congr., 7 aug. 1627. Solis autem Cardinalibus, Episcopis et Abbatibus usum Pontificalium habentibus (et his ultimis solùm cùm in Pontificalibus celebrant) hoc licet, ex Decreto 9 febr. 1675. — Usus tamen invaluit in Galliâ, ut quædam missæ privatæ, diebus festis, cum certâ solemnitate, ideoque cum quatuor aut pluribus candelis celebrentur; hocque legitimatum fuit ex Declarat. S. Rit. Congreg., 12 sept. 1857, ubi, ad 7 et 9, sic respondetur : « Servanda esse quidem Decreta quoad missas strictè privatas : sed quoad missas parochiales vel similes, diebus « solemnioribus, et quoad missas quæ celebrantur loco « solemnis aut cantatæ, occasione realis atque usitatæ « celebritatis et solemnitatis, tolerari posse duos ministros « missæ inservientes, servatis ordinationibus S. C. in « *Tuden.*, ad 11 et 12, et sub die 7 sept. 1816. » Et idem dicitur ad quæsitum de quatuor candelis. Missa conventualis, licet non cantata, privata non censetur ; et ideò adhiberi possunt in eâ duo ministri et plures candelæ, præsertim in festis majoribus.

Communiter DD. docent esse mortale, celebrare cum lumine ex sebo vel oleo, ob indecentiam : nisi ex necessitate, ut plures communiter tenent, secluso scandalo, ad communicandum, v. g. infirmum, vel ad implendum præceptum missam audiendi ; non sufficit autem sola devotio, etsi aliud lumen haberi nequeat ; sufficeret autem, juxta D. Richaudeau, ratio tentationem superandi, vel lucrandi honorarium necessarium pro victu.

S. R. Congreg. ex diœcesi Divionensi consulta, an liceat

uti candelis dictis *stearines* respondit, 7 sept. 1850 : *Nihil innovetur.*

Nota quòd candelæ, non tantùm in sacrificio missæ, sed etiam in expositione SS. Sacramenti, aut quæ benedicuntur in festo Purificationis, et pro Cereo paschali, ex cerâ esse debeant; aliæ tamen quæ, ultra determinatum numerum, quando plures permittuntur, accenduntur ad augendam solemnitatem, convenienter quidem, non tamen necessariò ex cerâ, sed etiam ex aliâ materiâ decenter compositâ, esse possunt. Vide Gardellini, in *Instr. Clem.*, § 6, n° 2.

Pro missis solemnibus, numerus candelarum non determinatur. De Herdt (pars 1, n° 69) deducit ex Rubricâ incensationis sex esse accendendas; quatuor tamen in missis minus solemnibus adhiberi solent, et plures quàm sex etiam accendi possunt.

Quando verò exponitur SS. Sacramentum, ad minus sex candelæ cereæ sunt accendendæ ex Decreto S. R. Congr. 15 martii 1698.

673. — VIII. *Antipendium* seu pallium requiritur, ut anterior pars altaris decenter ornetur, nisi altare per modum tumbæ confectum sit; ita enim se habet Rubrica : « Altare *pallio* quoque ornetur coloris, quoad fieri potest, « diei festo vel officio convenientis. »

674. — IX. *Tabernaculum* requiritur si Eucharistia in altari servetur : sic enim habet *Rituale Romanum* : « Curare... debet (parochus) ut perpetuò aliquot partículæ consecratæ, eo numero qui usui infirmorum et « aliorum fidelium communioni satis esse possit, conserventur in pixide ex solidâ decentique materiâ, eâque « mundâ et suo operculo benè clausâ, albo velo coopertâ, « et quantùm res feret, ornato in *tabernaculo clave obserato.*

« Hoc autem tabernaculum conopeo decenter opertum, « atque ab omni aliâ re vacuum, in altari majori vel in « alio quod venerationi et cultui tanti Sacramenti commodiùs ac decentiùs videatur, sit collocatum, ita ut nullum aliis sacris functionibus, aut ecclesiasticis officiis « impedimentum afferatur. »

In Cathedralibus, tabernaculum SS. Sacramenti non debet esse in majori altari, propter functiones pontificales, quæ fiunt versis renibus ad altare. Econtra in ecclesiis parochialibus aut regularibus, in altari majori regulariter esse debet, tanquam digniori. S. Congr. Episc., 10 febr. 1579, et 29 nov. 1594.

Regulariter tabernaculum debet esse ligneum ad majorem siccitatem, extra deauratum; intus verò panno serico decenter contectum (S. Congr. Episc., 26 oct. 1575). Non tamen, inhibetur illud confici ex nobiliori materiâ solidâ, v. g., marmoreâ, intus auro vel argento vestitâ, aut saltem pannis sericis albi coloris.

In summitate tabernaculi crux est collocanda, quæ parva esse debet si conopeo cooperiatur (Gardell. in decis. 4428, 6); ante illud poni non debet vas florum aut theca reliquiarum vel quid simile (S. R. Congr., 22 jan. 1701 nº 1426, 10, 6 sept. 1845); sed poni debent in humiliori et decentiori loco; neque superponi possunt imagines aut reliquiæ Sanctorum.

Debet esse benè nitidum, mundum et vacuum ab omni aliâ re.

Debet esse benè clausum, opertum conopeo coloris convenientis (S. C. R. 21 jul. 1855). Color autem potest esse vel albus, vel idem ac paramentorum in die adhibitorum, et confici potest etiam ex gossypio, vel lanâ, vel cannabe.

Benedictum esse debet tabernaculum: quod tamen negatur à Cavalieri.

Baldachinum poni debet supra altaria, nisi adsit fornix desuper; et Canonici cogi possunt ab Episcopo ad illud ponendum supra altare majus.

675. — X. *Minister*. Certum est apud omnes requiri sub mortali ministrum in celebratione missæ; constat ex cap. *Proposuit* 6, *De filiis presbyt.*, ubi dicitur : « Non enim « solus presbyter missarum solemnia potest sinè ministri « suffragio celebrare. » Excipitur communiter si esset necessitas ministrandi Viaticum ; si populus deberet audire missam *de præcepto* ; imò juxta Diana, si ipse celebrans debeat eam audire *de præcepto* ; item si, cœptâ missâ,

maximè si, factâ oblatione, minister abscesserit et de brevi non sit reversurus, probabiliter est licitum pergere. Ita plures.

Probabiliter etiam dicunt Salamantic. quòd celebrans non debeat facere scrupulum, si minister malè pronuntiet; nec facilè corrigat errores, ne turbet seipsum vel circumstantes, vel ordinem missæ : quamvis moneat Croix cum Gobat, quòd celebrans suppleat omissa à ministro. Rationabiliter advertit Lugo minorem necessitatem sufficere ad celebrandum cum ministro nesciente respondere, quàm sinè ministro. In hoc casu sibi ipsi sacerdos respondere potest.

In missâ privatâ unicus minister esse debet, etiamsi missa celebretur ab Abbate aut à Prælatis Episcopo inferioribus, non obstante cap. 61, *De consecr.*, dist. 1, qui intelligitur de missâ solemni.

Minister debet esse masculus, ita quidem ut femina, licet etiam sanctimonialis, nunquam ministrare possit; et, urgente necessitate, satius sit celebrare sinè ministro quàm cum feminâ ministrante; urgente tamen necessitate, si masculus deserviens haberi non possit, potest femina, maximè si sit sanctimonialis, longè ab altari respondere, sacerdote sibi ipsi vinum et aquam ministrante ac librum transferente, juxta Decisionem S. R. Congreg. 27 aug. 1836.

Communiter negatur esse mortale quòd mulieres respondeant sacerdoti celebranti, modò immediatè altari non ministrent.

676. — XI. *Nudatio capitis.* Certum est illicitum esse capite cooperto celebrare; constat ex can. *Nullus*, *De consecr.*, dist. 1, et prohibitione Urbani VIII Missali insertâ : « Nemo audeat uti pileolo in celebratione missarum, sinè « expressâ licentiâ Sedis Apostolicæ, non obstante quâ- « cumque contrariâ consuetudine. »

Controvertitur autem utrum sub peccato mortali prohibeatur uti pileolo; sed non improbabiliter plures distinguunt et dicunt esse mortale celebrare totam missam cooperto capite, secus si usque ad Canonem, seclusis contemptu et scandalo : et in hoc posteriori sensu, probabile est nullum esse peccatum si fiat ex rationabili causâ, in

loco privato, vel si causa sit astantibus nota, nempe sacerdotis senectus, infirmitas, loci frigus.

Facultas autem concedendi usum pileoli in missâ spectat ad Papam, juxta decis. S. R. C., 24 apr. 1626; et Decretum Urbani VIII modò relatum. Potest autem Episcopus hanc licentiam dare Canonicis in choro (Gard., 3293), vel etiam aliis sacerdotibus tempore missæ usque ad Præfationem; contradicit tamen Bened. XIV (*De Sacrific.*, lib. 1, c. IX, 3).

677. Quærit. An liceat uti comâ fictitiâ in celebratione Missæ ?

Resp. Affirmare Pasqualigum, Theoph. Reginaldum : « Attamen, inquit Bened. XIV, certum est Reginaldum et « Pasqualigum falli, et Card. Grimaldum (Archiep. Aquen- « sem, qui sacerdoti cuidam licentiam concesserat mis- « sam celebrandi cum comâ supposititi â) suæ potestatis « limites prætergressum. Etenim nemo... inficiari potest « per fictum capillitium sacerdotis caput cooperiri; in al- « tari autem cooperto capite ministrare, ne Episcopo qui- « dem permittendum statuit Zacharias Papa in Concilio « Romano anni 744, c. 13 : cuilibet verò compertum est « non posse Episcopum relaxare legem à Superiore latam, « neque alteri illam licentiam impertiri quam sibimet « ipsi concedere nequit... Cùmque in Congregatione par- « ticulari ab Alexandro VIII anno 1690... fuerit speciatim « discussus articulus.., an *pileoli* nomine comprehendatur « etiam coma supposititia.. Responsum fuit : *Comprehendi*.. « In cujus Decreti sequelam Innocent. XII.... locorum « Ordinarios moneri jussit, ne quemquam permitterent, « sinè Apostolicæ Sedis privilegio, cum adulterino capi- « litio sacrosanctum peragere missæ Sacrificium ». (*De Syn.*, lib. 11, cap. 9, V.)

Observat autem Bened. XIV (*Inst.* 34) non omnino prohiberi, etiam in missâ, usum coronæ capillitii quâ tonsura non velatur. Hic quidem usus prohibitus fuerat à Concil. Romano sub Bened. XIII; sed ipsius Decreta vim non habent obligandi extra Romanam Provinciam.

678. — XII. *Pedibus calceati*, et *veste talari induti*. De hoc sic habet Rubrica : « Sacerdos celebraturus... accedit

« ad paramenta... ubi *calceatus pedibus* et indutus vestibus « sibi convenientibus, quarum exterior saltem *talum pedis* « attingat, induit se, etc. » Sufficit autem ut celebrans sit calceatus crepidis, vulgò *pantoufles*.

Celebrare nudis pedibus, absque contemptu, quamvis sinè causâ, non excedit veniale, juxta communem sententiam; cum causâ autem nullum est peccatum. In multis locis, sub pœnâ suspensionis, etiam ipso facto incurrendæ, præcipitur celebrare cum veste talari nigri coloris.

ART. II.

DE EXPOSITIONE ET BENEDICTIONE SS. SACRAMENTI.

679. Quæstio an frequentes esse possint Sanctissimi Sacramenti expositiones, indecisa relinquitur etiam à Bened. XIV. Ex variis autem Decretis, et imprimis ex Decreto Bened. XIV, 16 apr. 1746, *non licet exponere publicè divinam Eucharistiam, nisi causa publica et Episcopi facultas intervenerit.*

Unde certum videtur, inquit S. Liguor. (lib. 6, n° 424), non licere exponere SS. Sacramentum, ob litis victoriam, ob valetudinem alicujus, nisi sit persona publica cujus salus communitatis bono expediat; liceret tamen ad publicam devotionem promovendam, etiam erga defunctos, v. g., per Octavam Commemorationis Omnium Fidelium defunctorum. In hoc autem spectandum est an, in locis in quibus fit expositio, cultus SS. Sacramenti et devotio augeantur vel minuantur : laudari enim debet illa expositio si exinde boni fructus proveniant, modò non sit nimis frequens, quia ex illâ nimiâ frequentiâ reverentia erga tantum Sacramentum certè minueretur. Non approbatur à pluribus quòd in festis, totâ die, SS. Sacramentum exponatur, quia hoc retraheret à recordatione Mysterii vel Sancti de quo festum celebratur (Bened. XIV, *Inst.* 30, n° 15). Non reprobatur tamen quòd in festis SS. Sacramentum expositum sit per totum Vesperarum officium.

Notandum est hîc Decretum S. C. Episcop. et Regul. 9 decembr. 1602 : « Si quandocumque, *privatâ ex causâ*, « Sacrosancta Eucharistia exponenda videbitur, à taber-

« naculo nunquam extrahatur, sed, pixide velatâ, in aperto « ejusdem tabernaculi ostiolo, cum assistentiâ alicujus « sacerdotis stolâ et superpelliceo induti, et cum sex saltem « luminibus cereis collocetur; quod idem in ecclesiis sæ- « cularium servari mandamus ».

Pro hujusmodi expositionibus non est necessariò obtinenda licentia, modò benedictio cum SS. Sacramento non detur antequam obseratur tabernaculum.

Notandum etiam quòd, ex Decreto Innocentii XIII, 1 sept. 1730, prohibentur apponi statuæ, reliquiæ, ac imagines animarum Purgatorii in altari ubi fit expositio, sed poni possunt angeli adoratores.

In altari in quo SS. Sacramentum est expositum, non licet cantare vel celebrare missam, nisi pro eo reponendo; aut nisi desint alia altaria in quibus celebrari possit, et celebrandi occurrat necessitas, vel saltem causa rationabilis, ut præceptum audiendi missam, vel ne sacramentum sinè adoratoribus relinquatur, vel longæva adsit consuetudo difficillimè sinè offensione abrumpenda (S. R. C., aug. 1670, n° 2356; 13 jun. 1671, n° 2390 6; Gardellini, *In Instr.* Clement., § 12, n^is 1-7) : ratio hujus prohibitionis est ut populus adorationi SS. unicè sit intentus. (Decet autem ut SS. Sacramentum exponatur in majori altari.) Idem dic de communione, quæ non est danda in altari ubi SS. exponitur, ex decisione S. R. Congr., 12 nov. 1831.

In omni missâ cantatâ coram SS. Sacramento exposito etiam in pixide tantùm, debet ultimo loco poni Oratio SS. Sacramenti : in festis autem 1 et 2 classis, dicitur sub unicâ conclusione (S. R. C., 23 jun. 1756, 7 maii 1746). Si in Festis hujusmodi occurrat commemoratio Dominicæ vel alia, Oratio de SS. Sacramento dicitur ultimo loco, et commemorationi jungitur (S. R. C., 30 martii 1761). In missis privatis commemoratio SS. Sacramenti fit ad libitum.

« In benedicendo populum cum SS. Sacramento, cele- « brans nihil dicere, cantores et musici nihil quoque « canere interim debent, ad præscriptum *Ritual. Roman.* « et *Cærem. Episcop.*, non obstante quâcumque contrariâ « consuetudine. » S. Rit. C., febr. 1762, n° 4159.

Produci debet à simplici sacerdote unicum crucis signum

in benedictione cum SS. Sacramento; tria verò producuntur ab Episcopis.

Ex *Cæremoniali Episcop.* et *Rituali Romano*, una tantùm benedictio est danda cum SS. Sacramento in ipsius processione, scilicet in fine. Ita S. R. C., 11 maii 1652, et 19 jul. 1687. — Attamen eadem S. Congr. 23 sept. 1820, in *Volater.*, respondit, in ecclesiis vel altaribus per viam, cum SS. Sacramento dandi benedictionem « vetus-« tissimam consuetudinem tolerari posse, eo tamen modo « ut saltem servetur regula *Cæremonialis* quòd non toties « pausatio fiat et benedictio elargiatur quoties altaria « occurrunt, sed semel vel iterum ».

680. Quæsitum fuit : « An unica tantùm Oratio de « SS. Sacramento dicenda sit (post *Tantum ergo*, ante « benedictionem), vel addi possit aliqua Collecta, nempe « Principis, etc.?— Responsum fuit : *Affirmativè*, in Ora-« tione 40 Horar. et Dupl. 1 et 2 classis; *Negativè* verò, in « Festo et per Octavam SS. Corporis Christi » 22 sept. 1837. Refertur adhuc sequens Decretum S. R. C. 20 aug. 1860, pro Episcopo Mimatensi : « Cum Amplitudo Tua ab hâc Sede « declarari petierit utrum in benedictione SS. Sacramenti, « dum ante *Tantum ergo* præmittuntur quædam antiphonæ « vel hymni, vel litaniæ, his etiam adjungi continuò pos-« sint singuli singulis respondentes versiculi cum Oratio-« nibus propriis, ante prædictam strophem hymni *Pange* « *lingua*? — S. R. Congr. respondendum censuit : *Præ-« scriptionem et methodum precum in casu pendere ab Epis-« copi arbitrio.* »

Scholium. — *De Lampade.*

681. Lampas perpetuò collucere debet ante SS. Sacramentum (*Rit. Roman.*), nec in hoc videntur unquam dispensasse S. Congregationes Romanæ.

« Si ob graviter culpabilem negligentiam parochi, vel « ejus cui ista cura commissa est, integro die vel aliquot « integris noctibus, lumen non ardeat ante Venerabile Sa-« cramentum, peccare eum mortaliter docent Quinta, etc. » Ita Busemb., ap. S. Liguor., lib. 6, n° 248.

Hæc lampas ponenda est in medio ante tabernaculum,

non autem supra valvas ecclesiæ, aut in loco laterali (S. R. Congr., 22 aug., n° 3376), ut ingredientes advertant locum ubi adorare debeant.

Oleum quo nutritur lampas debet esse ex olivis, saltem si haberi possit, et facultates suppetant. Si secus, remittendum prudentiæ episcoporum ut lampades nutriantur ex aliis oleis, in quantum fieri possit vegetalibus, censuit S. R. C., 9 jul. 1864.

CAPUT II.

DE POENITENTIA.

Pertractabimus duntaxat quæstiones de confessione complicis, et de confessariis ad turpia sollicitantibus.

ART. I.

DE SANCITIS A BENED. XIV, CIRCA CONFESSIONEM COMPLICIS.

682. Duo Decreta edidit Bened. XIV, unum 1 junii 1741, incipiens *Sacramentum Pœnitentiæ*, alterum 8 febr. 1745, incip. *Apostolici muneris*, quibus sancivit confessarium omni carere jurisdictione ad absolvendum peccatum turpe complicis contra sextum decalogi præceptum, atque excommunicationem papalem incurrere si confessionem complicis excipiat; excipitur casus extremæ necessitatis, nimirum articuli mortis, modò deficiat quicumque alius sacerdos, etiam non approbatus, qui absolutionem impertiri possit, nisi ille nequiret vocari vel accedere sinè gravi infamiâ aut scandalo; tenetur tamen confessarius complex talia pericula infamiæ aut scandali avertere, si potest, et id sub eâdem pœnâ excommunicationis; licet tunc validè absolveret, si non averteret, et hoc est intelligendum juxta P. Gury de peccato ante sacerdotii susceptionem commisso. (*Casus conscientiæ*, t. 2, n° 638). Attamen, nec in istis Constitutionibus, nec in jure communi, peccatum præfatum est reservatum pro confessariis non complicibus.

1° Nomine *peccati turpis* venit omne peccatum externum grave, contra sextum Decalogi præceptum, v. g. *tactus, colloquium*, etc., etiam cum personâ ejusdem sexûs:

in hoc quidem aliqui dissentiunt, et volunt intelligere tantùm de copulâ consummatâ, sed immeritò juxta S. Liguorium, lib. 6, nº 554.

2º Absolutio nulla omninò videtur, etiam quoad cætera peccata mortalia quorum complex nondùm fuit ab aliis absolutus : hoc infertur ex his Bullæ vocibus : « *Atque « ideò absolutio nulla atque irrita omninò sit.* » Secus verò si de peccato turpi jam fuerit absolutus : quia tunc cessat indispositionis suspicio, ob quam Pontifex videtur abstulisse jurisdictionem.

Peti potest an incurrat excommunicationem sacerdos qui non absolvit complicem, sed tantùm in confessione audit? Respondendum videtur negativè, juxta S. Liguor., lib. 6, nº 556.

Quæri etiam potest an in articulo mortis absolvi valeat pœnitens à suo complice, si alteri confiteri recuset. — Affirmat Gury cum Enim. Gousset, si talis pœnitens aliunde sit dispositus.—De complicis absolutione V. C. *Ap. Sed.* 10ª.

ART. II.

DE CONFESSARIIS SOLLICITANTIBUS.

683. In citatâ Constit. *Sacramentum Pœnitentiæ* sic habet Bened. XIV : « Dudum quidem à felicis record. Gre« gor. XV..., per suas litteras in formâ Brevium... 30 aug. « 1622..., sapienter provisum fuit contra quoscumque sa« cerdotes audiendis confessionibus deputatos, ad turpia « et inhonesta sollicitantes : et deinceps... à Congregatione « Vener... S. R. E. Cardin. adversùs hæreticam pravita« tem... Inquisitorum 11 febr. 1661, prodierunt Decreta... « Nos itaque... omnia et singula decreta prædicta... ap« probamus et confirmamus... , atque quatenus opus sit « denuò committimus... omnibus locorum Ordinariis..., « in suis respectivè diœcesibus, ut diligenter inquirant et « procedant contra omnes et singulos sacerdotes, tàm sæ« culares quàm regulares quomodolibet exemptos..., qui « aliquem pœnitentem, quæcumque persona illa sit, vel « in actu sacramentalis confessionis, vel ante, vel imme« diatè post confessionem, vel occasione, vel prætextu con·

« fessionis , vel etiam extra occasionem confessionis in « confessionali, sive in alio loco ad confessiones audiendas « destinato aut electo, simulatione audiendi ibidem con- « fessionem , ad inhonesta et turpia sollicitare , vel provo- « care, sive verbis, sive signis , sive nutibus , sive tactu , « sive per scripturam aut tunc aut post legendam , tenta- « verint, aut cum eis illicitos et inhonestos sermones , vel « tractatus temerario ausu habuerint [1] ; et quos... culpabi- « les repererint, in eos pro criminum qualitate... , severè « animadvertant per condignas pœnas, juxta memoratam « Gregorii... Constitutionem..., dantes etiam... facultа- « tem, ne delictum tàm enorme... remaneat, ob probatio- « num defectum , impunitum..., procedendi cum testibus « etiam singularibus, dummodo præsumptiones, indicia et « alia adminicula concurrant.

« Meminerint præterea omnes et singuli sacerdotes ad « confessiones audiendas constituti , teneri se ac obligari, « suos pœnitentes , quos noverint ab aliis fuisse, ut supra, « sollicitatos, sedulò monere, juxta occurrentium casuum « circumstantias, de obligatione denuntiandi... locorum « Ordinariis prædictis, personam quæ sollicitationem com- « miserit, etiamsi sacerdos sit qui jurisdictione ad absolu- « tionem validè impertiendam careat, aut sollicitatio inter « confessarium et pœnitentem mutua fuerit, sive solli- « tationi pœnitens consenserit, sive consensum minimè « præstiterit, vel longum tempus post ipsam sollicitatio- « nem jam effluxerit, aut sollicitatio à confessario, non « pro seipso , sed pro aliâ personâ peracta fuerit. Caveant « insuper diligenter confessarii ne pœnitentibus, quos no- « verint jam ab alio sollicitatos, sacramentalem absolutio- « nem impertiant, nisi priùs denuntiationem prædictam « ad effectum perducentes, delinquentem indicaverint com- « petenti judici, vel saltem se, cùm primùm poterunt, dela- « turos spondeant, ac promittant. »

Paulò post adjicitur contra eos qui innocentes sacerdo- tes calumniarent : « ... Quæcumque persona quæ execra-

[1] Quomodo sint intelligendæ illæ variæ formulæ, vide expensum ap. S. Liguor., lib. 6, nis 676-680.

« bili hujusmodi flagitio se inquinaverit, vel per seipsam « innocentes confessarios impiè calumniando, vel scelestè « procurando ut id ab aliis fiat, à quocumque sacerdote « quovis privilegio, auctoritate et dignitate munito, præ- « terquam à Nobis, Nostrisque Successoribus, nisi in fine « vitæ et excepto mortis articulo, spe absolutionis obti- « nendæ, quam Nobis et Successoribus... reservamus, « perpetuò careat. »

In edicto autem Generalis inquisitionis 10 martii 1677, imponitur excommunicatio latæ sententiæ in non denuntiantes, infra mensem, omnes de hæresi suspectos, inter quos enumerantur confessarii sollicitantes ad turpia.

684. Quamvis, ex edicto præfato S. Congr. Inquisit. excommunicatio non sit absolutè reservata, ab eâ tamen pœnitentes non possunt absolvi, nisi priùs factâ denuntiatione, saltem quando justam non habent causam illam differendi. De dictâ excomm. V. C. *Apost. Sedis.*

In Bullâ *In generali Congregatione*, hæc insuper sancivit Bened. XIV : « In posterùm, sacerdotes tàm sæculares « quàm regulares cujuscumque Ordinis.., vel in actu sa- « cramentalis Confessionis, sive illius occasione aut præ- « textu, ad turpia sollicitantes, vel sacrificio missæ abuten- « tes ad sortilegia, præter pœnas à jure, etc... contra eos- « dem inflictas, perpetuam etiam inhabilitatem incurrant « ad præfati sacrificii celebrationem. »

Circa prælaudatas Constitutiones duo sunt expendenda:

685. Quærit. 1° Quinam sollicitantes sint denuntiandi?

1° Controvertitur an sit denuntiandus confessarius consentiens mulieri sollicitanti in confessione : unde, re dubiâ exstante, juxta S. Liguor. (*ibid.*, n° 680), pœnitens obligandus non est ad denuntiandum ; sed, inquit P. Gury (*Casus conscientiæ*, t. 2, n° 653), « obstat decisio S. Off. « (11 febr. « 1661) interpretans Const. Gregorii XV, et confirmata à « Bened. XIV, quæ statuit hujusmodi sacerdotem esse de- « nuntiandum. » Item obstat *Instr.* S. Inq. 20 febr. 1867.

686. 2° Juxta communissimam et probabiliorem sententiam denuntiandus est tantùm confessarius qui ad turpia sollicitat, non verò si ad alia sollicitet peccata : hoc qui-

dem ex vi præfatarum Constitutionum, nam ex jure naturali aliud est dicendum.

3° Etsi plures negent, meliùs tamen affirmatur in his Decretis comprehendendos esse etiam Episcopos et alios Prælatos. (S. Liguor., *ibid.*, n° 685.)

687. — 4° Controvertitur utrum sit denuntiandus confessarius sollicitans, qui signa veræ emendationis ostendit : hunc esse etiam denuntiandum absolutè probabilius judicat S. Liguor., *ibid.*, n° 686.

688.— 5° Item longè probabilius habet S. Liguor. (*ibid.*, n° 687), contra nonnullos, denuntiandum esse confessarium qui de sollicitatione jam fuerit satis convictus et punitus; si verò non fuisset jam plenè convictus, vel si iterum deliquisset, certò esset denuntiandus.

689. — 6° Laicus se confessarium simulans non esset quidem denuntiandus ex supra dictis Constitutionibus si sollicitaret, sed denuntiari deberet ex Const. Gregorii XIII, ubi denuntiari jubetur quicumque non sacerdos, qui confessiones audit sacramentaliter : etsi non daret absolutionem, juxta edictum S. Inquisitionis Generalis.

690. — 7° Probabiliùs denuntiandi non sunt confessarii sollicitantes, qui jam è vitâ migraverint.

8° Casu quo dubitatur an dictum vel factum fuerit vera sollicitatio, confessarius non est denuntiandus.

691. Quærit. 2° Quinam ad denuntiandum sollicitantes teneantur?

Resp. Ad id tenentur regulariter omnes pœnitentes sollicitati, etsi consenserint sollicitationi, ut constat ex Bullâ supra relatâ Bened. XIV *Sacramentum*; nec possunt absolvi, nisi priùs denuntient : ex Decreto tamen Sacræ Inquisitionis, 27 sept. 1724 : « Si mulier consentit confessario sollici- « tanti, non tenentur suum consensum manifestare, nec « potest super hoc ab Episcopo interrogari. »

692. Admonendus est pœnitens de suâ obligatione, etsi confessarius certò prævideat quòd non sit denuntiaturus; licet enim, generatim loquendo, confessarius debeat se abstinere ab admonendo pœnitente quando prævidet admonitionem non esse profuturam; « hoc tamen non currit, « inquit S. Liguor. (lib. 6 n° 694), quando agitur de

« vitando damno communi, ut evenit in præsenti casu. »

693. Ad denuntiandum etiam tenetur ille qui sollicitationem nequit juridicè probare, juxta propositionem 5, ab Alexandro VII proscriptam, quæ sic habet : « Quamvis « evidenter tibi constet Petrum esse hæreticum, non te« neris denuntiare si probare non possis. »

Item est obligatio denuntiandi sollicitantem, etsi crimen sit occultum, alioquin præceptum denuntiandi in præsenti casu inutile evaderet, ut patet.

694. Non solùm ad turpia sollicitatus tenetur ad denuntiandum, sed etiam quicumque aliunde scit certò sollicitationem, etsi impubes sit, modò sciat crimen, non à personis parùm fide dignis, puta feminis levibus; et hoc quidem, non vi Constitutionum prædictarum, sed ex Edicto Inquisitionis, quorum verba à S. Liguor. referuntur (lib. 6, n° 680, *in fine*).

Diximus *regulariter*, quia sunt casus excipiendi, nempe v. g., si sollicitatio fuerit manifestata ad petendum consilium : quia bonum commune exigit tunc ut secretum servetur.

Si verò sub secreto tantùm naturali aliquis sciret sollicitationem, rectè tenent Palaus et alii, contra nonnullos, esse tunc obligationem denuntiandi, quia nemo tenetur ad secretum, etiam cum juramento promissum, quando vergit in damnum commune.

695. Si autem esset impedimentum ad statim denuntiandum, v. g., si ministri Tribunalis longè distarent, vel si esset necessitas communicandi, ad vitandum scandalum, aut ad lucrandam indulgentiam, dari posset in his casibus absolutio, modò pœnitens paratus esset ad quamprimùm denuntiandum, prout dicitur in supradictâ Const. *Sacramentum*.

Non autem excusatur pœnitens à faciendâ denuntiatione, ob timorem ne incurrat indignationem et increpationem denuntiati.

696. Si superiorem adire nequeat, non ideò mulier sollicitata immunis est ab obligatione denuntiandi ; sed veriùs debet denuntiationem facere, etiam per epistolam, vel personam mediam : quia qui tenetur ad finem tenetur

etiam ad media, modò absit periculum propriæ infamiæ. Vide S. Liguor., lib. 6, n° 699, qui advertit : « Non expe-
« dire quòd confessarius assumat in se hoc onus deferendi
« denuntiationem vice pœnitentis, vel eam excipiendi ·
« quia sic non paucis detractionibus et periculis expone-
« retur ; et tantò minus ad id tenetur... Cæterùm (pergit
« idem) non negamus... quòd in aliquo casu (puta si ali-
« cubi publicum immineret damnum, nec alia pateret
« via ad illud vitandum), posset confessarius obligari ex
« lege charitatis ad hujusmodi onus suscipiendum ; sed
« hoc rarò accidit.

« ... Item notat Mazzot quòd, in Decreto Sacræ Inquisi-
« tionis (*ibid.* citato), insuper dictum sit quòd, si neque
« apud ipsum confessarium possit pœnitens adduci ad
« denuntiandum, tunc recurratur ad S. Sedem pro oppor-
« tuno remedio, et interim non absolvatur. » Omnis denuntiatio anonyma ut falsa est reputanda et *habenda ut infecta.*

697. Sic autem procedere debet Episcopus : coram duobus ecclesiasticis, quorum unus Secretarii munus obit et acta omnia scripto refert, excipit litteram à confessario allatam, vel preces vivâ voce factas nomine mulieris denuntiantis : deinde eidem confessario committit ut, loco notarii, excipiat denuntiationem juridicam suæ pœnitentis ; confessarius sub juramento promittit se fideliter munus suum esse impleturum et secretum esse servaturum sub pœnâ exocmmunicationis latæ sententiæ Sedi Apostolicæ reservatæ ; tunc iste adit pœnitentem, et accepto ipsius juramento, ejus denuntiationem juridicam excipit et in scriptis redigit. Sublata videtur excomm. a C. *Ap. Sed.*

Processus confici debet ab Inquisitore vel ab Ordinario, non modo consueto, sed eo quo fiunt processus apud S. Officium ; et si adsint tantùm testes singulares, etiam cum *adminiculis et indiciis,* pœnæ non sunt imponendæ, sed res integra et omnia acta processûs transmittenda sunt ad Tribunal Sacræ et universalis Inquisitionis Romanæ ; posset tamen Episcopus confessarium sæpe sollicitantem à confessione suspendere ex informatâ conscientiâ, modò de frequentiâ sollicitationis certioratus esset ex pluribus denuntiationibus.

698. Hæc dicta sunt juxta sancita à SS. Pontificibus : sed hîc quæri potest an sit obligatio ex jure naturali sacerdotem corruptorem denuntiandi.

Affirmativè videtur esse respondendum cum P. Gury, tom. 2, nº 552, DD. Bouvier, *Dissert. in sextum Decalogi præceptum*, non solùm quoad confessarium, sed etiam quoad sacerdotem valdè perniciosum magna scandala præbentem aut multos fideles corrumpentem, vel si prævideatur quòd sit corrupturus : est enim lupus in ovili, quo viso, omnes, absque morâ, clamare debent. Sed extra casum suppositum, generatim Episcopus non potest pœnitentem obligare ad denuntiandum confessarium vel sacerdotem ad turpia sollicitantem.

CAPUT III.

DE SACRAMENTALIBUS ET BENEDICTIONIBUS.

ART. I.

DE SACRAMENTALIBUS.

699. Non benè concordant auctores in eo quod sit intelligendum per *Sacramentalia*. Accuratiùs autem definiri videntur : « Res quædam aut actiones ab Ecclesiâ institutæ « et consecratæ ad quosdam effectus spirituales produ« cendos ».

Juxta hanc definitionem, Sacramentalia non sunt imagines aut statuæ non benedictæ ; nec reliquiæ, aut similia quæ ex *naturâ suâ*, non ex benedictione Ecclesiæ ad pietatem movent ; nec esculenta privatâ tantùm benedictione sanctificata ; nec eleemosyna, tunsio pectoris, oratio dominica, quæ, non Ecclesiæ, sed privatâ tantùm auctoritate peraguntur.

Sex Sacramentalia communiter enumerantur à recentioribus, nempe :

Orans, tinctus, edens, confessus, dans, benedicens.

Orans significat Orationem Dominicam, aut alias preces

ab Ecclesiâ præscriptas, seu in Ecclesiâ solemniter recitatas. — *Tinctus* significat assumptionem seu aspersionem aquæ benedictæ : huc, reducitur unctio regum et similia, etiam impositio cinerum.

A primordiis Ecclesiæ aqua benedicta fuit in usu. Ipsius effectus describuntur in canone *Aquam*, *De Consecr.*, dist. 3.

Edens significat panem benedictum, qui solebat dari catechumenis loco Eucharistiæ, aut etiam baptizatis in die Paschatis, et qui nunc, in quibusdam Ecclesiis, diebus Dominicis inter missarum solemnia dari solet. A prioribus item sæculis panis benedictus seu eulogia originem ducit, nempe ab *agapis*; de eo sic loquitur S. Augustinus in *Epist. ad S. Paulinum Nol.* : « Quamvis non sit corpus Christi, « sanctum est tamen, et sanctius quàm cibi quibus ali- « mur, quoniam Sacramentum est » : « id est, inquit Collet, « aliquid pio ritu consecratum et ordinatum ad fovendam « inter diversa Christi membra charitatem ».

Confessus significat Confessionem generalem quæ præmittitur Missæ, aut fit in Primâ et Completorio.

Dans significat eleemosynam ab Ecclesiâ specialiter præscriptam.

Benedicens, Benedictionem Episcoporum et Abbatum designat; imò sacerdotum in fine Missæ, vel communionis, vel aliarum functionum ecclesiasticarum.

700. Quærit. 1° Quinam sint effectus sacramentalium?

Resp. Quatuor præcipuos esse eorum effectus : 1° Causare remissionem peccatorum venialium, ut S. Thom. docet (3 pars, q. 37, art. 3); 2° per ipsa gratiæ prævenientes et pii motus conferuntur; 3° operantur beneficia corporalia, v. g. sanitatem; 4° quædam eorum vim habent fugandi dæmones, ut exorcismi.

701. Quærit. 2° An hujusmodi effectus producantur ex opere operato, an duntaxat ex opere operantis?

Resp. 1° Dici posse quædam sacramentalia vim quamdam habere ex opere operato fugandi dæmones : Ecclesia enim, propter acceptam à Christo supra immundos spiritus potestatem, hanc vim dæmones fugandi certis precibus aut cæremoniis alligare potest. Non tamen omnino infallibilis esse videtur ejusmodi effectus, aut semper completus.

Resp. 2° Quoad alios effectus, tanquam certum videtur pariter posse affirmari quamdam virtutem sacramentalibus annecti, independenter à dispositionibus utentis vel ministri, ex precibus scilicet Ecclesiæ quæ ea instituit, vel benedixit et sacravit, ita ut non idem sit, v. g. *uti aquâ quæ ex falsâ persuasione crederetur benedicta, ac si esset realiter benedicta :* quia in isto casu Ecclesiæ intercessio deficit.

Sed disputatur utrum ex institutione Ecclesiæ, illi effectus producantur propriè ex opere operato, seu infallibiliter? — Quæstio instituitur præsertim quoad remissionem venialium.

Sententia quæ communior et verior videtur, tenet per sacramentalia non remitti venialia ex opere operato ; sed tantùm per ea pios motus doloris aut charitatis in nobis excitari quibus venialia remittuntur ; porrò illi motus producuntur per modum impetrationis, quæ non omninò infallibilitatem habet : sic etiam sentit Billuart, qui addit (*De sacram.*, diss. 7, art. 4) : « Quamvis Ecclesiæ tribuatur « potestas relaxandi pœnas temporales peccatorum per « indulgentias, eò quòd ista relaxatio consistat in solâ « condonatione extrinsecâ, attamen peccatum veniale « remitti non potest quin tollatur ejus macula in animâ, in « quâ Ecclesia nullam habet potestatem ».

Cùm ex dictis Sacramentalia per benedictionem efficiantur, plura hîc sunt de benedictionibus adjicienda ; itaque :

ART. II.

DE BENEDICTIONIBUS.

702. — 1° Benedictiones, de quibus hîc agitur, sunt eæ quæ nomine et auctoritate Ecclesiæ à ministris sacris fiunt, ad applicanda merita Christi et Ecclesiæ preces.

2° Pro benedictionibus impendendis « illi soli libri adhi- « bendi (sunt) et in illis tantùm Benedictionibus quæ « *Rituali Romano* sunt conformes » : ita S. C. Rit., 7 apr. 1832. Nec licet uti Breviariis, Missalibus aliisque hujus generis sacris libris qui non præ se ferunt requisitas à Pon-

tificiis Constitutionibus Ordinariorum attestationes. Ita decretum 18 febr. 1843.

3° Inter benedictiones, aliæ à meris sacerdotibus sinè delegatione conferri valent; aliæ ab ipsis præstari nequeunt nisi quatenus ab Episcopis delegati fuerint; aliæ tandem Episcopis sunt reservatæ : unde in *Rituali* dicitur : « Noverit sacerdos quarum rerum benedictiones ad ipsum, « et quæ ad Episcopum suo jure pertineant, ne majoris « Dignitatis munera temerè aut imperitè unquam usurpet « propriâ auctoritate. »

Non potest autem validè aut licitè fieri benedictio nisi ab eo qui ad tale munus designatur.

703. Benedictiones Episcopis propriæ sunt illæ in quibus intervenit sacra unctio, sicut etiam benedictiones sacerdotalium indumentorum, mapparum, corporalium, tabernaculi, ciborii, novæ crucis, imaginum, primarii lapidis, ecclesiæ, cœmeterii. — Observa tamen solam benedictionem solemnem crucis et imaginum esse Episcopis reservatam, non autem privatam quæ fit cum unico ministro privatim, absque concursu et cantu. S. R. C., 12 julii 1704, n° 3548.

Inter has benedictiones, quædam Episcopis sunt ita propriæ ut ab ipsis nequeant sacerdotibus committi, aliæ verò à meris presbyteris ab Ordinario delegatis impendi possunt.

Prioris generis sunt omnes benedictiones episcopales in quibus adhibenda est unctio, ut consecratio ecclesiarum, altarium, calicum, patenarum, campanarum, benedictio Regis et Reginæ, Abbatis et Abbatissæ et verisimiliter consecratio virginum et benedictio novi militis, etsi in eis unctio non adhibeatur; idem sat communiter dicitur de benedictione sacerdotalium indumentorum, corporalium, mapparum sive lintcaminum altaris : attamen S. Pontifex Pius IX mihi asseruit se dedisse omnibus Episcopis facultatem delegandi meros sacerdotes pro benedicendis sacris paramentis et linteaminibus altaris. Idem de benedictione tabernaculi seu vasculi pro Sacrosanctâ Eucharistiâ conservandâ, novæ crucis, imaginum, capsarum pro reliquiis, armorum, ensis, vexilli bellici; idem de benedictione et

impositione Crucis proficiscentibus in subsidium fidei christianæ : notandum quòd si crux habeat effigiem crucifixi, adhibenda est benedictio pro imaginibus. — Cruces, etiam altarium et processionum, non sunt benedicendæ de præcepto (S. R. C., 12 julii 1704, n° 3548) ; idem dicendum videtur de imaginibus, etsi quidam secus sentiant.

Sacra Rit. Congreg. declaravit, 16 maii 1744, n° 4010, 5 et 6, Episcopum, utendo ordinariâ facultate, aliis non posse delegare potestatem benedicendi campanas sinè Indulto Apostolico.

Secundi generis sunt benedictiones primarii lapidis ecclesiæ ædificandæ, novæ ecclesiæ seu Oratorii publici, novi cœmeterii, reconciliatio ecclesiæ nondum consecratæ, vel cœmeterii violati : certum est enim Episcopum, et idem dicendum esse videtur de Vicario Capitulari, Sede vacante, posse suo jure delegare sacerdotem ad has benedictiones vel reconciliationes faciendas, cùm hujusmodi facultas in Rituali exprimatur.

Rituale Romanum, exequiarum ordinem exponendo, supponit quòd aliquando sepulchrum non sit benedictum, et formulam refert pro illius benedictione : porrò ad hanc benedictionem nulla requiritur delegatio, fierique potest ab omni sacerdote officium sepulturæ peragente.

704. Aliæ benedictiones, quæ in *Missali* et *Rituali* habentur, à benedictione aquæ usque ad benedictiones ab Episcopis aut aliis facultatem habentibus faciendas, à simplici sacerdote fieri possunt absque delegatione Episcopi ; attamen in duas adhuc species dividuntur : aliæ quæ sunt de jure parochi, et ab aliis sacerdotibus nequeunt impendi, nisi ex licentiâ aut consensu parochi ; tales sunt : benedictio domorum in Sabbato Sancto (quæ fiunt extra hoc tempus, non benè constat esse de jure parochi); benedictio communis super fruges etiam agrorum, saltem si solemniter fiat (S. R. C., 5 oct. 1686 et 9 maii 1705). — Aliæ verò quæ non sunt de juribus merè parochialibus prout aquæ, agni, ovorum, panis, novorum fructuum ac cujusvis comestibilis, candelarum, loci, domûs novæ, thalami, novæ navis, peregrinorum, et aliæ simplices : quæ fieri possunt à quolibet sacerdote et quocumque tempore (S. R.

C. 12 jan. 1704); non tamen fieri debent in alterius ecclesiâ, aut publicè et solemniter in locis alterius jurisdictionis, pastore seu rectore contradicente.

705. Ad faciendas benedictiones utendum est formulis in *Rituali* aut *Missali* contentis [1]; sub pœnâ nullitatis adhiberi prohibentur formulæ ab Ecclesiâ Romanâ non approbatæ. — Si speciales formulæ non inveniuntur, sufficit tunc producere signum crucis, dicendo : *In nomine Patris*, etc., cum aquæ benedictæ aspersione, sinè aliâ ceremoniâ. S. R. C. 12 aug. 1854.

Juxta *Rituale Romanum*, omnis benedictio fieri debet stando et aperto capite, manibus junctis, eas non disjungendo etiam cùm dicitur : *Dominus vobiscum*, *Oremus*. In principio verò cujusque benedictionis dicendum est : *Adjutorium*, etc., se signando. Si benedictio fiat ad altare, omnia recitantur in cornu Epistolæ; res benedicendæ aspergi debent aquâ benedictâ, quamvis non sit necessarium ut physicè aquâ tangantur ; aspersio et incensatio (quando præscribitur) ter fieri debent : 1° in medio rei benedicendæ, 2° à dextris, et 3° à sinistris.

Decet saltem, etsi non necessarium, benedictiones in ecclesiâ fieri : ex rationabili tamen causâ paramenta sacerdotalia et res similes benedici possunt in loco profano, modò honesto.

Si benedictiones in altari fiant, sacerdos utitur pluviali, aut si pluviale desit, stat sinè planetâ et manipulo cum albâ et stolâ : « in omni autem benedictione, extra missam, « sacerdos saltem superpelliceo et stolâ pro ratione tem- « poris utatur, nisi aliter in *Missali* notetur. » Ita *Rituale*.

In benedictione aquæ quæ fit Dominicâ ante missam solemnem à celebraturo, adhibetur color missæ conveniens : si autem fiat ab alio aut alio tempore, color violaceus est adhibendus : in benedictione autem mulieris post partum, domorum in Sabbato Sancto, primarii lapidis pro ecclesiâ ædificandâ, novæ ecclesiæ, vel cœmeterii, adhibetur color albus, ex *Rituali Romano*.

Nullibi fit mentio cereorum in hujusmodi benedictioni-

[1] Sacerdos delegatus ad benedicenda sacerdotalia indumenta uti debet formulis *Missalis* aut *Ritualis Romani*, non verò formulâ *Pontificalis*. S. R. C., 7 sept. 1850, n° 11.

bus, qui proinde non sunt accendendi, nisi in benedictionibus cinerum, palmarum, et candelarum in die Purificationis.

Res benedicendæ, si sint paramenta sacerdotalia, poni possunt super altare; secus est dicendum, juxta *Rituale Romanum*, si sint esculenta, vestes monialium, enses, vexilla, candelæ et alia hujusmodi, quæ collocanda sunt super mensam ante altare, vel in cornu Epistolæ.

« Cùm sacerdos aliquid benedicturus est, habeat minis-
« trum cum vase aquæ benedictæ et aspergillo, et eum
« hoc Rituali libro seu Missali. » *Rit. Roman.*

706. Quærit. 1° Quænam sint notanda circa benedictionem et aspersionem aquæ?

Resp. 1° Aquæ benedictio fieri debet singulis Dominicis et quoties opus fuerit : excipiuntur in *Missali* Dominicæ Paschatis et Pentecostes in ecclesiis ubi est fons baptismalis, eò quòd in iis fiat aspersio cum aquâ pridie benedictâ in fonte baptismali, ante infusionem olei et chrismatis acceptâ.

Hæc benedictio juxta *Missale*, fit in sacristiâ, et juxta *Rituale Roman.*, in ecclesiâ ad altare in cornu Epistolæ, vel in sacristiâ : quæ diversæ dispositiones conciliari possunt, dicendo *Missale* respicere solam benedictionem aquæ in diebus Dominicis ante missam solemnem, quæ fieri tantùm debet in sacristiâ; dum *Rituale* loquitur de quâcumque aquæ benedictione quæ fieret vel in Dominicis vel aliis diebus, quæque fieri potest ex *Rituali* in ecclesiâ vel in sacristiâ : imò ex rationabili causâ etiam extra ecclesiam.

2° In benedictione aquæ adhiberi potest sal exorcizatum pro benedictione anteriori, et in hunc usum servatum. S. Rit. Congr., 8 apr. 1713, n° 3704.

3° Aspersio fieri debet omnibus Dominicis ante missam principalem, sive hæc missa solemniter cantetur sive non, etiamsi expositum esset SS. Sacramentum, nisi tamen ipse Episcopus celebret, quia tunc aspersio est omittenda, juxta *Cæremoniale Episcop.*

Aspersio fieri debet per celebrantem, non per alium, et multò minus per diaconum, non obstante consuetudine contrariâ, quæ potiùs corruptela est dicenda, cùm sit contra

rubricas *Missalis* et *Cæremon.* Ita S. R. Congr., 5 jul. 1631, n° 776 1; 27 nov. 1632, n° 821; 12 nov. 1831, n° 4523 14.

In minoribus ecclesiis ubi missa non solet cantari, fieri nihilominus debet aspersio aquæ, legendo saltem ea quæ in aliis ecclesiis cantantur.

Danda est aqua benedicta per aspersionem, non verò per contactum aspersorii, nisi agatur de Episcopo. S. R. C. 2 aug. 1698, et pluries postea.

Juxta Merati, Princeps Supremus et Principissa, in loco suæ jurisdictionis, ante omnes alios sunt aspergendi; magnus verò Princeps aspergendus est post ministros sacros, ante chorum : juxta eumdem, Magistratus et Minores Domini asperguntur post chorum ante populum cum debitâ inclinatione. Optimum est in hujusmodi rebus non recedere à servatâ consuetudine, ne aliquibus pariatur offensio; sed non decet nec semper licet addere prærogativas honoris præter aut contra rubricas.

707. Quærit. 2° Quid sint observanda quoad benedictionem campanarum?

Resp. 1° Jam diximus eas à solis Episcopis esse benedicendas, nec ab aliis, nisi Indultum Apostolicum habeant. Ita pluries decisum à S. R. Congreg.

2° Campanæ quæ profanis usibus tantùm inserviunt, ut sunt etiam quæ pulsantur duntaxat ad indicandas horas, benedici nequeunt, ex S. R. C. 16 jul. 1594 et 17 sept. 1822. Illæ verò, quæ ad usus sacros destinantur, *benedici debent antequam ponantur in campanili*, et ita vult *Pontificale*.

3° Campanæ nomen imponitur ut distinguatur à non benedictis, tutelæ Sancti commendetur et populus quasi voce alicujus Sancti ad ecclesiam vocari videatur. Etsi non ex præcepto, solent in ipsius benedictione assistere vir et femina sub patrini et matrinæ denominatione; et hanc ob causam, et quia etiam aqua adhibetur in hujusmodi benedictione, vulgò ipsa *Baptismus* denominatur.

4° Virtutes et effectus campanarum benedictarum his versibus exprimuntur :

> Laudo Deum verum, plebem voco, congrego clerum,
> Defunctos ploro, pestem fugo, festa decoro.

5° Campanæ, juxta *Rituale*, pulsandæ sunt ad repellendas tempestates : ad hunc enim finem, etiam benedicuntur, ut patet ex *Pontificali* : « ... Cùm melodia illius auribus in« sonuerit populorum..., procul pellantur.... fragor gran« dinum, procella turbinum, impetus tempestatum : tem« perentur infesta tonitrua, ventorum flabra fiant salu« briter ac moderatè suspensa, etc... Ante sonitum ejus « longiùs effugentur ignita jacula inimici, percussio ful« minum, impetus lapidum, læsio tempestatum, etc. » In desuetudinem tamen abiit quòd in hujusmodi circumstantiâ agitentur, et hoc etiam in certis locis à Magistratu civili prohibetur, sed Statutis diœcesanis in hoc standum est.

Ad finem profanum per se pulsari nequeunt campanæ benedictæ (S. C. Episc. et Reg. 31 jan. et 18 mart. 1581, 29 jan. 1616) ; sed id est intelligendum, secluso consensu Episcopi (S. R. Congreg. 10 jul. 1638) ; nam juxta Declarat. Congreg. Episc. et Regul. 31 jan. 1859 : « De con« sensu Episcopi campanæ benedictæ pulsari possunt ad « usus profanos, ad quos non sequuntur causæ sanguinis, « et præsertim si communitatis expensis constructæ fue« rint, quantumvis tale jus non sibi reservasset. » Unde pulsari nequeunt, etiam de consensu Episcopi, ad dandum signum decollandi aliquem, convocandi ad arma et pugnam, etc., nisi pulsentur ad monendum populum ut orent pro rei animâ, vel nisi sit pugnandum contra Ecclesiæ hostes. Excipi etiam debent casus summæ necessitatis cui cunctæ parent leges : v. g., incendii, inundationis et similium : de consensu autem Episcopi pulsari possunt campanæ ad congregandam communitatem ad consilium, ad indicandam horam discessûs vespertini (*retraite*), etc.; si tamen habeantur campanæ non benedictæ, potiùs istæ in talibus casibus sunt adhibendæ.

Sic autem habetur in *Lege organicâ* : « Art. 48. L'Evêque « se concertera avec le Préfet pour régler la manière « d'appeler les fidèles au service divin par le son des « cloches ; on ne pourra les sonner sans la permission de « la police locale. »

Huic articulo sat consonus videtur art. 1 Concordati 1801

ubi dicitur : « Religio Catholica... liberè in Galliâ exerce-« bitur : cultus publicus erit, *habitâ tamen ratione ordina-« tionum, quoad politiam, quas Gubernium pro publicâ « tranquillitate necessarias existimabit.* » — In plerisque Galliæ diœcesibus conventiones existunt Episcopos inter et Præfectos quoad usum campanarum : his conventionibus parochi stare debent ; sed insuper prudentia exigit non tantùm ut hujusmodi conventiones aut consuetudines receptæ observentur, sed etiam ut usus campanarum in casu extraordinario non omnino prohibeatur : eò magis quòd abusus campanarum, secluso scandalo aut contemptu, videtur esse tantùm venialis.

De quibusdam aliis benedictionibus vide *Manuale*, nº 4494, etc.

Vide *ib.*, nº 4498, etc., *De Suffragiis* et *Indulgentiis.*

CAPUT IV.

DE CONFRATERNITATIBUS.

708. Confraternitates sunt *fidelium* (non verò religiosorum) *congregationes ad exercenda pia opera*, *auctoritate ecclesiasticâ institutæ.*

Originem ducunt à regularibus Ordinibus quibus concessum fuit laicorum Congregationes erigere, eisque communicare varias gratias spirituales.

Eriguntur Confraternitates vel ab Ordinariis vel à Superioribus Ordinum quibus hoc conceditur : Confraternitates ab Ordinariis erectæ, solent aggregari alicui Archiconfraternitati, ut illius indulgentiis ac aliis gratiis spiritualibus participent.

ART. I.

DE MODO INSTITUENDI ET AGGREGANDI CONFRATERNITATES.

709. Clemens VIII in suâ Constit. *Quæcumque*, 7 dec. 1604, hæc statuit :

« 1º... Quòd unica tantùm Confraternitas ejusdem gene-

« ris possit in ecclesiis tàm sæcularium quàm regularium « institui et aggregari ;

« 2° Quòd id fiat de consensu Ordinarii, et cum litteris « testimonialibus ejusdem ;

« 3° Quòd instituentes vel aggregantes Confraternitatem, « eidem expressè et in specie communicent privilegia, « indulgentias, etc., Ordini instituenti vel aggreganti « nominatim concessa ; non verò ea, quibus per privile- « gium communicationis gaudet ;

« 4° Quòd statuta Confraternitatum examinentur et ap « probentur ab Ordinario loci, et corrigi possint ;

« 5° Quòd in aggregandis et constituendis Confraterni- « tatibus servetur Formula ab eodem Pontifice approbata;

« 6° Quòd gratiæ et indulgentiæ Confraternitati com- « municatæ, prævià cognitione Ordinarii duntaxat pro- « mulgentur ;

« 7° Quòd Confraternitas eleemosynas et alia charitatis « subsidia excipiat juxta formam per Ordinarium præscri- « bendam ;

« 8° Quòd dictæ eleemosynæ pro arbitrio Ordinarii in « utilitatem ecclesiæ aliosque pios usus erogentur ;

« 9° Quòd confessarii Confraternitatum sint ab Ordina- « rio approbati ;

« 10° Quòd si sint regulares, à propriis etiam Prælatis « approbentur, et absolvant confratres juxta privilegia « eisdem concessa, dummodo... sint in usu, nec Concilio « Tridentino cæterisque Pontificum Constitutionibus ad- « versentur ;

« 11°..; 12° Quòd litteræ erectionis et aggregationis *gratis* « dentur. »

Archiconfraternitatis nomine intelligitur *Confraternitas* privilegium habens alias sibi aggregandi, eisque communicandi spirituales gratias sibi à S. Sede concessas.

Potestate ordinariâ Episcopus valet Confraternitates erigere : ex privilegio autem à Paulo V concesso seu confirmato, easdem erigere possunt Generales Ordinum : aggregatio verò Confraternitatis alicui Archiconfraternitati per istius officiales peragitur ; hæc aggregatio fit ad participan-

dum indulgentiis et gratiis spiritualibus Archiconfraternitati concessis.

Juxta § 6, modò citatæ Constit. Clementis VIII, Generales Ordinum aut Superiores Institutorum, Archiconfraternitatum, etc., erigendo vel aggregando Confraternitates, uti debent Formulâ à S. Pontifice approbatâ ; hæc Formula refertur à Ferrario, v° *Confraternitas*, art. 1, nempe n° 17, pro erigendis Confraternitatibus, et n° 18, pro iisdem aggregandis.

Nulla autem determinata fuit à jure formula pro casu quo Ordinarius Confraternitates erigit.

Non solùm in eâdem ecclesiâ prohibetur plures ejusdem generis Confraternitates erigere, ut supradictum fuit ex Const. *Quæcumque* Clementis VIII, sed insuper ad erectionem novæ Confraternitatis, distantia trium milliarium (seu unius leucæ circiter) ab aliâ simili requiritur : in Formulâ enim erectionis à S. Sede approbatâ, dicitur : « Dummodo « talis alia similis *(Confraternitas)* in ipso vel alio ad tria « milliaria propinquo loco erecta non fuerit » : et idem supponitur in variis Brevibus et Decretis S. Sedis. Ab eâ tamen regulâ excipiuntur SS. Sacramenti et Doctrinæ Christianæ Confraternitates, et sæpe pro aliis, accedente Ordinarii consensu, obtinetur dispensatio.

Confraternitates laicorum erigi nequeunt in monialium ecclesiis. — Regulares verò qui fruuntur privilegio Confraternitates erigendi in propriis ecclesiis, non possunt sinè licentiâ Ordinarii eas erigere cum usu saccorum *(robes de pénitents)*. S. Cong. Episc. et Regul., 6 decemb. 1610.

ART. II.

DE EPISCOPORUM AUCTORITATE IN CONFRATERNITATES.

710. Ex Constit. *Quæcumque* Clementis VIII supra relatâ vidimus quòd Confraternitates sunt erigendæ et aggregandæ de consensu Ordinarii, et quòd ad eumdem pertinet illorum statuta condere, examinare, corrigere, innovare ; et hoc procedit etiamsi Confraternitas alicui Archiconfraternitati fuerit aggregata ; excipe si statuta fuissent

Sedis Apostolicæ auctoritate confirmata, aut in vim contractûs condita.

Igitur Archiconfraternitates possunt quidem indulgentias et gratias spirituales communicare Confraternitatibus, non verò propria privilegia, nec etiam statuta nisi consentiente et approbante Ordinario.

Visitationi Episcopali subsunt Confraternitates : ita declaravit S. Congr. Concilii 23 junii 1719.

Confraternitatum administratores compelli possunt ab Episcopo ad reddendam rationem suæ administrationis, et ad hunc finem cogi possunt ad libros administrationis afferendos, vel in Palatium episcopale vel etiam in domum ubi, tempore visitationis, Episcopus degit : ita pluries decisum à S. C. Concil.

Controvertitur an Episcopus per edicta pœnalia valeat cogere Confraternitates quæ sacco utuntur, ad solitis processionibus interessendum. Eas compelli posse affirmat Ferraris, si adsit consuetudo, et non exstet speciale privilegium exemptionis : citat decisionem S. C. Conc. in *Nucerinâ Paganor.*, 15 apr. 1690, et in *Novariensi*, 16 apr. 1692.

Ordinarius, per seipsum aut per delegatum, potest assistere congregationibus Confraternitatum, etiam pro electionibus officialium, etiamsi fierent in ecclesiis et oratoriis regularium in quibus sunt erectæ, modò non faciat novitates. Ita decisum à S. C. Episc. et Regul., 1 apr. 1596, 15 jul. 1600, 24 nov. 1690 ; votum tamen dare non debet. S. C. Concil. in *Senegal.*, 5 jun. 1707.

Nequit Episcopus confratres expellere aut novos admittere ; ad dubium « an sint reintegrandi confratres ultimo « loco deleti ab Episcopo, et respectivè delendi novi con- « fratres ab Episcopo electi : respondit S. Congr. Concil., « die 16 sept. 1799 : *Affirmativè.* »

Item nequit Episcopus sibi assumere administrationem bonorum Confraternitatum, nisi illa bona à confratribus dilapidarentur : jus tamen habet confirmandi œconomos et administratores electos, atque ab eis exigendi juramentum de fideliter administrando, et ut sibi administrationis rationem reddant ; sed non potest prohibere ne expensæ

fiant ultra 20 scuta, etc. (S. C. Conc., 10 mart. 1663). Non autem possunt confratres quæstuare absque licentiâ Episcopi, etiam in propriâ ecclesiâ. Ita S. Cong. Conc.

Item nequit Episcopus prohibere aut restringere solita exercitia, etsi esset flagellatio secreta et sinè lumine (S. C. Episc., 1 sept. 1578); insolita autem potest, si talia essent quæ offensionem aut scandalum generare possent (S. C. Episc., 9 apr. 1602): insolita autem esset apud nos in Galliâ flagellatio secreta et sinè lumine, et fortè posset offensionem et scandalum generare.

Delegatus Episcopi valet interesse confratrum congregationibus, nec ab eis si veniat repelli potest; sed sinè eo confratres congregationem habere queunt; nec valeret Decretum Episcopi statuens illos non posse congregari absque sui delegati præsentiâ, sub pœnâ nullitatis agendorum.

Sinè causâ, reluctantibus confratribus, revocari ab Episcopo nequeunt capellani Confraternitatum. S. C. Episc. et Reg., 3 oct. 1692.

Vi solius nominationis, capellanus facultatem non habet indulgentias applicandi rosariis, scapulariis, etc.

Director Confraternitatis, sinè speciali licentiâ, suppleri nequit per vicarium aut alium delegatum, pro receptione confratrum. Decretum 22 aug. 1842.

ART. III.

QUÆDAM ALIA CIRCA CONFRATERNITATES.

711. Confraternitates, in Galliâ ante Concordatum 1801 erectæ, si sub eodem titulo, cum iisdem statutis et habitu, ab Ordinario postea restitutæ fuêre, indulgentias et privilegia ante Concordatum concessa non amiserunt, juxta decisionem 22 febr. 1847, et 14 maii 1853.

Confraternitates liberè possunt ab ecclesiis in quibus fuerunt erectæ discedere et expelli si adsit causa, etiamsi essent erectæ in ecclesiis regularium : ita pluries decisum; hæc autem translatio fieri nequit sinè consensu majoris partis confratrum collegialiter præstito. Non autem levis est quæstio an id sit dicendum casu quo erectio ad Supe-

riores regularium pertinet vigore Apostolici privilegii : ratio dubitandi est quòd hujus generis Confraternitates sint membra ecclesiarum in quibus fuerunt erectæ ; sententiam negantem à S. Auditorio amplexatam fuisse refert Ferraris (*ib.*, art. 1, n^is 39, 56-60). « In casu verò permissæ translationis Confraternitatis de unâ ad aliam ecclesiam, intelligitur quoque permissa translatio bonorum ad easdem Confraternitates spectantium. » (*Ibid.*, 61.)

« Ad processiones quæ fiunt occasione funeris, Confraternitates accedere non possunt, nisi invitatæ... : ita pluries declaravit S. C. Episc...; — et si invitatæ sint, cadavera deferre non possunt ad sepulturam, nisi consentiant hæredes. »

A Parocho nulla Confraternitas impediri debet ne accedat ad funera, modò sinè jurium parochialium præjudicio. S. C. Episc., 26 aug. 1616.

Confraternitas potest suas habere congregationes absque licentiâ et interessentiâ parochi (S. C. Conc., 24 sept. 1718). Debet tamen parochus invitari ut præsit congregationibus faciendis tàm in *imbussolationibus* et extractione priorum et officialium quàm in redditione rationum. S. C. Conc., 15 mart. 1728.

De relationibus Confraternitatum erga parochos, vide *Manuale* (618-620). — De præcedentiâ, vide *ib.* 638.

In Galliâ Confraternitates non agnoscuntur à lege civili : civiliter ergo nihil accipere aut possidere valent, sed quidquid illis datur ad fabricam ecclesiæ parochialis pertinet.

De variis Confraternitatibus et Indulgentiis eis concessis, vide varia opera quæ de his specialiùs tractant.

CAPUT V.

DE EXEQUIIS ET COEMETERIIS.

—

ART. I.

DE EXEQUIIS.

De exequiis multa utilia legi possunt in *Manuali*, nº 4682, etc., sequentia solummodo hîc transcribemus :

712. 1º Exequiæ omni tempore fieri possunt : attamen triduo Majoris Hebdomadæ solemniter et cum cantu fieri nequeunt, sed officium et preces privatim sunt recitanda (S. R. Congr., 11 aug. 1736, nº 3901), sinè aliâ mutatione (S. R. C., 16 jan. 1676, nº 2660 6) ; in Sabbato autem Sancto post meridiem, etiam in cantu et solemniter celebrari possunt, sed potiùs ad vesperam. — Aliis diebus solemnibus exequiæ solemnes et in cantu non prohibentur, sed si missa *De Requiem*, præsente corpore, cantari non liceat, laudabiliùs ad vesperam, post expletum diei officium, differuntur.

Si exequiæ diebus Dominicis et Festivis peragantur, fieri debent sinè præjudicio Missæ conventualis, aut parochialis, concionis, et aliorum officiorum (S. R. C., 26 jan. 1793) ; nec propter exequias anticipanda aut differenda sunt hujusmodi officia, quia sunt de præcepto, et particulare bonum, ut sunt exequiæ, publico communitatis bono postponi debet.

Item fieri nequeunt coram SS. Sacramento publicè exposito, unde si velari aut deponi nequeat Sanctissimum, non debet cadaver inferri in ecclesiam ; et tunc, si exequiæ differri nequeant, extra ecclesiam fieri possunt etiam solemniter ; aut si fiant in ecclesiâ, fieri debent privatim sinè cantu, sinè missâ et in capellâ laterali.

Exequiæ nunquam fieri possunt de nocte nisi de licentiâ Ordinarii : S. Cong. Conc., 15 mart. 1714.

2º Quoad fieri potest, missa exequialis in die depositionis celebrari debet juxta *Rituale Romanum*. Excipe tamen si

hora congruens non fuerit, vel si obstet solemnitas diei, vel missa conventualis aut parochialis aut aliud publicum impedimentum : in his duobus ultimis casibus , nec etiam convenit cadaver inferre infra missam diei , quia pro exe quiis celebranda est Missa *De Requiem*, ut in *die obitûs*, juxta *Rituale Roman.*, et quia missa et officium exequiale in paramentis nigris fieri semper debent : in his casibus missa est supplenda diebus subsequentibus.

3° In missis et officiis defunctorum non sunt adhibenda musica instrumenta (Bened. XIII, in Concil. Romano, tit. 15, c. 6), nec etiam musica vocalis, sed adhiberi debet cantus firmus, juxta *Cæremon. Episc.*, lib. 1, c. 28, n° 13.

4° Ex *Rituali Romano*, officium defunctorum, saltem ex parte, est recitandum in celebratione exequiarum : S. R. C., 8 jul. 1602, n° 7 ; 22 decembr. 1612, n° 319; 23 decembr. 1662, n° 2052; — sed hoc præscriptum non observatur apud nos. Nec strictè obligat ex S. R. C., 12 Mart. 1616.

5° Cerei in exequiis adhibendi communes esse debent, juxta *Cæremoniale Episcop.* (lib. 2, c. 11, n° 1) : quod est intelligendum de cereis flavi coloris. Nec hoc etiam apud nos servatur.

6° « **Constituto tempore quo corpus** ad ecclesiam defe- « rendum est, convocetur clerus et alii qui funeri inte- « resse debent, et in parochialem vel aliam ecclesiam, « juxta loci consuetudinem, ordine conveniant », inquit *Rituale Roman.*; nec licet expectare per viam vel ad domum defuncti. S. R. C., 17 sept. 1822.

« Parochus (vel alius sacerdos celebrans) indutus super- « pelliceo et stolâ nigrâ, vel etiam pluviali ejusdem colo- « ris, clerico præferente crucem et alio aquam benedictam, « ad domum defuncti unà cum aliis procedit; distribuun- « tur cerei, et accenduntur intorstitia. Mox ordinatur « processio, præcedentibus laicorum Confraternitatibus, « si adsint; tum sequitur clerus regularis et sæcularis, per « ordinem ; binique procedunt, prælatâ cruce (ita ut imago « crucifixi cruciferario tergum vertat. S. R. C., 18 maii « 1675), devotè psalmos... decantantes, parocho præce- « dente feretrum , cum luminibus; indè sequuntur alii « funus comitantes, et pro defuncto Deum ritè deprecan-

« tes sub silentio. » Ita *Rituale Roman.* — Diaconus et subdiaconus sacris vestibus induti non adhibentur. S. R. C., 23 maii 1846.

Cùm pervenerint ad domum defuncti, celebrans, cum deferente aquam benedictam et nonnullis aliis, ingreditur domum seu locum ubi jacet defunctus : ipse se sistit ad pedes defuncti, retrò habens clericum aquam benedictam ferentem; crucifer inter ceroferarios stat ad caput, et reliqui circa feretrum.

A Sacra Congr. Episc. et Regul. sic fuit statutum : « Nullo « modo est tolerandus abusus quòd mortui curru clausi « deferantur ad ecclesiam ». 17 mart. 1650.

« Laici cadaver, quolibet generis aut dignitatis titulo « præditus ille fuerit, clerici ne deferant, sed laici. » *Rituale Romanum.*

« In deferendo funere præstantissimi viri licet ut aliquot « nobiles fimbrias panni funebris apprehendant, sed hoc « quoad ecclesiasticos, in funere etiam sacerdotis licet « nobilis, prohibetur per Decret. S. R. C., 20 sept. 1681, « n° 2813 » : scilicet ut hoc fiat per clericos ; sic enim habet præfata decisio : « decedenti... sacerdoti... nobili, eodem « fermè modo quo cum laicis consueverant, in sacris ves- « tibus à sacerdotibus elato, fimbrias itidem hujusmodi « opertorii detulerunt; quapropter supplicatum fuit pro « declaratione : an id sit prohibendum? Et S. R. C. res- « pondit : *prohiberi ecclesiasticis tantùm.* Vide De Herdt, p. 6, n° 31, VIII.

Cadavera recto tramite et viâ breviori ad ecclesiam deferri debent, dummodo via sit commoda et decens. S. R. C., 11 aug. 1691; 15 sept. 1742; Congr. Episc., 11 decemb. 1615.

In ecclesiâ clerici in duas lineas disponuntur, quarum una se sistit ex parte Evangelii et altera ex parte Epistolæ, ita ut juniores cruci, et seniores seu digniores celebranti sint viciniores, et in eorum medio feretrum deponitur; Celebrans se sistit ad pedes defuncti : cruciferarius autem ad caput inter duos ceroferarios, etsi fiant exequiæ sacerdotis. S. R. Cong., 3 sept. 1746.

Feretrum deponendum est in medio ecclesiæ, etiamsi

agatur de Episcopis (*Cærem.*, lib. 2, cap. 38, n° 25)[1] : ita ponendum est ut, si sit corpus laïci vel clerici non sacerdotis, cujuscumque dignitatis, pedes sint versùs altare coram quo exequiæ fiunt; si autem sit corpus presbyteri, habeat caput versùs altare. *Rituale Romanum.*

Apponi possunt insignia honorifica gradûs et dignitatis defuncti ad latera vel ad pedes; item stemmata gentilitia è feretro pendentia, non verò insignia sodalitatis ab Ecclesiâ damnatæ. Pallia tamen vel alia altaris ornamenta, et à fortiori paramenta sacerdotalia (nisi sint insignia ordinis defuncti) adhiberi non possunt ad ornamentum feretri. Poni potest corona super feretrum virginum.

7° Si habenda sit oratio funebris, hæc fit, missâ finitâ, ante absolutionem.

« Si, prout fit aliquando, ad tumulum oratio habeatur « à laico, et de humanis potius quàm de christianis virtu- « tibus, clerus discedat expleto funere. » (Conc. Aven. 1849.)

In oratione *Non intres*, verba *cum servo tuo* mutari non debent, etiamsi pro muliere exequiæ fiant; versus *Requiem æternam* et alii dicuntur in singulari numero.

8° Finitâ absolutione, corpus ad sepulchrum defertur eodem modo et ordine quo ad ecclesiam allatum est; si verò statim non deferatur ad sepulchrum, omittitur antiphona *In paradisum*, juxta *Rituale Romanum.*

In certis locis, ob distantiam cœmeteriorum, Celebrans et clerus non comitantur funus usque ad sepulchrum : eo casu dum funus defertur ad portam dicitur antiphona *In paradisum*; et ibi, deposito feretro, reliqua fieri et recitari possunt : imò hæc omnia fieri possunt in ecclesiâ, si talis adsit consuetudo. S. R. C., 28 jul. 1832, n° 4545 2.

9° Quando ob varias causas, die dispositionis defuncti omittuntur missa et officium defunctorum, non est quidem obligatio rigorosa illa postea supplendi, cùm *Rituale Roman.* de hujusmodi obligatione omninò sileat; sed menti

[1] Absente autem corpore, crucifer semper se sistit inter feretrum et portam ecclesiæ, et Celebrans inter altare et feretrum (Vide De Herdt, pars 6, n° 34, III).

Ecclesiæ saltem congruit ut postea suppleantur, cùm ideò privilegium conceditur ut missa exequialis diebus subsequentibus celebretur in Duplicibus majoribus.

Si autem missa exequialis et officium defunctorum differantur, aliæ tamen preces et suffragia non sunt omittenda, neque etiam differenda; si tamen quædam ex consuetudine legitimâ omitti soleant, omnia omitti non debent; corpus igitur solitis cæremoniis et precibus ad ecclesiam deferendum est, eoque in ecclesiâ deposito, absolutio est facienda, ac deinde consueto modo sepeliendum est.

In casu contagionis vel nimii fetoris, corpora sepeliri possunt quin prævià ad ecclesiam deferantur.

10° Preces exequiales fieri pro pluribus regulariter non decet : si tamen esset necessitas, ut tempore belli, epidemiæ, nulla in hoc esset difficultas.

713. — 11° Circa parvulorum exequias, observandum est illas dividi in tres classes : nempe 1ª non baptizatorum; 2ª ante usum rationis decessorum; 3ª post adeptum usum rationis defunctorum.

1° Parvuli *non baptizati* cum precibus Ecclesiæ non sunt sepeliendi, nec in loco benedicto : propter tamen humanæ naturæ dignitatem, non debent manere insepulti more belluarum, sed in loco honesto, à loco sepulturæ fidelium distincto, recondendi sunt; nullus clericus profanæ illi sepulturæ interesse debet.

2° Quoad *decessos ante usum rationis*, tales censentur qui nondum septimum annum compleverunt, nisi malitia suppleverit ætatem, quod prudentiæ parochorum dijudicandum relinquitur. Parvuli ergo ante usum rationis defuncti, induuntur juxta ætatem, eisque imponitur corona de floribus aut herbis aromaticis in signum virginitatis; specialis locus in cœmeteriis ipsis assignatur; campanæ pulsantur, non sono lugubri, sed potiùs festivo.

Non est obligatio in ejusmodi exequiis missam celebrandi : laudabiliter tamen id fieri potest in gratiarum actionem et laudem divinæ misericordiæ, similesque fines: et tunc dicenda est vel de die, vel, si rubrica permittat, de

Angelis, etc. : quæ tamen missæ votivæ, nullo gaudent privilegio, et tantùm dici possunt iis diebus quibus licent votivæ privatæ. S. R. C., 21 jun. 1632, 16 jan. 1677, 23 mart. 1709.

Celebrans induitur superpelliceo et stolâ, imò potest indui etiam pluviali, sed coloris albi, etiam in triduo Majoris Hebdomadæ; in hoc autem triduo omitti potest *Gloria Patri* in fine psalmorum, quod tamen tunc etiam dici potest, sicut dicendum est in aliis temporibus loco *Requiem æternam*, quod non dicitur in hujusmodi exequlis. Vide S. R. C., 16 jan. 1667, n° 2660.

Etsi non sit præceptum cereos adhibere in sepulturâ parvulorum, certè tamen adhiberi possunt.

Asperguntur corpora parvulorum ad expellendos dæmones ne corporibus illudant; at dici non debet *Requiescat*, nec *Asperges me*; neque aspersio est facienda circumdando feretrum, sed per modum crucis ter, in medio, à dextris et à sinistris.

3° *Pueri usum rationis adepti*, quales præsumuntur qui septimum annum attigerunt, sepeliendi sunt more adultorum, nec toleranda consuetudo quarumdam ecclesiarum quæ pro talibus celebrant missam *De Requiem* pro defunctis parvuli consanguineis, aut votivam de Angelis, etc., aut recitant preces pro parvulis ante usum rationis defunctis præscriptas. Si dubitetur an parvulus ad usum rationis pervenerit, licet sub conditione pro ipso orare et missam diei applicare. Quoad jura stolæ observanda sunt statuta diœcesana, vel locales consuetudines, quæ non semper permittunt exigere eadem jura ac pro adultis, nisi pueri duodecimum vel quartodecimum annum attigerint.

De observandis quando exequiæ fiunt, absente corpore et die 3° 7°, 30° *et anniversario*, vide *Manuale*, n° 4711, etc.

714. *Quibusnam sit deneganda sepultura ecclesiastica :*

1° Regula generalis est ut quibus vivis communicari potest per sacramenta, communicetur etiam mortuis per sepulturam ecclesiasticam : quibus autem publicè, denegantur sacramenta, denegatur etiam sepultura ecclesiastica. Ita cap. *Sacris* 12, *De Sepulturis*.

2° Non est deneganda sepultura ecclesiastica peccatoribus occultis, quantumcumque parochus certus esset de eorum criminibus.

3° Sic enumerantur à *Rituali Romano* casus in quibus non licet dare ecclesiasticam sepulturam :

« Negatur... ecclesiastica sepultura paganis, judæis et « omnibus infidelibus, hæreticis et eorum fautoribus, « apostatis à Christianâ fide, schismaticis et publicis ex- « communicatis majori excommunicatione, interdictis « nominatim, et iis qui sunt in loco interdicto, eo du- « rante. »

« Seipsos occidentibus ob desperationem vel iracundiam « (non tamen si ex insaniâ id accidat), nisi ante mortem « dederint pœnitentiæ signa;

« Morientibus in duello, etiamsi ante obitum dederint « pœnitentiæ signa;

« Manifestis et publicis peccatoribus qui sinè pœnitentiâ « perierunt;

« Iis de quibus publicè constat quòd semel in anno non « susceperint sacramenta confessionis et communionis in « Paschâ, et absque ullo signo contritionis obierunt;

« Infantibus mortuis absque Baptismo.

« Ubi verò in prædictis casibus dubium occurrerit, « Ordinarius consulatur ». Si tempus non sineret ad Episcopum recurrere, deneganda non esset in dubio sepultura ecclesiastica, et hoc juxta principium : *in dubio odia sunt restringenda*, et ob incommoda magna quæ, nostris præsertim temporibus, ex denegatione sepulturæ oriri solent.

715. Quædam autem notanda sunt circa illos varios casus :

1° Hæretici privandi sunt sepulturâ ex cap. *Quicumque*, *De hæreticis*, in 6°. Inter hæreticos adnumerari debent omnes impii qui scriptis atheismum, pantheismum, materialismum docent, uno verbo omnes qui christianam revelationem negant.

2° Difficultas est an per publicos excommunicatos intelligi tantùm debeant *denuntiati* et *notorii clericorum per*

cussores : juxta Reiffenst. et plures alios, sufficit quòd excommunicati sint notorii (lib. 3, tit. 28, nº 85) ; èontra juxta S. Liguor. (lib. 7, nº 87), requiritur ut excommunicati *non sint tolerati*, proinde ut sint *denuntiati*, quando non sunt *notorii clericorum percussores* : « Tolerati, inquit, « licitè sepeliuntur in loco sacro, si cum signis pœnitentiæ « à vitâ migraverint ». Si autem non dederint signa pœnitentiæ, excludi possunt à sepulturâ ecclesiasticâ tanquam *peccatores publici qui sinè pœnitentiâ perierunt.*

3º Quoad duellistas, sic habet Concil. Trident. (sess. 25, cap. 19) : « Qui verò pugnam (in duello) commise- « rint... si in ipso conflictu decesserint, perpetuò ca- « reant sepulturâ ». Addit autem *Rituale Roman.*, ut supra vidimus : « Etiamsi ante obitum dederint pœnitentiæ « signa » : cui consonat Constit. *Detestabilem* Bened. XIV, sic habens : « quamvis sacramentis muniti decesserint », et deinde addit : *Incurrenda est perpetuò ante sententiam judicis à decedente quoque extra locum conflictûs, ex vulnere ibidem accepto..., etiamsi vulneratus ante mortem non incerta pœnitentiæ signa dederit, atque à peccatis et censuris absolutionem obtinuerit,* « sublata Episcopis et Ordinariis « super hâc pœnâ interpretandi ac dispensandi facultate ». Hoc non obstante, Cardin. Gousset (*Théol. Morale*, tom. 2, nº 636) ait : « Si le duelliste, se sentant atteint du coup « mortel, réclamait un prêtre ou les secours de la Reli- « gion, et que ce fait fût attesté par plusieurs témoins, « nous pensons que l'on peut tempérer la rigueur des ca- « nons et accorder au duelliste la sépulture ecclésiastique; « le refus, quoique canonique, ne serait pas compris « parmi nous dans le cas dont il s'agit ». Sed cùm hæc assertio manifestè sit contraria modò dictæ Constitutioni Bened. XIV, sustineri nequit nisi ob gravia incommoda quæ obventura essent ex denegatione sepulturæ in tali casu.

4º Quoad manifestos peccatores, præter supradicta, negari nequit denegandam esse, saltem interdum, sepulturam ecclesiasticam iis qui in flagranti delicto decedunt, ut, v. g., si in actu furti latro occumbat, juxta cap. *Fures* 31, causa 13, q. 2. « Fures et latrones, si in furando aut de-

« prædando occidantur, visum est pro eis non esse oran-« dum. » At licet quis in actu criminis occumbat, dubium remanere potest utrum reverà crimen fuerit completum, quod contingere præsertim potest si quis in ebrietate vel comessatione decedat; item aliquandò dubitari potest an verè tempus pœnitendi defuerit. Sed deneganda est sepultura ecclesiastica iis quos palàm et notoriè constat omnem respuere religionis actum ex impietate manifestâ et contemptu, prout si palàm et coram testibus respuant sacramenta in ultimo morbo et in peccato indurati moriantur : si verò non constet moribundum causâ impietatis respuisse sacramenta, aut si occultè extra præsentiam duorum testium respuerit, danda est sepultura.

De usurariis *manifestis* sic habetur in cap. 2 *De Usuris*, in 6° : « Quanquam usurarii manifesti, de usuris quas ac-« ceperunt, satisfieri, expressâ quantite vel indistinctè in « ultimâ voluntate, mandaverint, nihilominùs... eis eccle-« siastica sepultura denegetur, donec de usuris ipsis fuerit « (prout patiuntur facultates ipsorum) plenariè satisfac-« tum, vel illis quibus facienda est restitutio, etc... idoneè « de restitutione faciendâ sit cautum. » Sed hic canon non est intelligendus nisi de iis qui per sententiam judicis ecclesiastici *usurarii* declarati fuêre.

5° Quoad eos quos constat non implevisse præcepta confessionis annuæ et paschalis communionis, privandi sunt quidem sepulturâ ecclesiasticâ si non dederint ante mortem resipiscentiæ signa, sed controvertitur utrum hæc pœna sit imponenda ante judicis sententiam : unde hujusmodi defuncti à parochis non sunt excludendi à sepultura ecclesiasticâ nisi post recursum ad Ordinarium.

Variis casibus in *Rituali Romano* recensitis applicari posse videtur quod Reiffenstuel dicit de hæreticis (lib. 3, tit. 28, n° 78) : « Si... sub comminatione gravium malo-« rum à potentioribus urgeretur ut hæreticus in loco sacro « sepeliretur, eidem ad evitandum grave malum deferri « posset, si non in contemptum Ecclesiæ, sed pro fami-« liæ splendore aut conservando honore et respectu desi-« deraretur, eò quòd leges humanæ non obligent cum « periculo gravi... ; si verò in Ecclesiæ contemptum id

« peteretur, deneganda foret sepultura etiam cum periculo « mortis. »

In Concilio autem Avenionensi 1849, sic habetur : « Quod « attinet ad eos quibus denegandus est honor ecclesiasticæ « sepulturæ, serventur præscripta in *Rituali Romano*; « attamen in applicandis his regulis, maximâ utantur « parochi prudentiâ : nimium enim rigorem vitent qui « odia ac turbas in ecclesiam ejusque ministros excitaret; « necnon caveant pariter à nimiâ indulgentiâ quæ fideli- « bus præberet scandalum et sanctitatem religionis læ- « deret; generatim non denegetur sepultura iis omnibus qui « ante mortem signa veræ pœnitentiæ dederunt » (p. 66).

6° Inhumari possunt in terrâ benedictâ infantes non baptizati, si inclusi remanserint in utero matris. Communiter dicitur quòd catechumeni non sint in loco sacro sepeliendi ; quidam tamen hoc negant.

Quoad regulares cum peculio defunctos, vide *Manuale*, n° 4726.

7° In fine capitis *Placuit*, causa 23, q. 5, dicitur quòd non sit concedenda sepultura ecclesiastica *his qui pro suis sceleribus puniuntur* ; sed subaudiendum : *nisi signa pœnitentiæ ostenderint*. Vide cap. *Quæsitum est* 30, causa 13, q. 2. Juxta Galliarum usum, qui ultimo supplicio vitam finiêre, possunt quidem in terrâ sacrâ deponi, sed eis honores publicæ sepulturæ deferri nequeunt, nisi agatur de iis qui militari judicio plectuntur : sepeliri tantùm possunt cum præsentiâ sacerdotis, modò occultè, sinè solemnitate et sub vesperam.

8° Quoad mimos et comœdos videtur quòd ipsis concedi possit sepultura ecclesiastica, nisi impœnitentes manifestè decederent.

9° Quandò concedi non potest alicui sepultura ecclesiastica, non debet iste sepeliri in terrâ benedictâ, nec debent pro eo pulsari campanæ ecclesiæ.

Quærit. 1° Quas pœnas canonicas incurrant qui indignos in loco sacro sepeliunt ?

Resp. « Eos, inquit Clemens V (Clem. 1, *De Sepulturis*), « qui propriæ temeritatis audaciâ, defunctorum corpora « non sinè contemptu clavium ecclesiæ in cœmeteriis,

« interdicti tempore, in casibus non concessis à jure, vel « excommunicatos publicè, aut nominatim interdictos, vel « usurarios manifestos *scienter* sepelire præsumunt, decer- « nimus *ipso facto* excommunicationis sententiæ subja- « cere, etc..., nullo eis... exemptionis, vel quovis alio pri- « vilegio sub quâcumque formâ verborum concesso ali- « qualiter suffragante. » Eadem excommunicationis pœna statuitur in scienter sepelientem hæreticos, credentes, receptores, vel fautores eorum (cap. 2, *De Hæret.*, in 6°).

Dictum est *scienter sepelire præsumunt* : si ergo ex ignorantiâ, aut sinè temeritate et contemptu clavium, aliquis hujusmodi indignos sepeliat, non incurrit excommunicationem. Suppressa est excomm. C. *Ap. Sed.*

Sepelientes autem cæteros indignos non incurrunt quidem excommunicationem in præfatâ Clementinâ expressam, sed juxta Ordinarii arbitrium puniri possunt.

716. Quærit. 2° Quænam sit legislatio civilis in Galliâ circa denegationem sepulturæ ecclesiasticæ?

Resp. Sic sancitum fuisse in Decreto 23 prairialis anni XII, art. 19 : « Lorsque le ministre d'un culte, sous quel- « que prétexte que ce soit, se permettra de refuser son « ministère pour la sépulture d'un corps, l'autorité civile, « soit d'office, soit sur la réquisition de la famille, com- « mettra un autre ministre du même culte pour remplir « ces fonctions. Dans tous les cas, l'autorité civile est « chargée de faire porter, présenter et déposer ces corps. » Nemo non videt quantùm sanis juris canonici principiis adversetur hæc dispositio legis civilis; sed à longo tempore in desuetudinem abiit executio hujus articuli : hodie enim, dummodò sacerdos, denegando sacramenta vel sepulturam ecclesiasticam, injuriâ non afficiat eum qui repellitur, exprobando illi, v. g. crimina, etc., nullâ solet affici molestiâ ab auctoritate civili.

ART. II.

DE CŒMETERIIS.

717. — 1° Cœmeteria sunt *loca auctoritate Episcopi benedicta, in quibus cadavera catholicorum piè decedentium*

sepeliuntur. « Nemo christianus, inquit *Rituale Romanum*, « in communione fidelium defunctus, extra ecclesiam « aut cœmeterium ritè benedictum sepeliri debet; sed si « necessitas cogat ex aliquo eventu aliquando ad tempus « aliter fieri, curetur ut, quatenus fierit poterit, corpus « in locum sacrum quamprimum transferatur », prudenter obtentâ apud nos licentiâ ab auctoritate civili juxta Decretum 12 jun. 1804, art. 17; « et interim semper crux capiti « illius apponi debet, ad significandum illum in Christo « quievisse ».

2° Olim, saltem generaliter, locus sepulturæ in ecclesiâ esse non poterat, ut constat ex Concil. Vasensi (can. *Præcipiendum* 15, causa 13, q. 2), et verbis S. Gregorii lib. 4, *Dial.* Postea tamen, jure et consuetudine introductum fuit ut quivis catholicus posset in ecclesiâ sepeliri, ob motiva exposita in can. *Cùm gravia* 17, causa 13, q. 2, ubi dicitur : « Prodest mortuis, si in ecclesiâ sepeliantur, « quòd eorum proximi, quoties ad eadem sacra loca ve- « niunt, suorum, quorum sepulchra aspiciunt, recordantur « et pro eis Domino preces fundunt. » Apud nos autem à lege civili prohibetur hodie humari intra ecclesias defunctorum cadavera : vide Decret. 12 jun. 1804, art. 1; Decret. 30 decembr. 1809, art. 78; unde licentia à Gubernio est obtinenda ut ipsimet Episcopi in suâ Cathedrali Ecclesiâ sepeliri valeant.

3° Si sepultura fiat in ecclesiâ, cadavera in tumbis profundis sunt collocanda, et eorum operimenta solo æqualia esse debent : ita S. Pius V Constit. *Cùm primùm Apostolus*. Solis enim SS. Pontificibus, non exceptis etiam personis regalibus, competit prærogativa ut eorum corpora in conditoriis elevatis à terrâ reponantur.

Non comprehenduntur tamen, in dictâ dispositione S. Pii V, monumenta marmorea muris seu columnis adhærentia, præsertim amotis cadaveribus à locis altis (S. Congr. Episc. 13 octob. 1579).—Obtinenda autem est apud nos licentia Gubernii pro erigendis hujusmodi monumentis. Vide Decret. 30 decemb. 1809, art. 73.

Sepulturæ remotæ esse debent ab altaribus, ita ut sepulchri ostium saltem tribus cubitis distet ab altaris scabel-

vis. Ita Concil. Mediol. I, et S. Pii V citata Constitutio.

4° In cœmeteriis autem, juxta *Rituale Roman.*, « sepul-« chra sacerdotum et clericorum cujuscumque ordinis, « ubi fieri potest, à sepulchris laicorum separata sint, « decentiori loco sita »: v. g., juxta crucem aut prope ecclesiam.

5° Item « juxta vetustam et laudabilem ecclesiarum « consuetudinem, parvulorum corpuscula non sepeliantur « in communibus et promiscuis cœmeteriorum et eccle-« siarum sepulturis, sed pro illis in parochialibus ecclesiis, « aut illarum cœmeteriis, quatenus commodè fieri potest, « speciales et separatos ab aliis loculos et sepulturas ha-« beant, seu fieri curent, in quibus non sepeliantur nisi « qui baptizati fuerint infantes... qui ante discretionis « annos obierunt.» *Rituale Roman.*, et Decis. S. R. Congr. 10 decembr. 1620.

6° Ponenda sunt corpora in sepulchris eodem situ quo in ecclesiâ : sacerdotum scilicet capite, cæterorum verò pedibus versùs altare, quantùm saltem permittit dispositio sepulchri. Si autem cœmeterium ab ecclesiâ sit separatum, corpora sacerdotum cum capite, et aliorum cum pedibus versùs Orientem poni convenit, quia regulariter sic ecclesiæ construi debent.

7° In medio cœmeterii crux alta poni debet : Cœmeteria muris, fossis aut sepibus ita concludantur, ut equis, vaccis, porcis, aliisque similibus animalibus nullus pateat accessus. In eis nulla cultura fieri debet, nec in eis arbores frugiferæ sunt plantandæ ; imò fœnum in eis excrescens non debet meti aut vendi, ut pabulo detur. Ibi fabrilia opera exerceri, ludi constitui, conventus profani civilesque proclamationes fieri non licet.

8° Constructio, manutentio, ampliatio et restauratio communis sepulchri seu cœmeterii fieri debet expensis parochianorum, et non parochi : quia cùm id respiciat utilitatem parochianorum, qui sentiunt commodum et onus sentire debent.

718. — 9° Circa situm et dispositionem cœmeteriorum, sequentia sancivit apud nos lex civilis : « D'après l'art. 8 du « Décret (12 juin 1804), inquit DD. Affre (*Abrégé de l'ad-*

« *ministr. tempor.*, etc., p. 208), les cimetières placés dans « l'enceinte des bourgs... peuvent continuer à recevoir les « inhumations de leurs habitants; mais si, pour une raison « quelconque, les communes sont obligées de les aban- « donner...., le nouveau cimetière doit être établi confor- « mément aux règles suivantes : 1° le conseil municipal « doit choisir les terrains les plus élevés et situés au nord; « 2° ils doivent être à la distance de 35 à 40 mètres au « moins de l'enceinte des villes, bourgs ou villages....; « 3° ils doivent être clos d'un mur de deux mètres au « moins d'élévation; on doit y faire des plantations, en « prenant des précautions convenables pour ne point gêner « la circulation de l'air (art. 2 et 3); 4° s'il y a des protes- « tants dans la paroisse, on doit faire en sorte qu'ils aient « un cimetière séparé; s'il est commun, il doit être divisé « par une haie, un mur ou un fossé, de manière que les « sépultures des catholiques et des protestants ne soient « point confondues... (art. 15).

« ... Pour le creusement des fosses, on observera les « règles suivantes : 1° chaque fosse aura de 1 mètre 5 dé- « cimètres à 2 mètres de profondeur, sur 8 décimètres de « largeur, et sera ensuite remplie de terre bien foulée; « 2° chaque inhumation aura lieu dans une fosse séparée; « 3° les fosses seront distantes les unes des autres de 3 à 4 « décimètres sur les côtés, et de 3 à 5 décimètres à la tête et « aux pieds; 4° pour éviter le danger d'un renouvellement « trop fréquent des fosses, le terrain destiné à former les « lieux de sépulture sera cinq fois plus grand que ne l'exige « le nombre présumé des morts dans le courant de l'année « (art. 4, 5 et 6).

« Sur les cimetières abandonnés, il faut observer : 1° que « pendant 5 ans on ne peut en faire usage (art. 8); « 2° qu'ils ne peuvent qu'être ensemencés ou plantés « (après cinq ans) : on ne peut y faire aucune fouille ou « fondation pour construction de bâtiment, jusqu'à ce « qu'il en soit autrement ordonné; 3° qu'ils peuvent être « affermés, pourvu que le fermier prenne l'engagement « d'observer les précautions que nous venons d'indiquer « (art. 9). »

Insuper ex art. 36 Decreti 30 decembr. 1809, quæ spontaneè crescunt in cœmeteriis, videlicet fœnum, fructus et rami amputati arborum ad Fabricam parœcialem pertinent; sed in urbibus hæc omnia Communitati dimittuntur in compensationem expensarum ab ipsâ faciendarum pro muris cœmeterii reficiendis.

Ex Decreto autem 12 junii 1804, tit. 3, art. 10, non Fabricis sed Communitatibus attribuitur jus concedendi privatis facultatem erigendi monumenta funebria ultra quinquennium permansura.

719. — 10° Juxta autem cap. *Abolendæ* 13, *De Sepulturis*, vendi non debet terra cœmeterii pro sepulturâ faciendâ : « Abolendæ consuetudinis perversitas apud Mon-« tempessulanum... inolevit, ut decedentibus non priùs « permittatur effodi sepultura, quàm pro terrâ in quâ sepe-« liendi sunt, certum pretium ecclesiæ persolvatur...; « mandamus quatenus... inhibeas clericis, ne quicquam « omninò præsumant exigere hâc de causâ. » Usus tamen vendendi capellas pro inibi construendâ sepulturâ, non est simoniacus, inquit Ferraris (v° *Sepultura*, n° 157), quia datur per modum eleemosynæ, ad reparationem ecclesiæ, vel ad sustentationem ministrorum, et non pro pretio, prout nec etiam quod datur pro missis celebrandis. Item licet aliquid recipere pro concessione sitûs honorabilioris in cœmeterio, quia hoc non est vendere jus sepulturæ, cùm sepultura possit esse sinè tali honore.

Nec etiam committit simoniam qui habens propriam sepulturam suis sumptibus constructam, illam vendit quoad materiale fundi : sic enim non venditur benedictio sed solùm materiale cui spirituale seu jus sepulturæ annectitur.

11° Jus autem sepulturæ familiaris transit ad omnes descendentes, qui soli inibi sepeliri possunt. Tale jus etiam transit ad hæredes extraneos; extinctis verò domino et illius descendentibus aut hæredibus, potest alteri jus sepulturæ concedi. — Amittitur autem jus sepulturæ per simoniam, per rectoris occisionem, per hæresim, per crimen læsæ majestatis, si vivus in eâ sepeliatur, et aliis

modis de quibus vide auctores à Ferrario citatos (v° *Sepultura*, n° 164).

An, juxta præscriptionem sacrorum canonum, exhumari debeant cadavera defunctorum qui indebitè in terrâ sanctâ sepulti fuerunt, vide resolutum in *Manuali*, à n° 4746, etc.

CAPUT VI.

DE LOCIS SACRIS.

ART. I.

QUID SINT LOCA SACRA, DE EORUM ANTIQUITATE ET FORMA.

720.— I. Per loca sacra intelligi debent ecclesiæ et cœmeteria, de cœmeteriis diximus in capite præcedenti.

Nomine *Ecclesiæ* designatur locus seu potiùs ædificium ubi conveniunt fideles ut divinis sacrisque rebus operam præstent. Variis aliis nominibus ecclesiæ nuncupatæ sunt: vocantur enim *oratoria*, quia sunt imprimis loca orationis; hoc tamen nomen fuit postea parvis ecclesiis reservatum. Vocantur etiam *Basilicæ*, quando præsertim sunt magnæ, et hoc propter similitudinem cum regalibus aulis; *templa*, quod nomen à *fanis* ethnicorum derivatur, et à christianis non fuit usurpatum nisi IV sæculo; denominatæ fuêre etiam *martyria*, *apostolea*, etc., eò quòd sæpe in honorem Martyrum, Apostolorum, etc., ædificabantur; *tituli* ob sacerdotes qui eorum servitio obstricti erant; nominantur tandem *sacella*, *capellæ*, *Dominicum* seu domus Dei, etc.; *capella* vox derivatur à *cappâ* S. Martini quæ asservabatur in oratorio Regum Merovingianorum, unde illi nomen capellæ inditum fuit, et postea extensum ad omnia oratoria.

Ecclesiæ aliæ sunt matrices, quia ex iis aliæ institutæ fuêre aut aliquo modo sunt sub ipsarum auctoritate, unde *filiales* dicuntur: aliæ sunt Patriarchales, Primatiales, Metropolitanæ, Cathedrales, Collegiales, parochiales, regu-

lares : quæ denominationes sat intelliguntur ex dictis in libro præcedenti. Tandem sunt oratoria, quâ voce designantur minores ecclesiæ quibus populus certus et determinatus non fuit ascriptus, nec solent habere præpositum cum curâ animarum.

Oratoria autem alia sunt *publica*, quæ *capellæ* et *sacella* communiùs dicuntur et habere debent ostium in viâ publicâ : talia etiam censentur quæ sunt ad usum tantùm Communitatis, carceris, aut hospitalis; alia verò sunt *privata*, quæ specialiùs nomen *oratoriorum* retinent, et in privatis domibus consistunt ad privatæ familiæ usum; ex speciali autem concessione Sedis Apostolicæ ut publica haberi possunt *oratoria*, etsi in privatis domibus erecta et licet portam non habeant in viâ publicâ, modò proprietarii se in perpetuum obligent ad admittendos fideles in hujusmodi oratoria.

721.—II. « Vetus ecclesiæ forma et situs, inquit Devoti, « tit. 7, § 3, non semper idem : interdum oblonga erat, « ac navi similis; interdum rotunda aut plurium laterum « aut ad formam crucis... Ecclesiæ frons, ut plurimùm « ad Occidentem spectabat; sanctuarium ad Orientem, « quoniam versùs ad Orientem christiani preces funde- « bant ; sed sæpe neque Orientem neque Occidentem « sanctuarium respiciebat : et verò ab antiquis monumen- « tis quâvis formâ et situ ecclesiæ exhibentur.

« ... Ecclesiæ, præsertim ampliores, pluribus constant « partibus..: partes interiores, ex antiquâ disciplinâ erant « *narthex* sive *ferula*, *templum* sive *navis*, et *bema* sive « *sanctuarium*. Narthex erat pars oblonga et angusta ad « instar ferulæ, è transverso frontis ecclesiæ, ibique dum « sacræ conciones habebantur, infideles, hæretici, cathe- « chumeni et pœnitentes, *audientes* dicti, consistebant.

« Narthecem excipiebat pars illa ecclesiæ quæ propriè « templum ac navis dicebatur; hæc ut plurimùm quadrata « erat, eamque à narthece separabant lignea quædam re- « pagula pervia portis, quas portas *regias* et *speciosas* ap- « pellabant. In inferiori hujus partis loco, qui statim in- « gredienti occurrebat, stabant pœnitentes *substrati*; in « superiori qui erat sanctuario propinquior, *consistentes*

« et fideles communicantes ; et hi suum quique habebant « locum, mares distinctum à feminis, virgines à nuptis, « monachi à sæcularibus. In mediâ navi erat *ambo*, hoc « est locus editus, ad quem per gradus patebat ascensus, « in eoque stabant cantores et lectores, qui Epistolas atque « Evangelia legebant, et in eo etiam *diptyca* recitabantur.

« Tertia et intima antiquarum ecclesiarum pars erat « *sanctuarium*, quod græci *bema* appellabant ; locus hic « septis sive cancellis muniebatur, uti nunc..., ne laicis « ad eum pateret aditus cùm sacra officia peragebantur ; « cancelli erant portulis pervii ; portulas autem et spatia « cancellorum vela quædam obtegebant. Suprema pars « sanctuarii *apsis* dicebatur, ædificium scilicet semicirculi « formam exhibens, ubi thronus Episcopi sedesque erant « seu throni presbyterorum.

« In medio sanctuario à pariete sejunctum erat altare... « Initio lignea, ut plurimum erant altaria, deinde lapidea « facta sunt... Unum in græcis ecclesiis erat altare, uti « nunc etiam est ; sed latini jam indè ab antiquissimis « temporibus plura in unâ ecclesiâ altaria habere consue- « verunt. Altare obtegebat linteum atque ornabat ciborium « (hoc est, umbraculum altius eductum quo universa sacra « mensa tegebatur) et crux in eo stabat, et propè crucem « ex utroque latere candelabra...

« Exteriores ecclesiæ partes erant... *exterior narthex* « qui vestibulum et atrium, sive aream comprehendebat ; « *vestibulum* erat primus aditus, inter quem et ecclesiam... « media erat *area* sive *atrium*, locus scilicet cujus medium « sub dio erat ; latera verò quatuor porticibus cingebantur. « Erant in medio aquæ salientes seu putei et canthari, « aut conchæ ubi Christiani templum ingressuri manus « et os lavabant, unde usus aquæ benedictæ repetendus « est.

« Cætera ædificia circùm ecclesiam *exhædrarum* no- « mine vocabantur, eaque erant *Baptisterium*, *secretarium* « sive *diaconicon*, *pastophorium*, *schola*, *bibliotheca*. *Bap-* « *tisterium* erat satis amplum ædificium, ac duabus con- « stabat partibus : vestibulo in quo catechumeni abrenun- « tiationes emittebant, ac domo interiori in quâ fiebat

« ablutio, ritusque cæteri in Baptismo adhibiti perage-
« bantur. *Secretarium* sive *Diaconicon* locus erat in quo
« sacra indumenta, vasa ac reliquæ ecclesiæ supellex ser-
« vabantur. *Pastophorium* generale nomen est quo multa
« significantur, sed ut plurimum designat ædificia, quæ
« stabant ab utroque ecclesiæ latere ad extremitatem
« orientalem, et custodum ac ministrorum templi domi-
« cilium. *Schola et Bibliotheca* locus erat in quo animi
« litteris atque doctrinis excolebantur. »

ART. II.

QUID REQUIRATUR AD ÆDIFICANDAM ECCLESIAM.

722. Quatuor ad id necessariò requiruntur : 1° consensus Episcopi, ut constat ex variis juris canonici capitulis, videlicet ex Concil. Chalced.; c. 4 *Nemo*, *De Cons.*, dist. 1; c. *Cùm olim* 14, *De privilegiis*, § *Præter*; cap. *Auctoritate*, *De privileg.*, in 6°.

2° Ut Episcopus, antequam ecclesia ædificetur, situm examinet et ibi crucem ponat (per se vel per alium) : ita cap. *Nemo* 9, *De Consec.*, dist. 1. In his communiter habetur comprehendi positionem Primi Lapidis.

3° Ut congrua dos assignetur, id est sufficientes et stabiles redditus pro luminaribus, paramentis, fabricâ, ministris et aliis necessariis, cap. *Nemo* citat.

Ad sufficientiam dotis æstimandam, ratio haberi debet non tantùm reddituum certorum, sed etiam oblationum et eleemosynarum quæ legitimè sperantur. Quantitas arbitrio Episcopi dijudicanda relinquitur; si autem id neglexerit, ex propriis tenetur ecclesiam dotare, ex cap. *Cùm sicut*, *De Consecrat. eccles.*

4° Ut ecclesia ædificanda regulariter non vergat in præjudicium alterius præsertim parochialis. Can. *Quicumque* 44, causa 16, q. 1; et cap. 1, *De novi operis nuntiatione*, ubi dicitur : « Nulla ecclesia in præjudicium alterius est « construenda ».

Ex his deducitur non esse ædificandam ecclesiam quin antea citentur et audiantur rectores ecclesiarum vicinarum, præsertim parochialium : ad Episcopum spectat judicare de legitimitate earum querelarum. Ita ut si paro-

chis inauditis, ecclesia ædificetur, ipsi poterunt obtinere ut expensis ædificantis destruatur (cap. 1, 2, *De novi operis nuntiat.*); tres menses ipsis conceduntur ut juris sui præjudicium probent : cap. *Is cui*, *De novi oper. nuntiat.*

Dictum fuit *regulariter* : quia sunt casus in quibus licet ecclesiam construere etiam cum damno alterius : si nempe ob distantiam, vel itineris difficultatem, etc., necessaria foret erectio novæ parochiæ.

Adimpletis formalitatibus à jure præscriptis, facultatem legitimè concessam Episcopus revocare non potest, maximè si jam extructa fuerit ecclesia, quia ex regulâ juris : *decet beneficium Principis esse mansurum.*

ART. III.

QUIBUSNAM INCUMBANT REPARATIONES AUT RESTAURATIONES IN ECCLESIIS FACIENDÆ.

723. In hoc standum est locorum consuetudinibus ; deficientibus autem specialibus usibus, observandus est ordo à Concil. Trident. descriptus (sess. 21, c. 7, *De Reformat.*) : « Parochiales verò ecclesias, etiamsi juris patro-« natûs sint, ita collapsas, refici et instaurari procurent « (Episcopi) ex fructibus et proventibus quibuscumque ad « easdem ecclesias quomodocumque pertinentibus : qui « si non fuerint sufficientes, omnes patronos et alios qui « fructus aliquos ex dictis ecclesiis provenientes percipiunt, « aut in illorum defectum parochianos omnibus remediis « opportunis ad prædicta cogant, quâcumque appellatione, « exemptione et contradictione remotâ. Quòd si nimiâ « egestate omnes laborent, ad matrices seu viciniores ec-« clesias transferantur, cum facultate tàm dictas parochiales « quàm alias ecclesias dirutas, in profanos usus non sor-« didos, erectâ tamen ibi cruce, convertendi. »

Unde ad instaurandas ecclesias adhibendi sunt : 1° fructus et redditus ipsarummet ecclesiarum ; — 2° si hujusmodi proventus non sufficiant, beneficiarii, Patroni et omnes qui decimas aut alia bona ecclesiastica possident suorum beneficiorum ecclesias instaurare debent : vide insuper cap. 1 et 4, *De ecclesiis ædific.* ; sed de redditibus eccle-

siasticis tantùm superfluis, non verò de sibi necessariis beneficiarii subvenire tenentur ; — 3° cùm bona ecclesiastica non suppetant, parochiani tandem ad hanc instaurationem sunt compellendi ; recurri potest etiam apud nos ad ærarium publicum seu civile, ex art. 92 Decreti 30 decembr. 1809; — 4° si nullus supersit ecclesiæ instaurandæ modus, in profanos usus non sordidos ecclesia convertitur, ibique erigenda est crux, et ejus jura ad matricem aut viciniorem ecclesiam transferuntur.

Quoad Cathedrales Ecclesias, eas instaurare tenetur solus Episcopus si redditus superfluos habeat, et non adsit legitima consuetudo in contrarium ; si autem Episcopus redditus superfluos non habeat ad Cathedralis sarta tecta facienda, compelli possunt Canonici superfluos redditus habentes, sive ex præbendâ, sive ex distributionibus quotidianis aliisque rebus Capituli. Horum defectu cogi possunt inferiores clerici ad contribuendum de suis redditibus superfluis ; et etiam deputari possunt fructus beneficiorum vacantium. In Galliâ Gubernium in se suscipit onus Cathedrales Ecclesias restaurandi.

Quæ dicta sunt de reparationibus ecclesiis faciendis, intelligenda sunt de reædificatione ac refectione domûs presbyteralis aut beneficialis aut Palatii Episcopalis, juxta declarationem S. Congr. Conc. à Barbosa citatam. Docent pariter DD. quòd parochi et alii beneficiati, deficientibus ecclesiæ redditibus, teneantur ad reficienda paramenta ecclesiastica, et vasa sacra restauranda. — In Galliâ verò pro omnibus supra dictis expensis, si deficiant redditus ecclesiæ, recurritur vel ad Communitatem *(commune)*, vel etiam ad Gubernium (art. 10, 37, 92, Decreti 30 decembr. 1809).

ART. IV.

QUID SIT BENEDICTIO ET CONSECRATIO ECCLESIARUM, ET QUID DE IIS A JURE SIT PRÆSCRIPTUM.

724. — 1° Benedictio ecclesiæ est actus quo legitimus minister ædem aliquam divino cultui dedicat, et illam sanctificat. Duplicis generis est : *simplex* seu *sacerdotalis*,

quæ à simplici presbytero ritè deputato peragi potest ; *Consecratio*, in quâ adhibetur chrismatis unctio, et à solo Episcopo peragi solet.

2° Ecclesiæ et Oratoria publica sunt de præcepto benedicenda, ex cap. 1, distinct. 1, *De Consecrat.* Non est tamen hæc obligatio juris divini, saltem rigorosè obligantis, alioquin non posset concedi facultas extra ecclesias celebrandi ; sed videtur esse institutionis apostolicæ.

Oratoria verò privata non sunt necessariò benedicenda.

3° Consecratio ecclesiarum à solo Episcopo fieri potest, ut constat can. *Tabernaculum*, *De Consecr.*, distinct. 1, et præsertim cap. *Aqua* 9, *De Consecr. eccles.* Quapropter in *Rituali Romano* his verbis concluditur cæremonia benedictionis ecclesiæ : « Ecclesia... quamvis à simplici sa-« cerdote, ut supra, sit benedicta, ab Episcopo tamen « consecranda est » : hoc autem non videtur esse intelligendum de præcepto saltem rigoroso ; sic enim interpretatur praxis hodierna.

Ab Episcopo loci, ubi sita est, ecclesia est consecranda, ex cap. *Nullus* 25, *De Consecrat.*, dist. 1, ubi Papa Hormisdas ait : « Nullus presbyter, in ecclesiâ consecratâ, « aliud altare erigat, nisi quod ab Episcopo *loci* sanctifi-« catum est vel permissum ». Idque adeò verum est ut nec ipse Vicarius generalis absque Episcopi sui aut jussu aut permissu consecrare ecclesias possit, etsi Episcopus sit ; non enim in istiusmodi rebus, sed in jurisdictionis duntaxat exercitio Diœcesani sui vices gerit.

Simplex sacerdos, etsi nequeat ab Episcopo deputari ad Consecrationem ecclesiæ vel altarium, potest tamen à S. Pontifice. Prælati verò regulares proprias ecclesias solemniter benedicere possunt, ex privilegio Leonis X.

4° Consecratio ecclesiæ fieri potest quocumque die, tàm dominicis quàm cæteris diebus (cap. *Tua fraternitas* 2, *De Consecrat. eccles.*). Fieri debet cum celebratione missæ, juxta cap. *Omnes* 3, *De Consecr.*, dist. 1. Non tamen foret nulla, sed solùm illicita ecclesiæ consecratio absque missarum celebratione. Missa non est necessariò dicenda ab Episcopo consecratore, sed celebrari potest à simplici sacerdote.

5° Ecclesiæ consecratio non præsumitur, sed est probanda, nempe vel scripturâ in libro aut lapide repertâ, vel testibus fide dignis, saltem uno : sufficiunt etiam cruces in pariete depictæ : « De ecclesiarum consecratione « quoties dubitatur, et nec certa scriptura, nec certi testes « existunt à quibus consecratio sciatur, absque ullâ dubi- « tatione scitote eas esse consecrandas ; nec talis trepida- « tio facit iterationem, quoniam non monstratur esse « iteratum, quod nescitur factum ». Ita can. *Solemnitates* 16, *De Consecr.*, dist. 1.

725. — 6° Cæremoniæ consecrationis ecclesiæ et benedictionis Primarii Lapidis ipsius, ab Episcopo faciendarum, inveniuntur in *Pontificali*; cæremoniæ autem benedictionis tàm ecclesiæ quàm Primarii Lapidis à sacerdote delegato faciendæ, in *Rituali Romano* describuntur.

Altare majus ecclesiæ consecratæ fixum esse debet et consecrandum est cum ecclesiâ. S. R. C., 19 sept. 1665.

7° Pridie consecrationis ecclesiæ, reliquiæ Sanctorum altari consecrando includendæ, vasculo inclusæ, in aliquâ proximiori ecclesiâ vel oratorio exponuntur, et coram eisdem celebrandæ sunt Vigiliæ et canendi Nocturni et matutinæ Laudes in honorem SS. quorum reliquiæ recondendæ sunt ; proinde de communi SS. quorum sunt reliquiæ cum Oratione de eodem communi sinè expressione nominis. S. R. Congr. 23 maii 1835, 14 jun. 1845.

8° Officium Dedicationis recitandum est, sub ritu duplici 1 classis, ab omni clero ecclesiæ consecratæ servitio strictim addicto. Congruit etiam ut illud recitet Consecrator, etsi ad id non teneatur quando non est Ordinarius loci. Non licet ipsius loco aliud officium recitare, quamvis esset officium Titularis ecclesiæ.

Officium Dedicationis non à primis Vesperis est recitandum, sed tantùm ab illâ horâ quâ completa est consecratio (S. R. C., 19 jul. 1780, et 24 maii 1835). Vesperæ autem pridie consecrationis, Matutinum, Laudes, Prima, etc., consecrationem præcedentes, recitandæ sunt de officio occurrente; deinde, hoc officio interrupto, inchoandum est officium Dedicationis ab horâ tertiâ. S. R. C., 7 decembr. 1844.

Si Dedicatio occurrat die per officium dignius impedito, ejus officium juxta rubricas transferri debet, et in hoc casu inchoandum est à primis Vesperis, quia fit consecratione peractâ.

9° In missâ Consecrationis fieri possunt commemorationes, prout in Festis 1 classis, sed nulla fieri debet commemoratio officii quod fuit recitatum, quia jam cessavit et est omittendum. Si consecratio fiat diebus in quibus nequit fieri officium Dedicationis sed transferri debet, missa tamen solemnis de Dedicatione est celebranda, nisi occurrat in diebus exceptis per rubricas generales *Missalis*, tit. 6 : quibus diebus dicenda est missa officii currentis cum commemoratione Dedicationis sub unicâ conclusione. Sacerdotes, ante peractam consecrationem celebrantes, missam recitare debent conformem officio de quo matutinum recitârunt.

10° Jejunium pridie Consecrationis est strictæ obligationis quoad Episcopum Consecratorem, et eos (tantùm) qui petunt sibi ecclesiam consecrari. S. R. C., 19 jul. 1780 et 11 sept. 1840.

11° Duodecim cruces quæ in Dedicatione ecclesiæ parietibus pinguntur vel inciduntur, *omninò perpetuis temporibus futuris remanere debent* in testimonium consecrationis ecclesiæ. S. R. C., 18 febr. 1696.

12° Ecclesiæ dedicandæ titulus datur in benedictione Primarii Lapidis, ex privato etiam fundatorum vel aliorum ad quos spectat arbitrio, et Festum Sancti vel Mysterii in cujus honorem ecclesia benedicitur aut consecratur, deinceps est celebrandum tanquam de Patrono seu Titulari, juxta rubricas. Semel electus titulus mutari deinde non debet.

« In ecclesiâ tantummodo benedictâ, altare potest consecrari, quin priùs ipsa consecratur. » S. R. C., 12 sept. 1857, ad XVI.

ART. V.

QUANDONAM ECCLESIÆ EXECRENTUR, ET QUID TUNC SIT FACIENDUM.

726. Quando ecclesia, vel casu fortuito vel consultò,

totaliter aut saltem majori ex parte etiam quoad parietes destruitur, et denuò de novo simul construitur, de novo quoque consecrari debet, etsi ex eâdem materiâ, vel iisdem ruderibus reædificetur : arg. can. *De fabricâ* 24, *De Consecr.*, dist. 1 : ratio est quia in tali casu nec moraliter nec physicè censetur eadem ecclesia.

Dicitur autem si *simul de novo construitur* : quia, si ecclesia successivè per partes deficiens, per partes statim iterum reficitur, non est opus novâ consecratione, etiamsi tota ecclesia successivè per partes ita destruatur et reparetur ut nulla pars de primo ædificio supersit : ratio, quia in tali casu censetur moraliter adhuc eadem ecclesia; accedit et alia ratio, quia, juxta vulgaria, *magis dignum trahit ad se minùs dignum*, *et major pars minorem* ; sufficit itaque in tali casu si nova pars aspergatur aquâ benedictâ. Arg. citat. can. *De fabricâ.*

Idem dicendum est, si non tota ecclesia, nec major, sed aliqua tantùm pars ejusdem, v. g., tectum corruat, parietibus illæsis, ex c. *Ligneis*, 6, *De Consecr. eccles.*

Quòd si tamen ecclesia igni foret exusta, ita ut parietes interiores ex toto vel ex majore parte sint devastatæ, vel abrasæ, etsi non corruant, indiget novâ consecratione.

Quandò autem ecclesia execrata fuerit, non potest sacris mysteriis inservire, nisi denuò benedicatur, aut consecretur, sed non indiget reconciliatione. Quomodò autem execrentur altaria, vide *Manuale* (3601, etc.).

Quid verò sit faciendum de ruderibus et reliquiis ecclesiarum? Juxta Papam Hyginum in cap. *Ligna* 38, *De Consecr.*, dist. 1 : « Ligna ecclesiæ dedicatæ non debent « ad aliud opus jungi, nisi ad aliam ecclesiam : vel igni « sunt comburenda, vel ad profectum in monasterio fra« tribus ; in laicorum verò usum non debent admitti » ; sed à longo tempore, temperatus fuit rigor illius disciplinæ, et hodie lapides et ligna ecclesiæ in usus profanos, modò non sint inhonesti, adhibentur, quod ab ipsomet Concil. Trident. admittitur (sess. 21, c. 7, *De ref.*). — Secus autem est dicendum de reliquiis paramentorum sacerdotalium aut sacrorum linteaminum.

ART. VI.

QUOMODO POLLUANTUR ECCLESIÆ, ALTARIA, CŒMETERIA; QUID TUNC SIT AGENDUM.

727. Juxta canonicas sanctiones, ecclesiæ, altaria, etc. polluuntur quando in eis perpetrantur actiones quædam urpes, quæ, juxta æstimationem hominum, ipsis ita injuriosæ reputantur ut indecens videatur quòd res divinæ in eis peragantur, antequam purificentur seu reconcilientur.

Actiones hujusmodi quatuor numerantur; videlicet polluuntur ecclesiæ:

I. Per *voluntariam*, *injuriosam ac graviter peccaminosam sanguinis effusionem*, qualis contingere solet ex vulnere injuriosè illato: eruitur ex cap. *Proposuisti* 4, et cap. finali *De eccles. consecr.*; item ex cap. unico ejusdem tituli, in 6°, et can. *Ecclesiis, De Consecrat.*

Dicit. 1° Per *voluntariam effusionem* : quia si casu fieret, aut ab amente, ecclesia non pollueretur.

Dicit 2° *Injuriosam* : quia si percussio, etsi voluntaria, esset tamen justa, v. g. ob justam suî defensionem, servato moderamine inculpatæ tutelæ, non pollueretur ecclesia, quia ipsi non fieret injuria.

Dicit. 3° *Graviter peccaminosam* : quia pariter ecclesia non pollueretur si effusio sanguinis causaretur ex actione *leviter* peccaminosâ : si nempe pueri se invicem percuterent, aut si pater vel magister, causâ correctionis, leviter excederet, et tamen copiosa sanguinis effusio ex naribus aut aliundè contingeret : probabiliùs autem putat S. Liguor. cum aliis, copiosam effusionem sanguinis è naribus ecclesiam polluere si ex peccato mortali accidat (lib. 6, n° 365).

Requiritur 1° ut effusio sit copiosa : unde ecclesia non polluitur, etsi percussio fuerit gravissima et cum summâ injuriâ, si solùm aliquæ guttæ sanguinis effundantur, et à fortiori si nullus sanguis fluat : verba enim canonum *sanguinis effusionem* copiam denotant.

Requiritur 2° ut effusio sanguinis physicè causetur intra ecclesiam : undè non violatur ecclesia si quis extra illam,

vel in porticu, turri, aut subtus in speluncâ [1] percussus, fugiat in ecclesiam, ibique sanguinem effundat copiosè. Benè tamen ècontra, si percussus in ecclesiâ, extra illam primùm fundat sanguinem copiosum, quia in hoc casu causa effusionis ecclesiæ injuriosa in eâ ponitur : ecclesia enim polluitur non propriè per effusionem sanguinis, sed per crimen illam effusionem causans modo ecclesiæ injurioso, prout certè accidit in casu; et reverà in cap. *Si ecclesia*, *De Consecrat. eccles.*, non requiritur *sanguinis effusio intra ecclesiam*. Vide S. Liguor. (lib. 6, 364) qui hoc tamen habet tantùm ut probabiliùs ; nam plures alii secus sentiunt.

Item pollueretur ecclesia, si aliquis extra eam existens alterum in ecclesiâ exstantem sagittâ vel sclopo lædat aut occidat; secus si quis existens intra ecclesiam, lædat aut occidat jaculo hominem extra ipsam existentem : non violatur per hoc ecclesia, quia tunc homicidium non est intra ecclesiam patratum.

728. — II. Violatur ecclesia per *homicidium voluntarium et injuriosum*, sive suî ipsius sive alterius, etiamsi sanguis non effundatur : ita can. *Si motum* 19, *De Consecr.*, dist. 1. — Dicitur *voluntarium et injuriosum*, quia ob casuale vel peractum ad suî justam defensionem, cum debito moderamine, non polluitur ecclesia ; item non violatur ob homicidium à furioso vel à penitùs ebrio patratum, quia non est voluntarium; violaretur ècontra per executionem malefactoris intra ecclesiam, etsi per judicem imperatam, quia talis executio esset ecclesiæ injuriosa, nisi ecclesiæ perturbator aliter capi nequiret.

729. — III. Polluitur ecclesia per *voluntariam ac illicitam seminis etiam muliebris effusionem in illâ peractam*. Ita cap. unic., *De consecrat. eccles.*, in 6°. Nec refert an simplici pollutione, vel fornicatione, adulterio, etc., hoc contingat : cap. *Significasti*, *De adulter.*; can. *Ecclesiis* 30, *De Consecr.*, dist. 1.

Controvertitur an actu conjugali ecclesia pollueretur : tanquam probabiliorem S. Ligorius habet sententiam affir-

[1] Si tamen crypta esset singulariter benedicta, aut esset locus sepulturæ, violata esset. Vide S. Liguor. (lib. 6, n° 362).

mantem, saltem extra casum necessitatis : si, v. g., per decem aut viginti dies conjuges cogerentur manere in ecclesiâ, aut si essent in periculo incontinentiæ (lib. 3, n° 458).

Dictum est *in ecclesiâ peractam* : non autem violaretur ecclesia per seminis effusionem supra tectum, vel subtus ecclesiam, aut in sacristiâ, imò in choro, tribunâ, confessionario, si sint extra corpus ecclesiæ.

730. — IV. Violatur ecclesia si in eâ sepeliatur infidelis non baptizatus, aut excommunicatus vitandus, ex cap. *Ecclesiam* 27, *De Consecrat.*, dist. 1. — Non autem polluitur ecclesia si in eâ sepeliantur alii indigni.

Dubitatur an ecclesia vel cœmeterium polluatur per inhumationem hæretici notorii; probabilior autem sicut etiam communior videtur sententia negans. Re quidem verâ in cap. *Quicumque*, *De hæreticis*, in 6°, sancitur ut locus in quo sepultus est *hæreticus*, *perpetuâ careat sepulturâ*; sed quando iste canon fuit editus, non requirebatur denuntiatio ut excommunicatio suos omnes effectus produceret : sufficiebat enim tunc notorietas; sed hodie post Martini V Bullam, *Ad evitanda scandala*, hæc non ampliùs sufficit.

Certè non polluitur ecclesia, si in eâ sepeliatur infans non baptizatus, in utero matris mortuæ inclusus et cum ipsâ defunctus. Certum est etiam illicitum esse illum in ecclesiâ aut cœmeterio sacro sepelire, si extractus fuerit ab utero matris suæ. Sed controvertitur an in isto casu polluatur ecclesia vel cœmeterium, de quo vide *Manuale*, n° 4,800, etc. Certè polluitur, si sepeliuntur filii infidelium : quia filii conditionem parentum sequuntur; imò sententia communior tenet ecclesiam pollui per sepulturam filiorum fidelium nondum baptizatorum. Et hæc opinio est tenenda, juxta Decretum S. Congr. Immunitatis 18 aug. 1821, ubi præcipiuntur exhumatio talium infantium non baptizatorum, ac reconciliatio cœmeterii in quo fuerunt sepulti. Juxta sententiam communiorem non polluitur ecclesia aut cœmeterium per sepulturam catechumeni.

In prædictis casibus, ecclesia tanquam polluta haberi non debet, nisi sint notorii : ita cap. *Tua* 34, *De simon.*,

et can. *Erubescant*, dist. 32; sed polluta evadit statim ac notoria fit actio polluens, sive ab initio sive postea fiat notoria tàm notorietate juris quàm facti. Quidquid nonnulli asserant, sufficit notorietas facti, nec requiritur notorietas juris. Statim ac notoria efficitur pollutio loci sacri, auferri debet sacra Eucharistia, altaria nudari debent tollendaque sunt omnia mobilia.

Nisi priùs reconcilietur, illicitum est celebrare in ecclesiâ pollutâ; excipe casum necessitatis in quo venia ab Episcopo petenda est si adiri possit, alioquin inibi sinè eâ celebrare licet; item illicitum est in eâ mortuos sepelire aut celebrare divina officia; qui contra faceret, peccaret quidem graviter, sed irregularitatem non incurreret, quia talis non est effectus contemptûs violationis ecclesiæ. Controvertitur verò an tunc suspensio incurratur, et in tali dubio videtur quòd ut non contracta haberi possit.

« Si, sacerdote celebrante, violetur ecclesia ante cano-
« nem, dimittatur missa, si post canonem (inceptum),
« non dimittatur. » (Rubrica *Missalis*, *De defect.*, § X, 2.)

731. Quando ecclesia aliquo ex præfatis modis polluitur, quamprimùm reconciliari debet: cap. fin., *De Consecrat. ecclesiæ*; et quidem, si ecclesia erat consecrata, reconciliari nequit ab alio quàm ab Episcopo loci, aut alio Episcopo ex ejusdem delegatione; et idem est dicendum de cœmeterio consecrato. (S. Rit. Congr. *In Cameracensi*, 9 febr. 1608). Debet autem reconciliatio fieri aspersione aquæ cum vino et cinere atque sale juxta ritum *Pontificalis* benedictæ.

Ex commissione aut privilegio Sedis Apostolicæ, reconciliatio ecclesiæ consecratæ aut cœmeterii fieri potest per simplicem sacerdotem, modò adhibeatur aqua benedicta ab Episcopo: et hoc privilegium à Leone X concessum fuit Generalibus, Provincialibus, Custodibus, Guardianis Fratrum Minorum; ab ipsis tamen presbyteris benedici posset aqua, si Episcopus duabus diætis distaret.

Si verò ecclesia fuisset solùm benedicta, à quovis sacerdote reconciliari potest per aspersionem solius aquæ communis à simplici sacerdote benedictæ. Imò ex cap. finali, *De Consecrat. eccles.*, plures asserunt posse concludi ne-

cessariam non esse licentiam Episcopi : in eo enim capitulo dicitur : « Si ecclesia non consecrata... fuerit polluta, aquâ « *protinùs* exorcizatâ lavetur » ; si *protinùs*, ergo, non expectatâ licentiâ ; ratio ibidem datur : « ne divinæ laudis « organa suspendantur » : proinde statim ac ecclesia fuerit polluta, etiam tempore missæ, posset reconciliari, et postea perfici Sacrificium : et ita sentit ipse Bened. XIV (*De Syn.*, lib. 13, c. 15, n° 11). In *Rituali Romano* dicitur tamen : « ecclesiæ violatæ reconciliatio per sacerdotem *ab Epis-* « *copo delegatum* fiat hoc modo, etc. » ; sed communiter dicunt auctores non requiri licentiam Episcopi *de præcepto*, sed solùm ex *decentiâ*.

Oratoria quæ non fuerunt benedicta, violationum non sunt capacia, nisi in ipsis exstet altare ad divina facienda.

732. Si ecclesiæ polluantur per alicujus sepulturam, non est licitum illas consecrare, aut in illis celebrare, proinde illas reconciliare, priusquam exhumatur cadaver et alibi transferatur : ita cap. *Ecclesiam* 27, *De Consecrat.*, dist. 1. — Apud nos obtineri potest ab auctoritate civili permissio hanc exhumationem faciendi, ut constat ex *Journal des fabr.*, t. 3, p. 378. Saltem obtineatur licentia circumsepeliendi tumulum muro vel fossâ, aut alio modo ; si autem non posset obtineri hæc licentia, ad Superiores esset recurrendum.

Si corpora quæ exhumanda sunt ab aliis discerni nequeant, « expedire non credimus ut cum excommunica- « torum ossibus corpora extumulentur fidelium ». Ita cap. *Sacris* 12, *De sepulturis*. Et in hoc casu reconciliari potest cœmeterium sinè factâ exhumatione.

Quæ dicta sunt de pollutione et reconciliatione ecclesiæ, dicenda sunt pariter de cœmeterii pollutione et reconciliatione.

Adverte quòd « si ecclesiam pollui... contingat, ipsius « cœmeterium, si contiguum sit eidem, censeatur esse « pollutum : unde, antequam reconciliatum fuerit, non « debet in eo aliquis sepeliri ; secus si remotum fuerit ab « eâdem. Non sic quoque in casu controverso sentimus, « ut videlicet, polluto cœmeterio, quamvis ecclesiæ con- « tiguo, debeat ecclesia reputari polluta, ne minùs dignum

« aut necessarium principale ad se trahere videatur. » Sunt verba cap. unici, *De Consecr. eccles.*, in 6°, ubi insuper dicitur :

« Non unum sed plura cœmeteria noscuntur, quæ, « quamvis sibi cohærentia, pariete tamen mediâ sejun- « guntur. Ideòque, violato eorum altero, alterum (licet de « uno ad aliud per portam intermediam habeatur accessus) « non propter hoc reputabitur violatum. »

Pollutâ ecclesiâ, polluitur simul altare fixum in eo constructum : cap. *Proposuisti* 4, *De Consecr.*; non tamen polluitur si sit portatile, quia non habet connexionem necessariam cum eo. Aliter est dicendum de execratione : execratâ enim ecclesiâ non ideò execrantur altaria etiam fixa quæ inibi existunt : cap. *Ad hæc*, *De Consecr. eccles.*

Non ideò polluuntur ecclesiæ quia ab hæreticis fuerunt occupatæ; si tamen actu ab hæreticis occupentur, cavendum est, sacra in eis faciendo, ne approbari videatur hæresis aut schisma.

ART. VII.

DE SUPELLECTILI ECCLESIARUM.

733. Multa diximus de sacrâ supellectili, loquendo de requisitis ad missam; sufficiat hîc adjicere : 1° quæ dicuntur in *Rituali Romano* circa vasa in quibus conservanda sunt Olea sacra : « Chrisma et Oleum sacrum sint « in suis vasculis argenteis, aut saltem stanneis, benè « obturatis : quæ vascula sint inter se distincta, et propriam « unumquodque inscriptionem habeat majusculis litteris « incisam, ne quis error committatur.

« Ad usum verò quotidianum, minora habeantur vas- « cula ex argento si fieri potest, aut stanno; sive separata, « sive etiam conjuncta, aptè tamen distincta et benè co- « operta, et cum suis inscriptionibus. »

2° Nemini licet, in ecclesiâ quomodolibet exemptâ, « ullam insolitam imaginem ponere, vel ponendam cu- « rare, nisi ab Episcopo probata fuerit » (Concilium Tridentinum, sess. 25, *Decretum de Invocatione Sanctorum*); poni tamen possunt, inconsulto Episcopo, imagines quæ

solita mysteria aut historias approbatas Sanctorum continent; sed non licet exponere in ecclesiâ imagines Servorum Dei nondum beatificorum, præsertim cum radiis aut sanctitatis signis. Ita Urbanus VIII, Constit. *Cœlestis*.

Beatificati pingendi sunt cum radiis tantùm; Canonizati verò cum diademate circa caput. — Imagines Beatorum non ubique licet publicè exponere venerationi fidelium. Imagines autem plurium Sanctorum apponi possunt super altari in quo sacrum peragitur.

« Imagines Deum repræsentantes sub eâ formâ quâ « ipse hominibus apparuit, licitæ sunt (Bened. XIV..., « Constit... *Sollicitudini*, § 12...). Imagines SS. Trinitatem « repræsentantes sub certis formis licitæ sunt : nempe « quæ Deum Patrem continent in formâ hominis senis, in « cujus sinu sit Christus et inter utrumque Spiritus Sanctus « in formâ columbæ; vel imagines in quibus seorsim « Deus Pater in formâ hominis senis, et seorsim Christus, « sed propinqui ambo, et inter utrumque Spiritus Sanctus « in formâ columbæ (*ib.*, § 25, 32, 36)... Pingi etiam « potest Pater solus...; item æternus Filius seorsim..., « etiam sub formâ *Agni*; item Spiritus Sanctus, vel tan- « quam de cœlo descendens die Pentecostes in figurâ lin- « guarum ignis, vel aliàs in columbæ specie, seorsim « pariter ab aliis Personis divinis : non tamen Spiritus « Sanctus seorsim à duabus aliis Personis humanâ specie, « seu viri, seu juvenis depingi potest (*ibid.*, § 36).

« Non licet Sanctissimam Trinitatem pingere in utero « B. M. Virg. (*ib.*, § 27), nec sub figurâ hominis tricipitis « (*ib.*, § 28). An autem sub figurâ hominum æqualium et « similium, disputatur... (*ib.*, § 29). Imagines divinam « Personam repræsentantes sub aliâ formâ quàm quæ ab « eâdem assumpta fuerit, tolerari non debent (*ib.*, § 22). » Ita Ferraris (v° *Imagines*, n° 54, etc.)

« Urbanus VIII comburi jussit imaginem cum tribus « buccis, tribus nasis et quatuor oculis » ad designandam Trinitatem. *Ib.*, n° 44.

Item licitum est Angelos depingere in formâ corporeâ, quali in scripturâ referuntur sæpissimè hominibus apparuisse, vel quali ibidem describuntur.

Imagines autem Christi et Deiparæ, Angelorum, Apostolorum aliorumque Sanctorum prohibentur sculpi aut pingi cum habitu peculiari alicujus Ordinis regularis, seu alio modo in ecclesiâ inconsueto. Et si jam sic sculptæ vel depictæ sint, amoveri debent ab ecclesiis, nec publico aspectui sunt exponendæ. — Urbanus VIII, Constit. *Sacrosancta*, 15 martii 1642. Vide alia in *Manuali*, n° 4821.

734. — 3° Nemini licet in ecclesiâ ponere sedilia vel scamna, absque facultate rectoris ejus aut licentiâ Episcopi; et, si apposita fuerint, removenda sunt illorum jussu: maximè quandò sunt causa rumoris et functiones impediunt: ita pluries decisum à S.C. Episc. et à S. Congr. Rit.

Fundator, vel aliquis insignis benefactor posset sibi reservare jus perpetuum sedis aut scamni in ecclesiâ, sicut potest sibi pariter reservare jus habendi prospectum seu ingressum in ipsam, juxta communem DD. sententiam. Vide Ferraris, v° *Ecclesia*, art. 5, n° 6.

Etsi Episcopus vel rector possit revocare usum sedilium à seipso concessum, eum tamen retrahere non debet, nisi juxta servitium vel commodum ecclesiæ, vel nisi quis proprietatem sibi prætenderet: quia, ex regulâ juris 21, in 6° : « quod semel placuit, ampliùs displicere « non potest ».

Non possunt autem possessores sedilium in toto vel in parte, illorum usum aut situm aliis cedere aut quoquo modo concedere nisi Episcopus consentiat.

Jus habendi sedilia vel sepulchra in ecclesiâ, concessum alicui familiæ vel descendentibus, extinctâ familiâ, transit ad hæredes extraneos, nisi taxativè concessum fuisset illis de familiâ duntaxat, vel solis descendentibus. Vide alia in *Manuali*, n° 4826, etc.

Quando lis inter privatos oritur super competentiâ loci sedilis, qui sunt in possessione, in eâ absque novitate manutenendi sunt. S. Cong. Episc., 6 mart. 1692. — « Contra « amoventes sedilia agi potest actione injuriarum, etiamsi « amovens esset Administrator ecclesiæ. »

« Si antiqua forma ecclesiæ immutetur... sedilia seu « scamna laicorum reponi debent eodem ordine quo re- « periebantur ante immutationem fabricæ, vel in loco æquè

« digno... Rota. » (Vide circa hoc *Journal des fab.*, tom. 9, p. 26, et tom. 8, p. 367).

« Sedilia non possunt in ecclesiâ ita collocari ut sedentes « vertant terga ad SS. Sacramentum, et alia indecora orian « tur. S. Pius V, Const. *Cùm primùm.* » Ferrar. v° *Ecclesia*, art. 5, n^is^ 24-27. Vide *Manuale*, n° 4827.

ART. VIII.

DE PROHIBITIONE NE CERTI ACTUS FIANT IN LOCIS SACRIS.

735. Jure canonico prohibetur ne ecclesiæ usibus profanis inserviant, iis præsertim qui ipsarum sanctitatem magis dedecent. Cap. *Decet* 2, *De immunitate eccles.*, lib. 3, in 6°.

Prohibentur ergo in ecclesiis : 1° Universitatum et societatum quarumlibet (intellige laicorum) concilia, conciones, parlamenta : v. g. electiones populares, nisi ex necessitate, v. g. ob pluviam, solis æstum: modò fiant sinè strepitu, et desit alius locus opportunus ; ludi verò theatrales profani, etiam prætextu consuetudinis, in ecclesiis vetantur ab Innocent. III, in cap. *Cùm decorem, De vitâ et honest.*, etc. — Quoad autem pias repræsentationes, licitæ fieri possunt cum Episcopi licentiâ : idem est dicendum de disputationibus litterariis publicis, quia scientia est res sancta et donum Dei, pietati ac religioni inserviens : eâdem ratione licet conferre in ecclesiâ gradus academicos : hæc etiam Romæ fiunt, ubi pariter solent alumnis præmia solemniter distribui, post decursum uniuscujusque anni studiorum curriculum.

2° Negotiationes, nempe venditiones aut alii contractus qui mercatus et præsertim nundinas sapiunt : consuetudine autem introductum est, et licitum videtur vendere ad portas ecclesiarum res pias, ut coronas deprecatorias, numismata, pias imagines, libros asceticos, etc. Intra tamen ecclesiam illicitum esset hujusmodi mercaturam exercere.

3° Judicia sæcularia, maximè in causis criminalibus et sanguinis. — Secus de judiciis ecclesiasticis, quæ haberi possunt in locis sacris, et sæpe in Conciliis habita sunt.

— Quoad verò judicia sæcularia, ut nulla, jure canonico, haberi debent, si fiant in ecclesiâ, juxta citat. capit. *Decet*, § *Ordinarii*.

4° Ex verbis ejusdem cap. *Decet* : « Sint loca eadem à « laicorum cognitionibus aliena », deducitur neminem posse habere fenestram per quam prospectus, aut portam per quam transitus habeatur in ecclesiam sinè Indulto Apostolico. Sic pluries à S. Congr. Episc. et Reg. fuit decisum. Imò injungitur Episcopo ut cryptas et aditus subterraneos à domibus privatorum, etiam patronorum, ad ecclesias, et loca immunia claudere faciat, etiamsi illi aditus in gratiam privatorum haberentur per januam domui parochiali communicantem ; nec hoc Ducibus et Marchionibus permitti posse declaravit S. Congr. Episc. 5 martii 1619 : excipiendi sunt fundatores et benefactores insignes. Quid autem statuat jus civile apud nos, vide *Journal des fabriques*, tom. 2, p. 206.

Item Ordinarius permittere non debet super ecclesias esse immediatè cameras, vel loca ad habitandum, dormiendum, vel deambulandum, absque licentiâ Sedis Apostolicæ; si secus fiat, ab Ordinario debent interdici donec tales servitutes removeantur. S. C. Episcop., 26 jul. 1613; 2 oct. 1626; 13 apr. 1646, 11 jun. 1655.

Nota tamen quòd, etiam juxta nostras leges civiles, condi nequeat à Fabricâ medietas murorum ecclesiæ seu servitus *oneris ferendi, aut tigni immittendi*. Cod. civ., art. 537.

Hîc etiam referendum est quod habetur in Decreto S. Rituum Congreg., scilicet : « Non licere cuicumque, etc. « (personis regalibus tantùm exceptis) ad ecclesias strata « sibi deferri facere : secus immediatè cessandum est à « divinis. Quod nisi servetur, rectores cæterosque eccle- « siarum ministros ipso facto excommunicationem incur- « rere, eamque ecclesiam habendam esse pro interdictâ. » Hoc Decretum Bullario Clementis XI insertum fuit; et inibi adjicitur : « Sanctitas Sua Decretum approbavit, nec « non promulgari atque executioni tradi et in omnibus « Urbis sacrariis affigi mandavit, die 3 oct. 1704. » Vide Ferraris (*ibid.*, n^is 28. 29), qui insuper refert plures deci-

siones S. R. Congr., in quibus vetitum est præbere Evangelium laicis ad osculandum inter missarum solemnia, et pariter præstare ipsis usum throni, seu baldachini, eosque admittere intra presbyterium. Dicta exc. ablata est C. *Ap. Sed.*

S. R. Congr. per Decret. 16 mart. 1697, confirmatum 12 sept. 1699, mandavit aptandum esse locum Magistratui extra presbyterium, juxta designationem factam à Magistro cæremoniarum, non obstante quòd Magistratus reperiretur in possessione, et allegaret alterius loci congrui deficientiam.

Etiam juxta legislationem nostram civilem, laici in dignitate constituti sedem in sanctuario occupare non debent, sed tantùm in choro, vel in navi (*Décret du 24 messidor an XII*).

De jure asyli et privilegiis Basilicarum, vide *Manuale*, n^is^ 4838-4844.

CAPUT VII.

DE JURE LITURGICO ET DE OFFICIO DIVINO[1].

736. Vox *Liturgiæ* venit à duobus vocibus græcis *ministerium publicum* significantibus : videlicet à λειτον (*publicum*), ἐργον (*ministerium*).

Per hanc vocem designatur *Forma cultûs externi in Ecclesiâ catholicâ instituti.*

ART. I.

DE POTESTATE AD QUAM SPECTAT LITURGIAM STATUERE ET ORDINARE.

737. Somniârunt Protestantes ad Principes sæculares pertinere jus liturgiam statuendi vel moderandi : sive quia

[1] Supprimimus in hoc compendio quæstiones de *Festis* et *Jejuniis* pro quibus *Manuale* est adeundum à n° 4845 usque ad n^m^ 5029, ubi etiam explanantur quæ ad Beatificationem et Canonizationem SS. spectant ; prout etiam quæ concernunt Patronos locorum et Ecclesiarum titulares, et de iisdem commemorationes tàm in Missâ quàm in officio divino.

Principes possident in suo respectivo territorio, non solùm temporalem, sed etiam, ut aiunt, spiritualem potestatem; sive quia illa potestas fuit eis concessa, propter necessitatem, à communitate fidelium.

Qui apud nos dicuntur *Gallicani Parlamentarii*, eamdem tribuunt potestatem Principi sæculari, eò quòd *disciplina ecclesiastica sit pars integrans politiæ generalis cujusque nationis christianæ*, *et Princeps habeat jus sibi cavendi*, *seu sese præmuniendi contra excessus Potestatis ecclesiasticæ;*—vel quia : *In externis actionibus, quo divina jura propagantur et in Republicâ administrantur, Sacerdotium Imperio civili est subjectum;* vel quia Princeps est sacrorum canonum protector : ita Genovesi (in suo libro, *De jure et officiis*), Simon Vigor, Neapolitanus Giannone, quidam sacerdotes Aurelianenses, anno 1730 ; Dupin (*aîné*) in suo opere *Manuel du droit ecclésiast.*; Durand de Maillane (*Dictionnaire*, v° *Discipline*). Sic autem legitur in art. X libertatum Gallicanarum : « Les rois très-chrétiens « ont de tout temps, selon les occurrences et nécessités « de leur pays, assemblé ou fait assembler Synodes ou Con- « ciles Provinciaux, Nationaux, esquels, entr'autres choses « importantes à la conservation de leur état, se sont aussi « traitées les affaires concernant l'ordre et la discipline ec- « clésiastique de leur pays, dont ils ont fait faire règles, « chapitres, lois, ordonnances et pragmatiques sanctions, « sous leur nom et autorité. Et s'en lisent encore aujour- « d'hui plusieurs ès recueils des décrets reçus par l'Église « universelle, et aucunes approuvées par Conciles géné- « raux. »

Juxta Gallicanos Parlamentarios, Episcopi nequeunt liturgiam moderare nisi dependenter à Regis auctoritate; apud Regem proinde residet, juxta ipsos, suprema potestas legislativa quoad liturgiam : « C'est un droit des Evê- « ques et même une obligation, inquit Durand de Maillane « (*Dictionn.*, v° *Livre*), d'examiner attentivement les livres « d'Église... et de réformer ce qui s'y trouve de défec- « tueux ; mais ils ne sauraient dans ce royaume innover « aucune chose en l'exercice et célébration du service divin « sans l'autorité du Roi. »

Hùc usque procedere non videntur cæteri Gallicani : attamen cùm teneant ambas potestates, spiritualem nempe et civilem, à se invicem esse independentes, asserere coguntur, casu quo hæ potestates inter se non consentiunt circa res mixtas, nullam ex iis posse prævalere; proinde eas omnino annihilant quoad jus imperandi negotia hujusmodi.

Insuper Gallicani tribuunt Episcopis potestatem ordinandi liturgiam in suâ respectivâ diœcesi, absque facultate Romani Pontificis : quod ad effectum olim reduxêre plures Galliæ Antistites, mutando liturgiam diœcesi propriam contra prohibitionem S. Sedis ; imò eò usque devenêre nonnulli ex ipsis, ut sub pœnis canonicis prohiberent recitare officium S. Gregorii VII, licet sit ab Ecclesiâ præceptum.

738. Contra illos errores dicimus : 1° Certum est Principem sæcularem nullum habere jus in liturgiam, nisi ei ab Ecclesiâ fortè fuerit concessum : quia liturgia est res sacra, ad cultum divinum pertinens ; porrò res sacræ, Ecclesiæ, non verò principi seculari fuerunt à Deo commissæ ; nec ad principem sæcularem deferri potest hæc potestas per communitatem fidelium : nam potestas spiritualis non venit à communitate sed à Deo, qui illam dedit non communitati fidelium sed pastoribus ipsi præpositis : istis enim, non meris fidelibus Christus dixit : « Pasce agnos « meos, pasce oves meas » ; et adhuc : « Euntes docete « omnes gentes..., docentes eos servare omnia quæcumque mandavi nobis » (S. Joan., c. 21, v. 17 et 18; S. Matth., c. 28, v. 19). Non super populos Christus suam Ecclesiam ædificavit, sed super Petrum.

2° Certum est supremum jus in liturgiam ad Romanum Pontificem pertinere : nam de fide est Romanum Pontificem plenam habere à Christo potestatem Ecclesiam gubernandi universam. Ita enim fuit definitum à Concilio Florentino.

3° Certum est Episcopos posse jus habere in liturgiam ex concessione S. Sedis : ratio patet; porrò ad id minimè necessaria est commissio expressa : eo enim ipso quòd S. Pontifex leges in hâc materiâ non tulerit, aut nonnisi

partes aliquas liturgiæ suis Decretis determinaverit, cætera censetur reliquisse ab Episcopis determinanda, servatis tamen generalibus Ecclesiæ regulis.

ART. II.

DE STATU LITURGIÆ ANTE S. PIUM V.

739. Non est dubitandum quin ab Ecclesiæ exordiis aliqua exstiterit liturgiæ forma; sacrificium enim missæ, sacramenta celebrari vel administrari non potuerunt nisi determinatis quibusdam ritibus : Paulus enim (1 Cor., c. 11, v. 34), statutis quibusdam circa Eucharistiam, sic addit : *Cætera cùm venero disponam.*

Primitùs hæc liturgia varia videtur fuisse in accidentalibus pro diversitate locorum ; potestatemque legislativam circa hujusmodi accidentalia Præsules possederunt usquè ad sæculum quintum; sed versùs hanc epocham, introduci cœpit unitas Metropolitana, ut pluribus constat : sufficiat referre verba Concilii Milevitani in Africâ, anno 416 : « Placuit etiam et illud, ut preces vel Orationes seu missæ « quæ probatæ fuerint à Concilio, sive præfationes, sive « commendationes, seu manûs impositiones, ab omnibus « celebrentur. Nec aliæ omninò dicantur in Ecclesiâ nisi « quæ à prudentioribus tractatæ, vel comprobatæ in Sy- « nodo fuerint : ne fortè aliquid contra fidem, vel per « ignorantiam, vel per minus studium sit compositum. » Similia leguntur in pluribus aliis Conciliis. In Toletano, anno 676, sic legitur, c. 3 : « Placuit concilio ut Metropo- « litanæ Sedis auctoritate coacti, uniuscujusque Provinciæ « cives, rectoresque ecclesiarum, unum eumdemque in « psallendo teneant modum, quem in Metropolitanâ « Sede cognoverunt institutum, nec aliquâ diversitate « cujusque ordinis vel officii à Metropolitanâ se patiantur « Sede disjungi... »

Etsi ante sæculum VIII SS. Pontifices sæpe hortati fuerint Ecclesias Occidentales ad sequendam liturgiam Romanam, ut videre est in epistolis Siricii, Cœlestini, Innocentii I, attamen nunquam illam liturgiam strictè obligatoriam fecerunt, ut pariter constat ex respons. S. Gregorii ad S. August. Angliæ Apostolum. Sed octavo sæculo

sublata fuit antiqua Ecclesiarum Galliæ liturgia [1], et Romana ibidem fuit introducta, et in toto Romano Imperio confirmata; legitur enim in Capitularibus Aquisgrani confectis, anno 789 : « Dùm à primis temporibus... (nostræ « partis Ecclesia) ab eâ (Ecclesiâ Romanâ) paulò distaret « (quod tamen contra fidem non est), in officiorum cele- « bratione, venerandæ memoriæ Genitoris nostri illustris- « simi Pipini Regis curâ et industriâ, sive adventu in Gal- « lias sanctissimi Viri Stephani, Romanæ Urbis Antistitis, « est ei etiam in psallendi ordine copulata, ut non esset « dispar ordo psallendi quibus erat compar ordo credendi; « nec sejungeret officiorum varia celebratio quos conjun- « xerat unicæ fidei pia devotio. » — Non videtur tamen fuisse tunc Episcopis prohibitum corrigere, addere, vel immutare quæ ad substantiam liturgiæ non pertinebant; et sic, labentibus sæculis, evenit ut in Galliis liturgia sat discrepabat à Romanâ.

Pariter à Gregorio VII sublata fuit ex Hispaniis liturgia *Mozarabica* [2] ut introduceretur Romana, ut constat ex litterâ quam hic Pontifex direxit ad Alphonsum et Sanciam Hispaniæ reges, et simul ad Episcopos eorumdem ditionis.

Jam autem à tempore S. Gregorii Magni vigebat in Angliâ eadem liturgia Romana, ut constat ex Concilio Cloveshoviensi. Unde in toto generaliter Occidente, admissa fuit à tempore S. Gregorii VII.

In omnibus præfatis locis relicta fuerat, usque ad Pium V, facultas mutandi ea quæ ad substantiam liturgiæ non pertinebant; nunquam verò, nec in Oriente, integram liturgiam tollendi, et aliam novam introducendi. Frustra objiceretur introductio liturgiarum Orientalium et imprimis S. Basilii: nam non constat illas liturgias fuisse omnino novas et ab antiquis substantialiter dissimiles.

[1] Hæc liturgia ab Oriente orta vulgò habebatur, sed priscæ Romanæ similem fuisse probat Marchesi in opere l'*Antica Liturgia Gallicana* Hoc liturgiæ Gallicanæ erat proprium quòd, post nonam lectionem in nocturnis, addebatur responsorium sicut etiam in vesperis festorum solemnium, etc.

[2] Quæ vocatur *Gothica*, à Gothis qui illam ab Oriente in Hispanias induxerant, quinto sæculo, quam has regiones invaserant.

Ex his D. Bouix concludit (*De Jure liturgico*, p. 189) jus liturgicum sic posse exponi ante S. Pium V, « nempe : « 1° regulares ad liturgiam in suâ regulâ seu Instituto « præscriptam fuisse adstrictos ; 2° item clericos sæculares « intitulatos ad certam Ecclesiam, debuisse officio hujus « Ecclesiæ sese conformare ; 3° singulas Ecclesias gene- « ratim loquendo debuisse sequi liturgiam Metropolitanæ « Ecclesiæ, juxta can. *De iis* et can. *Placuit*, dist. 12 » ; cui obsecundat Synodus Trident., sess. 25, c. 12, *De ref.*, dicendo : *cætera quæ ad debitum in divinis officiis regimen spectant, deque congruâ in his canendi seu modulandi ratione, de certâ lege in choro conveniendi... et permanendi..., et si qua hujusmodi, Synodus Provincialis, pro cujusque provinciæ utilitate et moribus, certam cuique formulam præscribet. Interea verò Episcopus non minus quàm cum duobus Canonicis, quorum unus ab Episcopo alter à Capitulo eligatur, in iis quæ expedire videbuntur poterit providere* : « videtur tamen liberum fuisse Ecclesiis « suffraganeis sequi ritum Romanæ Ecclesiæ, relicto ritu « Metropolitanæ proprio ; — 5° antiquos et laudabiles « cujusque consuetudines præcipuam fuisse in totâ hâc re « ordinandâ, regulam ; 6° potuisse aliquid corrigi et im- « mutari, tùm à Concilio Provinciali pro totâ Provinciâ, « tùm ab Ordinario, in Ecclesiâ quæ propriam habebat « liturgiam, supponunt auctores et monumenta Concilio « Tridentino anteriora ; 7° an autem cuilibet Episcopo, vel « etiam Concilio Provinciali fuerit licitum liturgias sub- « stantialiter novas conficere et introducere, non vidi ab « auctoribus disputatum ; et videtur persuasio contraria « generaliter viguisse. » (Bouix, *ib.*)

ART. III.

DE LITURGIA QUALIS FUERIT ORDINATA A TEMPORE S. PII V.

740. « Divini officii formula, inquit S. Pius V, in Const. « *Quod à Nobis* (capiti Breviarii præinserta), cùm diutur- « nitate temporis ab antiquâ institutione deflexisset, neces- « saria visa res est quæ ad pristinam orandi regulam con-

« formata revocaretur... In provincias paulatim irrepserat « *prava illa consuetudo*[1] ut Episcopi in Ecclesiis, quæ ab « initio communiter cum cæteris veteri Romano more « horas canonicas dicere ac psallere consuevissent, pri- « vatum sibi quisque Breviarium conficerent, et illam « communionem uni Deo, unâ et eâdem formulâ preces « et laudes adhibendi, dissimillimo inter se ac penè cujus- « que Episcopatûs proprio officio discerperent. Hinc illa « tàm multis in locis divini cultûs perturbatio : hinc « summa in Christo ignorantia cæremoniarum ac rituum « ecclesiasticorum, ut innumerabiles Ecclesiarum minis- « tri, in suo munere indecorè, non sinè magnâ piorum « offensione, versarentur. »

Observat deinde Pontifex hanc orandi varietatem emendare voluisse S. Pontificem Paulum IV ; sed cùm è vitâ decessisset, opere nondum absoluto, negotium fuit à Successore ejus Pio IV ad Concilium Trident. delatum ; sed, instante conclusione Concilii, denuò fuit remissum ad auctoritatem et judicium Romani Pontificis. Unde post sedulam indagationem et maximum virorum peritorum studium, Breviario correcto et ab ipso probato, sic pergit S. Pius V :

« Auctoritate præsentium tollimus, abolemus quæcum- « que alia Breviaria vel antiquiora, vel quovis privilegio « munita, vel ab Episcopis in suis diœcesibus pervulgata, « omnemque illorum usum de omnibus orbis ecclesiis, « monasteriis, etc..., etiam exemptis..., illis tamen excep- « tis quæ ab ipsâ primâ institutione, à Sede Apostolicâ « approbatâ, vel consuetudine, quæ vel ipsa institutio « ducentos annos antecedat, aliis certis breviariis usa « fuisse constiterit : quibus, ut inveteratum illud jus di- « cendi et psallendi suum officium non adimimus, sic eis- « dem, si fortè hoc nostrum, quod modò pervulgatum est, « magis placeat, dummodo Episcopus et universum Capi- « tulum in eo consentiant, ut id in choro dicere et psal- « lere possint, permittimus... Omni itaque alio usu qui-

[1] Ergo illicitus erat usus illarum Provinciarum, cùm S. Pontifex dicat illarum consuetudinem esse *pravam*.

« buslibet, ut dictum est, interdicto, hoc nostrum Bre-
« viarium, ac precandi psallendique formulam in omnibus
« universi Orbis ecclesiis, monasteriis, Ordinibus et locis,
« etiam exemptis, in quibus officium ex more et ritu dictæ
« Romanæ Ecclesiæ dici debet, aut consuevit, salvâ præ-
« dictâ institutione vel Consuetudine prædictos ducentos
« annos superante, præcipimus observari : statuentes bre-
« viarium nullo unquam tempore, vel totum, vel ex parte
« mutandum, vel ei aliquid addendum, vel omnino detra-
« hendum esse; ac quoscumque, qui horas canonicas, ex
« more et ritu ipsius Romanæ Ecclesiæ, jure vel consuetu-
« dine dicere vel psallere debent, propositis pœnis...
« constitutis in eos qui divinum officium quotidie non
« dixerint : ad dicendum et psallendum posthac in perpe-
« tuum horas..., ex hujus Romani Breviarii præscripto...,
« omnino teneri; neminemque... nisi hâc solâ formulâ
« satisfacere posse... »

Similia dicuntur in Bullâ *Quo primùm tempore* ejusdem Pontificis initio Missalis præfixâ, ubi etiam legitur : « Huic Missali Nostro nuper edito, nihil unquam adden-
« dum, detrahendum, aut immutandum decernendo, sub
« indignationis nostræ pœnâ, statuimus et ordinamus. »

A tempore ergo S. Pii V, Liturgia Romana correcta, in toto Occidente, salvis duntaxat quibusdam exceptionibus, præscripta est, ut jus liturgicum Sedis Apostolicæ fuerit omnino reservatum. Sic communiter theologi et canonistæ.

Diximus *salvis quibusdam exceptionibus* : nempe 1° Ecclesiâ Mediolanensi, in quâ observabatur ritus Ambrosianus; 2° capellis Toletanis, in quibus permissus erat ritus Mozarabicus; 3° quibusdam aliis Ecclesiis, in quibus vigebat liturgia ducentis annis antiquior. Sic evenit quòd hodie diversa habeantur breviaria apud Ordines religiosos, videlicet : 1° discipuli S. Benedicti retinuêre ritum à Fundatore traditum, qui dicitur *monasticus communis*, à quo in nonnullis discrepant, at cui in plurimis conveniunt ritus Cistercensium, Trappensium et Carthusianorum; 2° Canonici Præmonstratenses servârunt ritus romanos quales vigebant sæculo XII; 3° ferè similis erat ritus Dominicano-

rum; 4° Carmelitæ, qui ab Oriente circa sæculum XII venerant, in pluribus servaverunt ritus Ecclesiæ Hierosolymitanæ.

Patet ex gravitate materiæ, et constat omnium consensu, præfatas Constitutiones S. Pii V obligare sub gravi, ita ut qui aliter officium recitaret quam præscribit hic Pontifex, muneri suo non satisfaceret, ex tenore ipsiusmet Bullæ.

741. Porrò illæ Constitutiones vim obligandi habent etiam in Galliâ: nam 1° sunt universales quoad Ecclesias adstrictas liturgiæ quæ tempore S. Pii V Romana dicebatur; 2° receptæ fuerunt in Galliâ, nempe à Provinciâ Rothomagensi in Concilio 1581; à Provinciâ Turonensi in Concilio 1583; à Provinciâ Remensi et Burdigalensi in Conciliis ejusdem anni; à Provinciâ Bituricensi in Concilio 1584; à Provinciâ Aquensi in Concilio 1585; à Provinciâ Tolosanâ in Concilio 1590; à Provinciâ Auxitanâ, ut constat per Statutum Capituli Lascariensis; à Provinciâ Narbonensi in Concilio 1609. Constat insuper breviarium et missale S. Pii V fuisse recepta in Provinciis Avenionensi, Arelatensi et Ebredunensi, proinde in duodecim Galliæ Provinciis recepta fuit, saltem ex maximâ parte, liturgia S. Pii V, quamvis in pluribus ex iisdem ecclesiis retineri potuisset liturgia propria, utpote antiquior ducentis annis; quoad autem tres alias quæ supererant provincias, nempe Lugdunensem, Viennensem et Senonensem: in iis quidem non fuit recepta dicta liturgia, sed non ideo ab ipsis rejectæ fuerunt præfatæ Constitutiones, cùm juxta earumdem Bullarum tenorem poterant, ob possessionem ducentis annis antiquiorem, sua breviaria et missalia retinere: imò in hâc Diœcesi Valentinensi, quæ olim pars erat Provinciæ Viennensis, recepta fuit, anno 1617, reformatio S. Pii V, et conservata usque ad annum 1787.

Quoad liturgias orientales, vide *Manuale*, n° 5051.

In Bullâ autem *Etsi pastorales* ejusdem Pontificis, Italo-Græcis prohibetur ne aliis ecclesiasticis libris, in sacramentorum administratione, et missis divinisque officiis celebrandis utantur, nisi iis qui *per Congregationem à S. Sede Apostolicâ emendationi librorum hujusmodi deputatam, correcti typisque impressi fuerint.*

Ex præfatis Constit. S. Pii V, Ecclesiæ à ducentis annis observantes ritum quidem Romanum sed mutatum in partibus non essentialibus, habebant jus suam peculiarem liturgiam conservandi; nec poterant illam relinquere ad aliam amplectandam, nisi ex mutuo Episcopi et Capituli consensu admitterent breviarium et missale S. Pii V : et in hoc casu ipsis ampliùs non licet ad veterem derelictam redire liturgiam, etiam ex mutuo Episcopi et Capituli consensu. Ita S. R. Congr. : « Usus Missalis et Breviarii Ro« mani semel introductus in Ecclesiâ aliquâ, quæ habebat « particulare missale et breviarium, confirmandus est, « nec licet redire ad usum antiqui missalis et breviarii » 15 martii 1608. Quamvis in Bullâ dicatur de *consensu Capituli universi*, communiter tamen DD. sentiunt sufficere consensum majoris partis. Et hujus regulæ applicatio fieri debet plerisque Galliæ diœcesibus, non excepto Lugdunensi.

Ex dictis liquet duplicem esse distinguendam liturgiam Romanam : *Ante-Pianam* nempe, quæ in toto Occidente vigebat ante S. Pium V, si Ambrosianam tamen exceperis et Mozarabicam; *Post-Pianam*, quæ in eodem Occidente à tempore ejusdem Pontificis generaliter viget.

Hoc est discrimen inter Ecclesias quæ legitimè observant liturgiam Romanam *Ante-Pianam* et eas quæ liturgiâ *Post-Pianâ* utuntur, quòd in prioribus remaneat facultas aliqua non substantialia in breviario et missali corrigendi et immutandi, absque Sedis Apostolicæ facultate, salvâ tamen prohibitione Kalendario nova officia addendi, et obligatione celebrandi officia universaliter et sub præcepto ab Apostolicâ Sede concessa. Exstabat enim dicta facultas corrigendi aut immutandi in non substantialibus ante Pium V, ut diximus supra; porrò non fuit sublata per hunc Pontificem; ergo adhuc remanet. Secus autem est dicendum de ecclesiis quæ utuntur liturgiâ *Post-Pianâ* : ipsi nihil addere vel in eâ immutare valent. Communiter docent auctores quòd in aliis diœcesibus, Ordinarius posset prohibere etiam Romani breviarii et missalis usum : hæc tamen locum non habent in Ecclesiis quæ illegitimâ liturgiâ utuntur, ut satis patet.

Ut verò breviarium et missale integra semper conserventur, sinè additione, imminutione aut quâcumque immutatione, sancitum fuit à Clemente VIII, per Decretum *Cùm in Ecclesiâ*, et ab Urbano VIII, per Decretum *Divinam psalmodiam*, quòd Romæ breviarium non imprimatur nisi in typographiâ Vaticanâ, et extra Urbem, nonnisi juxta exemplaria in Vaticanâ typographiâ impressa[1]; et quòd breviarium et missale non possint imprimi absque Inquisitorum vel Ordinariorum licentiâ; item quòd « ipsi... Inquisitores seu Ordinarii locorum, antequam hujusmodi « licentiam concedant breviaria imprimendi (et idem dic « de missalibus) et postquam impressa fuerint, cum hoc... « diligentissimè conferant..; et quòd omnino concordent « manu propriâ attestentur; cujus licentiæ copia initio vel « in calce cujusque breviarii semper imprimatur. Quòd si « secus fecerint, Inquisitores privationis suorum officiorum..., Antistites verò et Ordinarii locorum suspensionis « à divinis ac interdicti ab ingressu ecclesiæ, eorum verò « Vicarii privationis officiorum et beneficiorum suorum, « ac præterea excommunicationis absque aliâ declaratione « pœnas incurrant. (Suppressæ sunt eæ censuræ C. *Ap. Sed.*)

Ita Clemens VIII; Urbanus verò VIII hæc addit : « Sub « iisdem etiam prohibitionibus et pœnis comprehendi intendimus et volumus ea omnia quæ à *Breviario Romano* « ortum habent, sive ex parte sive in totum, cujusmodi « sunt missalia, diurna, officia parva B. Virginis, officia « Majoris Hebdomadæ, et id genus alia, quæ deinceps non « imprimantur nisi prævià illorum et cujuslibet ipsorum in « dictâ typographiâ... impressione, ut omnino cum Breviario de mandato nostro edito concordent. »

Quoad verò breviaria (aut missalia) quæ imprimerentur sinè dictâ licentiâ, sic disponit Clemens VIII : « Et nihilo-

Depuis le Décret de la Congr. des Rites du 26 avr. 1834 » (apud Gardell., n° 4581) « les imprimeurs de Rome sont obligés de présenter « leurs éditions des livres liturgiques à la Sacrée Congrég. des Rites.. « Les éditions de Rome peuvent alors servir d'exemplaire authentique « aux éditeurs des autres pays. » *Analecta*, 12e livr., col. 1847.—Post Urbanum VIII, quædam partiales emendationes contigerunt. (*Ibid.*, col. 1851.)

« minus eorumdem breviariorum... de cætero absque hu-
« jusmodi licentiâ imprimendorum aut vendendorum,
« usum ubique locorum et gentium, sub eisdem pœnis
« (excommunicationis latæ sententiæ) perpetuò interdici-
« mus et prohibemus ». Concessum tamen fuit tàm à Clemente VIII quàm ab Urbano VIII quòd vendi et in usum deduci possint breviaria, missalia, etc., quæ jam fuerant impressa. Suppressa est excomm. C. *Apost. Sedis.*

Constitutiones autem illas in *suo robore* permanere constat variis Decisionibus S. R. Congr., scilicet responsione ad Cardin. Episcopum Novariensem 7 april. 1832, et Decreto generali 26 apr. 1834 : ad dubium : « An liceat uti
« breviariis, missalibus, aliisque hujus generis libris qui
« non præ se ferunt requisitas à Pontificiis Constitutioni-
« bus Ordinariorum attestationes, perinde ac si per præ-
« scriptionem in contrarium, memoratæ Constitutiones
« censeri debeant non ampliùs in suo robore permanentes?
« S. Congr... rescribendum edixit : *servetur generale De-*
« *cretum Diei* 26 *aprilis* 1834... Die 18 februarii 1843 »
(Gardell., n° 4811).

Nota quòd consuetudo nequeat prævalere contra Decretum S. R. Congr., anni 1628, ab Urbano VIII approbatum, initioque Breviariorum insertum in quo dicitur : « Non
« potuisse nec *posse* locorum Ordinarios tàm sæculares
« quàm regulares addere Kalendariis, etiam propriis, Sanc-
« torum officia, nisi ea duntaxat quæ Breviarii rubricis,
« vel S. Rit. Congreg. vel Sedis Apostolicæ licentiâ conce-
« duntur ». Ratio est quia illa consuetudo declaratur abusiva : in fronte enim allegati Decreti sic legitur : « S. Rit.
« Congreg. ad *tollendos abusus* qui variis in locis irrepse-
« runt, etc.». Porrò consuetudines, quæ à lege declarantur abusivæ, non possunt haberi ut legitimæ.

742. Ex dictis meritò deducitur illegitimas esse liturgias in Galliâ novissimo sæculo adinventas : manifestè enim contra tenorem Bullarum S. Pii V fuerunt invectæ, nec unquam hujusmodi innovationibus consensit S. Sedes, ut patet ex supradictis Decisionibus S. R. Congreg.; et insuper Decisione datâ ad D. Lottin Canonicum Cenomanensem, die 10 jan. 1852, ubi legitur : « Utrum licita

« fuerit, annis 1748 et 1749, innovatio breviarii, missalis « Cenomanensium, à ritu Romano prorsus alienorum, « amotis priùs veteribus ad formam Romanam correctis « breviario et missali, solâ Episcopi et Capituli Ecclesiæ « Cenomanensis auctoritate, et inconsultâ Sede Apostolicâ, « facta aut probata? — Responsum est : *Negativè* [1]. » Porrò quod declaratum fuit pro diœcesi Cenomanensi, applicandum est cæteris diœcesibus ubi similes mutationes contigerunt, propter paritatem rationis.

Nec dicas hujusmodi liturgias legitimas evasisse per præscriptam consuetudinem : nam de liturgiâ ejusdem diœcesis Cenomanensis consulta : « Utrum saltem hujus- « modi liturgia vi prescriptionis seu consuetudinis sæcu- « laris facta sit legitima, ita ut quilibet sacerdos Cenoma- « nensis possit eam tutâ conscientiâ servare? S. Rit. Con- « gregatio respondit : *Negativè.* » Unde Ecclesia nunquam consensit hujusmodi consuetudinibus. Ratio autem cur Ecclesia non consensit est, vel quòd hujusmodi consuetudo *prava sit*, ut loquitur Suarez (*De Relig.*, tom. 2, lib. 4, cap. 23, n° 10), vel quòd semper permanet motivum quod impulit ad legem Pianam ferendam.

743. Quærit. 1° An beneficiarii suos faciant fructus per recitationem breviarii contra dispositiones Bullarum S. Pii V apud nos introducti?

Resp. S. Pium V, ut supra retulimus (n° 740), in suâ Constit. *Quod à Nobis*, apertè declarasse : « Neminem ex « iis quibus hoc dicendi psallendique munus necessariò « impositum est, nisi hâc solâ formulâ satisfacere posse ». Cùm tamen illegitima Breviaria recitantes, soleant esse in bonâ fide, dicendum est eos ad restitutionem non teneri, nisi quando non consumpserunt fructus beneficii permanentes in bonâ fide, vel nisi exinde ditiores evaserint. Insuper, licet hujusmodi fructus non consumpserint, meritò præsumitur quòd condonationem facilè obtinerent à S. Sede, ad quam, in hoc casu, opus est recursum habere.

[1] Vide integram responsionem apud Bouix (*De Jure Liturgico*, ad calcem Operis). Idem constat ex recenti respons. Card. Patrizi ad Card. D. Bonald. : vide *Rev. des sciences eccl.*, 20 avril 1863, p. 384.

744. Quærit. 2° An, in diœcesibus liturgiâ illegitimâ utentibus, clerici breviario adstricti teneantur, invito Episcopo, liturgiam Romanam Post-Pianam amplecti?

Resp. Vel agitur de recitatione privatâ, vel de publicâ. In *priori casu* indubiè videtur teneri tales clericos vel sacerdotes ad recitationem breviarii romani Post-Piani, cùm sit obediendum legibus Ecclesiæ, quando id fieri potest sinè magno incommodo, et non videtur esse ullum grave incommodum in recitatione privatâ breviarii romani, aut celebratione privatâ missæ in missali romano : consulti enim à D. Lottin Cenomanensi Canonico : « ...3° An « quilibet sacerdos Cenomanensis, etiam Canonicus et « parochus, statim teneatur in conscientiâ tum et horas « canonicas persolvere, missamque celebrare juxta ritum « romanum, quando scilicet privatim recitat et celebrat, « tum, etc.... Emin. et RR. Patres sacris tuendis ritibus « præpositi..., rescribendum censuerunt : — ad 3^m^ Con- « sulat conjunctim utramque Constitutionem S. Pii V, vide- « licet illam quæ incipit *Quod à Nobis*, 7 Idus julii 1568, « et aliam quæ incipit *Ex proximo*, 12 kal. oct. 1571. »

In *posteriori casu*, attentâ solâ S. Pii lege, tenerentur præfati clerici Romanam liturgiam adhibere : ast in hoc casu obligationem suspendit lex ordinis superioris, necessitas nempe vitandi graves animorum commotiones, jurgia et scandala, quæ ex tali mutatione ritûs publici sinè concursu diœcesanæ auctoritatis orirentur : non enim ad privatum sacerdotem sed ad Episcopum pertinet judicare an circumstantiæ sint opportunæ ad reducendam legitimam liturgiam; imò, Sede Apostolicâ inconsultâ, nihil esset agendum, etiamsi manifestè sinè ullâ causâ justâ Episcopus obstinatè nollet unquam permittere reditum ad ritum romanum.

745. Quærit. 3° An Episcopi Galliæ, in quorum diœcesibus viget liturgia illegitima, possint romanam inducere, inconsultis Canonicis, parochis et aliis sacerdotibus quibuscumque?

Resp. *Affirmativè*, quia liturgia Romana in talibus casibus obligat independenter à Capitulo et Clero : et Episcopi nullius egent consilio ut valeant procurare observationem

legum certè obligantium : prudenter tamen agent si cum suis Capitulis et Clero sedulò inquirant media opportuniora ad abolendam pacificè illegitimam liturgiam et legitimam introducendam.

Quærit. 4° An sit obligatio recitandi et canendi hymnos prout fuerunt correcti ab Urbano VIII ?

Resp. Si agatur de Ecclesiis ritui Romano adstrictis, quæ non habebant liturgiam propriam ducentis annis antiquiorem, adest obligatio recitandi et canendi hymnos ab Urbano VIII correctos, ut constat ex Bullâ *Cùm aliàs* 27 apr. 1643.

Si autem quæstio sit de Ecclesiis quibus permissum fuit retinere proprium Breviarium et Missale, patet ipsas non teneri ad recitandos aut decantandos hymnos reformatos, cùm ipsis liceat suam servare liturgiam.

746. Quærit. 5° Quid statuerit S. Pius V quoad officium B. Mariæ Virginis ?

Resp. Sequentia sancita fuisse à S. Pontifice in Bullâ *Superni :*

1° Omnibus sinè exceptione fidelibus esse interdictum cujuscumque officii B. Virginis vulgari linguâ conscripti usum, imò et officiorum etiam latinè scriptorum quibus insertæ fuerint Orationes in linguâ vulgari : quæ prohibitiones sub gravi obligare videntur.

2° Adstrictos recitationi officii B. Mariæ Virginis posse recitare officia linguæ latinæ quæ essent ducentis annis antiquiora in suis propriis ecclesiis ; iisdem verò præcipitur recitare dictum officium juxta formulam à S. Pio V publicatam, si in eorum ecclesiis non esset officium B. Mariæ Virg. ducentis annis antiquius. Officio B. M. à Pio V publicato applicanda sunt ea quæ superiùs diximus de Breviario, quoad correctionem, immutationes, etc.

3° Quoad eos qui ad recitationem officii B. M. Virginis non obligantur, non prohibetur ulla hujusmodi officii formula, modò sit latina : eos tamen vehementer hortatur Pontifex ut solâ formulâ à se correctâ utantur.

747. Quærit. 6° An ecclesiæ non adstrictæ liturgiæ Post-Pianæ teneantur adhibere in officio saltem *Martyrologium* [illegible], sinè mutatione, additione, aut detractione ?

Resp. Affirmativè, et constat ex Constit. *Emendato* Gregorii XIII, et decis. S. Rit. Congreg., 10 januarii 1852, ad quartam interrogationem D. Lottin.

Nota quòd *Martyrologium* fuerit à Bened. XIV correctum, et sit hodie obligatio utendi exemplaribus correctæ ab hoc Pontifice editionis, nec ampliùs liceat in choro adhibere martyrologia antiquiora. In novis tamen imprimendis inseri debent Sancti ab ultimâ editione canonizati, quibus hæc prærogativa à S. Sede fuit concessa, non verò ii qui solummodo Beati fuerunt declarati. Ita S. R. Congr., 31 aug. 1680.

748. Quærit. 7° An modò dictum de *Martyrologio Romano* quòd ab omnibus Ecclesiis sit adhibendum, pariter dici debeat de *Pontificali*?

Resp. Affirmativè : prout constat ex Const. Clementis VIII, *Ex quo*. Insuper Urbanus VIII, in suâ Bullâ *Quamvis alias*, decernit non posse imprimi *Pontificalia* nisi de licentiâ Inquisitorum vel Ordinariorum, eamque licentiam concedi non debere nisi postquam, collatione factâ, certò constiterit de perfectâ cum Romanâ editione conformitate : idque præcipit sub pœnis gravissimis in eâdem Constit. enumeratis. Vide etiam Declarat. S. R. Congr., 10 jan. 1852, ad D. Lottin directam.

749. Quærit. 8° Quid sit specialiter dicendum de *Cæremoniali Episcoporum* ?

Resp. *Cæremoniale Episcoporum* primùm, anno 1600, à Clemente VIII ordinatum pro universâ Ecclesiâ, correctum fuit deindè ab Innocentio X, et novissimè, anno 1727, à Bened. XIII, sacrorum rituum peritissimo.

Hoc *Cæremoniale* obligat omnes Ecclesias ritûs latini, iis etiam non exceptis quæ propriis Breviario et Missali utuntur : idque constat ex Bullis *Cùm novissimè* Clementis VIII, *Etsi aliàs* Innocentii X. Constat insuper ex Declarat. S. R. Congreg. 16 jul. 1605, in *causâ Salernitanâ*, in quâ dictum fuit : « Omnes Ecclesias Metropolitanas, Cathedrales et « Collegiatas dictum librum *Cæremonialem* in omnibus ad « unguem servare debere, præterquam in illis quæ, de « antiquâ et immemorabili consuetudine, alio vel di-

« verso modo ab eo quo in *Cæremonali* præscribitur, ob-
« servatur ».

Per prædictum *Cæremoniale* non tolluntur laudabiles contrariæ consuetudines, modò sint immemorabiles, nam de iis mentio non fit in supradictis Constitut. Clementis VIII et Bened. XIII : porrò immemorabiles consuetudines non tolluntur nisi exprimantur. Approbata tamen fuit à Gregorio XVI, anno 1832, Decisio S. R. Congregat. contra quasdam consuetudines Ecclesiæ Pisanæ, ob motivum quòd « *Cæremonialis Episcoporum* lex à SS. Pontificibus Cle-
« mente VIII, Innoc. X et Bened. XIV lata et confirmata,
« hujusmodi indolis sit, *ut nullâ contrariâ consuetudine*
« abrogari valeat ».

750. Quærit. 9° An et quatenus sit obligatio observandi præscripta *Ritualis Romani*?

Resp. 1° Saltem licere cuilibet uti hoc Rituali : nam sic habet Paulus V, in Brevi quo illud promulgavit : « Horta-
« mur in Domino... Patriarchas, Archiepiscopos, Epis-
« copos..., Abbates, parochos universos et alios ad quos
« spectat, ut in posterùm... Ecclesiæ Romanæ auctoritate
« constituto Rituali in sacris functionibus utantur : et in
« re tanti momenti quæ Catholica Ecclesia et ab eâ pro-
« batus usus antiquitatis statuit, inviolatè observent » ; porrò cuilibet est licitum obtemperare hortationibus S. Pontificis : ergo, etc.

In hoc sensu pronuntiavit S. R. Congr., 12 maii 1841 : Petrus enim Noselcy parochus civitatis *Bar-sur-Aube* petiverat : *An in administrandis sacramentis, Rituali Romano uti posset* : nota quòd in suâ diœcesi, Trecensi nempe, aliud tunc erat Rituale à Romano diversum : huic tamen S. Congreg. respondit : *Affirmativè*. Ex his sequitur nullum Episcopum jam posse, auctoritate propriâ, Rituale à Romano diversum *præscribere*, et si præscribat præceptum ejus esse pleno jure nullum et irritum.

2° An autem sit ubique obligatorium *Rituale Romanun* non omninò concordant DD. : plures tenent relictam fuisse à S. Sede facultatem retinendi aut etiam conficiendi proprium Rituale : eò quòd Paulus V, verbis supra relatis, non *præcipiat* sed solummodo *hortetur in Domino*, et quòd

Conc. Trid. (sess. 24, cap. 1, *De reform.*), quorum verba in *Rituali* referuntur, permittat retineri, in celebratione matrimonii, alias cæremonias ultra eas quæ à Rituali præscribuntur.

Plures ècontra contendunt *Rituale Romanum* strictam vim habere legis apud omnes Ecclesias latinas. Et probant: 1° ex verbis Brevis Pauli V, initio *Ritualis* inserti, ubi Pontifex asserit in hoc volumine comprehendi *sacros*, *et sinceros Ecclesiæ ritus, qui in sacramentorum administratione aliisque ecclesiasticis functionibus servari debent ab iis qui curam animarum gerunt*; reverà postea Pontifex hortatur ut hoc *Rituale* adhibeatur, sed hortatur tanquam ad rem quam priùs dixit esse servandam ex debito : et sic respondetur primæ rationi adversariorum.—Probant 2° ex verbis *Ritualis* : « Ut ea quæ ex antiquis Catholicæ Ecclesiæ institutis, et sacrorum canonum Summorumque « Pontificum Decretis, de sacramentorum ritibus ac cæremoniis hoc libro *præscribuntur*, quâ par est diligentiâ « ac religione custodiantur *et ubique fideliter serventur* : « illud ante omnia scire, et observare convenit, quòd Sacros. Trident. Synodus de iis ritibus decrevit in hæc « verba : *Si quis dixerit receptos et approbatos Ecclesiæ « Catholicæ ritus, in solemni sacramentorum administratione adhiberi consuetos, aut contemni, aut sinè peccato à « ministris pro libitu omitti aut in novos alios, per quemcumque Ecclesiarum pastorem, mutari posse, anathema « sit.* » Si ergò ritus in rituali descripti, *non possunt pro libitu omitti*, si nequeunt *mutari per quemcumque ecclesiarum pastorem*, si tandem *ubique* fideliter *observanda sunt quæ in Rituali præscribuntur*. Ergo *Rituale* vim legis habet apud omnes Ecclesias latinas.

Nec vim hujus argumenti destruunt verba Conc. Trid. (sess. 24, cap. 1, *De ref.*), quibus permittitur sequi laudabiles consuetudines in administratione Matrimonii : nam ab ipsomet *Rituali*, sicut ab ipsomet Concilio permittuntur hujusmodi consuetudines, sed pro celebratione matrimonii tantùm.

3° Probant ex regulis Indicis quibus prohibentur : « Bene« dictiones omnes ecclesiasticæ, nisi approbatæ fuerint à

« S. R. Congregatione. Item, Rituali Romano additiones « omnes factæ, aut faciendæ post reformationem Pauli V, « sinè approbatione S. Congreg. Rituum. »

Die 7 sept. 1850, à S. R. Congreg. directæ sunt litteræ ad Episcopum Trecensem (in Galliâ), in quibus decernitur benedictionem Sanctissimi Sacramenti esse dandam absque cantu, et additur : « In eâ, *Rituale Romanum cujus « leges universalem afficiunt Ecclesiam, integrè servetur* ». Consulta tandem à D. Lottin Canonico Cenomanensi, an sacerdotes possint, illæsâ conscientiâ, infringere aut omittere *Rituale Romanum*, tolerante vel permittente Episcopo aut aliter statuente, S. R. Congreg., 10 januar. 1852, respondit : *Negativè et amplius*

ART. IV.

DE RECITATIONE DIVINI OFFICII.

751. *Per Officium divinum intelligitur : Forma laudandi et precandi Deum ab Ecclesiâ instituta ut perageretur ipsius nomine* : nuncupatur *Officium divinum* quia præcipuum est officium clericorum colere Deum et illum pro fidelibus exorare. Vocatur etiam *horæ canonicæ*, quia certis horis à sacris canonibus statutis, est recitandum ad imitationem prophetæ qui (Ps. 118, v. 164) ait : *septies in die* laudem dixi tibi. Dicitur *Breviarium*, quia est compendium officii longioris quod primitus recitabatur. (Primordiis enim in ecclesiis occidentalibus adhibebantur psalteria, Biblia sacra, homiliaria, hymnoria, etc.). Breviatum seu potiùs emendatum fuit officium ab Haymo Generali Franciscanorum, et Nicolaus III sic emendatum fecit observari in ecclesiis Romæ. Plures postea additiones aut innovationes huic factæ fuêre, et inde enata fuit magna confusio, cui remedium afferre voluit S. Pius V per publicationem breviarii suo jussu emendati.

Pluribus horis constat breviarium, nempe Matutinis, Laudibus, Primâ, Tertiâ, Sextâ, Nonâ, Vesperis et Completorio.

Ut autem præfatæ denominationes benè intelligantur, sciendum est diem olim in 12 horas divisum fuisse (S. Joan.

c. 11, v. 9). Illæ 12 horæ in quatuor partes dividebantur, quarum unaquæque tres horas continebat : videlicet *Tertia* continebat primam diei partem usque ad nostram horam bonam ; *Sexta* secundam partem usque ad meridiem ; *Nona* tertiam partem usque ad horam nostram tertiam postmeridianam ; *Vesperæ* denique quartam partem.

Prima respondet initio primæ diei partis, *Completorium* verò fini ultimæ ejusdem diei partis.

Similiter nox in 12 horas dividebatur, ac etiam in quatuor partes quæ *vigiliæ* nuncupabantur (S. Marc., c. 13, v. 35). Vide *Manuale*, n° 5078.

Matutinæ non sic olim vocabantur sed *Nocturnum*, quia pro tempore noctis fuerunt institutæ (v. *ib.*).

Laudes sic vocantur quia psalmos laudis præcipuè continent. Dicebantur olim *Matutinæ* quia pro ultimâ noctis parte fuerunt institutæ.

Non tamen videntur in usu fuisse primitùs omnes illæ horæ. Dicitur enim in libro 8, cap. 40 *Constit. Apostol.*. « Preces vestras facite diluculo, tertiâ horâ, sextâ, nonâ, « vesperâ et in galli cantu ». Prima autem non videtur antiquior Cassiani temporibus ; Completorium instituisse dicitur S. Benedictus sexto sæculo. Vide cap. *Presbyter*, dist. 91.

§ I.

Quinam teneantur ad officium divinum.

752. Officium divinum recitare debent : 1° omnes clerici sacris ordinibus initiati, etiam suspensi, excommunicati et degradati ; imò etiamsi cum dispensatione Papæ uxorem duxissent, nisi etiam in hoc fuissent dispensati : nam dispensatio, utpote odiosa, strictè est interpretanda. Hæc obligatio nititur præsertim generali consuetudine ab Ecclesiâ approbatâ.

Subdiaconus die quo ordinatur incipit obligari ad horam quæ tunc dicenda esset in choro : unde si ordinatur horâ undecimâ, regulariter tenetur ad recitationem Sextæ.

Controvertitur autem an recitando horas minores ante

suam ordinationem, subdiaconus satisfaceret suæ obligationi.

2° Beneficiati qui jam habent jus in re et plenum dominium beneficii, si fructus percipiant, vel percepturi sint. Constat ex variis capitulis juris canonici, et Concil. Lateran. V, sess. 9, § *Statuimus*, ubi dicitur : « Statuimus quoque « et ordinamus, ut quilibet habens beneficium cum curâ, « vel sinè curâ, si post sex menses ab obtento beneficio, « divinum officium non dixerit, legitimo impedimento « cessante, beneficiorum suorum fructus suos non faciat « pro ratâ omissionis recitationis officii et temporis, sed « eos tanquam injustè perceptos in fabricam hujusmodi « beneficiorum vel pauperum eleemosynas erogare tenea- « tur. Si verò ultra dictum tempus in simili negligentiâ « contumaciter permanserit, legitimâ monitione præce- « dente, beneficio ipso privetur, cùm propter officium « detur beneficium. Intelligatur autem officium omittere, « quoad hoc, ut beneficio privari possit, qui per quindecim « dies, illud bis saltem non dixerit, Deo tamen ultra præ- « missa de dictâ omissione redditurus rationem : quæ « pœna in habentibus plura beneficia reiterabilis toties « sit, quoties contra facere convincetur. » Constat insuper ex Bullâ S. Pii V *Ex proximo*, 135.

Non tenentur beneficiarii horas recitare ante acceptam possessionem, aut si nullos fructus sinè suâ culpâ percipiant, nec percepturi sint ; secus si per ipsos staret quominùs beneficium accipiant, aut fructus percipiant.

Tenetur horas recitare is qui, licet omnes fructus suos non recipiat, sive ex suâ culpâ sive non, recipit tamen partem quæ sufficit ad sustentationem ; item tenetur qui primis annis parùm recipit, eò quòd fructus expendat in substitutum.

An teneantur ii qui primo aut etiam secundo anno non percipiunt fructus, eò quòd assignentur fabricæ vel prædecessori defuncto, quia etiam ipsi post mortem eodem privilegio fruituri sunt, controvertitur ; sed sententia affirmans communior videtur.

An et quatenùs religiosi ad officium teneantur, vide *Manuale*, n^is^ 3090, etc.

§ II.

Cujus naturæ sit obligatio divinum officium recitandi.

753. — I. Tanta est obligatio divinum officium recitandi ut peccet mortaliter quisquis habens hoc onus, illud in notabili parte implere negligit. Ita communiter. Non unanimes sunt DD. in assignando quænam sit illa pars notabilis cujus omissio esset peccatum mortale : S. Liguor. improbabilem habet opinionem, juxta quam una parva hora, prout Tertia, Sexta, etc., esset levis materia; sed admittit sententiam Sanchezii et aliorum qui asserunt materiam esse parvam quando non pertingit ad quantitatem unius integræ horæ parvæ, et probabiliter dicit non peccare graviter qui omittit totam Vesperam Sabbati Sancti; peccaret autem graviter, juxta eumdem, qui unum nocturnum integrum omitteret, imò qui omitteret tres lectiones cum responsoriis, si tales sint ut parvam horam adæquent; secus, si tales non sint; peccaret etiam graviter si quis de parvâ horâ aliquid nimis modicum diceret. (lib. 4, nº 147.)

Qui utuntur Breviario Romano decbligantur recitare in choro officium B. Mariæ, Defunctorum, et psalmos pœnitentiales, nisi vigeret in loco consuetudo hæc recitandi diebus quibus sunt assignata : sed hæc obligatio intra chorum non singulos sed tantùm communitatem afficit.

II. Omissio officii non tantùm est mortale peccatum, sed etiam onus restitutionis inducit, pro ratâ parte officii omissi, in eo qui titulo beneficii ad horas tenetur, si elapsis sex mensibus post adeptam possessionem culpabiliter eas non recitet. Constat ex citato Concilio Lateranensi V. Insuper hæc sancivit S. Pius V, in suâ Constit. *Ex proximo Lateranensi* : « Statuimus ut qui horas omnes « canonicas uno vel pluribus diebus intermiserit, omnes « beneficii fructus qui illi vel illis diebus responderent, si « quotidiè dividerentur; qui verò tantùm Matutinum, di- « midiam; qui cæteras alias horas, aliam dimidiam; qui « harum singulas, sextam partem fructuum ejus diei amit- « tant. Tametsi aliquis choro addictus non recitans, omni-

« bus horis canonicis cum aliis præsens adsit, fructusque « et distributiones fortè aliter assignatas solâ præsentiâ « juxta statuta, consuetudinem, vel aliàs sibi lucrari præ- « tendat, is etiam, præter fructuum et distributionum « amissionem, grave peccatum intelligat se admisisse. Item « ille qui primis sex mensibus officium non dixerit, nisi « legitimum impedimentum ipsum excusaverit, grave pec- « catum intelligat admisisse. »

Restitutio autem hujusmodi certè debetur ante judicis sententiam, ut patet ex damnatione propositionis sequentis ab Alexandro VII : 20. *Restitutio à Pio V imposita beneficiatis non recitantibus, non debetur in conscientiâ ante sententiam declaratoriam judicis, eò quòd sit pœna.*

Nota insuper sequentem propositionem ab eodem S. Pontifice damnatam : *Restitutio fructuum ob omissionem horarum suppleri potest per quascumque eleemosynas quas antea beneficiarius de fructibus sui beneficii fecerat.* Si quis tamen post omissionem officii dederit eleemosynas, non recordans vel fortè ignorans obligationem restitutionis, probabiliter potest eas imputare in solutionem hujusce obligationis (S. Liguor., *Append. Homo apost.*, 3 *de horis canon.*, nº 62.)

Controvertitur an ad restitutionem teneatur Beneficiarius officium sinè culpâ omittens : probabilior est sententia negans.

Controvertitur pariter an beneficiarius omittens officium infra sex menses ab adepto beneficio suo teneatur ad restitutionem : probabilior sententia negat, quia beneficiarius non tenetur ad restitutionem ex pacto cum fundatore beneficii, sed ex lege ecclesiasticâ à Concilio Lateranensi V instituta; porrò, juxta Concilium Lateranense, restitutio fructuum non debetur nisi post sex menses adeptæ possessionis beneficii. Ergo, etc.—Advertendum est tamen quòd isti non excusentur à gravi culpâ, ut monet S. Pius V.

754. Quærit. 1º Cuinam sit facienda restitutio ob omissionem officii?

Resp. Faciendam esse, ex S. Pii V Decreto, pauperibus vel Fabricæ beneficii, sive ecclesiæ, sive domui beneficii, sive in augendis agris : non verò Fabricæ alterius ecclesiæ,

nisi ecclesia propria non indigeret restauratione, et aliæ ecclesiæ eleemosynis indigerent. Nomine autem pauperum intelligi possunt pauperes cujuscumque loci, et etiam intelliguntur defuncti, aut ipse beneficiarius, si verè pauper sit, nisi in fraudem officium omisisset sciens posse ob paupertatem sibi retinere fructus.— Quidquid autem nonnulli dicant, non videtur quòd beneficiarius eximatur ab obligatione fructus restituendi per applicationem suarum precum animabus purgatorii; sed posset aliis solvere ejusmodi fructus ut missas vel alia suffragia pro defunctis applicarentur. (S. Liguor., lib. 3, 672.)

755. Quærit. 2° An omnes fructus beneficii sint restituendi propter solam horarum canonicarum omissionem?

Resp. Affirmare Suarezium cum Azor, quia sic habet Bulla S. Pii V; idem affirmant *Analecta* (3° livr., col. 697) pro foro externo; quoad autem forum internum adhærent sententiæ S. Liguorii; sed communiùs negant probabiliter plerique DD., qui dicunt eos tantùm beneficii fructus esse restituendos, qui correspondent oneri officii omissi: ratio quia sic usu est recepta Bulla S. Pii V. Unde parochus, vel Episcopus ad quartam, aut secundùm alios ad quintam partem solùm tenetur. Canonici ad tertiam vel quartam.

Non est autem obligatio restituendi fructus si omittatur pars divini officii quæ sit minor unâ parvâ horâ; secus si illam adæquet, etiam quando illa omissio adæquans ex pluribus omissionibus in diversis horis ejusdem diei coalescit.

Controvertitur an peccet contra justitiam beneficiarius, casu quo omittens officium, vult restituere; probabilior sententia negat, juxta S. Liguor., lib. 4, n° 145; — sed certè peccat contra religionem.

§ III.

Sub quibusnam pœnis præcipiatur recitatio divini officii.

756. Pœnæ sub quibus præcipitur recitatio divini officii continentur in § *Statuimus*, sess. 9 Concilii Lateran. V, et in Constit. *Ex proximo* S. Pii V supra relatis. Illæ sunt:

1° Amissio fructuum beneficii pro ratâ parte temporis quo

culpabiliter fuit omissum officium post sex menses adepti beneficii ; 2° privatio beneficii, si ultra dictum tempus in simili negligentiâ permanserit, legitimâ monitione præcedente, et hoc bis saltem contigerit intra spatium 15 dierum.

De primâ pœnâ sat diximus in § præcedenti ; notetur solùm quòd hæc pœna incurratur ante omnem sententiam, sed duntaxat post sex menses ab adepto beneficio, et pro solo tempore quod effluxerit post dictos sex menses completos.

Quoad autem privationem beneficii, non incurritur nisi post sententiam judicis competentis : « Antequam hujus-« modi pœna possit imponi, inquit Suarez (lib. 4, *De hor.* « *canon.*, c. 29, n° 4), requiritur prævia monitio et subse-« quens contumacia durans post monitionem per quin-« decim dies (*supra* 752)... : quia ergo illa monitio non « statim fit post sex menses, contingere potest ut aliquis « per multum tempus non recitet post primos sex menses « non admonitus, et consequenter non sit specialiter con-« tumax... : tunc pro illo toto tempore tenebitur restituere, « et non est obnoxius pœnæ privationis donec legitimè « moneatur... ; si contingat statim post sex menses moni-« tionem fieri, tunc quidem solùm pro quindecim diebus « conceduntur induciæ, ut sic dicam, usque ad privationem « beneficii, cum obligatione restituendi pro ratâ, pro « eisdem diebus, quod nullum est inconveniens, quia « illud tempus potest esse majus vel minus juxta diligen-« tiam admonentis. »

Ex his patet posse judicem ferre sententiam privationis beneficii, licet nulla alia præcesserit sententia, etiam privativa fructuum beneficii, quia, ut vidimus in § præcedenti, nulla sententia requiritur ut restitui debeant hujusmodi fructus, quippe omittens culpabiliter officium illos non facit suos ; sed requiritur *monitio prævia*. An autem illa monitio debeat esse triplex vel una pro triplici, nihil esse videtur ex quo deduci possit unicam absolutè non sufficere : Concilium enim Lateranense loquitur in singulari : *legitima monitione præcedente* ; attamen *Analecta* (3e livr., col. 696) dicunt monitionem debere esse trinam juxta Concilium ; de quo vide *Manuale*, n° 6412.

Quot autem requirantur omissiones post legitimam monitionem, ut sententia privationis ferri valeat : — Duæ sufficiunt intra quindecim dies ex Concilio Lateran. ; sic enim explicatur Concilium à S. Carolo, in primo Concil. Provinciali Mediolanensi (pars 2ª, tom. 1, p. 17, *Act. Eccl. Mediolan.*) : « Malitiæ ac negligentiæ clericorum qui, quas « debent canonicas horas dicere omittunt, occurrere cu- « pientes, ex Decreto Leonis X in Lateran. Concilio, « mandamus ut clericus quicumque, curatum vel sinè « curâ ecclesiasticum obtinens beneficium, si post sex « menses ab eo die quo illud obtinuerit, sinè justi impe- « dimenti causâ divinum officium non dixerit, beneficio- « rum fructus suos non faciat, sed eos tanquam injustè « perceptos in ejus ecclesiæ fabricam, vel pauperum « eleemosynas erogare debeat. Si verò canonicè admonitus, « in eâdem negligentiâ ac malitiâ perstiterit, beneficio « privetur. *Officium autem omittere ut beneficio privari « possit, is jure dicatur qui quindecim dierum spatio bis « illud omiserit.* » Eodem modo Concilium Lateranense explicat S. Liguor. (lib. 3, n° 671), nec inveni auctores contrarium sentientes.

Quænam verò excusent à recitatione officii, vide dictum in *Manuali* à n° 5114, etc.

Qualiter autem sit recitandum divinum officium, dicitur ibid., à n° 5125, etc.

§ IV.

De celebratione publicâ divini officii, et specialiter de cantu.

757. Non tantùm privatim officium divinum est recitandum, sed etiam publicè celebrari debet, præcipuè in Ecclesiis Cathedralibus et Collegiatis, prout pariter in regularibus. De obligationibus Canonicorum et regularium circa celebrationem divini officii, vide *Manuale* (2308-2338, 2945, 5091-5096). Hîc solummodo observabimus : 1° quòd brevitatis causâ nihil sit omittendum in missâ, sed ea est cantanda prout jacet in Missali, ut S. R. C. respondit, 5 julii 1631, et 11 sept. 1847, quoad missam defunctorum : idque saltem servandum est quando missa ex obligatione cantatur; — 2° quòd in missâ conventuali, in quâ chorus

tenetur cantare Symbolum, illud integrè et intelligibili voce sit cantandum, non autem alternatim cum organo; nec debeat celebrans missam prosequi quin absolvatur idem Symbolum (S. R. Congregatio, 10 martii 1657; 17 decembris 1695); idem maximè convenit observari in missâ non conventuali; — 3° quòd cantores non debeant Introitum incipere antequam Celebrans ad altare perveniat (S. R. C., 14 aprilis 1753, n° 4084; et *Cæremoniale Episcoporum*, lib. 2, cap. 8, n° 30); *Sanctus* verò debet quidem cantari post Præfationem; sed *Benedictus qui venit*, etc., reservari debet post Elevationem in Missis Pontificalibus, et laudabiliter potest etiam reservari in aliis missis.

758. In officio divino publicè celebrato duo concurrere solent, maximè in festivitatibus, videlicet cantus et cæremoniæ; quæ dicenda essent de cæremoniis tractantur à rubricistis, et ad eos remittimus : dicemus igitur solummodo hîc de cantu.

« Cantum alternis choris in Veteri Testamento adum-« bratum..., scribit S. Isidorus Hispalensis... ; Isaiæ enim, « cap. 6, duo Seraphim clamabant alter ad alterum : « *Sanctus*, *Sanctus*, *Sanctus*; indèque duos choros sibi « alternâ modulatione concinentes repræsentabant... Ex « Davidicâ institutione, levitæ in tres choros distributi, « canebant coram tabernaculo testimonii... Chorus medius « Levitarum erat Caathitarum sub cantore Heman ; chorus « dexter Levitarum Gersonitarum sub cantore Asaph ; « chorus verò sinister Levitarum Meraritarum sub cantore « Ethan (1 Paral., n° 6). Eos autem per choros decantasse, « ac sibi invicem respondisse nulli, inquit Venerabilis « Thomasius..., dubium esse potest.

« In novâ autem lege, christianos ab ipso Domino ejus-« que Apostolis psalmos et hymnos canendi habuisse do-« cumenta... certum est... : Christus sanè et Apostoli post « Eucharisticam Cœnam (Matth. 26) hymnum decanta-« bant; S. Paulus (*Eph.* 5) cantum ecclesiasticum di-« serte præcipit : *loquentes vobismetipsis in psalmis et « hymnis et canticis spiritualibus, cantantes et psallentes.* » (Ferrar. v° *Cantus*, n° 1.)

Non tamen statim ab initio viguisse videtur modus can-

tandi divinum officium alternis vocibus : plures enim hunc modum tribuunt S. Ignatio martyri ; sed non videtur fuisse introductus in Occidente ante S. Ambrosium, qui ad Orientalium imitationem et ad levandum populi tædium, noctes integras transigentis in templo ob persecutionem Justinæ Augustæ, illum primus induxit in Ecclesiam Mediolanensem, teste ipsomet S. Augustino, lib. 9, *Confess.*, cap. 7.

Cantus ecclesiasticus solet vocari *planus* : et sic denominatur, quia ut plurimùm de *plano* procedit secundùm naturalem *diatonici* seu *gammæ* dispositionem, singulas notas ferè æquali temporis mensurâ denuntiando, et cum uniformi vocum concordiâ ; differt à cantu harmonico seu musico, in quo ècontra est magna sonorum et intervallorum diversitas.

Præcipuus auctor cantûs *plani* reputatur S. Gregorius Magnus, sexto sæculo : ideoque cantus hujusmodi *Gregorianus* nuncupatur.

Inductus fuit in Gallias potissimùm tempore Caroli Magni : plurima tamen successu temporum ac præsertim his ultimis sæculis ei immixta sunt ; unde sat constat non ampliùs hodie cantum permanere qualis fuerat à S. Gregorio institutus. Reverà publicata fuit, anno 1851, editio cantûs, quâ restaurari quasi integrè creditus fuit ejusmodi cantus Gregorianus, sed adhuc tamen supersunt dubia quoad hoc, saltem in pluribus.

Conservationi autem cantûs plurimùm contulit monachus Guido Aretinus, qui, anno 1028, invenit signa (*gamme*) et methodum quibus hodiè cantus describitur.

Cæterùm nulla stat lex, saltem generalis, quâ forma determinata cantûs in Ecclesiâ præscribatur : potest ergo unaquæque diœcesis proprium cantum servare, vel eum qui ei magis placet, adoptando Romanam liturgiam, eligere.

« Planus cantus, ait Bened. XIV, Const. *Annus*, fide-
« lium animos ad devotionem excitat, si rectè peragatur ;
« à piis hominibus libentissimè auditur, et alteri, qui
« *harmonicus* seu *musicus* dicitur, meritò præfertur ; et
« ideò Concil. Trident. (sess. 23, c. 18, *De reform.*) præ-

« cipit ut seminariorum alumni *cantûs*, computi eccle-
« siastici aliarumque bonarum artium disciplinam dis-
« cant. »

Musica verò non erat in usu in ecclesiis, tempore S. Thomæ Aquinatis, sed de jure permissa est, textu expresso in Extrav. *Docta*, *De vitâ* et *honest. cleric.* ubi loquens de *consonantiis*, Pontifex insinuat eas esse adhibendas, *diebus præcipuè solemnibus*, *quia auditum demulcent*, *devotionem provocant*; solummodò abusus prohibitus fuit: ideòque in eâdem Extrav. improbatur genus musicæ, quo omninò deformatur et offuscatur cantus planus; huic concordat canon *Cantantes* 1, dist. 92, ubi dicitur: « *Can-*
« *tantes in cordibus vestris Domino*: audiant hæc adoles-
« centuli; audiant ii quibus psallendi in ecclesiâ officium
« est... Nec in tragœdorum modum guttur et fauces dulci
« medicamine liniendæ sunt, ut in ecclesiâ theatrales
« modi audiantur et cantica, sed in timore et scientiâ Scrip-
« turarum. »

Concilium etiam Trident. (sess. 22, *De observ. et vit.*) præcipit ut « ab ecclesiis... musicas eas ubi, sive organo
« sive cantu, lascivum aut impurum aliquid miscetur...
« arceant (Episcopi), ut domus Dei verè domus orationis
« esse videatur et possit ».

Ut verò musici intra hujusmodi limites continerentur, instituta fuit à Pio IV commissio cujus pars fuit S. Carolus, in quâ deliberatum fuit an ad decentiam cultûs divini non expediret musicam à sacris officiis omninò excludere. A dictâ commissione vocatus fuit Joannes Petrus Aloysius Prænestinus (*Palestrine*), petitoque ab eo an posset haberi musica quæ in ecclesiis convenienter posset audiri, et in quâ verba distinctè intelligerentur, tres ipse missas composuit, quæ commissioni ita placuerunt ut propositum exulandi musicam à divinis officiis abjectum fuit.

Postea autem, nempe 22 apr. 1657, Alexander VII Litteras Apostolicas edidit, quibus circa musicam tria sancivit quoad ecclesias romanas, videlicet: 1° ut nihil in eis caneretur nisi extractum à Missali, vel ex Breviario, aut si à Scripturâ Sacrâ vel SS. Patribus decerperetur, nonnisi approbatum à S. Congreg. Rit.; 2° ut omninò exclude-

retur melodia profana et theatralis ; 3° ut de his accuratè servandis obstringerentur juramento magistri capellarum. Hæcque præcipit sub pœnâ excommunicationis latæ sententiæ, privatione fructuum unius mensis beneficii, et suspensione ob officio.—Suppressæ sunt hæ censuræ C. *Ap. Sed.*

Plura alia præscripta fuêre : Bened. XIV, in Bullâ *Annus*, ad Episcopos ditionis ecclesiasticæ directâ anno 1749, dicit. : « Vertente anno 1657, Alexander VII (Con-« stitutione *Piæ sollicitudinis*) præcepit ut per id tempus « quo divina persolvuntur officio, et quo publicæ fidelium « venerationi... sacramentum Eucharistiæ expositum est, « nulla alia carmina seu verba cantentur, nisi desumpta « ex breviario, vel missali romano... vel Sacrâ Scripturâ, « aut SS. Patrum operibus... Aliquâ dubitatione exortâ..., « Innocent. XII, anno 1692, aliud Decretum promulga-« vit... : generatim quarumcumque cantilenarum cantum « seu *motetorum*, prohibuit. In... missarum solemnibus, « solummodo permisit ultra cantum *Gloria* et Symboli, ut « cani posset Introitus, Graduale et Offertorium ; in Ves-« peris verò nullâ mutatione etiam minimâ factâ, anti-« phonæ quæ initio cujusque psalmi, vel in ejus fine di-« cuntur : insuper voluit... ut musici cantores omnino « legem chori sequerentur, et quemadmodum in choro « aliquid addere officio fas non est, ita musicis noluit id « licere ; et illud duntaxat concessit ut ex officio... SS. Sa-« cramenti, nimirum ex hymnis S. Thomæ, vel ex anti-« phonis aliisque relatis in breviario et missali... carmen « aliquod seu motetum nullâ verborum varietate, cantari « posset..., dum Sacra Hostia elevatur, vel publicè colenda « exhibetur. »

Unde « prohibitum est cantare laudes, cantilenas, can-« tiones, vel alia in linguâ vulgari, sive inter missarum « solemnia, sive exposito SS. Sacramento, aut in ejusdem « processione. » S. R. Congr., 21 mart. 1609, et pluries postea.

Versus autem linguâ vulgari compositi, permitti possunt post benedictionem, ex Decis. 3 aug. 1839. —Dicta hæc, ut patet, intelligi debent de universâ Ecclesiâ.

Insuper in *Cæremoniali Episcopor.* hæc habentur (lib. 1,

cap. 28, XIII) : « In missis et officiis defunctorum, nec « organo nec musicâ, quam figuratam vocant, utimur, sed « cantu firmo, quem etiam tempore Adventûs et Quadra- « gesimæ in ferialibus diebus convenit adhiberi ». Ita pariter S. Congr. Episc., 27 martii 1601.

Caveri verò debet juxta Declarat. S. R. C. 21 febr. 1643, n° 1283 : 1° ne textus notabiliter per musicam mutilentur, anteponendo, postponendo verba, et illorum sensum adaptando modulationi, ita ut musica non verbis et sensui, sed verba et sensus inservire videantur musicæ; 2° ne, quæ sub Introitu, Offertorio, Elevatione et Communione cantantur, sic protrahantur ut celebrans expectando, missam interrumpere cogatur; sicque pariter non musica missæ, sed missa musicæ famulet.

759. Quoad autem usum instrumentorum, sic habet Bened. XIV in præfatâ Constit. *Annus* : « .... 2° De usu « instrumentorum... nihil monebimus, nisi ut illa adhi- « beantur solummodo ad vim quamdam verborum can- « tui quodammodo adjiciendam, ut magisque audientium « mentibus eorum sensus infigatur... Si (pergit idem) « instrumenta continenter personent et solùm interdum, « ut hodie fieri solet, per momenta aliqua interquies- « cant, ut liberum spatium audiendis harmonicis modu- « lationibus, crispatisque jaculationibus vocum... præ- « beant, cæterùm opprimant sepeliantque cantantium « vocem sonumque verborum, frustraneus est et inutilis « hujusmodi instrumentorum usus, imò vetitus atque in- « terdictus. »

Consulit autem Pontifex (n° 11) ut præter organum non aliud permittatur instrumentum quàm *barbiton*, *tetrachordon*, *fidicula*, *lyra tetrachordis* : *quia hæc inserviunt ad corroborandas sustinendasque cantantium voces.* Vetantur verò *tympana*, *cornua venatoria*, *tubæ*, *tibiæ decumanæ*, *fistulæ*, *fistulæ parvæ*, *psalteria symphonica*, *cheles*, *aliaque id genus quæ musicam theatralem efficiunt.*

Quoad symphonias, Bened. XIV dicit illas posse *tolerari*, *ubi earum usus jam receptus est*, *dummodo graves sint et earum diuturnitate, tædium non afferant iis qui adsunt.* Per

symphoniam autem intelligitur usus intermiscendi divinis officiis sonum organorum sinè ullo cantu.

Etsi generatim musica non sit prohibita, attamen monialibus vetita fuit à pluribus Pontificibus et expressè à Clemente VIII, 12 julii 1592, per Decretum in quo dicitur: « Monialibus et earum ecclesiis non permittatur cantus « figuratus, sed tantùm firmus; ac præterea etiam ex « earum monasteriis, instrumenta musica (exceptis orga- « nis, quæ in exteriori ecclesiâ permittuntur) tollantur. » Datæ quidem fuêre postea monasteriis Romanæ variæ licentiæ à SS. Pontificibus, sed omnes illæ demùm fuêre revocatæ à Clemente XI, 4 decemb. 1712.

Imò non conceditur quòd moniales possint à viris doceri cantum seu musicam, vel sonum, neque ad crates, neque ad portas, nisi brevi tempore pro cantu Gregoriano. Ita pluries decisum à S. Congr. Episc. et Regul.

« Est Decretum generale S. Congr. esse tolerandam « musicam in ecclesiâ exteriori monialium, præsertim in « quibusdam Festis principalibus, ubi est talis consuetudo; « ubi verò consuetudo non adest, non esse de novo conce- « dendam... S. Congr. Episc., in *Neapolit.*, 10 nov. 1852. »

Cùm ex dictis, non musica sed musicæ abusus sit tantùm prohibitus, sequitur quòd Episcopus nequeat prohibere ne in ecclesiis, nisi sint monialium, fiat musica; sed benè poterit vetare ne canantur verba non sacra, et ne musica aliquid immodestum aut turpe sapiat.

Quandonam organum et musicorum cantus sint adhibenda ? Vide de hoc *Cæremoniale Episcop.*, lib. 1, cap. 28.

SECTIO SECUNDA.

DE REBUS ECCLESIASTICIS TEMPORALIBUS.

760. Res temporales Ecclesiæ sunt res corporales et jura incorporalia ad ipsam pertinentia, quibus providetur cultui divino, clericorum educationi et sustentationi, pauperum sublevamini, et aliis bonis ac piis operibus.

CAPUT I.

DE DOMINIO BONORUM ECCLESIASTICORUM.

ART. I.

DE CAPACITATE ECCLESIÆ HABENDI DOMINIUM RERUM TEMPORALIUM.

761. Circa hanc quæstionem exponendi sunt errores respuendi et veritates tenendæ.

1° Errores sunt duplicis generis: alii enim contenderunt fuisse à Christo prohibitum ne Ecclesia aut viri Ecclesiastici bona temporalia possiderent: inter eos recensentur Arnoldus de Brixiâ, circa annum 1139; Valdenses, ante annum 1210; Marsylius Patavinus, anno 1327; et præsertim Wiclefus.

Alii autem falsò opinantes potestatem Ecclesiæ ad sola spiritualia jure divino pertinere, non quidem dixerunt eam nullum jus habere posse in res temporales, sed prætenderunt eam non posse aliquod jus habere in res hujusmodi nisi ex concessione Principum, quorum proinde nutu omninò hoc jus pendet, et quorum arbitrio semper revocari potest: ita plures Gallicani et Jurisperiti, sive apud nos sive extranei. Hâc præsertim doctrinâ innitebantur qui, anno 1788, promovere conati sunt invasionem bonorum ecclesiasticorum.

2° Contra hujusmodi errores tenendæ sunt veritates sequentes :

I. *Ecclesia legitimè res temporales potest acquirere et possidere.* De fide est contra Wiclefum et hæreticos supra memoratos. Probatur ex damnatione propositionum sequentium : « 10. *Contra Scripturam est quòd viri eccle-* « *siastici habeant possessiones...* — 32. *Ditare clerum est* « *contra regulam Christi.* — 33. *Sylvester Papa et Cons-* « *tantinus Imperator errârunt Ecclesiam dotando.* »

Constat etiam ex Scripturâ : sic habet S. Paulus (1 Cor., c. 9, v. 3, etc.) : « Numquid non habemus potestatem « manducandi et bibendi ?... Quis militat suis stipendiis « unquam ? Quis plantat vineam et de fructu ejus non « edit ? Quis pascit gregem et de lacte gregis non mandu- « cat ?... Si nos vobis spiritualia seminavimus, magnum « est si nos vestra carnalia vestra metamus... Nescitis quo- « niam qui in sacrario operantur, quæ de sacrario sunt « edunt, et qui altari deserviunt cum altari participant ? « Ita et Dominus ordinavit iis qui Evangelium annuntiant, « de Evangelio vivere. »

Et reverà Christus Apostolis suis dixerat : « Dignus est « operarius cibo suo ». Erat etiam in Collegio Apostolorum marsupium commune : de Judâ enim dicitur in Joanne (cap. 13, v. 27, etc.) : « Quod facis fac citiùs. « Hoc autem nemo scivit discumbentium ad quid dixerit « ei : quidam enim putabant, *quia loculos habebat Judas,* « quòd dixisset ei Jesus : eme ea quæ opus sunt nobis ad « diem festum, aut egenis ut aliquid daret. »

Constat adhuc multis testimoniis SS. Patrum : sufficiat referre verba S. Hieronymi *ad Nepotianum* : « Pudet di- « cere : Sacerdotes idolorum, mimi, aurigæ et scorta « hæreditates accipiunt; solis clericis et monachis hoc lege « prohibetur : et non prohibetur à persecutoribus, sed à « Principibus christianis.... Cauterium bonum est, sed « quod mihi vulnus ut indigeam cauterio ? *Sit hæres, sed* « *mater filiorum, id est Ecclesia gregis sui,* quæ illos « genuit, nutrivit, pavit. » Ergo Ecclesia potest bona et hæreditates accipere.

Idem asseritur in cap. *Expedit*, causa 12, q. 1.

Probatur tandem ratione : Ecclesia enim instituta fuit à Christo ut societas externa et visibilis : porrò nulla societas sinè bonis communibus stare potest, cùm necessariò multæ faciendæ sint impensæ, ut ministri stipendium habeant, et multa necessaria comparentur ; hinc ei sua fuerunt ab ipso initio christianæ religionis bona unde aleret Episcopos, presbyteros, ministros, curam gereret orphanorum, virginum, viduarum, etc. ; necessaria quæque compararet pro luminaribus, sacris vasis, libris, agapis quæ ecclesiastici convivii genus erant. Ergo Ecclesia legitimè potest bona acquirere.

Frustra objicerentur verba Christi (S. Matth., cap. 10, v. 9) : « Nolite possidere aurum, neque argentum, neque « pecuniam in zonis vestris » ; et (S. Luc., c. 9, v. 3) : « Nihil tuleritis in viâ ». Nam hæc verba dicta fuêre Apostolis pro tempore vitæ Christi, quo, ut expeditiores essent, non debebant secum aliquid singuli deferre, cùm præsertim neque pauperum neque ecclesiarum tunc curam habebant, et unus ipsorum, Judas nempe, loculos pro communi usu portabat ; at ubi Apostoli, post Domini Ascensionem, cœperunt figere sedes in certis locis et curam habere Ecclesiarum et pauperum, non putârunt sibi fuisse prohibitum recipere et habere bona temporalia, ut patet ex Act. Apost. (c. 4, v. 5 et 6).

762. — II. *Ecclesia possidere potest non solùm mobilia, sed etiam immobilia, et quidem jure naturali et divino, et independenter à potestate sæculari.*

1° Etiam immobilia possidere potest Ecclesia : rationes enim supra allatæ non minus faciunt pro jure possidendi immobilia quàm pro jure mobilia habendi : præterea, instituendo Ecclesiam ut societatem visibilem, Christus potestatem ei dedit habendi quidquid est necessarium aut etiam utile ut valeat suam existentiam servare, et finem suum prosequi ; sed ad hæc non solùm mobilia, sed etiam immobilia sunt sæpe absolutè necessaria, et solent esse saltem multùm utilia : immobilia enim sunt necessaria pro ecclesiis, domibus episcopalibus, presbyteralibus, pro monasteriis, hospitalibus, seminariis, aliisque multis locis piis ; sola pariter immobilia benè subministrare possunt

redditus certos et stabiles quibus Ecclesia indiget pro innumeris impensis quotidiè faciendis, etc.

2° Eâdem ratione probatur præfatum jus immobilia possidendi inhærere Ecclesiæ jure naturali et divino, nempe eodem jure quo ipsi datum fuit existere et sese dilatare in universum mundum : etenim « Dominus ordinavit iis qui Evangelium annuntiant de Evangelio vivere » (1 Cor., c. 9, v. 14).

3° Hoc jus habet Ecclesia independenter à potestate sæculari, quod multis probari potest : etenim Christus instituendo Ecclesiam, ipsam independenter à potestate sæculari instituit. « Euntes, inquit, Apostolos suos alloquens, docete omnes gentes, docentes eos servare omnia quæcumque mandavi vobis. » Quod quidem dicendo nullatenus eis præscripsit ut licentiam prædicandi à Principibus obtinerent; sed cùm bona temporalia, ut modò diximus, sunt absolutè necessaria vel admodum utilia ad existentiam Ecclesiæ, necessariò Christus, qui voluit Ecclesiam existere independenter à Principibus, dedit eidem jus possidendi, etiam independenter à Principibus, illa bona absolutè necessaria, vel admodum utilia. Ergo etc.

Probari etiam potest ex variis factis, in *Manuali*, relatis, n° 5259.

Hæc ita vera sunt ut, anno 1274, Concil. Lugdun. II generali Constitutione sancierit « universos et singulos qui... bona ecclesiarum, monasteriorum... occupare præsumunt, quantæcumque dignitatis honore præfulgeant... eo ipso excommunicationis sententiæ subjacere ».

Et Concil. Trident. (sess. 22, cap. 11) : « Si quem clericorum vel laicorum, quâcumque is dignitate, etiam Imperiali aut Regali præfulgeat, in tantùm malorum omnium radix cupiditas occupaverit, ut alicujus ecclesiæ, seu cujusvis sæcularis vel regularis beneficii, Montium Pietatis, aliorumque piorum locorum jurisdictiones, bona, census ac jura, etiam feudalia et emphyteutica, fructus, emolumenta, seu quascumque obventiones, quæ in ministrorum et pauperum necessitates converti debent, per se vel per alios, vi vel timore

« incusso, seu etiam per suppositas personas clericorum « aut laicorum, seu quâcumque arte, aut quocumque « quæsito colore in proprios usus convertere, illosque « usurpare præsumpserit, seu impedire ne ab iis ad quos « jure pertinent percipiantur, is anathemati tandiù sub- « jaceat, quandiù jurisdictiones, bona, res, jura, fructus « et redditus quos occupaverit, vel qui ad eum quomo- « documque, etiam ex donatione suppositæ personæ, per- « venerint, ecclesiæ ejusque administratori, sive benefi- « ciato integrè restituerit, ac deinde à Romano Pontifice « absolutionem obtinuerit. »

763. — III. Ex modò stabilitis sequitur, non ad potestatem sæcularem, sed ad Ecclesiam pertinere judicare quousque extendi debeat jus acquirendi et possidendi bona temporalia : proindè leges vulgò dictæ amortizationis, secluso speciali privilegio ab Ecclesiâ concesso, iniquæ sunt et in Ecclesiam injuriosæ.

Per leges autem *amortizationis* intelliguntur eæ leges civiles quæ prohibent ne bona temporalia, præsertim immobilia, in Ecclesiæ dominium, absque Principis consensu, transferantur, ne ultra modum, ut aiunt, Ecclesia ditescat : porrò illæ leges sunt iniquæ et in Ecclesiam injuriosæ : si enim Ecclesia habet à Christo potestatem independentem bona temporalia possidendi, impediri nequit quin illa possideat. Frustra objiceretur Ecclesiam non debere ultra modum ditari : nam instituendo Ecclesiam Christus ei promisit suam assistentiam, ne id faceret quod posset esse damnosum. Præterea bona Ecclesiæ in ipsiusmet societatis civilis bonum convertuntur, non solùm quia bona opera in quæ hujusmodi bona ab Ecclesiâ impenduntur, etiam societati civili proficiunt, sed quia Ecclesia suis bonis, statui sæculari in angustiis posito, non omisit liberaliter auxiliari : sic Concilium Lateranense III indulsit quòd, ubi laicorum opes, judicio Episcoporum, impares essent ad publicis necessitatibus providendum, quod necesse esset ex proventibus Ecclesiæ tribueretur (Canon. 19). Et reipsa S. Pius V, ad necessitatem regni Gallici, Carolo IX concessit alienare fundos ecclesiasticos ad 15,000 libras redditûs annui assurgentes ; Gregor. XIII concessit ut à

bonis ecclesiasticis distraheretur ad valorem 1,100,000 librarum ; Henrico III Sixtus V permisit venditionem fundorum ecclesiasticorum ad centum mille philippæos redditûs annui , licet clerus jam, eo anno , contulisset auri decies centena millia et ampliùs. Refert auctor *Theatri Europæi*, ad annum 1683, 7 aug., Innoc. XI, Imperatori submisisse ter centum mille coronatos , additâ amplissimâ facultate ex ipsis templis , vasa sacra et *cimelia* (*objets précieux*) ad usum belli Turcici in monetas conflandi.

Observandum est quòd ad has alienationes legitimandas, juxta Concil. Later. IV, consensus Pontificis necessarius est ; ipsa enim ratio naturalis suadet nemini fas esse in rem alienam , etiam sibi debitam , contra domini voluntatem , vel, eo inconsulto , invadere.

Ne objiciatur contra nostram tertiam assertionem quòd per legem *amortizationis*, Status non privet Ecclesiam bonis jam acquisitis , sed solùm acquirendis : jam verò bona, antequam ab Ecclesiâ acquirantur, sunt civilia, adeoque in dominio potestatis sæcularis posita. Ergo, etc.

Nam respondetur : Æqualem esse injustitiam spoliare aliquem à bonis acquisitis, aut à libertate bona acquirendi, quando ei competit. Et certè Status injuriam suis propriis membris inferret , non tantùm eos spoliando ab acquisitis, sed ab acquirendis indebitè prohibendo ; quantò magis infert Ecclesiæ, quæ absolutè est ab eo independens, et à Domino habet hanc potestatem independentem acquirendi ? Vide alia in *Manuali*, 5263, etc.

764. — IV. Ergo nec etiam habet Respublica dominium altum seu eminens in bona Ecclesiæ : qui enim tale dominium haberet in bona Ecclesiæ , de illis posset disponere , saltem propter bonum publicum , datâ justâ ac competenti indemnitate ; porrò potestas sæcularis hoc jus non habet in bona Ecclesiæ ; sed si bonis hujusmodi indigeat debet obtinere consensum Ecclesiæ , ut vidimus supra. Ergo, etc.

765. Quærit. 1° Quid sit dicendum de iis qui apud nos bona Ecclesiæ usurpata hodiè possident ?

Resp. Vel agitur de bonis ecclesiasticis alienatis à Gubernio à quo fuerunt usurpata, vel de bonis ecclesiasticis alio modo usurpatis et acquisitis.

Si priùs : vel illa bona alienata fuerant ante Concordatum 1801, vel solùm post Concordatum : si alienata fuerunt à Gubernio ante dictum Concordatum, certum est illa posse retineri ab acquisitoribus, etiamsi peccaverint sic acquirentes : nam S. Pontifex, in eodem Concordato, talium bonorum condonationem fecit in gratiam possidentium.

Si bona ecclesiastica fuerunt acquisita post Concordatum 1801, rursùs distinguendum est : vel illa bona à Gubernio fuerant usurpata ante Concordatum, vel duntaxat post Concordatum : in priori casu, non omninò patet an hujusmodi acquisitio valida sit : multi existimaverunt condonationem factam à S. Sede applicari posse solùm bonis acquisitis ante Concordatum ; imò in ipsis Comitiis (*dans les chambres*), præsertim anno 1817, ii qui expetebant ut bona non vendita redderentur ecclesiis, constanter affirmabant ea bona non comprehendi in condonatione à S. Sede factâ. Non tamen improbabilis videtur sententia opposita, et fortè probari posset ex art. 12 dicti Concordati, ubi dicitur : « Omnia templa Metropolitana, Cathedralia, paro-« chialia, atque alia quæ non alienata sunt, *cultui neces-« saria*, Episcoporum dispositioni tradentur ». Si ergo S. Sedes exegit solùm restitutionem templorum et aliorum bonorum ecclesiasticorum non alienatorum, nisi *quatenus erant cultui necessaria*, potuerunt proinde post Concordatum legitimè à Gubernio alienari, et ab acquisitoribus legitimè retineri. Sed quidquid sit de vi hujus argumentationis, S. Pontifex, de hâc re interrogatus, permisit ut acquisitiones haberentur ut validæ ; sic imprimis Gregorius XVI respondit, 16 sept. 1833, Episcopis Belgii, postulantibus ut art. 13 Concordati extenderetur ad bona à Gubernio usurpata, quæ post dictum Concordatum fuerunt divendita, vel adhuc potestatis sæcularis nomine administrantur : « Vobis edicere licebit, inquit Pontifex, Nomine « Nostro, memoratum articulum *ampliari et extendi* ad « alia quælibet ex occupatis ut supra bonis, quæ sive post « Conventionem illam alienata à Gubernio sint, sive adhuc « apud Gubernium ipsum remaneant ». Supponit quidem Breve *ampliari Concordatum*, sed fortè hoc dicit *ad cautelam*, ut amputarentur omnes cavillationes.

In secundo casu, quando nempe bona, à Gubernio acquisita, ab ipso fuerunt usurpata post Concordatum, tunc non videtur posse in dubium revocari quòd ipsorum acquisitio sit invalida, nisi speciali Indulto obtenta fuerit à S. Sede condonatio rerum sic acquisitarum. Confirmatur hæc solutio responsione S. Pœnitentiariæ, 2 januarii 1838, datâ pro diœcesi Cameracensi, quæ legi potest in *Manuali*, n° 5269.

Si tandem quæstio sit de bonis ecclesiasticis usurpatis ab aliis quàm à Gubernio, v. g., si agatur de bonis, quæ apud privatos remanserunt, Gubernio ignorante, certè condonatio à S. Sede facta hujusmodi bona non comprehendit : unde de illis judicandum est ac de cæteris bonis injustè usurpatis et detentis : quæ proinde sunt restituenda, juxta regulas traditas à Theologis in tractatu de Justitiâ, nec eis præscriptio est applicanda nisi sit omnibus conditionibus vestita quæ liberant in foro conscientiæ, imprimisque sit peracta cùm bonâ fide, et per 40 annos duraverit.

766. Quærit. 2° An Ecclesia apud nos habeatur ut civiliter capax habendi dominium ?

Responderi potest affirmativè, tum ex Concordato ubi sancitur : « Art. 15. Gubernium curabit ut catholicis libe-« rum sit, si libuerit, Ecclesiis consulere novis fundatio-« nibus » ; tum ex lege 2 jan. 1817 ubi statuitur : « 1° Tout « établissement ecclésiastique reconnu par la loi pourra « accepter, avec l'autorisation du Roi, tous les biens, « meubles, immeubles ou rentes qui lui seront donnés par « actes entre-vifs ou par acte de dernière volonté. 2° Tout « établissement ecclésiastique reconnu par la loi pourra « également, avec l'autorisation du Roi, acquérir des « biens immeubles ou des rentes. 3° Les immeubles ap-« partenant à un établissement ecclésiastique seront pos-« sédés à perpétuité par ledit établissement, et seront « inaliénables à moins que l'aliénation en soit autorisée « par le Roi. »

ART. II.

IN QUONAM RESIDEAT DOMINIUM BONORUM ECCLESIASTICORUM.

767. Non consentiunt DD. circa subjectum in quo resideat dominium bonorum ecclesiasticorum.

Exstant de hoc tres sententiæ : *Prima* dicit dominium directum et proximum bonorum ecclesiasticorum apud nullum hominem sive privatum sive publicum existere, sed solùm apud Deum seu Christum, solâ administratione apud Dei ministros consistente. Ita Innocent III. In probationem afferuntur varii textus juris canonici, in quibus bona ecclesiastica dicuntur *res Dei*, *bona Deo consecrata*.

Secunda dicit Dominium præfatum penès S. Pontificem residere. Ita Fagnanus, et alii. Probant imprimis ex plenitudine juris ea bona administrandi quæ Ipsi à canonibus tribuitur. Juxta S. Liguor., verior est sententia quæ denegat S. Pontifici dominium propriè dictum circa res ecclesiasticas (lib. 3, nº 931).

Tertia tandem dicit dominium de quo agimus esse penès ecclesias vel Instituta in quorum usum sunt respectivè tradita et applicata. Ita communiter canonistæ; et hæc sententia, prout est communior, multòpariter videtur probabilior, et probatur ex cap. *Quoniam* 68, causa 16, q. 1, ubi dicitur : « Liberum est... monachis et spiritualibus « viris, Deum timentibus et colentibus, decimas et obla- « tiones, cunctaque remedia concedere et de jure suo in « *dominium illorum* et usum transferre. » Ergo non solùm in usum monachorum aut virorum spiritualium dantur bona ecclesiis et monasteriis, sed et *in illorum dominium*; — item ex cap. *Videntes* 16, causa 12, q. 1, et Concil. Trident. (sess. 22, c. 11, *De ref.*).

Constat etiam ex sensu fidelium qui, dando bona sua, intendunt determinatam ecclesiam aut speciale Institutum gratificare.

Probatur denique ex confutatione aliarum sententiarum, prout est videre in *Manuali*, nis 5275, etc.

Tribui tamen debet S. Pontifici altum dominium seu potestas jurisdictionis in bona ecclesiastica, vi cujus potes

donare illa bona propter urgentem ecclesiæ necessitatem, ut contigit in Galliâ initio sæculi præsentis : in id enim præsumuntur consensisse qui bona sua ecclesiis elargiti fuêre.

Bona Institutorum aut ecclesiarum non censenda sunt ecclesiastica nisi hujusmodi Instituta aut ecclesiæ fuerint auctoritate ecclesiasticâ legitimè erecta.

Ut Instituta ecclesiastica valeant canonicè bona temporalia acquirere, satis est, nisi aliter disponatur in quibusdam Institutis, ut observentur formalitates quæ pro foro conscientiæ sufficientes habentur inter privatos : proinde, si agatur de donationibus, requiritur ut acceptentur à legitimis Superioribus Institutorum ante donatorum mortem ; et si agatur de aliis acquisitionibus, requiritur ut iidem consentiant ; sed apud nos in Galliâ, ut Instituta tanquam proprietarii civiliter habeantur, plures aliæ formalitates sunt insuper observandæ : etenim, si agatur de acquisitione titulo oneroso bonorum immobilium vel reddituum (*rentes*), requiritur approbatio Gubernii : ita art. 2 legis 2 jan. 1817; non solet verò concedi hæc approbatio nisi transmittantur ad Gubernium : 1° petitio subscripta ab administratoribus Instituti, cui adjuncta sit sententia (*l'avis*) tùm Consilii municipalis, tùm Episcopi, tùm Præfecti ; 2° tabula descriptionem locorum continens ; 3° actus æstimatorius tum valoris objecti acquirendi, tum impensarum quæ ad peragenda sarta tecta sunt necessaria; 4° actus inquisitionis factæ à Sub-Præfecti Commissario de *commodo* et *incommodo* acquisitionis peragendæ ; 5° scriptum quo proprietarius se obligat ad rem alienandam in gratiam Instituti ecclesiastici ; 6° exemplar budgeti quo constet Institutum non esse impar ad bona proposita acquirenda.

Si verò agatur de acquisitionibus titulo gratuito, formalitates tunc observandæ sic exponuntur à DD. Affre (*Adm. temp.*, p. 127), Gubernio præberi debent : « Pour le legs : « 1° testament; 2° acte de décès du testateur; 3° évaluation « de l'objet légué; 4° état approuvé par le Préfet de l'actif « et du passif, ainsi que des charges et des revenus de « l'établissement légataire ; 5° copie de l'acte extrajudi- « ciaire constatant que les héritiers ont été appelés à pren-

« dre conaissance du testament ; 6° leur consentement à « la délivrance du legs ; au cas contraire, le Préfet, en « sollicitant l'autorisation, joindra leur mémoire, en fai- « sant connaître le nombre des réclamants, le montant « d'hoirie et la portion afférente à chacun d'eux : s'il n'y « a pas d'héritiers connus, acte des affiches du testament « au chef-lieu de la mairie du domicile du testateur et de « l'insertion dans le journal judiciaire du département. »

« Pour les donations : 1° acte de donation ; 2° évalua- « tion de l'objet donné ; 3° certificat de vie du donateur ; « 4° état approuvé par le Préfet de l'actif et du passif, « ainsi que des charges et des revenus de l'établissement « donataire. »

In utroque casu sive donationis per testamentum recipiendæ, sive donationis inter vivos, Institutum deliberare debet an ipsi expediat acceptare, et actus hujusmodi deliberationis per Sub-Præfectum transmittitur ad Præfectum, qui, expetitâ Episcopi et adjunctâ suâ propriâ sententiâ, omnia ad Gubernium mittit. *Nota* quòd sufficiat approbatio Præfecti, ubi agitur de donationibus aut legatis rerum mobilium quorum valor 300 francos non excedit vel 1,000 fr., pro Fabr.

In omni casu, ut Institutum ecclesiasticum possit civiliter acquirere et possidere, requiritur ut sit agnitum à Gubernio seu à lege civili : porrò à lege civili in Galliâ agnoscuntur quinque Instituta diœcesana : videlicet Titulus Episcopalis, Capitulum Cathedralis, Fabrica ejusdem, Seminaria majus et minus; duo parochialia, Fabricæ nempe et tituli parochiales, qui duplicis generis sunt, scilicet : vel parochiæ strictè dictæ cujus titularis est inamovibilis, vel minus strictè dictæ, id est succursales et capellæ vicariales, modò ut tales à Gubernio agnoscantur; non sufficit verò quòd agnitæ sint tanquam annexæ. Quoad alia Instituta religiosa, quædam à Gubernio agnoscuntur, v. g., plures monialium Congregationes, imò et nonnullæ virorum ; plures tamen ab illo non agnoscuntur et ideò civiliter acquirere non possunt ; non etiam à lege civili agnoscuntur Confraternitates.

Juxta autem legem civilem, donationes et legata Instituris facta acceptari debent in Galliâ : 1° ab Episcopis,

quando sunt in gratiam mensæ episcopalis, vel Ecclesiæ Cathedralis, vel seminariorum;

2° A Decano, si in gratiam Capituli fiant;

3° A parocho aut alio titulari, si fiant in favorem tituli parochialis sive inamovibilis sive amovibilis, etiam capellæ vicarialis;

4° A thesaurario Fabricæ, si dona sint in gratiam ecclesiæ aut Fabricæ parochialis aut pro cultu divino;

5° A Superiore vel Superiorissâ Congregationis religiosæ, si dona fiant in gratiam ejusdem Congregationis. Ita art. 2 Decreti 2 apr. 1817.

Præfatis formalitatibus subjacere non videntur donationes manuales, quippe ex art. 2279 Codicis civilis, possessio rerum mobilium est titulus sufficiens ad illas legitimè retinendas; et ex art. 36 Decret. 1809 Fabricas spectantis, oblationes fieri possunt in gratiam Fabricarum. Attamen ex Arresto Curiæ Imperialis Parisiensis 7 decembr. 1852, etiam donum manuale, ut sit validum quando fit in gratiam Instituti religiosi, indiget Gubernii approbatione, quæ dari tamen potest post mortem donatoris.

De immunitate bonorum ecclesiasticorum, vide *Manuale*, à nº 5283, etc.

CAPUT II.

DE BONORUM ECCLESIASTICORUM ADMINISTRATIONE.

ART. I.

DE JURE ADMINISTRANDI BONA ECCLESIASTICA ET DE IIS AD QUOS JUS ILLUD SPECTAT.

768. Jus administrandi bona ecclesiastica ad eam auctoritatem pertinere debet ad quam, modo independenti, hujusmodi bona pertinent : accessorium enim sequitur principale; porrò administratio est accessorium et appendix dominii pleni aut saltem utilis; ergo sicut bona ecclesiastica ad Ecclesiam pertinent, ad ipsam pariter spectat eo-

rum administratio : hoc enim jure administrandi potiti fuêre ipsimet Apostoli, quoad collectas et alia bona quæ in illorum manus à fidelibus mittebantur; nec laicos sed septem diaconos constituerunt qui curæ earumdem rerum rectæque administrationi præessent. (Act. Ap., c. 6; et 1 Cor., c. 16, v. 1-4.)

Initio cura et administratio omnium Ecclesiæ bonorum penès Episcopum erat : sic enim legitur in can. 21 Apostolorum à Gratiano relato, c. 12, q. 1 : « Præcipimus ut « in potestate suâ Episcopus Ecclesiæ res habeat : si enim « animæ hominum pretiosiores illi sunt creditæ, multò « magis oportet eum curam pecuniarum gerere, ita ut po- « testate ejus indigentibus omnia dispensentur per pres- « byteros et diaconos ». Vide etiam can. 25 Concil. Antioch., anni 373 (Cap. *Episcopus,* 23, causa 12, q. 1), in *Manuali*, n° 5304.

Ne autem Episcopi administratio sinè testibus esset, et pariter ut in aliquâ curarum parte levaretur, mox, pro dictis bonis administrandis, constituti fuêre œconomi, qui tamen Episcopis suis rationem reddituri erant : de ipsis loquitur Concil. Chalcedon.. anno 451, in canone 26 : In canone autem 11 Concilii Nicæni II datur Metropolitis aut Patriarchis facultas dictos œconomos constituendi in Ecclesiis suæ Provinciæ, sicubi in hoc Episcopos negligentes invenissent. Solebant autem Archidiaconi in œconomos eligi.

Unus erat primùm bonorum cumulus unde alebantur Episcopi, clerici et pauperes ecclesiæ addicti, ex quo pariter detrahebantur impensæ quas pro ecclesiæ fabricâ, ornatu, supellectili, cæterisque rebus facere oportebat; postea verò visum est bona ecclesiastica in quatuor partes dividere, ut memorant Simplicius Papa, Epist. 3, ad Florent., Gelasius Papa, Epistola 9 ad Episc. Lucaniæ, etc., et sua Episcopo, sua clericis, sua item pauperibus, sua denique ecclesiæ fabricæ pars attributa est : in hâc bonorum partitione certi quoque redditus parochialibus ecclesiis adscripti fuêre. Sic etiam habet cap. *Mos est* 30, causa 12, q. 2, ex S. Greg. ad August. desumptum : « Mos est Apos- « tolicæ Sedis Episcopis præceptum tradere, ut de omni

« stipendio quod accedit, quatuor fieri debeant partitiones: « una videlicet Episcopo et familiæ ejus propter hospitali- « tatem, alia clero, tertia verò pauperibus, quarta eccle- « siis reparandis. »

Sic itaque divisis bonis Ecclesiæ, plures necessarii fuêre in singulis diœcesibus administratores ; propriæ mensæ bonorum administrationem retinuit Episcopus : bonorum uniuscujusque beneficii cura titulari eorumdem tributa fuit; bona autem ecclesiarum aut Fabricarum aut aliorum locorum ab ipsorum rectoribus administrabantur; monasteriorum verò bona à suis Præpositis aut Prælatis. Apud Episcopum tamen remansit, etiam post dictam bonorum partitionem, supereminens administratio, si excipias monasteria quæ fuêre ab ipsius administratione exempta : et ideò, quoties instituitur Episcopus, declarat Pontifex electo *curam et administrationem talis Ecclesiæ in spiritualibus et temporalibus* committi : quod consonum est cap. *Is cui* 42, *De elect.*, ubi Bonifacius VIII ait : Is cui procuratio seu administratio Cathedralis Ecclesiæ *plena et libera in spiritualibus et temporalibus est commissa, potest,* alienatione bonorum immobilium duntaxat exceptâ, « omnia quæ « jurisdictionis episcopalis existunt, et quæ potest electus « confirmatus exequi, liberè exercere ».

769. Ad providendum variis ecclesiarum necessitatibus institutæ fuêre Fabricæ seu corpora administratorum, quibus cura demandabatur administrandi res ecclesiæ, sumptus suggerendo necessarios ædificationi ac reparationi sacrarum ædium, et aliis ad cultum divinum requisitis; ideò sic vocantur quia institutæ fuêre præcipuè ad reficiendas et *fabricandas* sacras ædes.

Versùs sæculum XIII duntaxat cœperunt laicis committi quædam munia in administrandis Ecclesiæ bonis. Conc. verò Vienn., anno 1310, sequens Decretum tulit circa administrationem xenodochiorum : « Gubernatio viris pro- « vidis, idoneis et boni testimonii committatur, qui sciant, « velint et valeant loca ipsa, bona eorum ac jura utiliter « gerere, et eorum proventus et redditus in personarum « miserabilium usum fidelibus dispensare... Illi quibus « dictorum bonorum dispensatio committitur, ad instar

« tutorum et curatorum, juramentum præstare, ac de « bonis inventoria conficere, et Ordinariis, seu aliis quibus « hæc loca subsunt, annis singulis de administratione suâ « teneantur rationem reddere. » (Clement. *Quia contingit* 2, *De Religiosis domib.*) — Eâdem epochâ et propter similia motiva inducta est Fabricarum administratio.

Matriculariorum nomine *(marguilliers)* ideò vocati fuêre ii quibus cura bonorum Ecclesiæ fuit demandata, quia ortum habuêre ex iis clericis aut pauperibus qui inscribebantur matriculæ seu tabellæ eorum qui ab ecclesiis alebantur, ex quibus selecti fuerunt primùm qui munia externa in ecclesiis adimplerent, eas custodirent, ornarent, campanas pulsarent, etc.; sed postea amplificata fuêre illorum munera et veri administratores bonorum ecclesiæ effecti fuêre, semper tamen jurisdictioni Episcoporum subjecti, prout multis constat et præsertim ex Conc. Trid. (sess. 22, c. 9, *De ref.*) : « Administratores tàm ecclesiastici quàm « laici Fabricæ cujusvis ecclesiæ, etiam Cathedralis, hos- « pitalis, confraternitatis, eleemosynæ, Montis Pietatis « et quorumcumque locorum piorum, singulis annis, « *teneantur reddere rationem administrationis Ordinario*, « consuetudinibus et privilegiis quibuscumque in contra- « rium sublatis, nisi secùs fortè in constitutione et ordi- « natione talis ecclesiæ seu Fabricæ expressè cautum fuis- « set; quòd si, ex consuetudine aut privilegio, aliis ad id « deputatis ratio reddenda esset, tunc adhibeatur etiam « Ordinarius : et aliter factæ liberationes dictis administra- « toribus minimè suffragentur. »

Etsi nunc in Gallià administratores Fabricarum non sint omninò independentes ab auctoritate episcopali, tamen Fabricæ nostræ non ampliùs sunt hodiè administrationes ecclesiasticæ propriè dictæ : potiùs enim sæculari potestati subduntur quàm spirituali auctoritati : juxta enim legis civilis præscripta instituuntur, regulantur, administrant bona : uno verbo omninò subjacent decisionibus Gubernii, et quoad eorum existentiam et quoad omnes illorum administrationis actus. Idem est dicendum de administrationibus hospitalium quæ omninò laicæ apud nos effectæ sunt et à solâ auctoritate civili constituuntur et reguntur.

770. Sic autem Fabricæ parochiales ordinantur in Galliâ ex Decreto 30 decembr. 1809 : constant duabus partibus, Consilio nempe *(le Conseil)* et Collegio Matriculariorum *(le bureau des marguilliers)* : ad primum spectat deliberatio et potestas decernendi circa ea quæ facienda sunt ; ad secundum executio resolutorum et cura bonorum quotidiana.

Consilium autem Fabricæ septem vel undecim membra habere debet : septem quidem in parœciis in quibus non adsunt 5,000 animarum ; undecim verò in parœciis in quibus 5,000 computantur : inter illa de jure recensendi sunt tum parochus tum Major communitatis *(le maire)* ; cætera membra, præter parochum et Majorem communitatis, primâ vice eliguntur pro majore parte ab Episcopo, pro minore autem parte à Præfecto : deinceps verò renovantur ex parte, singulis trienniis, per electionem faciendam à membris quæ nondum tempus expleverunt per quod durare debet illorum officium, id est sex annos.

Fabricæ Consiliarii debent esse catholici, notabiles, et habere domicilium suum in parochiâ.

Convenire debent regulariter quater in anno videlicet : dominicâ *Quasimodo*, et primis Dominicis julii, octobris et januarii : electiones triennales, electio annua præsidis et secretarii, redditio computorum et deliberatio circa budgetum regulariter dominicâ *Quasimodo* sunt peragendæ.

Collegium autem *(le bureau)* coalescit ex parocho, qui semper et de jure est membrum, et ex tribus aliis membris Consilii, quæ ab ipso Consilio primùm designantur, et ita deinceps ab eo renovari debent ut unum ex ipsis mutetur singulis annis vel reeligatur.

Collegium sibi eligit quotannis Præsidem, Secretarium, et Thesaurarium ; regulariter convenire debet singulis mensibus ; at potest extraordinariè convenire quotiescumque expetit parochus, vel requirit præses.

Hæc omnia et plura alia quæ spectant compositionem consilii et collegii, munia utriusque, et variorum membrorum quibus constant, perceptionem reddituum, onera Fabricæ, præparationem et approbationem budgeti, redditionem computorum, modum acquirendi ac alienandi,

locationesque faciendi ; uno verbo omnes actus administrationis Fabricarum, explanantur à variis auctoribus qui circa legislationem hujusmodi solâ auctoritate civili sancitam, fusè scripserunt, inter quos DD. Affre in suo opere *Traité de l'administr. tempor. des paroisses* ; Dieulin in opere *Guide des curés* ; et præsertim redactores Diarii cui titulus *Journal des fabriques* pluribus voluminibus comprehensi.

Cùm hujusmodi explanatio multum tempus exposceret, et non sit proprium juris canonici objectum, quippe tota hujusmodi legislatio est potiùs civilis quàm canonica, imò potiùs anticanonica, quatenùs potestas sæcularis in eâ usurpat administrationem quæ ad solam Ecclesiam pertinet, ideò hanc materiam remittimus ad auctores qui illam ex professo elucidant, quique sedulò sunt quidem investigandi à clericis : nam, etsi parum canonicè, imò admodum anticanonicè multa in eâ statuantur, quia tamen tristis nobis inest necessitas hanc legislationem subeundi, nobis est pariter opus illam penitùs perspectam habere, ut non plus fiat onerosa quàm reverà exstat, et ex illius notitiâ etiam arma arripiamus quibus, si fieri potest, aliquando contra injustas vexationes protegamur. Etsi enim hæc legislatio non sit canonica, potest tamen à clericis observari in quantum saltem Ecclesia et Episcopi illam tolerant ; imò sæpè debet cautè observari ne actus administrationis sint civiliter invalidi, et ideò etiam nos plura passim puncta de eâ delibavimus aut delibaturi sumus.

Cæterùm relegenda sunt quæ diximus supra (156, etc.) circa limites utriusque potestatis spiritualis et temporalis.

ART. II.

DE ALIENATIONE BONORUM ECCLESIASTICORUM.

771. Licita quidem esse potest alienatio bonorum mobilium non pretiosorum aut etiam aliquando bonorum immobilium, sed regulariter interdicitur omnibus Episcopis, Ecclesiis, Capitulis, beneficiariis, monasteriis, piis locis bona sua ecclesiastica immobilia vel pretiosa, quæ servari

possunt, alienare, nisi fiat ex justâ causâ, obtento S. Sedis beneplacito et servatis formalitatibus à jure præscriptis. Nomine autem alienationis intelliguntur non solùm actus quibus transfertur dominium propriè dictum, ut fit per venditionem, donationem, permutationem, sed etiam actus quibus jus in perpetuum vel ad longum tempus conceditur, ut fit per locationem ultra triennium, oppignerationem, hypothecas, impositionem novi gravaminis, servitutis, censûs, etc.

Sic enim habet Extravag. *Ambitiosæ* Pauli II : « Ambi- « tiosæ cupiditati... occurrere cupientes, omnium rerum « et bonorum ecclesiasticorum alienationem, omne pac- « tum per quod ipsorum dominium transfertur, conces- « sionem, hypothecam, locationem et conductionem ultra « triennium, necnon infeudationem, vel contractum « emphyteoticum [1], præterquam in casibus à jure per- « missis..., et cum ecclesiarum evidenti utilitate, ac de « fructibus et bonis quæ... servari non possunt..., fieri « prohibemus...

« Alienanti verò bona ecclesiarum, monasteriorum, « locorumque piorum quorumlibet, inconsulto Romano « Pontifice, aut contra præsentis Constitutionis tenorem, « si Pontificali seu Abbatiali præfulgeat Dignitate, ingres- « sus ecclesiæ sit penitus interdictus. Si per sex menses... « animo perseveret indurato..., è regimine et administra- « tione suæ ecclesiæ vel monasterii sit eo ipso suspensus. » In cæteros alienantes, decernitur pœna privationis officii, Dignitatis, beneficii et administrationis.

Insuper 7 sept. 1624, S. Congr. Conc., jussu Urbani VIII, Decretum edidit sequens : « S. Congregatio, speciali Sanc- « tissimi D. N. jussu..., Generalibus vel Provincialibus, « Capitulis vel Congregationibus... et quibuscumque.... « Superioribus regularibus cujusvis Ordinis, Congrega- « tionis, Societatis vel Instituti, intra fines Europæ exis-

[1] Emphyteusis est contractus quo, retento dominio directo, transfertur alteri ad longos annos dominium utile seu usufructus. Apud nos potest fieri ad 99 annos ex lege 18 oct. 1790, etsi non jus in re, sed jus ad rem solùm possit transferri. (Vide Theol. Tolos., *De justitiâ*, diss. 1, cap. 1, *in fine*.)

« tentibus, omnium rerum et *bonorum immobilium ac* « *pretiosorum mobilium* alienationem, omneque pactum « per quod ipsorum dominium transfertur, census perpe- « tuos, seu vitalitios, hypothecam, locationem et conduc- « tionem ultra triennium, etc..., præterquam in casibus à « jure permissis, fieri perpetuò inhibet atque interdicit, « absque ipsius Congregationis Concilii expressâ licentiâ « in scriptis et gratis concedendâ. » Postea hujusmodi actus irritat, et præter pœnas à Decretali *Ambitiosæ* statutas decernit pœnam privationis officiorum, vocis activæ et passivæ, necnon inhabilitatis perpetuæ ad illa obtinenda ipso facto incurrendam : « *non obstantibus consuetudinibus* « *etiam immemorialibus, privilegiis*, et ordinationibus « apostolis quibuslibet ».

772. Disputatur an necessarium sit beneplacitum Apostolicum casu quo bonum fuit donatum cum expressâ conditione quòd alienari poterit propriâ auctoritate : probabilem reputat sententiam negantem S. Liguor. (lib. 4, n° 187, *not.* 2).

Notandum est autem, quoad formalitates præscriptas, quòd si qua bona ad Ecclesias Cathedrales, aut etiam ad mensam episcopalem vel Capituli, vel ad Collegiatam, aut ad monasterium pertinentia, alienari debeant, requiritur ut Prælatus Capitulum aut collegium consultet an alienatio proposita ad ecclesiæ utilitatem conducat, in eoque negotio, ea sententia valet quæ saltem majori parti placuerit; si verò agatur de bonis ecclesiarum quæ collegium non habent, alienatio ab ecclesiæ rectore, solius Episcopi inquisitione et Decreto, celebrari potest : de quo vide *Manuale*, n° 2409, salvo tamen beneplacito Apostolico, quando est necessarium.

Ex *Pontificali*, Episcopi in suâ consecratione juramentum præstant se non fore alienaturos bona ad mensam pertinentia, *inconsulto Romano Pontifice*.

In Gallià autem generatim non habetur ut necessarium Papæ beneplacitum pro alienatione bonorum ecclesiarum inferiorum, nec solet ordinariè, ut putamus, postulari ab Episcopis, nisi pro bonis ad Titulum Episcopalem pertinentibus. An autem talis consuetudo possit esse legitima ?

Affirmat Reiffenstuel (lib. 3, tit. 13, nº 32), et dicit quòd « consuetudine... in Germaniâ et locis ab Urbe remotis, « ubi difficilis est ad Papam aditus, Extravagans *Ambitio-* « *sa* recepta non est, saltem quoad hoc ut etiam inferiores « Prælati Episcopis subjecti teneantur in ejusmodi aliena- « tionibus consensum Papæ requirere, adeò ut ibi sufficiat « consensus Episcopi. » Posse talem consuetudinem esse legitimam concedit D. Bouix, qui citat tamen Card. De Luca secus sentientem; et reverà in Decreto Urbani VIII, 7 sept. 1624, ubi prohibitio innovatur erga regulares, dicitur : « Non obstantibus consuetudinibus, etiam immemo- « rialibus, privilegiis et ordinationibus Apostolicis quibus- « libet ». Sed dici posset quòd hoc Decretum regulares tantùm respiciat. Et reverà non videtur cur in hâc materiâ legitima non posset evadere consuetudo non expectandi beneplacitum Apostolicum, si adessent conditiones requisitæ.

Notandæ sunt tamen sequentes decisiones S. C. C. : Prima 1 julii 1647 in *Uladislaviensi*, ubi dicitur : « Non usum « dictæ Constitutionis *(Ambitiosæ)* allegabilem non esse ; « et *absque beneplacito* (Apostolico) *alienationes fieri non « debere* ». Secunda 13 nov. 1655, in *unâ Mediolan.*, in quâ idem fuit decretum, non *obstante prætenso allegato non usu, seu consuetudine, et die* 20 *nov.* 1655 *factâ relatione Sanctissimo, approbavit.*

Juxta Card. Petra : « Beneplacitum Apostolicum... sup- « plet omnes et quascumque juris... solemnitates (proinde « consensum Capituli, nisi sit pars cujus interest in con- « tractu... ; tamen nequit supplere causam..., nisi... Papa « ageret de plenitudine potestatis, cùm eo casu esset vali- « dus actus alienationis factus sinè causâ : nam Papa non « est simplex administrator rerum Ecclesiæ, sed habet in « illis administrationem dominicalem profluentem ex jure « monarchico. » Hoc tamen non admittit S. Liguor., sed habet ut probabiliorem sententiam quæ non attribuit S. Pontifici dominium rerum ecclesiasticarum ; et insuper (lib. 4, nº 187, *not.* 4º) expressè dicit quòd alienatio facta sinè justâ causâ à S. Pontifice, *si fiat in aliam ecclesiam, erit quidem valida,* licet illicita ; *Si verò fiat in usus profanos, erit illicita et invalida.*

A necessitate expectandi beneplacitum Apostolicum excipiendi sunt casus sequentes : 1° si oportet vendere ad solvendum debitum pro quo creditor urget apud judicem ; 2° in casu magnæ necessitatis quæ non permittat expectare hoc beneplacitum ; 3° in casu notoriæ utilitatis Ecclesiæ, si, expectato consensu Pontificio, transiret occasio. In his tamen duobus casibus posterioribus requiritur saltem consensus Episcopi, nisi fortè ageretur de regularibus exemptis.

« Nullâ consuetudine, inquit Reiffenst. (lib. 3, tit. 24, « n° 37), introduci potest quòd Episcopi vel alii Prælati « bona Ecclesiæ immobilia vel mobilia pretiosa, aut alia in « magnâ quantitate, seu magni momenti, suis consangui- « neis, vel ad aliam causam profanam donare valeant. » Ratio est quòd illorum bonorum Episcopus non est dominus sed administrator duntaxat; porrò administrator nec licitè nec validè potest disponere de re quæ non est sua : unde in cap. *Fraternitatem* 2, *De donationibus*, sic Episcopo Parisiensi aiebat Alexander III : « Fraternitatem tuam credi- « mus non latere quòd cùm Episcopus et quilibet Prælatus « ecclesiasticarum rerum sit procurator et non dominus, « conditionem Ecclesiæ meliorare potest, deteriorem non « facere debet. Accepimus quòd prædecessor tuus graves « donationes fecit in detrimentum Ecclesiæ, suis Canonicis « inconsultis, undè *quoniam donationes hujusmodi de jure « non tenent*, indulgemus tibi ut liceat donationes hujus- « modi revocare. »

Possunt tamen Episcopi et alii ecclesiarum Prælati donationes remuneratorias, etiam magnas, modò sint proportionatæ meritis et obsequiis præstitis, facere in gratiam eorum qui in ecclesiam vel in ipsum Prælatum benefici fuêre. Id eruitur ex ipsomet cap. 5, *De donationibus* : ratio est quia donatio remuneratoria non est mera liberalitas, sed est solutio debiti gratitudinis ; hujusmodi tamen donatio si de bonis immobilibus aut mobilibus pretiosis fiat, vestiri debet solemnitatibus requisitis pro talium alienatione.

Item ex causâ pietatis Prælati possunt, etiam sinè consensu Capituli, impendere in opera pia, aut ad sublevamen pauperum certam partem bonorum Ecclesiæ, quæ deter-

minari debet ex facultatibus Ecclesiæ et aliis circumstantiis, præsertim ex necessitate indigentium : ratio est quia misericordia et pietas expetunt ut tales elargitiones fiant : ideòque bona ecclesiastica hoc onere gravata sunt (Can. *Aurum*, causa 12, q. 2), et eas facere pertinet præsertim ad eos quibus competit *plena administratio* in temporalibus et spiritualibus, quales sunt inprimis Episcopi ; talem autem non habent potestatem administratores inferiores, v. g. Fabricarum ; rectores tamen beneficiorum videntur posse eleemosynas vel donationes quasdam remuneratorias facere juxta usum et exigentias. Imò si instet necessitas : v. g., si fames regionem premat, possunt Prælati, etiam immobilia aut mobilia pretiosa alienare, etiam absque beneplacito Apostolico, si de facili Papa adiri non posset nec aliter posset pauperibus provideri.

773. Quærit. 1° An absque solemnitatibus pro alienatione bonorum Ecclesiæ requisitis, Prælatus possit repudiare hæreditatem aut donationem Ecclesiæ factam, quando agitur de re immobili, aut de re mobili pretiosâ ?

Resp. 1° Certum esse repudiationem illam illicitam esse Ecclesiæque injuriosam, si fiat absque causâ justâ : sic enim Ecclesia privatur bono ad quod jus certè habet.

2° An autem illa repudiatio sit saltem valida ? — Plures affirmant, quia in hoc non intervenit vera alienatio, cùm res nondum acceptatæ non sint sub dominio Ecclesiæ. Vide eumdem Reiffenst. qui in probationem affert L. *Alienationis* 28, ff., *De verb. signific.*

Alii negant : 1° Quia Ecclesia, etiam sinè speciali acceptione, dominium acquirit rerum sibi legatarum vel donatarum, unde repudiatio earum est vera alienatio : sed illa ratio, si agatur de donatione, parum probat, cùm probabiliùs videatur Ecclesiam non acquirere dominium ante acceptationem rei donatæ ; si verò ageretur de re legatâ, statim Ecclesia acquirit dominium ; 2° quia ex L. *Magis* 5, ff., *De Reb. eorum qui sub tut.*, repudiatio legati pupillo relicti absque Prætoris decreto non valet, *cùm res sit pupilli* ; porrò Ecclesia jure minorum et pupillorum gaudet. Vide Card. Soglia (*Inst. jur. priv.*, § 114, *versùs finem*). Hæc secunda ratio majorem vim probandi habere videtur

præsertim apud nos, ubi ecclesiæ et communitates (*communes*) habentur ut minores, et ubi validi non habentur actus administrationis bonorum ad minores pertinentium nisi observentur solemnitates à jure præscriptæ (Cod. civ., art. 457, 460, 461, 1314). Non tamen inde concludendum esset requiri beneplacitum Apostolicum pro dictis repudiationibus, cùm probabiliùs non videntur alienationes propriè dictæ : sed requiritur consensus saltem ecclesiarum vel Institutorum quibus fiunt legata aut donationes.

774. Quærit. 2° An, quando alienationes bonorum ecclesiasticorum sunt invalidæ defectu solemnitatum à jure præscriptarum, hujusmodi invaliditas possit objici ab acquisitoribus qui contractum adimplere nolunt ?

Resp. Negativè. « Si Superior, inquit Card. Soglia (*ib., in fine*), talem contractum ratum habere velit, à tali « contractu resilire non posse (emptorem)... ex utroque « jure colligitur... » Et reverà sic etiam disponitur in nostro Codice civili art. 1125 ; et juxta cap. *Auditis*, *De in integrum restit.*, ecclesiæ habendæ sunt ut minores. Ergo, etc.

775. Quærit. 3° Quomodo recuperari valeant res non ritè alienatæ ?

Ante responsionem notandum est tres esse sententias circa modum quo alienatio bonorum Ecclesiæ, non ritè peracta, sit nulla : alii dicunt eam esse nullam in solo foro externo ; alii contendunt esse nullam in utroque foro interno et externo ; alii tandem dicunt esse nullam quidem etiam in foro externo, sed duntaxat post sententiam Judicis. Secunda sententia probabilior videtur et magis conformior textibus juris : vide cap. *Sinè exceptione* 52, causa 12, q. 2, ubi dicitur : « Irrita enim Episcoporum venditio et « commutatio rei ecclesiasticæ erit absque conniventiâ et « suscriptione clericorum. »

Resp. cum Card. Soglia (*Inst. jur. priv.*, § 105) : « Alie- « natio non ritè facta duplici modo reparatur. Namque « Ecclesia duplicem habet actionem : alteram personalem « adversùs Prælatum alienantem, ejusve hæredes, ut ex « bonis propriis, si qua suppetant, damnum ecclesiæ illa-

« tum præstent ; alteram adversùs possessorem rei malè « alienatæ... Utramlibet eam actionem intentare valet ip- « semet malè alienans Prælatus, quia, dum agitur de pu- « blicâ utilitate et præsertim ecclesiæ, allegans propriam « turpitudinem audiendus est ; item ejus successor, Capi- « tulum, imò persona quælibet ecclesiastica, aut etiam « patronus ecclesiæ, aut Princeps territorialis. Cap. 4 et 6 « *de rebus eccles. non alienandis.* » Et reverà in cap. *Si quis* 6, *De reb. eccles. non alien.*, dicitur : « Licet quibus- « cumque ecclesiasticis vocem contradictionis afferre, ut « cum fructibus possint alienata reposcere et ecclesiasticâ « auctoritate fulciri. » Imò Glossa hoc jus extendit ad omnem fidelem.

776. Quærit. 4° An ad validitatem alienationis bonorum Ecclesiæ, requiratur consensus Principis sæcularis ?

Resp. *Regulariter* hunc consensum non requiri, cùm de necessitate hujusmodi consensûs jus canonicum prorsus sileat, et Princeps nullam de se habeat in bona ecclesiastica auctoritatem. Proinde nullæ sunt in foro conscientiæ leges, quæ sive directè sive indirectè prohibent alienationes hujusmodi bonorum facere absque consensu dicti Principis : solummodò condi possunt leges civiles quibus observatio canonum promoveretur.

Dictum fuit *regulariter*, quia per accidens fieri potest ut necessarius sit consensus patroni aut Principis, v. g. : 1° si in fundatione, constructione, dotatione ecclesiæ hoc jus fuisset reservatum (arg., c. 23, *De Jurepatr.*) ; 2° si bona alienanda non sint absolutè in dominio ecclesiæ : v. g., si essent donata in feudum, quia tunc dominium remanet penès donatorem ; 3° si Princeps per Indultum aut Concordatum hoc jus obtinuerit.

777. Quærit. 5° Quænam sint pœnæ in malè alienantes bona Ecclesiæ statutæ ?

Resp. Primam pœnam esse excommunicationem majorem quam incurrunt, ipso facto, tàm alienantes quàm alienata recipientes aut ipsi subscribentes, ex cap. *Apostolicos*, cap. *Non liceat*, causa 12, q. 2 ; cap. *Si quis presbyterorum* 6, *De rebus eccles. non alien.* ; et Extrav. *Ambitiosæ*. Non est reservata juxta Ferraris (v° *Alienatio*, art. 6, n° 4)

et abeâ excusantur alienantes et cooperantes ex ignorantiâ juris vel facti, dummodò ignorantia non sit crassa et supina, ut expressè habetur cap. *Ut animarum, De Constit.*, in 6°; item alienantes absque debitis solemnitatibus qui alienationem revocaverunt ante realem et pacificam traditionem (cap. *Si quis presbyt.* modò citat.). Hæc pœna fuit innovata ab Urbano VIII, et extensa fuit ad regulares qui ab eâ ex privilegio immunes antea erant. V. etiam C. *Ap. Sed.*

Secunda pœna est quòd Episcopi vel Abbates malè alienantes subjaceant interdicto ab ingressu ecclesiæ, et, si per sex menses talem pœnam contumaciter sustinuerint, ab administratione beneficii vel Dignitate sint suspensi ; inferiores autem Prælati commendatarii aut alii ecclesiarum rectores, beneficiis quorum bona malè alienaverint sint ipso facto privati. Suppressum est interd. C. *Ap. Sed.*

« Advertit Delbene cum communi DD. quòd præfata « Bulla (Pauli II), quoad has pœnas, paucis in locis est « recepta ; et quoad obligationem, attendenda est consue- « tudo locorum... ; in citatâ *Extrav...* dicitur *præsumpse-* « *rit*, unde excusantur ab his pœnis eas invincibiliter « ignorantes. » (S. Liguor., lib. 4, 187.)

Antequam huic quæstioni alienationis finem imponamus :

Notandum est 1° quòd solemnitates requisitæ pro dictis alienationibus, observandæ sint etiam quando res unius ecclesiæ in gratiam alterius alienatur : olim quidem hoc erat controversum, sed ita pluries judicavit Rota, et constat ex cap. *Dudum, De reb. eccles. non alienandis*, in 6°.

Notandum 2° pro casu rei immobilis ab antiquo in feudum vel emphyteusim dari solitæ, quòd, feudo vel emphyteusi cessante, iterum in feudum vel emphyteusim dari potest, absque novis solemnitatibus, dummodò id fiat in evidentem Ecclesiæ utilitatem ; Card. Soglia (*Inst. jur. priv.*, § 114) exigit ut consuetudo locandi seu in emphyteusim tradendi comprobetur, vel per duas alienationes emphyteuticas non solemnes intra spatium 40 annorum, vel per unam solemniter factam ; requiritur etiam ut bona nondum fuerint Ecclesiæ reintegrata priusquam contractus renovetur. Ita S. Congr. Conc. in *unâ Salutiarum*, 20 sept

1624; item requiritur ut novus contractus non mutet vel saltem non augeat conditiones prioris alienationis.

Solemnitates autem non requiruntur pro locandis rebus ecclesiasticis infra triennium (Extrav. *Ambitiosæ*).

Potestne adjici contractui quòd, expirato triennio, si antea contrahentes non manifestârint intentionem ab eo recedendi, locatio eadem ad aliud triennium prorogetur, et ita de triennio in triennium prorogata censeatur? — De hoc vide *Manuale*, nº 5339.

Observa hîc quòd rectores beneficiorum vetentur percipere redditus antequam tempus solutionis veniat : sic enim habet Concil. Trident. (sess. 25, c. 11, *De ref.*) : « Magnam ecclesiis perniciem afferre solet cùm earum « bona, *repræsentatâ pecuniâ*, in successorum præjudicium « aliis locantur; omnes igitur hæ locationes, *si anticipatis « solutionibus fient*, nullatenus in præjudicium successo- « rum validæ intelligantur [1], quocumque Indulto, aut pri- « vilegio non obstante. Nec hujusmodi locationes in Curiâ « Romanâ vel extra eam confirmentur. »

Nota adhuc quòd si res privatorum alienari possunt præscriptione, ita pariter et bona ecclesiastica, quibusdam tamen exceptis, nempe immobilibus quæ ad cultum Dei immediatum consecrantur vel benedicuntur, ut templa, cœmeteria, etc. Hoc nihilominùs est discrimen inter ecclesiam et privatos, quòd ad immobilia vel jura privatorum præscribenda sufficiunt in omni casu triginta anni, imò si adsit titulus coloratus, decem tantùm anni requiruntur inter præsentes, et viginti inter absentes, etiam quando ab Ecclesiâ præscribuntur, ut constat ex cap. *Sanctorum* 3, *De Præscript.*; dùm, ad præscribenda immobilia Ecclesiæ necessarii sunt quadraginta anni. Ita plura juris canonici capitula et expressè cap. *Illud* 8, *De Præscript.*, ubi dicitur : « Illud autem te scire volumus et tenere quòd, adver- « sus Ecclesias, minorem præscriptionem quàm 40 anno- « rum Romana Ecclesia non admittit, licet quidam

[1] Juxta jus civile in Galliâ, elocari possunt sedilia in ecclesiis pro pretio semel soluto. Vide Decret. 30 decembr. 1809, art. 68. Cùm id non fiat, aut non soleat fieri in præjudicium successorum, non videtur esse contra dispositionem Concilii Tridentini.

« canones (ut c. 1 et 2, causa 16, q. 3; cap. *Quicumque* « et c. *Placuit*) comprobent tricennalem (30 annorum). » Imò si agatur de bonis ad Romanam Ecclesiam pertinentibus sola centenaria præscriptio patrocinari potest, ex cap. *Ad audientiam, De Præscript.*

In lege autem civili romanâ (*Inst. De usuc.*) dicitur : « Cautum est ut res quidem mobiles per triennium usucapiantur ». Controvertitur inter DD. an hoc tempus triennii sufficere valeat ad res mobiles Ecclesiæ præscribendas : alii affirmant et alii negant. Negantes nituntur canonibus, qui 40 annos requirunt ad præscriptionem bonorum ecclesiasticorum sinè distinctione inter mobilia et immobilia. Utraque sententia est satis probabilis juxtà S. Liguor. Apud nos in Galliâ mobilia solâ possessione præscribuntur (Cod. civ., art. 2279), modò tamen non possideantur titulo precario aut non agatur de rebus amissis aut furto sublatis : pro conscientiâ tamen semper necessaria supponitur bona fides.

SCHOLIUM.

778. Ex art. 92, Decreti 30 dec. 1809, quando fabricæ non sibi sufficiunt ad varias expensas necessarias, subvenire ipsis debent, in quantum est necesse, communitates (*les communes*).

Sic autem est procedendum pro obtinendis hujusmodi subsidiis : 1° Actus æstimatorius expensarum (*devis*) conficitur vel à Majore communitatis (*le maire*), vel à Præsidente Fabricæ; 2° Fabrica deliberat circa utilitatem aut necessitatem reparationum vel constructionum; item an habeat pecunias sufficientes; si verò non habeat, velitque tamen ut fiant reparationes aut constructiones propositæ, statuit recursum esse habendum ad communitatem, ad quam petitionem dirigit, rogans ut quàm citissimè opera conficiantur; promittens se associaturam communitati ad postulandum, si opus sit, subsidium à gubernio; 3° non solùm petitio Fabricæ, sed actus æstimatorius, et deliberationis exaratio simul cum budgeto Fabricæ ab Episcopo approbata remitti debent Majori communitatis; 4° Casu quo Consilium Municipale petitionem Fabricæ benignè

accipit, negotium ad Præfectum transmittitur ut executioni mandari valeat : si verò hanc petitionem repellat Municipale Consilium, præses Fabricæ requirit varia documenta Majori remissa, videlicet actum æstimatorium, budgetum, eaque mittit ad Sub-Præfectum ut ipso mediante ad Præfectum perveniant, qui, consulto Episcopo, statuit quid sit agendum : si petitio Fabricæ non admittatur à Præfecto, superest Fabricæ ut viâ petitionis recurrat ad Ministrum cultuum. Admissâ tandem à Præfecto et à Gubernio Fabricæ petitione, communitas impensas necessarias suppeditare debet, et si renuat ipsi imponuntur à Præfecto.

CAPUT III.

DE PRÆCIPUIS SPECIEBUS BONORUM ECCLESIASTICORUM.

ART. I.

DE OBLATIONIBUS

779. « *Oblationis* nomine intelligitur quidquid offertur « ecclesiæ quocumque modo in missâ, vel in ecclesiâ, vel « extra. » Ita summarium capituli *Cùm inter* 23, *De verbor. significatione.*

Antiquissimus earum usus est, atque ab ipsâ Apostolorum ætate repetendus.

Tria erant oblationum genera : *primum* earum rerum quæ ad altare tempore missæ ferebantur, et quæ, præsertim in pane et vino, ex quibus Eucharistia conficiebatur, consistebant, sed quibus etiam addebantur oleum, incensum, novæ spicæ, aliaque munera quæ altari aut clericis alendis inservirent.

Secundum erat earum rerum quæ, extra sacrificium, ad domum Episcopalem, vel in gazophylacium inferebantur, ex quibus comparanda erant omnia ad cultum divinum spectantia, aut necessaria ad alendos clericos et pauperes sublevandos.

Tertium denique erat earum rerum quas fideles sacerdotibus largiebantur, occasione exequiarum, vel in receptione sacramentorum, aliisque cæremoniis sacris : unde enata sunt jura stolæ quæ præcipuè parochis post administrationem sacrorum tribuuntur. Hæ oblationes initio erant voluntariæ, sed temporis lapsu in laudabiles consuetudines abierunt, ita ut à Concilio Lateranensi IV sancitum fuerit ut liberaliter quidem sacramenta cæteraque sacra officia administrarentur, sed fideles tamen oblationes consuetas præstarent, recusantesque ab Episcopis cogi possent : non verò dantur ut pretium rerum sacrarum, in quo esset simonia, sed tanquam præmium laboris, et tanquam alimenta ministris debita.

Nota 1° circa præstanda ob assistentiam exequiis et missis pro defunctis, quòd nihil debeat percipi pro personis qui non intersunt per se aut per alium, nisi fortè absentes essent ob gravem necessitatem ministerii : in eo enim casu meritò fideles præsumuntur consentire hujusmodi absentiæ, si talis vigeat alicubi consuetudo.

Nota 2° quòd ad lucrandas oblationes pro funeribus non sufficiat interesse, aut privatim orare pro libitu, sed est cantandum, psallendum aut alio modo funeribus inserviendum. Sacra enim Congr. Rituum consulta : « Utrum « parochus aliique sacerdotes, exequiis mortuorum, offi- « ciisque quotidianis pro iisdem assistentes, teneantur per « se officium defunctorum persolvere, ita ut solummodò « assistentes, et non cantantes, vel psallentes, fructus non « faciant suos : an verò sufficiat ut assistant, et schola « officium persolvat, ipsis interea pro suo libitu alias pre- « ces fundentibus, v. g. breviarium recitantibus pro suâ « quotidianâ obligatione?—Respondendum censuit : *Affir-* « *mativè quoad primam partem*, — *Negativè quoad secun-* « *dam* » : 9 maii 1857.

780. Quærit. 1° An Episcopus habeat jus oblationes inter sacerdotes dividendi prout magis expedire judicaverit?

Resp. 1° Regulariter oblationes ad parochum pertinent, vel ad loca quibus destinantur ab offerentibus ; proinde Episcopus non habet jus absolutum illas dividendi prout magis expedire judicaverit, cùm præsertim ex titul. 12,

libr. 3 Decretalium, *Ecclesiastica beneficia sinè diminutione conferri debent* : unde Innocent. III, cap. *Pastoralis* 9, *De his quæ fiunt à Prælatis sinè*, etc., exigit licentiam S. Pontificis ut Episcopus valeat *sinè voluntate sui Capituli obventiones parochialis ecclesiæ viris religiosis conferre, etiam sustentatione vicarii reservatâ.*

2° His tamen non obstantibus, potest Episcopus dividere oblationes ad procurandam sustentationem vicariis aliisque sacerdotibus quorum ministerio parochiæ indigent : hoc manifestè eruitur ex verbis Concilii Trident. (sess. 21, cap. 4, *De ref.*), quibus tribuitur Episcopo potestas cogendi parochos, qui nequeunt soli regere suas parœcias, ad sibi adjungendum tot sacerdotes quot sufficiant ad sacramenta ministranda cultumque divinum celebrandum.

Item ex redditibus parochiarum Episcopi possunt aliquid exigere pro variis necessitatibus, v. g., sextam partem redditûs sedilium (6e *des bancs et chaises*), ad subveniendum presbyteris infirmis vel senio confectis : habent enim Episcopi ex Concil. Lateran., facultatem postulandi *subsidium charitativum* : « Sustinemus, inquit Concil. sub « Alexandro III, pro multis necessitatibus, quæ aliquo- « ties superveniunt, ut si manifesta ac rationabilis causa « exstiterit, *cum charitate moderatum* ab eis (rectoribus « parochiarum) valeant auxilium postulare » (Cap. *Apostolus* 6, *De censibus*).

Item possunt in auxilium venire parochiis indigentibus, ut constat ex Concil. Trid. (sess. 24, c. 13, *De reform.*) : « In parochialibus ecclesiis quorum fructus adeò exigui « sunt ut debitis nequeant oneribus satisfacere, curabit « Episcopus, si per unionem beneficiorum id fieri non « possit, ut *primitiarum* vel *decimarum* aut per parochia- « rum *symbola ac collectas*, aut quâ commodiori ratione « ei videbitur, tantùm redigatur quod pro rectoris aut « parochiæ necessitate decenter sufficiat. » Quibus verbis sat evidenter legitimatur praxis nonnullorum locorum, v. g. Parisiorum, certam partem oblationem ex funeralibus provenientium detrahendi, ut inde efformetur communis pecuniæ acervus quo subveniri possit singularum parochiarum necessitatibus.

ART. II.

DE FUNDATIONIBUS.

781. Fundatio est affectatio boni alicujus Instituto ecclesiastico facta sub conditione certi operis præstandi, vel in perpetuum vel saltem in diuturnum tempus: unde ab oblationibus differunt, quæ, vel sinè conditione fiunt, vel sub conditione operis mox peragendi, v. g. missas per hebdomadam aut per annum celebrandi.

Fundationes approbari debent à Prælatis ecclesiarum quibus sunt factæ, proinde ab Episcopis, si fiant ecclesiis parochialibus aut aliis locis sub jurisdictione Episcoporum constitutis. Illud constat ex praxi, et deduci posse videtur ex variis canonibus. Vide cap. *Nos quidem*, cap. *Si hæredes* et cap. *Tua nobis*, *De Testamentis*; et Concil. Trid. (sess. 22, c. 8; sess. 25, c. 5, *De ref.*). Ex decreto Urbani VIII certum est consensum Episcopi esse necessarium pro perpetuis missarum fundationibus; patet aliundè non esse bonæ et prudentis administrationis quòd Instituta ecclesiastica possint in perpetuum, vel ad diuturnum tempus gravari absque consensu eorum quorum regimini subsunt.

Debet autem Prælatus, antequam suum præbeat consensum fundationi, diligenter expendere an dos constituatur sufficiens ad sustinenda onera per ipsam imposita. Juxta Lequeux (nº 1138) generatim in Galliâ observatur regula quòd nulla fundatio sit acceptanda nisi tertia pars reddituum assignatorum liberè ad Institutum seu Fabricam pertineat, cùm suppeditet locum, vestes sacras, panem, vinum, etc.

Auctor autem fundationis adjicere potest in limine erectionis quascumque conditiones sibi benè visas, etiam juri communi contrarias, dummodò non sint turpes, impossibiles, aut alio modo vetitæ, et à Prælato sint admissæ: vide cap. *Significatum* 11, *De Præbendis*; cap. *Præterea* 23, *De Jurepatron.*, et cap. *Quantò*, *De censibus*.

782. Exhinc infertur quòd patronus, hæres seu successor fundatoris, nequeat etiam cum consensu Episcopi mutare conditiones fundationis, quamvis juri communi

contrarias. Ita censuit ipsamet Congr. Concil., ex Decreto Trident., ubi sancitur quòd non ampliùs sit in potestate Ordinariorum derogare conditionibus in fundatione appositis etiam de consensu patronorum (sess. 25, cap. 5, *De ref.*).

Imò neque fundator, etiam de consensu Episcopi, potest conditiones, à se appositas in fundatione et ab Ordinario acceptatas, mutare, si talis mutatio esset in præjudicium Ecclesiæ vel tertii, quia Tridentinum et declarationes S. Congr. non distinguunt inter patronum viventem et mortuum.

783. Episcopis maximè incumbit cura procurandi executionem piarum fundationum, ex cap. *Nos quidem*, *De testamentis*, in quo Gregorius IX injungit Calaritano Episcopo, ut det operam quominùs religiosa cujusdam mulieris voluntas monasterium ædificandi, quæ ab illius hærede, nondum fuerat executioni demandata, impleatur. In capite autem *Tua nobis* ejusdem tituli, idem Pontifex declarat onus esse Episcopi ut legata pia curet impleri, etiamsi cavisset testator ne Episcopus se rei hujusmodi quandocumque immisceret, quia privata testatoris dispositio generalem legis nequit sanctionem immutare ejusque effectum impedire. Potest quidem fundator aliquem designare testamenti executorem, et tunc Episcopus non potest se interponere, nisi talis executor negligens deprehendatur; sed in hoc casu ad Episcopum devolvitur onus exsequendi quod alii neglexerunt : ita etiam expressè Concilium Trident. (sess. 22, cap. 8, *De reform.*), ubi dicitur quòd « Episcopi, etiam tanquam Sedis Apostolicæ delegati, in « casibus à jure concessis, *omnium* piarum dispositionum, « tàm in ultimâ voluntate quàm inter vivos, sint execu« tores ». Idem sancitum est à jure civili in Galliâ : vide art. 29 Decreti 30 decembr. 1809.

Ut autem accuratiùs adimpleantur fundationes, Innocent. XII in Constit. suâ, cui initium *Nuper à Congregatione* (§ 26 et 27), sancivit ut in singulis ecclesiis conficeretur catalogus seu tabella onerum quæ in perpetuum vel ad certum tempus ipsis imposita fuerunt, ac respectivè acceptata; utque itidem in sacrario duo asservarentur libri, in quorum altero perpetua vel temporaria hujusmodi onera, in altero verò missæ manuales et adventitiæ inscri-

berentur, unà cum fideli ac distinctâ adnotatione subsecutæ utrorumque impletionis [1]. Ut insuper faciliùs possit Episcopus executioni fundationum invigilare, tabella generalis earum, pro totâ diœcesi confici posset, annotata distinctim præ se ferens perpetua et temporaria earum onera, unà cum indicatione testamenti aut alterius legalis actûs à pio fundatore exarati, et designatione loci in quo sacra aut alia onera sunt peragenda, sicut etiam numeri missarum ac temporis quo celebrandæ sunt.

Ut verò fundationes Institutis, in quorum gratiam factæ fuerunt, onerosiores non evadant, confirmata fuit ab eodem Pontifice Innocent. XII (*ib.*) sanctio sequens Urbani VIII : « § 6. Præterea ne in ecclesiis, in quibus onera missarum « in perpetuum imposita sunt, sacerdotes, in eis, ut par « est, adimplendis, eò tepidiores ac segniores reddantur « quòd onera hujusmodi cum nullâ aut parvâ sint utilitate « conjuncta, statuit atque decernit ut pecuniæ ac bona mo- « bilia ecclesiis, Capitulis ac locis omnibus, tàm sæcularibus « quàm regularibus, atque illorum personis in futurum « simpliciter acquirenda cum onere perpetuo missarum « celebrandarum ab iis ad quos pertinet, sub pœnâ inter- « dicti ab ingressu ecclesiæ ipso facto incurrendâ à die « realis acquisitionis, statim deponi debeant penès ædem « sacram, vel personam fide et facultatibus idoneam, ad « effectum illa, seu illorum pretium, quamprimùm inves- « tiendi in bonis immobilibus fructiferis, cum expressâ et « individuâ mentione oneris quod illis annexum reperitur.

« § 7. Ac si eadem bona immobilia auctoritate Apostolicâ « deinceps alienari contigerit, eorumdem pretium sub « eâdem pœnâ, ut supra, deponi, atque in aliis bonis sta- « bilibus itidem fructiferis, cum ejusdem repetitione atque « annexione converti debeat. » Ablata est pœna C. *Ap. Sed.*

[1] Sic fert Decret. 1809. « Art. 26. Un extrait du sommier des titres « contenant les fondations qui doivent être desservies pendant le « cours du trimestre, sera affiché dans la sacristie, au commence- « ment de chaque trimestre, avec les noms du fondateur et de l'eccléé- « siastique qui acquittera chaque fondation.

« Il sera rendu compte à la fin de chaque trimestre, par le curé ou « desservant, au bureau des marguilliers, des fondations acquittées « pendant le cours du trimestre. »

Existimat autem *S. Sulpitii Prælectionum* auctor (n° 558) quòd census annui certi locum tenere valeant bonorum immobilium, præsertim in nostris regionibus : quòd reverà videtur posse admitti, eâ tamen conditione quòd si census redimatur, capitale, vel in rebus immobilibus fructiferis erit hypothecandum, vel ex eo alius census annuus certus erit acquirendus.

Quandò perit fundus qui fuerat datus in assecurationem fundationis, aut iste in perpetuum desinit esse fructifer, tunc onera fundationis, nisi ex culpâ rectorum id contingat, penitùs cessant.

A quonam reduci valeant onera fundationum, vide in *Manuali*, n^is^ 5374 et 1048.

ART. III.

DE BENEFICIIS ECCLESIASTICIS.

784. — I. Beneficium ecclesiasticum definitur à canonistis : *Jus perpetuum percipiendi fructus ex bonis Ecclesiæ, propter officium aliquod spirituale auctoritate constitutum et proprio nomine exercendum.*

Duo, à se invicem separabilia, distinguuntur in beneficiis, nempe : 1° jus seu potestas exercendi munus spirituale ; 2° jus percipiendi redditus ecclesiasticos : posterius fundatur in priori.

Dicitur 1° *jus perpetuum* : hæc autem perpetuitas duplici modo intelligi potest : ratione beneficii quod semel erectum semper permanet; 2° ratione beneficiarii, qui non ad tempus, sed quamdiù vixerit, jus ad percipiendos fructus beneficii consequitur. Communiter DD. asserunt perpetuitatem in utroque sensu acceptam de naturâ esse beneficii ecclesiastici : hoc tamen non ab omnibus admittitur, et Leurenius à Card. Soglia citatus (*Inst. jur. priv.*, § 81) solam admittit ut essentialem beneficiis perpetuitatem prioris generis, et inter vera beneficia accenset manualia quæ ad nutum adimi possunt, quæque à laicalibus in eo tantùm discrepant quòd à potestate ecclesiasticâ concedantur. Sententiam Leurenii amplectitur D. Bouix, *De Parocho* (p. 207); item S. Liguor. (lib. 3, n° 673), ubi de capellaniâ dicit : « Quælibet capellania conferenda ab

« Episcopo et ejus auctoritate erecta, est verè beneficium, « etsi *sit ad nutum amovibilis* ; secus si non sit erecta « auctoritate Episcopi, licet ab ipso conferatur. » Ita Salm., *De horis canonic.*, c. 5, nº 59, cum Suar., Pelliz., Vill., etc.

Dicitur 2º *Percipiendi fructus ex bonis Ecclesiæ* : bona autem ecclesiastica non tantùm in terris vel domibus consistunt, sed etiam in censibus aut redditibus annuis, ut est videre apud Devoti (lib. 2, tit. 14, § 3) : proinde bona Ecclesiæ nuncupari possunt etiam subventiones à Gubernii datæ, si reverà à Gubernii ex justitiâ Ecclesiæ debentur prout in Gallià : Ecclesia enim, per art. 13 Concordati 1801, non abjicit jus quod habebat in bona à Gubernio usurpata et ab ipso alienata, nisi eâ conditione quòd Episcopis et parochis assignaretur congrua subventio : unde jus strictum habet Ecclesia ut subventio hujusmodi à Gubernio conferatur, et hoc jus est pretium bonorum quorum alienationi consensit ipsa Ecclesia : proinde est bonum ad ipsam pertinens et quod dare potest beneficiariis propter officium spirituale ab ipsis explendum, ac reverà fuit datum in Gallià in dotem Ecclesiarum Episcopalium et parochialium à Card. Caprara, Decret. 9 apr. 1802, in quo dicitur : « Cathedralibus Ecclesiis erectis, illud superesset ut de « earum *dotatione*... statueremus. Sed cùm hanc dotatio- « nem Gubernium in se receperit, declaramus earumdem « Ecclesiarum *dotationem* ex iis redditibus conflatam fore, « qui ab ipso Gubernio quamprimùm assignandi erunt... « Et quoniam... nova ab Episcopis parœciarum circum- « scriptio facienda est..., singulis ecclesiis parochialibus « erigendis, pro congruâ rectorum sustentatione, eos red- « ditus, qui, ut in supradictâ conventione statutum est, « assignandi erunt, iidem Episcopi loco dotationis habi- « turos fore declarabunt. »

Hoc fuit confirmatum à S. Pœnitentiariâ : consulta enim «... 2º An honoraria sacerdotibus à Gubernio data, « seu ex functionibus ecclesiasticis provenientia, sint bona « quasi-patrimonialia. S. Pœnitentiaria... respondendum « censuit... ad 2^m^ aliàs fuisse à selectâ Congregatione S. « Romanæ Ecclesiæ Cardinalium responsum : quòd si « agatur de pensionibus constitutis loco reddituum quos

« beneficiarii antea percipiebant ex fundis seu à loco suo-
« rum beneficiorum, eos censeri *redditus ecclesiasticos*,
« non quasi-patrimoniales; secus verò si agatur de stipen-
« diis quæ dantur laborantibus, inserviendo functionibus
« ecclesiasticis, tanquam merces operis et ad operantis
« sustentationem : hæc enim bona censentur quasi-patri-
« monialia. Datum Romæ in Sacrâ Pœnitentiariâ, die 9 jan.
« 1823. J. B. Bussi, S. P. Regens ».

Dicitur 3° *Propter aliquod officium spirituale*. Vide cap. *Quia per ambitiosam* 15, *De rescriptis*, in 6°. Officium autem spirituale à beneficiariis præstandum est, v. g., obligatio recitandi horas canonicas, deserviendi alicui ecclesiæ administrando sacramenta, prædicando, missas celebrando, etc., etc. : hoc officium spirituale est quidem fundamentum et causa beneficii, sed non est beneficium.

Dicitur 4° *Auctoritate Ecclesiæ constitutum*, videlicet S. Pontificis vel Episcopi.

Multa dicenda essent circa beneficia ; quæstiones sequentes tantùm hîc expendemus : de cæteris vide *Manuale*, à n° 5375, etc.

785. Quærit. 1° An beneficiarius obligationes suas adimplere omittens, teneatur ad restitutionem fructuum, non solùm ex jure positivo sed etiam ex jure naturali?

Resp. Vel agitur de omissione recitationis horarum canonicarum, vel de cæteris omissionibus : si priùs, probabiliùs habet S. Liguor. (lib. 3, n° 665) beneficiarium non teneri ad restitutionem nisi, ex jure positivo, et post omissionem culpabilem horarum canonicarum, etsi tamen ad hoc teneatur ante judicis sententiam etiam declaratoriam.

Si posteriùs, veriùs putat S. Liguorius omittentes suas obligationes implere teneri ad restitutionem fructuum, non solùm ex jure positivo, sed etiam ex jure naturali : ratione nempe contractûs aut quasi-contractûs quo quisque, acceptando officium, se adstringit ad implendas ipsius obligationes.

Quærit. 2° Ad quid teneatur beneficiarius ratione fructuum sui beneficii?

Resp. I. Bonorum clericorum quatuor distingui species : 1° *patrimonialia* quæ ipsis obveniunt ex quâcumque causâ

profanâ; 2° *quasi-patrimonialia* seu industrialia quæ acquirunt clerici ob functiones ecclesiasticas sinè beneficio, ut ex missis, concionibus, etc.; 3° *merè ecclesiastica* quæ habentur ex beneficiis; 4° *parcimonialia* quæ clericus ex bonis ecclesiasticis subtraxit in suâ sustentatione, vivendo parciùs quàm honestè vivere potuisset.

II. Non agitur hîc de bonis patrimonialibus : de iis enim clericus potest liberè disponere, cùm plenum eorum habeat dominium.

III. Idem est dicendum de bonis industrialibus, juxta sententiam communem, quidquid nonnulli in contrarium dicant : unde clericus, qui de suis bonis patrimonialibus aut industrialibus viveret, aut in pias causas expenderet, posset tantumdem accipere de bonis ecclesiasticis, nisi fortè, ut excipit S. Liguor. (lib. 3, n° 481, I), clericus non haberet superfluum de bonis ecclesiasticis, atque propter necessitatem indigentis teneretur hîc et nunc huic subvenire ex propriis; secus autem si hîc et nunc non teneretur ad eleemosynam et habuisset intentionem compensandi.

Probabiliùs est in profanos usus posse expendi distributiones chorales.

IV. Idem sat communiter dicitur de bonis parcimonialibus, ex auctoritate S. Thomæ (2, 2, q. 185, art. 7), ubi ait : « De his autem quæ sunt specialiter tuo usui (scilicet « clerici) deputata, videtur esse eadem ratio quæ est de « propriis bonis. » Et ratio est quia fructus beneficii dantur in stipendium laborum, saltem juxta honestam sustentationem, unde in iis plenum jus habet beneficiarius; et si quid ab honestâ sustentatione detrahat, potest de eò plenè disponere : aliundè bona parcimonialia non tàm sunt fructus ecclesiastici quàm fructus industriæ.

V. Major est difficultas de bonis merè ecclesiasticis quæ honestæ sustentationi supersunt. Certum est quidem beneficiarios teneri sub mortali elargiri in usus pios aut eleemosynas omnes redditus qui supersunt suæ honestæ sustentationi : ita S. Thom. (2, 2, q. 185, art. 7), et alii communiter : sic enim habet cap. *Quisquis* 19, causa 12, q. 2 : « Quisquis Episcopus vel Abbas inventus fuerit de

« salariis Episcopi, vel monasterii alii personæ conferre, « irritum sit quod datum esse constiterit... »

In hoc autem ut materia censeatur gravis, multò major requiritur quantitas quàm in furto : quidam volunt ad hoc requiri quartam vel quintam partem superfluorum ; *sed veriùs*, inquit S. Liguorius (*ib.*, IV), sufficit pars vigesima ad materiam gravem constituendam.

« Congrua sustentatio non est æqualis respectu omnium, « quia plus requirit Episcopus quàm Decanus, Decanus « quàm Canonicus, Canonicus in ecclesiâ principali quàm « parochus, debilis et tener quàm robustus et valens, et « quod sufficit in uno loco non sufficit in alio : quapropter « attendi debet ad usum aliorum timoratæ conscientiæ in « eodem gradu, etc. Nec obstat quòd beneficiarius emerserit ex humili, quominùs possit statui suo convenientes « sumptus facere. » (Apud S. Lig., lib. 4, n° 182.)

Disputatur autem an beneficiarius teneatur in pios usus superfluum bonorum ecclesiasticorum impendere ex justitiâ vel solùm ex virtute religionis, proinde an teneatur ad restitutionem si expendat in usus profanos ; duplex est sententia : *prima*, quæ est valdè communior inter modernos, negat, et sat probabilem eam vocat S. Lig., præsertim ob auctoritatem S. Thomæ, qui illam amplectitur in *Quodlibeto* 6, art. 12, ad 3 ; ratio quâ præcipuè nituntur ipsius patroni est quòd, post divisionem bonorum ecclesiasticorum in quatuor partes, pars clericis assignata in dominium ipsis fuit data : unde verba Concil. Trident. (sess. 24, c. 12, *De reform.*) : « Privetur dimidiâ parte « fructuum quos ratione etiam præbendæ ac residentiæ « *fecit suos.* » Si beneficiarii *suos* faciunt fructus, ergo illi fructus in eorum dominium transeunt.

Secunda sententia, quæ à multis propugnata fuit et cui tanquam probabiliori adhærere videtur S. Lig. (*ib.*, q. 8) affirmat, et hâc ratione probatur : Ante divisionem bonorum ecclesiasticorum, clerici non erant illorum bonorum domini, ut omnibus constat ; sed minimè probatur illa bonorum ecclesiasticorum divisio, atque valdè est incerta : aliunde naturam et destinationem illorum non mutavit ; ergo nec etiam hodiè clerici sunt illorum bonorum domini.

Quòd autem fundatores intenderint bona sua in dominium clericorum relinquere, hoc etiam minimè probatur, et potiùs est præsumendum quòd voluerint relinquere in manus Ecclesiæ, ut ipsa postmodum ea bona per Prælatos committeret ministris, ut ex eis sustentarentur et superfluum pauperibus erogarent : talem autem fuisse fundatorum mentem testatur Concilium Aquisgranense, anno 816, in can. 116, in quo dicitur : « Fideles, ob animarum « suarum remedium, suis facultatibus sanctam locupletem « fecerunt Ecclesiam, ut his et milites Christi alerentur, « *ecclesiæ exornarentur et pauperes recrearentur* ». — Et licet alia fuisset intentio fundatorum, dici potest quòd Ecclesia, quæ bonorum ecclesiasticorum supremum habet dominium, noluit suos ministros acquirere jus in ea bona, nisi limitatum et cum onere superfluum pauperibus aut aliis piis operibus impendendi : illud multis probatur, ut videri potest apud S. Liguor. (lib. 3, n° 492). Sufficiat referre verba I Concil. Mediolan. anni 1565, sub S. Carolo : « Si verò qui beneficia ecclesiastica obtinent quorum fruc- « tus ad eos sunt attributi, si uberiores sint quàm ad « tuendam vitam requiratur, dubitare non debent ad eum « finem hanc copiam illis esse attributam, ut præter ea, « quæ ad vitam satis essent, suppeterent etiam *quibus* « *pauperum inopia sublevaretur* ».

His non obstantibus, S. Liguor., ut jam diximus, priorem sententiam habet ut satis probabilem, præsertim ob auctoritatem S. Thomæ, qui asserit pro certo factam fuisse bonorum divisionem. Et reverà legitur in cap. *Quatuor* 27, *De redditibus*, causa 12, q. 2, quòd SS. Pontifices, Simplicius maximè et Gelasius, præscripserint ut tàm de redditibus quàm de oblationibus fidelium fierent portiones « quarum una sit Pontificis, altera clericorum, tertia « pauperum, quarta Fabricis applicanda » : sed non benè constat hanc partitionem fuisse reipsâ peractam.

Sed, positâ præfatâ controversiâ, quæritur an peccet graviter et teneatur ad restitutionem, qui bona ecclesiastica dono accipit à beneficiario ?

Resp. 1° Quoad obligationem restituendi, distinguendum est : vel per talem donationem beneficiarius impotens

redditur ad restituendum superfluum, et tunc probabiliùs accipiens cum dubiâ fide tenetur ad restituendum, saltem partem juxta probabilitatem contrariæ sententiæ; ad nihil autem ècontra probabiliùs teneretur si accepisset cum bonâ fide, ut videri potest apud Theologos in Tract. de Justitiâ; vel beneficiarius non redditur impotens, et tunc accipiens, nihil tenetur restituere, quia donans potest et debet satisfacere, et si non faciat illius malitiæ est imputandum.

2° Quoad peccatum, in sententiâ probabili quòd donatio, in casu, non est contra justitiam, controvertitur an in hâc hypothesi peccatum committat accipiens : dicunt Mazzotta et Sanchez cum aliis adesse peccatum in casu, quia accipiens cooperatur peccato donantis contra religionem aut charitatem; sed probabiliùs dicit S. Liguor. accipientem in factâ hypothesi non peccare, neque contra religionem, neque contra charitatem : non contra religionem quia per ablationem rei donatæ peccatum consummatur, nihilque malitiæ ei superaddit acceptatio et retentio; neque contra charitatem, ratione damni quod ex illâ donatione pauperibus obvenit, quia charitas non obligat ad vitandum damnum alienum cum suo æquali incommodo. — (S. Liguor., *ib.*, q. 8.)

786. Quæritur 3° An superfluum bonorum ecclesiasticorum sit potiùs pauperibus impendendum quàm in alios pios usus? —Vide in *Manuali*, n° 5437, etc., responsionem.

Nota. Veriùs docet S. Thomas superflua posse reservari in futurum ad pios usus (2, 2, q. 185, art. 7, ad 4) : benè tamen advertit Holzmann quòd in eo casu caveri debeat ne, morte adveniente, tales redditus à consanguineis diripiantur.

Quidquid dicant nonnulli certum est beneficiarium posse se sustentare ex redditibus ecclesiasticis, etsi haberet unde ex suis vivere posset : « Quis (enim, ait Apostolus, « 1 Cor., c. 9, v. 7) militat suis stipendiis unquam? » Canones *Ex his* 22 et *Episcopus* 23, causa 21, in contrarium allegati, vel mitiorem interpretationem accipere debent, vel successu temporis fuerunt immutati.

787. Ex consuetudine autem multis in locis receptâ, licitè possunt clerici testari de redditibus beneficiorum, non tamen nisi ad causas pias : etsi enim ubi consuetudo invaluit, validè testentur in usus profanos, peccant tamen mortaliter nisi illud faciant ex Indulto Papæ. Apud S. Lig., lib. 4, n° 187.

De potestate quam habent clerici testandi, legendi sunt tituli 25 et 26 libri 3 Decretalium : in cap. *Quia nos* 9, *De Testam.*, sic habet Alexander III : « Licet clerici de his « quæ paternæ successionis vel cognationis intuitu, aut « de artificio sunt adepti, seu dono consanguineorum, « aut amicorum, non habito respectu ad Ecclesiam, per- « venerunt ad ipsos, liberè disponere valeant; de his « tamen quæ consideratione Ecclesiæ perceperunt, « nullum de jure possunt facere testamentum. » Addit autem cap. *Relatum* 12, de eod. tit. : « Consuetudinis « tamen non est improbandæ ut de his (bonis) pauperibus « et religiosis locis, et illis qui viventi servierant, sive « sint consanguinei, sive alii, aliqua juxta servitii meritum « conferatur ».

Si clericus superflua expenderit in usus profanos, emendo, v. g., bona immobilia, non potest sic acquisita retinere, sed ea sunt Ecclesiæ sub gravi restituenda, saltem virtute religionis, quia adhuc in pios usus possunt expendi.

Hæredes autem beneficiariorum eisdem obligationibus ligantur, quoad bona ecclesiastica ipsis relicta, ac ipsimet beneficiarii.

788. Quærit. 4° An præfata obligatio impendendi superfluum bonorum ecclesiasticorum in usus pios, applicari debeat salariis à Gubernio in Galliâ ministris cultûs catholici præstitis ?

Resp. Plures negare, eò quòd illa salaria non sint, ut aiunt, bona ecclesiastica : sed ex dictis supra (784) omninò est affirmandum, quia revera hæc salaria sunt bonum ecclesiasticum, utpote Ecclesiæ debita in compensationem bonorum à Gubernio usurpatorum, prout stipulatum fuit in Concordato 1801 : unde S. Pœnitentiaria de his consulta pluries respondit ea salaria *induere naturam*

beneficiorum seu bonorum ecclesiasticorum : sic habetur in unâ ex ejus responsionibus : « An salaria, quæ in Belgio à « Gubernio solvuntur pastoribus et Canonicis, *induant na-* « *turam beneficiorum seu bonorum ecclesiasticorum, et an-* « *nexam habeant obligationem inhærentem his bonis*, scilicet « strictam et canonicam obligationem expendendi superflua « pauperibus seu piis causis et residentiæ, sub pœnâ non « faciendi fructus suos? — S. Pœnitentiaria, perpensis « expositis, respondit jam aliàs à S. Sede, de Consilio se- « lectæ Congreg., responsum fuisse affirmativè. » Die 19 jan. 1819.

Altera Decisio sic habet : « An responsio pro Belgio, diei « 19 jan. 1819, applicari debeat *solis salariis* fixis 1,000 fr. « pro parochis, et 750 pro deservientibus, vel extendi de- « beat ad oblationes fidelium? — S. Pœnitentiaria super « noviter expositis respondendum censuit *affirmativè* quoad « primam partem; *negativè* verò quoad secundam. Die « 9 aug. 1821. »

Eædem decisiones datæ fuerunt pro Galliâ, qualis est quam suprà retulimus (784).

SCHOLIUM.

789. Utile ducimus hîc quædam annotare circa quotitatem emolumentorum hodiè in Galliâ ministris Ecclesiæ à Gubernio persolvendorum.

Adscribuntur ergo 1° Cardinalibus. . . .	10,000 fr.
ultra emolumenta ipsis assignata tanquam Episcopis aut Archiepiscopis, et præter 30,000 fr. quæ ipsis persolvuntur tanquam Senatoribus.	
2° Archiepiscopo Parisiensi.	50,000
3° Cæteris Archiepiscopis.	20,000
4° Episcopis.	15,000
Tria hæc posteriora colliguntur ex decreto 15 jan. 1853 et 28 decembr. 1847. Solent insuper adscribi 1,000 fr. pro sumptibus visitationis annuæ diœcesis.	
5° Primo Vicario Generali Archiepiscopi Pariensis.	4,500
6° Duobus aliis Vicariis General ejusdem.	3,500

7° Primo Vicario Generali Archiepiscoporum. . . . . 3,500 fr.

8° Aliis Vicariis Generalibus sive Archiepiscoporum sive Episcoporum. 2,500

Ita decernitur pro his diversis Vicariis Generalibus in Decreto 22 jan. 1853, quod legi poterit in collectaneis gallicè dictis *Nouveau Journal des fabriques*, 7e livr., avr. 1853, p. 169 et 170.

9° Canonicis (*loi des finances*, 4 *juin* 1858). 1,000

10° Parochis 1 classis, iis nempe qui ministerium exercent in urbibus 5,000 animarum continentibus, et quibusdam aliis ex privilegio. . 1,500

Iisdem, si 70 annos compleverint (*art.* 181 *du règlement des cultes de* 1841). 1,600

11° Parochis 2 classis. 1,200

Iisdem, si 70 annos compleverint (*art.* 181 *du règlement des cultes de* 1841). 1,300

12° Deservitoribus (*loi des finances*, 4 *juin* 1858). 900

Si sint sexagenarii. 1,100

Si sint septuagenarii. 1,200

Si compleverint annum 75. 1,300

(*Décret du* 14 *août et loi des fin.* 13 *mai* 1863.)

13° Vicariis locorum qui non habent 5,000 animarum. 350

(In urbibus autem 5,000 animarum, non à Gubernio vicarii suum accipiunt stipendium, sed à municipiis vel à Fabricis.)

14° Presbyteris qui regunt coloniarum ecclesias (præter impensas itineris). 2,000

15° Parocho deservitori, vel vicario deservienti parochiæ succursali vacanti. 200

Circa hoc ultimum sic habet littera Ministri D. Barthe 1 aug. 1834 :

« 1° Le droit à l'indemnité de binage n'existe qu'autant « que la paroisse légalement érigée en succursale (non en « cure) a été réellement desservie en y disant la messe le « dimanche ou tout autre jour de la semaine, suivant que

« l'Évêque diocésain l'a ordonné, en y allant faire les ins-
« tructions, en visitant les malades et en y administrant
« les sacrements...

« 2° Le binage... ne peut être exercé que par des desser-
« vants de succursales, les curés et les vicaires des curés.
« Il s'ensuit que les vicaires des desservants sont exclus
« des droits à l'indemnité, et que, si quelqu'un d'eux est
« appelé à faire le service, il est censé ne le faire que pour
« le desservant lui-même, qui seul peut être porté sur
« l'état.

« 3° Sous aucun prétexte, le même curé, vicaire de
« curé, ou desservant, ne peut avoir droit à une double
« indemnité, lors même qu'il ferait le service dans deux
« paroisses vacantes.

« Des attestations sur la réalité du service fait par ceux
« qui ont reçu l'autorisation de desservir une succursale
« vacante, doivent être délivrées par un curé ou desser-
« vant du canton, chargé spécialement de ce soin par
« l'Evêque diocésain, pour être jointes à l'état que l'ad-
« ministration diocésaine doit adresser au préfet... »

790 Hic est autem modus quo stipendia ab ærario publico in Galliâ solvuntur : initio cujusque anni Episcopus mittit ad Præfectum tabulam omnium sacerdotum ministerium sacrum in diœcesi exercentium ; initio autem singulorum trimestrium, eidem indicat omnes mutationes, extinctiones, destitutiones, etc., quæ contigêre ; Præfectus deinde dispensatori denariorum mandat ut solvat stipendium unicuique debitum pro elapso trimestri (*donner un mandat adressé au payeur du département*). Dispensator solet statim mandatum consignare ut ab Exceptoribus possit exsolvi (*par les Receveurs d'arrondissement ou même par les Percepteurs du canton*), ubi primùm titularis parochus nempe vel alius ipsum præsentabit. Mandata titulari transmittuntur à Præfecto per Sub-Præfectos, aut etiam per Majores communitatum, qui tamen jus non habent ea detinendi ; nec ipse Præfectus potest ea denegare, ex Circulari minister. 2 apr. 1832. Titularis mandatum Exceptori præsentat, et stipendium ab eo recipiens illud consignat ut sit loco apochæ (*quittance*) ; casu autem quo

titularis defunctus fuisset, mandatum datur ejus hæredibus postquam probaverint sibi competere hunc successionis titulum.

ART. IV.

DE COMMENDIS ET PENSIONIBUS ECCLESIASTICIS.

791. — I. *De Commendis*: — *Commenda est provisio facta clerico sæculari de beneficio regulari, cum dispensatione professionis religiosæ.* De Commendis vide *Manuale*, n° 5452, etc.

792. — II. *De pensionibus* : Pensio est jus certam portionem fructuum ex alieno beneficio percipiendi.

Triplicis generis est : 1° *Temporalis*, quæ datur propter officium temporale, v. g. cantori, ædituo, Patrono et defensori Ecclesiæ.

2° *Spiritualis*, quæ fundatur titulo merè spirituali, ut quæ datur concionatori, coadjutori Episcopi, parocho, etc.

3° *Media*, quæ fundatur statu spirituali, non tamen officio spirituali, ut quæ datur clerico pauperi vel parocho seni ad sustentationem, vel quæ datur causâ resignationis et litis componendæ.

Duæ posteriores dicuntur clericales, quia clericis dantur; prima laicalis, quia laicis tantùm.

Initio pensiones detrahebantur ex Ecclesiæ redditibus qui erant tunc communes : unde Episcopus, justâ causâ accedente, illas clericis assignabat; at, post institutionem beneficiorum, jus pensiones constituendi ad solum Romanum Pontificem delatum est : per pensiones enim scinduntur beneficia, aut saltem iis onus imponitur : porrò cùm utrumque sit prohibitum à sacris canonibus (cap. 8 *De Præbendis,* et cap. 7 *De Censibus*), necesse est ut interveniat S. Pontificis auctoritas. Attamen plures apud Lessium sentiunt posse pensiones ab Episcopis imponi in causis specialibus et necessariis, v. g. propter paupertatem et senium resignantis, ad conciliandos litigantes circa beneficium, ad æquandos fructus in permutatione beneficiorum (S. Liguor., lib. 3, n^is^ 74-79; Reiffenst. lib. 3,

tit. 12, nº 88 qui allegat cap. *Nisi essent* 21, *De Præbendis*). « Sed omnes, inquit Devoti (lib. 2, tit. 14, § 32), « inter pensionem à Pontifice atque ab Episcopo imposi- « tam, magnum discrimen faciunt : nam pensio Pontificis « ipsi hæret beneficio cum quo transfertur ad omnes ejus « possessores, et Episcopi pensio solùm afficit beneficia- « rium cujus obitu extinguitur. » Et ratio discriminis est quòd sit prohibitum beneficia conferre cum dismembratione (tit. 12, lib. 3 Decret.) : unde solus Papa pensionem imponere potest quæ hæreat beneficio et transeat ad omnes ejus possessores, dum Episcopus potest tantùm imponere pensionem ad vitam beneficiarii : hâc enim pensione non minuitur beneficium, cùm possit, defuncto beneficiario, sinè onere ad alios conferri; sed gravatur sola persona beneficiarii, qui percipit quidem omnes fructus, sed tenetur per suam vitam pensionem ex iis solvere.

Alii tamen aliter sentiunt : juxta auctorem *Prælect. S. Sulpitii* (nº 569), qui adhæret sententiæ Pirrhing et Schmalzgrueber dicentium « saltem vi consuetudinis Epis- « copos posse imponere pensiones ad pensionarii vitam « se extendentes », eò quòd secus non satis provideretur sustentationi clerici qui suo beneficio renuntiavit. Sed hoc expressè contradicit cap. *Nisi essent* 21, *De Præbendis*. Et reverà S. Congr. Conc. in *causâ Capuanâ*, consulta « an « et quomodo pensiones sustineantur in casu? — Respon- « dit, 29 julii 1861 : *Affirmativè* quoad pensiones perso- « nales, ita ut cessent morte beneficiarii, vel pensio- « narii. »

Pensio debet esse moderata, et relinquenda est beneficiario sustentatio sufficiens : talis autem plerumque censetur tertia pars fructuum. Devoti dicit soleri à Pontifice reservari etiam dimidiam partem (vide lib. 2, tit. 14, § 33). Innocentius verò XII, in suâ Constit. 7 febr. 1687, prohibet dari pensiones ultra medietatem. Concilium autem Trident. (sess. 24, c. 13, *de ref.*) vetat onerari pensionibus Ecclesias Cathedrales, quæ annuos ducatos mille, et parochiales quæ centum suis fructibus non superant.

Per Constitut. S. Pii V, pensionarius, si sit clericus,

tenetur recitare officium B. V., nisi majus officium recitet, nec facit fructus suos si omittat.

Ad acquirendam pensionem requiritur : 1° Ut obtinens sit capax ; proindè ut sit legitimus, non excommunicatus, etc., et saltem tonsuratus ; requiritur 2° justa causa v. g., ad alendum pauperem, ob bonum Ecclesiæ, ad æquitatem compensandam; aliàs, inquit S. Liguor., lib. 3, n° 73 : « obtinens non erit tutus in conscientiâ, etiamsi « Papa dispensaverit ».

Pensio in materiâ odiosâ non venit nomine beneficii, benè tamen in materiâ favorabili.

793. — Quærit. Utrum sit licitum resignare beneficium ecclesiasticum, reservatâ annuâ pensione?

Resp. Jam fuisse satisfactum huic quæstioni : vide (292). Addendum est hîc quòd, ex S. Liguor. (lib. 3, n° 72), resignantes possunt se obligare etiam ad pœnam solvendam, si consensum retrahant : hoc tamen dependenter à consensu Prælati, quia obligatio non potest esse nisi conditionata.

Adde insuper quòd is qui resignat cum pensione in favorem tertii non potest exigere hypothecam, vel fideijussionem, aut anticipatam solutionem, nisi hæc simul à Papâ admittantur, quia, circa beneficia, jura prohibent omnia pacta quæ de jure eis non insunt.

Casu quo commutatio effectum non haberet, controvertitur an permutantes valeant propriâ auctoritate ad beneficia redire : negantium rationes sunt quòd renuntians amittit titulum et indiget novâ collatione ; insuper afferunt in probationem plures decisiones Sacræ Rotæ; affirmantes verò dicunt renuntiationem fuisse tantummodò conditionatam, proinde nullam esse deficiente conditione.

Notandæ sunt insuper dispositiones Edicti jussu Innocentii XII emanati, 11 novembr. 1692 : « Præcipimus et « statuimus ne in posterum graventur parochiales, etiam « juris patronatûs laici pensionibus : atque hoc etiam « observetur ab ipsis locorum Ordinariis, in provisionibus « ad ipsos spectantibus. Præterea ne admittantur resigna- « tiones aut permutationes parochialium cum reservatione « pensionum, ad cujuscumque favorem et sub quocumque « titulo, etiam præstationis alimentorum multòque minùs

« reserventur pensiones super easdem parochiales, etc. »

Exinde tamen concludendum esse non vult Reiffenstuel (*ib.*, n° 102, etc.) quòd ex justâ gravique causâ, puta quia resignans est ætate decrepitus vel infirmus, aut quia pro bono pacis fit resignatio beneficii litigiosi, etc., non possit Episcopus pensionem resignanti concedere ad vitam clerici gravati, juxta receptissimam sententiam Barbosæ et Fagnani : Decretum enim excludit quidem motivum *favoris* et *quemcumque titulum*; sed per hoc meritò potest intelligi quicumque titulus non fundatus et frivolus, cùm addat ut casum magis dubitabilem *etiam præstationis alimentorum*, nihil dicens de casu quo resignans est infirmus aut decrepitus et similibus. Aliter tamen sentit Devoti (lib. 2, tit. 14, § 34), ubi ait : « Nunc in parochiis omnibus *indis-* « *criminatim* pensiones non imponuntur, ut parochus « integros habeat redditus cum quibus pauperibus opem « ferre possit » ; citatque Bened. XIII Const. *Quanta*, quâ Constitutione confirmatum fuit Edictum præfatum Innoc. XII.

Pensiones extinguuntur morte pensionarii. Posset tamen Papa ex plenitudine potestatis facere ut essent perpetuæ; sed tunc non videntur differre à beneficio. Tolluntur insuper per redemptionem quæ fit per anticipatam solutionem plurium annuarum pensionum; sed in eâ re intervenire debet S. Pontificis auctoritas. Item extinguuntur professione Religionis, matrimonio, degradatione, crimine hæreseos aut læsæ majestatis, promotione ad Episcopatum : uno verbo, cæteris ferè modis quibus ipsa beneficia amittuntur.

« Pensio excedens summam scutorum 60 de Camerâ, « extinguitur eo ipso, sinè ullâ monitione, citatione, judi- « cis decreto, aut ministerio, si pensionarius non deferat « habitum et tonsuram clericalem tanto tempore ut ab « omnibus reputetur laicus : sic expressè Sixtus V Constit. « incip. *Pastoralis.* »

ELEMENTA

JURIS CANONICI

AD USUM

GALLIÆ SEMINARIORUM.

LIBER TERTIUS.

DE JUDICIIS.

794. Ad plenam præsentis materiæ enucleationem dicendum esset: 1° de Judiciis ecclesiasticis sive in genere sive in specie; 2° de delictis; 3° de pœnis : sed quoniam hæc omnia in uno *Manuali* volumine non est possibilitas convenienter explanandi; loquemur duntaxat de pœnis et de delictis, priùs tamen stabilitâ thesi de potestate judiciariâ Ecclesiæ traditâ, et datis notionibus quibusdam de judiciis ex informatâ conscientiâ. Igitur :

795. Quærit. 1° An Ecclesia habeat forum externum, seu propriè dictam potestatem judiciariam.

Multi heterodoxi negârunt, apprimè intelligentes parùm sibi esse pertimescendam Ecclesiæ auctoritatem, si ita coarctaretur illius potestas ut posset tantùm suadere, deprecare, aut ad summum excommunicare, nullâ vi adhibitâ ut rei, etiam inviti, coram suo tribunali comparerent et suis sententiis obtemperarent.

« Primus Aetius omnem Ecclesiæ jurisdictionem et le-
« gislativam potestatem eripere conatus est : ejus errorem
« secuti sunt Valdenses, Joannes Hussius, Marsylius Pata-
« vinus, Jandunus, Lutherus, Calvinus, Grotius, qui falsò
« putârunt nullam Ecclesiæ esse jurisdictionem, sed om-
« nem ejus in dirigendo et suadendo positam esse aucto-

« ritatem. Horum exemplo Protestantes omnes qui jus « principis in sacra tuentur, Ecclesiæ adimunt judiciariam « potestatem : qui cum Puffendorfio Ecclesiam non dis- « tinctam Rempublicam aut *Statum* (ut inquiunt), sed tan- « tùm *Collegium* esse contendunt (ut Moshemius, Bohe- « merus, Budæus aliique), omnem Ecclesiæ esse negant « judiciariam potestatem, sed hanc ad jus majestatis Prin- « cipis sæcularis pertinere arbitrantur, atque Ecclesiæ « tantùm jus collegiale tribuunt. Joannes Bodinus (lib. 3, « *De Rep.*) ecclesiasticæ jurisdictioni ac foro vehementer « adversatur, atque eum secutus est Carolus Loysæus in « suo... *Traité des Seigneuries.* In eodem luto hæsitat P. « La Bo·le, qui, opusculo cui titulus *Principes sur l'es-* « *sence. . des deux puissances,* etc., datam à Christo Eccle- « siæ potestatem, non solùm dirigendi per consilia et « suasiones, sed etiam jubendi per leges, cogendique et « pœnâ coercendi eos qui pœnâ sunt digni, labefactare ac « tollere conatur, atque ecclesiasticum ministerium ita « sæculari potestati subjicit ut ad hanc pertinere conten- « dat de externâ omni ac sensibili gubernatione cognos- « cere ac judicare. Pravum... opusculum damnavit « Bened. XIV, Constit. *Ad assiduas...*, et similis Marsylii « Patavini et Janduni error multò ante damnatus fuit à « Joanne XXII, Constit. *Licet juxta doctrinam...* Morinus « (in opere *De Pœnitent. administrat.*, lib. 1, c. 10) forum « contentiosum Ecclesiæ non distinguit à foro pœniten- « tiali, atque illum tantùm post XI aut XII sæculum « Ecclesiam habuisse putat. Cum Morino sentit Van-Espen « (*Jus ecclesiast...*, lib. 3, tit. 1). Fevreti celebre est opus « de abusu quo ipse ecclesiasticam jurisdictionem et judi- « ciariam potestatem acriter insectatur. Inde Dupinus « (*De Antiq. Eccles. discipl.*, dissert. 7, § ult.) judicium « ecclesiasticum in civilibus et criminalibus causis et po- « testatem ex Principis permissu repetit. Petrus Gianno- « nius (*Hist. civ. regni Neapolit.*, lib. 2, cap. ult., tom. 1), « hostis infensissimus contentioso Ecclesiæ foro, omnem « ejus potestatem in docendo, orando, suadendo, et per « censuras corrigendo ponit, et Morino etiam assentitur. « Jacobus quoque Gothofredus... et Jacobus Cujacius...

« judiciariam Ecclesiæ potestatem negant. » Ita Devoti, lib. 3, tit. 1, § 4, *in notâ*.

Contra illos omnes stabilienda est propositio sequens :

796. Propositio. — *Est in Ecclesiâ forum externum ad exercendam propriè dictam judiciariam potestatem.*

Certum est hanc propositionem esse de fide si intelligatur de tribunalibus in quibus judices ecclesiastici possint pœnis spiritualibus cogere reos ut compareant, sententiamque subeant et exequantur. Id agnitum fuit ab ipsâmet Universitate Parisiensi 15 decembr. 1617 in damnatione cujusdam Marci-Antonii De Dominis propositionis : « Hæc « propositio, inquiunt, quâ parte veram jurisdictionem, « id est vim coactivam et subjectionem externam Ecclesiæ denegat, est *hæretica* et totius ordinis hierarchici « perturbativa. » — Imò eam esse de fide, etiam intellectam de potestate pœnis etiam temporalibus reos ad præfata cogendi, asserit Suarez, *Tract. De Fide* (disp. 29, sect. 3, nº 10), ubi dicit : « Ecclesiæ non tantùm est data « potestas ad coercendos hæreticos per spirituales pœnas, « sed *etiam per temporales et corporales. Hæc assertio etiam « est de fide.* » Attamen, infra nº 19, sententiam eorum qui dicunt potestatem puniendi hæreticos pœnis temporalibus non esse Ecclesiæ innatam, sed venire à concessione principum, censet solùm « erroneam, et defensores ejus « ad minimum esse valdè suspectos de hæresi et manifestos « hæreticorum fautores ».

Probatur 1º ex *Scripturâ*. Dicitur in Epist. ad Tim., c. 5, v. 19 : « Adversùs presbyterum accusationem noli « accipere, nisi sub duobus aut tribus testibus » : quibus verbis manifestè probatur inesse Episcopis propriè dictam potestatem judiciariam : nam ibi adest judiciaria potestas propriè dicta ubi inveniuntur essentialia ejus : porrò ex verbis modò relatis constat Episcopis talia inesse ; actor enim coram ipsis potest reum citare, et, modò probet sub duobus vel tribus testibus, potest legitimè rei condemnationem intendere et obtinere, cùm, eo casu, Apostolus permittat Episcopis in personâ Timothei, hujusmodi accusationem recipere ; hæc autem sunt essentialia judicii fo-

rensis, seu potestatis judiciariæ propriè dictæ. Ergo ex textu allato probatur thesis.

Item in Epist. 1 ad Cor., c. 4, v. 1, S. Paulus minatur se venire ad eos *in virgâ*; et in Epist. secundâ ad eosdem, c. 10, v. 6, de se dicit: « In promptu habentes ulcisci « omnem inobedientiam » : sed hæc supponunt manifestè forum externum et potestatem judiciariam propriè dictam. Ergo, etc.

Sic habetur apud S. Matth., c. 18, v. 15 : « Si autem « peccaverit in te frater tuus, vade et corripe eum inter « te et ipsum solum; si te audierit, lucratus eris fratrem « tuum; si autem te non audierit, adhibe tecum adhuc « unum vel duos, ut in ore duorum vel trium testium stet « omne verbum; quod si non audierit eos, dic Ecclesiæ; « si autem Ecclesiam non audierit sit tibi sicut ethnicus et « publicanus. Amen dico vobis : quæcumque alligaveritis « super terram, erunt ligata et in cœlo; et quæcumque « solveritis super terram, erunt soluta et in cœlo. »

Ex dictis in hoc textu, peccata deferri possunt et debent coram Ecclesiâ intellectâ in sensu Judæorum quales erant Apostoli, et tantæ auctoritatis est Ecclesiæ sententia ut ab ipsâ damnati tanquam *pagani et publicani*, quos Judæi à Synagoga seu ecclesiâ suâ ejiciebant, haberi debeant, ac proinde ut excommunicati; talesque sententiæ, juxta Christum, à Deo ratificantur in cœlo statim ac in terrâ proferuntur : sed hæc iterùm probant Ecclesiæ inesse veram ac propriè dictam potestatem judiciariam. Ergo, etc.

Probatur 2° *Traditione et praxi Ecclesiæ*. Legitur in Apologeticâ Tertulliani, cap. 39 (anno 202) : « Ibidem (in « Ecclesiâ) etiam exhortationes, *castigationes*, *et censura* « *divina*; nam et *judicatur magno cum pondere*, ut apud « certos de Dei conspectu : summumque futuri judicii « præjudicium est, si quis ita deliquerit, ut à *communica-* « *tione orationis et conventûs et omnis sancti commercii re-* « *legetur*. » Ubi affirmatur adesse *castigationes*, *censuram divinam*, *taliaque judicia quæ sint præjudicium futuri judicii*, in quibus delinquentes *ab oratione*, *omni conventu* et *sancto commercio relegentur*, ibi certè adesse affirmatur forum externum et potestas judiciaria propriè dicta. Ergo,

anno 202, erat in Ecclesiâ forum externum ad exercendam propriè dictam judiciariam potestatem.

Ad finem tertii sæculi, aut ad summum ad initium quarti sæculi referendi sunt canones Apostolorum : porrò sic habetur in canone 73 : « Episcopum de aliquo per fide « dignos accusatum homines, ab Episcopis vocari neces- « sarium est : et si quidem comparuerit et... convictus « fuerit, censurâ irrogator ecclesiasticâ ; si verò vocatus « non obtemperaverit, secundâ quoque vice vocator, « missis duobus ad ipsum Episcopis ; quòd si per contu- « maciam nec sic quidem comparuerit, Synodus suam « contra ipsum pronuntiato sententiam, ne quid tergiver- « sando, detrectandoque judicium lucri facere videatur. » Ergo forum externum exstabat in Ecclesiâ tertio vel quarto sæculo. Vide etiam can. 74.—Idem constat ex Constitutionibus Apostolorum, quæ communiter existimantur quarto sæculo anteriores. Vide lib. 2, c. 11, 12, 37, 38, 46.

Hæc potestas judiciaria exercita vel agnita fuit in omnibus ferè Conciliis etiam œcumenicis : videlicet in Conciliis Nicæno I, erga Arium ; Constantinopolitano I, anno 381 ; Ephesino I, anno 431, erga Nestorium ; Chalcedonensi, contra Dioscorum ; Constantinopolitano à Flaviano coadunato, contra Eutichem, et aliis œcumenicis.

Agnita fuit ab Imperatoribus Constantino Magno et Justiniano, qui aiebat in Novellâ 82 : « Si delictum sit eccle- « siasticum et indigeat correctione et pœnâ ecclesiasticâ, « Deo amabilis Episcopus de hoc judicet, nullâ factâ com- « municatione cum clarissimis provinciæ judicibus : non « enim volumus civiles magistratus de talibus negotiis « ullo modo cognoscere, ea enim ecclesiasticè discutienda « sunt, et delinquentium animæ emendari debent per « pœnas ecclesiasticas, juxta sacros et divinos canones, « quos nostræ etiam leges sequi non dedignantur. » Omittimus plura alia documenta quæ in probationem afferri possent. Ergo multùm ante sæculum XI exstabat in Ecclesiâ forum externum.

Probatur 3° *variis definitionibus*. In Const. *Licet juxta doctrinam*, errorem Marsylii Patavini profligavit Joannes XXII sequentibus verbis : « Isti blasphemi dicunt quòd

« tota Ecclesia simul juncta nullum hominem punire potest « punitione coactivâ, nisi concedat hoc Imperator. Quod « utique doctrinæ catholicæ noscitur obviare : constat « enim quòd à Christo, Petro et in personâ Petri, Ecclesiæ potestas coactiva, vel saltem permissa exstitit : « *Quodcumque ligaveritis super terram*, etc. : ligantur « enim non solùm voluntarii, sed inviti. » Idem probat Pontifex multis aliis momentis, et sic tandem concludit : « Dei invocato nomine, articulos prædictos, videlicet..... « *quòd Papa vel tota Ecclesia simul sumpta nullum homi-* « *nem quantumcumque sceleratum potest punire punitione* « *coactivâ, nisi Imperator daret eis auctoritatem* : veluti « Sacræ Scripturæ contrarios, et fidei catholicæ inimicos, « hæreticos seu hæreticales et erroneos ; necnon et præ- « dictos Marsylium et Joannem hæreticos, imò hæresiarchas « fore manifestos et notorios sententialiter declaramus. »

Iidem errores profligati sunt à Bened. XIV, per Breve *Ad assiduas* quo damnatum fuit opusculum P. La Borde Oratoriani, cui titulus *Principes sur l'essence*, *la distinction... des deux puissances*, etc... Item damnati fuêre per Bullam *Auctorem fidei*, n° 4, ut videri potest supra (12) et per Breve *Ad Apostolicæ* Pii IX quo damnata fuêre opera Joannis Nuytz, die 22 aug. 1851 : nam inter propositiones in eis damnatas recensetur opinio quâ asseritur « Ecclesiam vis inferendæ potestatem non habere, neque « directam neque indirectam ». V. insuper pr. 24 et 31 Syll.

Ergo indubitata est thesis nostra, et opinio ei contraria adversatur fidei catholicæ, estque hæretica in sensu supra exposito.

Probatur 4° *ratione theologicâ*. Ecclesia instituta fuit à Christo tanquam societas externa, visibilis, independens et habens omnia quæ eam ad finem suum conducere valent : sed, in omni societate externâ, necessarium est tribunal pro dirimendis litibus, pro coercendis abusibus et variis excessibus qui solent contingere in hoc miserrimo statu naturæ lapsæ; id est, necessarium est forum externum ad exercendam potestatem judiciariam propriè dictam. Ergo à Christo tale tribunal habere Ecclesiæ fuit concessum. Ergo, etc

Ex modò stabilitis sequitur quòd judex sæcularis nullum jus habeat expetendi à judice ecclesiastico communicationem eorum quæ à reo vel à cæteris dici potuerunt in foro Ecclesiæ. Id agnitum fuit à Curiâ Andegavensi in Arresto 31 martii 1841. Vide *Journ. des fabriq.*, t. 7, p. 167, 213.

797. Quòd autem judices ecclesiastici possint reos plectere etiam pœnis temporalibus, exceptâ tamen pœnâ sanguinis, à quâ semper abhorruit Ecclesia (cap. *Sententiam*, tit. 50, lib. 3. Decret., ex Concil. Later. IV), multis argumentis demonstrari potest; sufficiat referre sequentia :

Certè Ecclesia potestatem habet excommunicandi : hâcque potestate etiam à primordiis suis usa est. Jam verò excommunicatio non solùm bonis spiritualibus privat, sed etiam quibusdam temporalibus, videlicet famâ, quæ aliquid est temporale, et consortio fidelium etiam in pluribus temporalibus. Ergò, etc. — Eadem conclusio deduci potest ex potestate quam habet Ecclesia clericos deponendi, degradandi, officio et fructibus beneficii privandi, etc.

Idem constat ex disciplinâ Ecclesiæ circa pœnitentiam publicam. Ex ipso Morino : « Quando peccatum erat pu-« blicum, ad pœnitentiam publicè agendam peccatores ex-« communicatione et omnimodâ ab Ecclesiâ expulsione « adigebantur » (*De Sacr. Pœnitent.*, lib. 5, c. 17, nº 7) : sed cogere ad pœnitentiam publicam idem erat ac cogere ad temporales et corporales pœnas : constat enim sive Epist. Siricii ad Hymerium Tarraconensem anni 385, sive Concilio Arelatensi anni 452, sive multis aliis monumentis, pœnitentes impediri ab usu matrimonii et à novis nuptiis contrahendis, ipsisque interdictum fuisse quodlibet munus sæculare, v. g., militiam, mercimonia, causas forenses, etc.

Vide multa alia monumenta in *Manuali*, nº 5501, etc.

Contra nostram thesim : 1° Protestantes objiciunt Ecclesiam non habere *territorium* proprium, et eam esse *intra statum* seu intra territorium Principis ; porrò qui non habet *territorium* non potest habere forum externum, maximè contentiosum, juxta axioma juris : « *Extra terri-« torium jus dicenti* non paretur impunè ». Ergo, etc.

Resp. Majorem omninò esse negandam : Christus enim stabiliendo Ecclesiam *super terram*, eique præponendo Pastores quibus omnes fideles ubique terrarum tenerentur obedire, territorium necessariò illi tribuit : « *Quæcumque*, « inquit, alligaveritis *super terram*, erunt ligata et in cœlo », etc. — Nota quòd Christus hanc potestatem Apostolis et eorum successoribus in perpetuum dederit independenter à concessione principum. Unde Apostolus etiam prohibebat ut coram gentilibus fideles litigarent : « Audet aliquis ves- « trûm, inquit (1 Cor., c. 6, v. 1 et 3), habens negotium « adversùs alterum, judicari apud iniquos (seu ethnicos) « et non apud Sanctos..; nescitis quoniam angelos judica- « bimus? Quantò magis sæcularia? » etc.

Præterea judex potest in territorio alterius judicare, modò judicium exerceat in subditos : sic dux militaris potest judicia exercere ubicumque erga suos subditos. Ergo similiter ecclesia judicare potest suos subditos ubicumque, circa materias quæ ab ipsâ dependent ; ergo nullo solido fundamento nititur objectio præfata.

Objic. 2° Quòd ante institutionem Ecclesiæ potestas judiciaria principum ad materias religiosas extendebatur ; saltem in quantùm per actus externos ad pacem civitatis conferre valebant ; sed, suam instituendo ecclesiam, Christus noluit derogare juribus civilis majestatis ; ergo ad principes sæculares adhuc pertinet judicare de materiis religiosis. Ergo ab ipsis solummodò Ecclesia potest accipere potestatem judicandi.

Resp. 1° Negando majorem : etenim ante Christum principes quidem habebant quidquid erat necessarium pro servandâ pace civitatis ; sed ad hoc minimè erat necessarium ut judiciariam potestatem haberent in materiis religiosis ; semper enim fuerunt sacerdotes cultûs veri Dei ad quos hujusmodi materiæ pertinuerunt, et eorum auctoritas tunc sufficere potuit, sicut postea fuit sufficiens ; et si aliquandò indiguerunt auxilio brachii sæcularis, officium quidem fuit tunc principis hujusmodi auxilium præstare, sicut hodie et ad hoc pariter tenetur ; sed non ideò jus habebat usurpandi munus de talibus judicandi.

2° Neganda est etiam minor : etsi enim ante institutio-

nem Ecclesiæ principes sæculares habuissent et potestatem judicandi in materiis religiosis, exhinc non sequitur Christum ipsorum potestati in hoc non derogasse : expressè enim Christus dedit suis Apostolis et eorum successoribus potestatem propriè dictam judicandi, ut supra demonstravimus; ergo falsa omninò est minor; ergo et iterum ruit hæc nova objectio.

Objic. 3° Textum S. Lucæ (c. 12, v. 14), ubi Christus homini roganti ut imperaret fratri suo dividere suam hæreditatem, sic respondit : « Homo quis me constituit judicem « aut divisorem super vos ? » Ergo Ecclesia non habet potestatem judicandi, aut saltem decernendi pœnas temporales.

Resp. cum quodam ministro Protestantium, quorum verba referuntur in collectaneis periodicis quibus titulus : *Mémorial catholique* (mars 1829, p. 169) : « J.-C. a voulu « lui apprendre (à son Église) non pas, comme on l'a pré- « tendu, que son autorité ne doit jamais s'exercer sur le « temporel ; mais bien qu'elle ne doit s'étendre qu'à ceux « qui la croient, qui la reconnaissent » (nempe erga fideles); porrò ille cui Christus rogabatur imperare ut divideret hæreditatem cum fratre suo, Christi auctoritatem non agnoscebat : « Ce que (cet homme) demandait, pergit « idem, n'était pas plus praticable que si un catholique « priait son confesseur de dire à un protestant de faire « telle ou telle chose, ou que l'Autriche priât le Pape de « commander au Grand-Turc de faire la paix avec l'Em- « pereur de Russie ».

Quærit. 2° Quid sit sententia ex informatâ conscientiâ.

798. — 1° Sententiæ ex informatâ conscientiâ sunt illæ quas judex ecclesiasticus fert sinè ullâ juridicâ informatione, sed duntaxat ex causis in suâ conscientiâ perpensis : quapropter *ex informatâ conscientiâ* vocantur, et etiam *extrajudiciales*.

2° In usu non erat ante Tridentinum ut aliquis posset puniri propter delictum omninò occultum : excipiebantur tamen homicidium et hæresis, propter quæ crimina, licet occulta, clerici poterant prohiberi ab exercitio ordinum susceptorum, et ab ascensu ad superiores ordines : sed

hoc procedebat ex eo quòd talium criminum rei essent irregulares ; excipiebantur pariter religiosi qui, si à Prælatis suis noscerentur rei alicujus criminis etiam occulti, poterant ab iisdem interdici ab ascensu ad ordines. Ita cap. *Ad aures* 5, tit. 11, lib. 1 Decret. Sed à tempore Concilii Tridentini extensa fuit hæc potestas puniendi ex informatâ conscientiâ : sic enim habet Concilium (sess. 14, cap. 1, *De reform.*) : « Ei cui ascensus ad sacros ordines à « suo Prælato, ex quâcumque causâ, etiam ob occultum « crimen, quomodolibet, etiam extrajudicialiter fuerit « interdictus, aut qui à suis ordinibus, seu gradibus, vel « Dignitatibus ecclesiasticis fuerit suspensus, nulla, contra « ipsius Prælati voluntatem, concessa licentia de se pro- « moveri faciendo, aut ad priores ordines, gradus et Digni- « tates sive honores restitutio suffragetur ».

3° Non pauci canonistæ, sed plerique aut Jansenistæ aut Gallicani, prout Van Espen et Gibert, sustinuerunt ita esse intelligendum præfatum Decretum, ut possit quidem Episcopus ascensum ad ordines impedire *extrajudicialiter*, *etiam ob delictum occultum*, non autem à susceptis ordinibus aut dignitatibus ecclesiasticis ob tale delictum suspendere, eò quòd eæ voces *extrajudicialiter*, *ob occultum crimen*, priori tantùm membro phraseos jungantur, non autem posteriori. Sed hæc interpretatio reprobata fuit pluries à S. Congr. Concilii :

« An verba illa *ob occultum crimen*, *quomodolibet*, *etiam* « *extrajudicialiter*, expressa duntaxat in primâ parte pe- « riodi, censeantur repetita in secundâ parte, adeò ut « inde colligi valeat Prælatum, nedum posse, ob occultum « crimen extrajudicialiter, interdicere suo subdito ascen- « sum ad ordines, sed itidem ob occultum crimen posse « etiam extrajudicialiter illum suspendere ob ordinibus « jam susceptis : — S. Congr. die 24 nov. 1657, re sedulò « examinatâ, censuit non esse recedendum ab antiquis « declarationibus super hoc eodem dubio plur es datis ; ac « proindè affirmativè respondit. »

Constat ergo, tàm ex Concil. Trident. quàm ex auctoritate S. C. Concil., Episcopos habere potestatem ex informatâ conscientiâ, non solùm arcendi ab ordinibus sacris,

sed etiam suspendendi ab iisdem ordinibus jam susceptis, necnon à Dignitatibus ecclesiasticis. Qui hanc propositionem negarent, censuram Bullæ *Auctorem fidei* non effugerent, ubi dicitur :

« 49. Item quæ damnat ut nullas et invalidas suspen-« siones ex informatâ conscientiâ : *falsa*, *perniciosa*, *in* « *Tridentinum injuriosa*.

« 50. Item in eo quòd insinuat soli Episcopo fas non « esse uti potestate, quam tamen ei defert Trident. (sess. « 14, c. 1, *De reform.*), suspensiones ex informatâ con-« scientiâ legitimè infligendi : *jurisdictionis Prælatorum* « *Ecclesiæ læsiva*. »

4° Ex eo quòd Episcopi habeant dictam potestatem arcendi ab ordinibus et suspendendi ex informatâ conscientiâ, non sequitur eos sic agere posse quin ipsis constet, ex sufficientibus probationibus, de delicto clerici contra quem sic procederent; sequitur tantùm eos non indigere ad hoc probationibus juridicis. Imò non sufficit quòd illæ probationes ipsum Episcopum convincere valeant; sed tales esse debent quæ Sacræ Congreg. Concil., casu quo ad eam recursus fieret, justæ ac sufficientes videri possint.

Re quidem verâ, ex Concil. Trident., « nulla contra « ipsius Prælati voluntatem concessa licentia de se pro-« moveri faciendo, aut ad priores ordines, gradus et digni-« tates sive honores restitutio, suffragari » potest; ac proinde, in casu sententiæ latæ ex informatâ conscientiâ, non potest appellari ad Metropolitanum aut alium Papâ inferiorem, ut constat ex pluribus decisionibus S. Congr. Concil. apud Bened. XIV (*De Syn.*, lib. 12, cap. 8, n° 5), et in Bullâ *ad Militantis* ejusdem Pontificis, n° 23; sed id non impedit quominus possit tunc ad Sedem Apostolicam recurri : idque probatur ex duabus declarationibus S. Congr. Conc. Prima sic se habet : « Ad instantiam « Episcopi Vercellensis supplicatur declarari..... 4° An « quando Ordinarius suspendit aliquem vigore cap. 1, « sess. 14, *De reform.*, teneatur exprimere delictum et « causam suspensionis ipsi reo, si illam judicialiter « petat... ? S. Congregatio... respondit... ad 4^m^, Ordina-« rium, si suspendat aliquem vigore cap. 1, etc..., non

« teneri exprimere delictum et causam suspensionis ipsi « reo, sed tantùm Sedi Apostolicæ, ad quam reus recur- « sum habuerit. » (Die 21 martii 1643.)

Sub die verò 21 apr. 1668. S. Congr. sic respondit Archiepiscopo Remensi : « Cùm nullus ordinari debeat, « quem Episcopus suæ Ecclesiæ utilem aut necessarium « non judicaverit, Congregatio non semel declaravit ab « hujusmodi judicio nullam dari appellationem, sed recur- « sum duntaxat ad Sedem Apostolicam. Quæ juxta ipsius « Congr. sententiam per Gregorium XIII... approbatam, « quotiescumque Ordinarius recusaverit quemcumque or- « dinare, Metropolitano aut viciniori Episcopo committit, « ut ab eodem Ordinario priùs requirat causam recusa- « tionis : quo legitimam non allegante, licet illi eumdem « recusatum ordinare. »

Causa ab Ordinario allegata non esset legitima, juxta Stremler (*Des peines ecclésiast.*, p. 339) si ordines denegarentur ei qui vult educari in seminario extradiœcesano, vel qui non vult promittere se postea servaturum vitam communem cum suo parocho. Si autem legitimam allegaret causam, de quâ certus quidem esset Episcopus, sed quam non posset sufficienter probare Sacræ Congregationi vel alio ab ipsâ deputato, possetne tunc sic repulsus ordinari, et tenereturne Episcopus illum ordinatum in suam diœcesim adhibere? Dici posse videtur quòd saltem Episcopus ad id non teneatur nec illum debeat adhibere ad sacrum ministerium nisi beneficium in suâ diœcesi obtinuisset; alioquin quomodò verum esset quòd Episcopus nullum *ordinare debeat quem suæ Ecclesiæ necessarium et utilem non judicaverit* (Trid., sess. 23, c. 16)? Estne obligatus ad promovendum eum quem certò scit indignum, eò quòd probare non possit eum esse talem? Re quidem verâ ante Concil. Trid. ex Decreto Alexandri III *Ex tenore* 4, tit. 11, lib. Decret. non poterat clericus aliquâ ratione *prohiberi* ad ascendendum ad superiores ordines propter peccatum occultum, si ad eos promoveri volebat, sed hæc Decretalis non dicit quòd Episcopus ipse teneretur talem promovere pro suâ diœcesi, vel quòd alius promovere possit pro eâ, ipso invito.

5° Refert D. Bouix quòd Romæ vigeat opinio apud canonistas, non posse Episcopum procedere ex informatâ conscientiâ quandò delictum est famâ vulgatum, de quo videnda sunt etiam *Analecta jur. pontif.*, 6e liv., col. 1187, etc. Nihilominùs contrarium sentit D. Bouix; et reverà Tridentini verba, *etiam ob occultum crimen*, manifestè supponunt datam esse à Concilio præfatam potestatem ad *crimina publica*, et non benè videtur quomodò aliter possit opinari.

799. — 6° An valeant dictæ suspensiones ex informatâ conscientiâ, si sint latæ in perpetuum? Non omninò constans fuit quoad hoc disciplina? — Ex unâ parte, Concil. Trident. per verbum *quomodolibet* supponere videtur quòd possint esse perpetuæ, et insuper in lib. 7 Decretorum S. Congr. Concilii, fol. 89 *à tergo*, sic legitur, juxtà Bouix (p. 354, etc.) : « Congregatio Concilii censuit (cap. 1, « sess. 14, *De reform.*) habere locum in suspensionibus « tàm temporariis quàm *perpetuis*; et temporalem prohi- « bitionem et suspensionem dici eam ubi, ex delicto « occulto, extrajudicialiter procedit Episcopus ad suum « beneplacitum, prohibendo vel suspendendo ». Sed Theologus S. Congr. in causâ *Lucionensi*, anno 1848, asserit Sacram Congr. ab hâc sententiâ recessisse quoad suspensiones perpetuas (*Prælect. S. Sulpitii*, n° 655); et Stremler (*Des peines ecclésiast.*, p. 329, etc.) duas refert decisiones, unam S. Congr. Episc. (17 aug. 1857) et alteram S. Congr. Conc. quæ hoc idem probare videntur. Imò, juxtà eumdem Stremler, censura ex informatâ conscientiâ non debet ferri ultra sex menses (*ibid.*, p. 332); et si fuerit *ad beneplacitum Episcopi lata*, cessat necessariò per mortem ejus qui illam tulit, aut per ipsius renuntiationem. Casu autem quo fertur pro tempore indeterminato, cessare debet etiam per mortem Episcopi, quia 1° solus Episcopus qui eam tulit posset rationem de eâ reddere S. Sedi in casu appellationis; et quia 2° hujusmodi censura fertur per modum præcepti particularis.

800. — 7° In ferendis supradictis sententiis, Episcopus potest omittere etiam formalitates in judicio summario requisitas, cùm non teneatur etiam causam suspensionis reo

manifestare. Attamen ipsi licet, si velit, formalitates ordinarii vel summarii judicii ex toto vel ex parte adhibere : et hoc deduci valet ex verbis Concilii *quomodolibet*, *etiam extrajudicialiter*, quæ supponunt posse adhiberi aliquas vel omnes judicii formas : sed necesse est tunc ut dicat se agere vigore cap. 1, sess. 14, Concil. Trid., quia alioquin appellationi locus esset. Observa quòd si Episcopus suspensionem *tanquam censuram* infligat, non verò tanquam *meram pœnam*, debeat observare saltem formalitates pro censuris infligendis requisitas, præsertim monitiones.

8° Potestas à Concil. Trident. (sess. 14, c. 1) Episcopis concessa, extendi non debet ultra limites ibidem assignatas : unde erraret Episcopus si sibi licitum existimaret posse excommunicare, vel communitatem aut terram interdicto percellere, vel aliam pœnam infligere ex informatâ conscientiâ præter interdictum ab ascensu ad ordines et suspensionem ab ordinibus, officiis, Dignitatibus, gradibus et honoribus ecclesiasticis : etenim ante Concil. Trident., Episcopi non habebant facultatem procedendi extrajudicialiter, ut constat ex cap. *Ex tenore* 4, et cap. ultim. tit. 2, lib. 1 Decret. — Proinde Trident. utpote juri communi derogans est strictè interpretandum.

9° Episcopi non habent prædictam suspendendi facultatem nisi procedant in clericos tanquam delinquentes : unde v. g., si in eos procedant tanquam in minus idoneos et incapaces, juxta dispositionem Concil. Trident. (sess. 14, c. 3, *De ref.*), de illorum sententiâ potest appellari. Sic decisum fuit à S. C. Conc. 10 maii 1625.

10° Potestate suspendendi ex informatâ conscientiâ uti non debent Episcopi extra casum delicti occulti, quando motivum sufficiens non habent à formâ consuetâ recedendi : id deduci potest ex ipsomet Trident. sess. 24, cap. 5, ubi innovatur Constit. Innocentii III, quæ incipit *Qualiter et quando*, in quâ excluduntur sententiæ ex informatâ conscientiâ, et præscribuntur formæ in judiciis observari solitæ.

An autem casu quo valens adhibere formas judicii ordinarii, Episcopus procedit ex informatâ conscientiâ,

valida sit ipsius sententia licet illicita, non omninò liquet.

11° Non videtur quòd suspensio ex informatâ conscientiâ privet à fructibus beneficii, cùm Concilium non loquatur de beneficiis. Tenetur tamen beneficiarius sic suspensus suis sumptibus sustentare illum qui in suo officio substituitur.

12° Juxta Stremler (*Des peines ecclésiastiques*, p. 327) Episcopus per seipsum solum suspendere potest *ex informatâ conscientiâ*, eò quòd Trident. de solo Prælato loquatur. Imò juxta eumdem Stremler Vicarius Capitularis, Sede vacante, hanc non habet facultatem, et citat Giraldi sic sentientem. Sed ex dictis supra (462) pro Vicariis Generalibus si habeant speciale mandatum, et (480) pro Vicariis Capitularibus, videtur posse aliter opinari.

His stabilitis agendum est nunc :

CAPUT I.

DE POENIS ECCLESIASTICIS IN GENERE.

801. Per pœnas de quibus hic agitur, intelligi debent *delictorum coercitiones, sive vindictæ ad disciplinæ publicæ emendationem inductæ.*

Ex hâc definitione sequitur nec irregularitates, saltem ex *defectu*, nec impedimenta matrimonii, nec revocationem simplicem facultatum aut gratiarum aut officiorum quæ à jurisdictione voluntariâ pendent, esse pœnas propriè dictas, cùm non sint inductæ ad disciplinæ publicæ emendationem.

Nec etiam confundendæ sunt pœnæ propriè dictæ cum operibus satisfactoriis à confessariis in sacramento pœnitentiæ impositis : istæ enim ad forum internum, illæ autem ad externum pertinent.

Correlativæ autem sunt pœna et culpa, istamque semper illa præsupponit : « Sinè (enim) culpâ, nisi subsit causa, « non est aliquis puniendus », ait regula 23 juris, in 6°. Proindè pœna culpæ semper est proportionanda : « Pro

« mensurâ peccati, erit et plagarum modus », inquit Deuteronomium (cap. 25, v. 2).

Multiplicis generis sunt pœnæ : 1° aliæ sunt *à jure* et à lege feruntur, vocanturque *ordinariæ*; aliæ sunt *ab homine* et per sententiam aut per mandatum transitorium imponuntur; hujusmodi pœnæ *arbitrariæ* dicuntur.

2° Aliæ sunt *latæ*, aliæ *ferendæ sententiæ*; in priores reus incidit eo ipso quòd delictum admiserit; in posteriores non incidit nisi proferatur à judice sententia condemnatoria.

3° Aliæ sunt *spirituales*, aliæ *temporales*. *Spirituales* sunt : inhabilitas ad officia vel beneficia, eorumdem privatio, depositio, degradatio, infamia, etc. *Temporales* verò sunt : mulcta pecuniaria, incarceratio, exilium, etc.

4° Cùm ob duplicem præsertim finem Ecclesia pœnas infligat, nempe ad emendationem rei, aut ad bonum publicum, pœnæ rursum dividuntur in *medicinales*, quales sunt præsertim censuræ, quæ ideò imprimis feruntur ut rei resipiscant; et in *vindicativas*, quæ ipsius delicti punitionem ac repressionem præcipuè respiciunt, et sunt *pœnæ* simpliciter seu *meræ pœnæ* : juxta hanc divisionem, materiam pœnarum partiemur in duo capita, postquam tamen quasdam quæstiones generales expenderimus. Itaque :

802. Quærit. 1° An reus teneatur in conscientiâ exequi pœnam latæ sententiæ, ante omnem judicis sententiam?

Resp. Generatim DD. concedunt, juxta Suarez (*De Legib.*, lib. 5, nis 2, 3, 15, 16), pœnam, quæ non esset nimis ardua, posse à legislatore tali modo reo imponi, ut, ante omnem sententiam, ipsemet teneatur illam exequi : an autem sic voluerit legislator pœnas eo modo ordinariè imponere, hîc inquiritur.

Concordant canonistæ quòd si quæstio sit de pœnis positivis, seu de pœnis quæ consistunt in actione positivâ, v. g., aliquid præstandi aut patiendi, reus non teneatur illas exequi ante sententiam declaratoriam, etsi ipso jure sint latæ : unde si quis, ob simoniam aut aliud crimen, privetur ipso facto beneficiis jam obtentis, requiritur de-

claratio judicis, quia nimis ardua et inobservabilis esset illa lex humana vi cujus reus ipsemet deberet pœnam in seipsum exequi; nec proindè præsumi debet quòd legislator voluerit legem tali modo obligantem imponere : effectum tamen suum habet hujusmodi pœna ipso jure lata à die perpetrati delicti.

Si verò agatur de pœnis privativis quæ adimpleri possunt quin aliquid fiat : vel tales pœnæ privant jure acquisito et jam possesso, vel inhabilem tantùm reddunt ad jus aliquod acquirendum : si *priùs*, requiritur sententia declaratoria (saltem criminis) ut pœna possit reo applicari, quia cùm lex pœnalis debeat accipi in mitiori sensu, hæc verba, *nullâ expectatâ declaratione*, intelliguntur, *nullâ expectatâ declaratione pœnæ :* ex quâ interpretatione non excluditur sententia declaratoria criminis.

Si *posteriùs*, seu si pœnæ privativæ inhabilem aliquem reddunt ad acquirendum jus nondum possessum, tales pœnæ obligant etiam ante sententiam declaratoriam criminis, modò tamen reus possit eas subire sinè infamiâ, et modò alicubi non aliter habeat consuetudo particularis Unde si quis commiserit crimen ob quod inhabilis ipso facto redditus est ad beneficia acquirenda, non solùm peccat beneficia acquirendo, sed ita nulliter ad illud est promotus, ut, ante omnem sententiam etiam criminis declaratoriam, teneatur illud dimittere, cum omnibus suis fructibus, etiam consumptis, nisi bonâ fide consumpti fuissent quin divitior effectus fuerit; attamen etiam in hoc casu, ut pœna suum effectum producat quoad extraneos, requiritur sententia criminis declaratoria.

Nota quòd, in casu pœnæ *ferendæ sententiæ*, reus non teneatur pœnâ hujusmodi ante sententiam condemnatoriam, licet agatur de pœnis privativis, de inhabilitatibus aut censuris : ratio est quia talis pœna nondum est inflicta.

803. Quærit. 2° An ignorantia excuset à pœnâ?

Resp. Ignorantiam contingere posse vel circa legem, vel circa pœnas à lege impositas; iterum ignorantiam esse, vel vincibilem, vel invincibilem.

1° Solius pœnæ ignorantia, etsi invincibilis, ab hâc

pœnâ non eximit, nisi ipsamet lex notitiam pœnæ requirat ut possit incurri, vel nisi hæc pœna sit gravissima et excedens meritum criminis, vel pœna ejus sit naturæ quòd non possit incurri sinè ejus notitiâ, prout sunt censuræ et fortè irregularitates ex delicto : nam ibi potest esse pœna ubi adest delictum ; porrò, etiam casu quo ignoraretur pœna, delictum occurrere potest, cùm etiam tunc lex potest scienter violari ; ergo, etc.

2° Casu quo ignoratur lex : vel hæc lex est positiva duntaxat, et tunc si ignorantia sit invincibilis, cùm excuset tunc omninò à peccato, excusare etiam debet à pœnâ : si verò sit tantùm vincibilis, nec à peccato, nec proindè à pœnâ excusat.

Si lex ignorata sit, non solùm positiva, sed etiam juris naturalis, an ignorantia solius juris positivi excuset tunc à pœnâ non omninò liquet : quæstio dicitur controversa à S. Liguor. qui sententiam affirmantem probabiliorem reputat (lib. 6, n° 1072), quia, sicut ignorantia in casu supposito excusat à violatione legis positivæ, ita excusare debet à pœnâ propter illam violationem statutâ : hæc tamen ratio non videtur probare pro casu quo pœna statuta fuisset pro violatione etiam legis naturalis, prout, sæpè saltem, videtur accidere. Cæterùm in foro externo ignorantia legis non præsumitur, sed est probanda, nisi ageretur de personis omninò illiteratis.

Nota quòd, si pœna sit indicta præsumentibus, sive temerè, consultò aut scienter peccantibus, tunc excusat ignorantia etiam crassa, non tamen affectata, quæ adest cùm quis studiosè negligit scire legem, ut liberiùs agat : quia talis ignorantia scientiæ æquiparatur.

804. Quærit. 3° Quinam possint pœnas decernere?

Resp. Vel agi de pœnis à lege, statuto aut mandato constitutis, vel de pœnis ab homine per sententiam inferendis : *in primo casu*, soli pœnas decernere valent qui legem, statutum aut mandatum condere vel facere possunt : quales sunt, non solùm S. Pontifex, sed etiam Episcopi et plures alii Prelati jurisdictionem quasi Episcopalem habentes. *In secundo casu*, soli qui legitimè judices constituti fuêre cum

potestate ordinariâ vel delegatâ, possunt illas pœnas per sententias ferre.

805. Quærit. 4° Quinam possint pœnis plecti?

Resp. Omnes subditos, qui delicto sunt juridicè convicti, pœnis plecti posse; imò, etsi non juridicè convictos si agatur de pœnis per sententiam ex conscientiâ informatâ inflictis.

Circà modò dictam responsionem, potest tamen esse difficultas quoad absentes et quoad impuberes : 1° Cùm juxta communissimam sententiam, absentes non teneantur legibus suæ patriæ, nec item astringantur legibus juris communis, si inveniantur in loco ubi lex illa est legitimè abrogata, sequitur quòd nec etiam propter hujusmodi legum violationem puniri possunt pœnis contra infractores latis.

2° Quoad impuberes patet ipsos non posse pœnis plecti, quandò nondum usum rationis habent, cùm nondum sint delicti capaces. Si verò sint usu rationis præditi, subjiciuntur pœnis jure communi *ipso facto* incurrendis, ut deducitur ex cap. *Pueris* 60, *De sent. excomm.* Censuræ tamen generaliter latæ à jure aut ab homine, non incurruntur ab impuberibus, nisi hoc expressum sit *in lege*, prout est expressum quoad percussionem clericorum et ingressum in monasteria mulierum.

Circà autem pœnas *ferendæ sententiæ*, dicit auctor *Prælect. S. Sulpitii* (n° 714) quòd, ex usu communi, impuberes iis non subjiciantur, eò quòd non conveniat ætati impuberum ut se sistant coram judice defensionis causâ; sed hæc ratio non omninò convincit, cùm impuberes possint se sistere cum assistentiâ tutoris aut curatoris; undè Suarez, prout idem Auctor refert (*ib.*), ait : « Non invenio « jus quo reddatur nulla sententia censuræ latæ contra « impuberem, et ideò si alioquin intercedat vera contu« macia, et reliqua necessaria ad valorem censuræ, ex « hâc parte non censeo esse nullam. » Et hæc sententia est saltem probabilis, ut videre est apud S. Liguor. (lib. 7, n° 14) : non decet tamen ut impuberes tàm rigorosè plectantur per sententiam judicis ac solent plecti adulti : cap. *Referente* 2, *De delictis puerorum*.

806. Quærit. 5° Quale esse debeat delictum ut judex possit reo pœnas irrogare?

Resp. Ad delictum pœnis plectendum quinque conditiones generatim requiruntur : videlicet ut sit 1° externum, 2° proprium, 3° grave, 4° consummatum, 5° debitè probatum.

1° Debet esse *externum* : nam Ecclesia non judicat de internis nisi in foro pœnitentiali : cap. *Cogitationis*, 14, *De pœnitent.*, dist. 1. Omissio tamen *actûs externi* à lege præscripti habetur ut opus *externum* et pœnis subjacet : cap. *Quanta* 47, *De sentent. excomm.*; imò etsi delictum exteriùs prodeat, si non appareat sub specie mali à lege pœnis plectendi, hujusmodi pœnis puniri nequit : unde si quis, v. g., carnes die prohibito comederet, eò quòd credat Ecclesiam non habere potestatem illud prohibendi, non incurreret pœnas contra hæreticos statutas, quia hæresis non esset apparenter *externa*.

Posset tamen Ecclesia actum externum, aliundè in se malum, pœnis plectere sub conditione solius malitiæ quæ ab interno procederet : v. g., posset ferri excommunicatio vel alia pœna in eos tantùm qui *scienter* aut *temerè* aut ex *præsumptione* aliquid egerint : ratio est quia, cùm actus sit aliundè malus, ac meritò possit pœnis plecti, nulla injustitia est quòd non puniatur nisi vestitus sit certis conditionibus, nempe quòd sit peractus *scienter*, *temerè*, etc.

2° *Proprium*, saltem aliquo modo : nam : « non debet aliquis alterius odio prægravari ». *Reg. Juris* 22, in 6°.

Diximus, saltem *aliquo modo* : nam, propter crimen à majore parte communitatis, vel à capite ipsius commissum, tota communitas potest subjici interdicto, vel suis privilegiis spoliari; et sic etiam innocentes puniuntur; et quidem non immeritò, quippe delictum communitatis omnibus membris proprium esse censetur. Attamen Bonifacius VIII sapienter statuit (cap. *Romana* 5, *De sentent. excomm.*, in 6°) ut hoc non habeat locum in casu excommunicationis : « In Universitatem vel collegium proferri « excommunicationis sententiam penitùs prohibemus : « cùm nonnunquam contingat innoxios hujusmodi sen- « tentiâ irretiri. »

Imò aliquando, etiam propter alterius delictum, certi actus pœnâ nullitatis in detrimentum innocentis plectuntur, prout evenit in casu promotionis ad beneficium per alterius simoniam : sed meritò hujusmodi promotio fit irrita, non quidem in punitionem promoti, cùm sit innocens, et ipsius respectu talis irritatio non est pœna propriè dicta, cùm non sit statuta ad eum puniendum; sed in odium horrendi criminis simoniæ, quod alioquin non satis efficaciter comprimeretur : non debent tamen hujusmodi pœnæ infligi nisi ex justis causis : unde dicitur in regulâ 23, in 6° : « sinè culpâ, nisi *subsit causa*, non est aliquis pu« niendus ».

3° *Grave :* certum hoc videtur quoad pœnas quæ in judiciis imponuntur, cùm ridiculum esset ad judicium recurrere propter leves culpas; si verò agatur de pœnis quæ extra judicia infligi valent, non requiritur ut ferantur semper propter gravia crimina, sed duntaxat ut sint culpis proportionatæ : unde quædam leves suspensiones infligi possunt propter culpas veniales. Item excommunicatio minor incurri posset per communicationem quæ non esset mortaliter mala.

4° *Consummatum* : nempe requiritur ad pœnam incurrendam ut perficiatur id præcisè delictum quod lex intendit plectere tali pœnâ : unde sola attentatio delicti, vel cooperatio ad illud per consilium, mandatum, puniri nequit pœnâ latâ contrà hujusmodi delictum : unde qui vult occidere, vel verberat ad occidendum, non incurrit pœnas contrà homicidium latas, si reverà non occiderit, quia odia sunt restringenda ; secus esset, si lex ipsammet attentationem pœnâ mulctari intendisset.

5° *Debitè probatum*[1] : hæc conditio requiritur duntaxat pro pœnis quæ nonnisi post sententiam prolatam executioni possunt mandari, non verò pro pœnis ipso jure latis, quæ per ipsammet legem executionem obtinent, ut censuræ ipso facto latæ.

807. Quærit. 6° An et qualiter pœna possit remitti ?

[1] « Satius impunitum relinquere facinus nocentis, quàm innocentem « damnare. » Lex justiniana.

Resp. Vel pœna est jam inflicta, vel solùm est infligenda : si *priùs*, iterum est distinguendum , aut enim agitur de pœnâ *medicinali* , prout sunt censuræ, et non solùm tunc à Superiori competenti pœna remitti potest, sed etiam est remittenda si contumacia cessaverit : cùm enim pœnæ medicinales ad hoc fuerint institutæ ut delinquentem ad pœnitentiam reducerent, hæ remitti debent postquam suum effectum produxerunt ; — aut agitur de pœnis *vindicativis*, in quo casu sæpè quidem licitum est Ordinario pœnitentem reintegrare, sed hoc non semper expedit ; imò Episcopus nequit semper sic reum reintegrare : id enim non posset casu, v. g., quo reus ex sententiâ, pœnam irregularitatis ex defectu aut irregularitatis notoriæ ex delicto incurrisset.

Si *posteriùs*, seu si pœna nondum sit inflicta, sed sit solùm ergà reum juridicè convictum infligenda , sententia debet esse vel *absolutoria* , casu nempe quo crimen non fuisset probatum ; vel *condemnatoria*, si èontra probatum fuisset. Unde Superior non debet pœnam remittere ante sententiam : sunt tamen casus in quibus fieri potest compositio. Item judex non tenetur semper procedere contra delinquentem , et severitati canonum aliquid potest detrahi in certis casibus.

Notanda est præsertim sententia S. Innocentii I (canon *Quoties* 14, causa 1, q. 7) : « Quoties à populis aut à turbâ « peccatur , quia in omnes propter multitudinem non po- « test vindicari , multùm solet transiri. » Et hoc erga Donatistas servavit Ecclesia, inquit S. August. in *Epistolâ ad Bonifacium*, « ut etiam ipsorum infirmitas leviùs ex- « cepta, intùs sanabilis foret ».

CAPUT II.

DE VARIIS POENIS ECCLESIASTICIS VINDICATIVIS.

ART. I.

DE PŒNIS VINDICATIVIS SPIRITUALIBUS.

808. — I. *De inhabilitate ad officia vel beneficia ecclesiastica* : hæc pœna quæ solet esse effectus aliarum pœna-

rum ecclesiasticarum, videlicet depositionis, irregularitatis, etc., solos clericos, si casum irregularitatis excipias, afficere potest, cùm soli clerici sint regulariter beneficiorum ac officiorum ecclesiasticorum capaces. Item sola beneficia aut officia acquirenda, non verò jam acquisita concernit : unde qui inhabilitatem præfatam incurrit, non ideò amittit officia vel beneficia quæ ab ipso legitimè jam possidentur, sed solùm ineptus fit ad ea acquirenda quæ nondum habet, et eò usque ineptus fit ad hoc, ut, si non obstante suâ inhabilitate ad ea promoveatur ac in possessionem eorum immittatur, teneatur in conscientiâ, ante omnem sententiam, ea dimittere cum fructibus perceptis; etiam consumptis.

809. — II. *De privatione beneficiorum, dignitatum et officiorum* : Hæc pœna non cadit nisi in officia, beneficia aut dignitates jam acquisita, nec includit inhabilitatem ad eadem in futurum acquirenda ; imò non necessariò afficit omnia beneficia, officia, etc., jam acquisita : unde clericus potest privari uno ex suis officiis aut beneficiis, quin aliis omnibus spolietur.

Qui autem hanc pœnam incurrit, etiamsi id contigerit per crimen cui ipso facto est annexa, non tenetur tamen eam exequi ante sententiam saltem declaratoriam criminis; sed ita amittuntur titulus et proprietas beneficiorum, officiorum, etc., per dictum crimen, ut, eo instanti quo committitur, statim ipsa vacent, et ante omnem sententiam, valeant acquiri ab aliis ; et quamvis possent à reo detineri usque ad sententiam criminis declaratoriam, tamen non possunt ab ipso legitimè permutari aut resignari ; et si reus è vivis cedat ante dictam sententiam, ipsius beneficium ut vacans ex delicto reputatur, non verò ex mortis causâ. Secus est dicendum si pœna privationis sic ferendæ sententiæ : non vacat beneficium nisi per sententiam.

Quænam autem sint delicta quibus pœna privationis officiorum aut beneficiorum, etc., sit annexa ipso facto, vel pro quibus sententia privationis sit solùm ferenda, diximus supra, n° 311.

« Du reste, inquit Stremler (*ibid.*, p. 33), la privation « du bénéfice laisse toujours au clerc le droit aux aliments.

« Le juge ecclésiastique doit, en conscience, pourvoir à « la subsistance du condamné; et, s'il se refuse à ce de- « voir de justice, il peut y être contraint par son Supé- « rieur. »

810. — III. *De depositione* : Hâc voce, in sensu latiori, non solùm depositio propriè dicta sed etiam degradatio designatur, et in hoc sensu, hæc vox identidem usurpatur in canonibus præsertim veteribus. Strictè autem intellecta depositio est *pœna clericum privans in perpetuum jure exercendi functiones sui ordinis aut beneficii*; clericos ergò solummodo afficit hæc pœna; eique, si sit totalis, annectitur infamia; et cùm in perpetuum privet exercitio ordinis et officii, necessariò privat etiam beneficiis acquisitis, quæ non dantur nisi propter officium.

Differt 1° à privatione quæ solùm in jam acquisita officia aut beneficia, etc., cadit.

Differt 2° à suspensione in eò quod suspensio soleat esse pœna medicinalis, ac proinde temporaria ex se, dum depositio ex naturâ suâ est semper vindicativa et perpetua.

Differt 3° à degradatione verbali, in eo solùm quòd, post depositionem, non potest procedi ad degradationem realem seu solemnem, dum id fieri potest post degradationem verbalem.

Depositio alia est *totalis* quâ reus privatur omni ordine, beneficio, officio et dignitate; alia verò *partialis*, quæ uno vel aliquibus ex iis tantùm exspoliat.

Non incurritur depositio nisi propter crimina enormia tum ex se tum ob scandalum quod gignunt, velut homicidium voluntarium cum machinatione, adulterium, stuprum, fornicatio notoria, vita scandalosa clerici incorrigibilem se ostendentis. Prudenti verò judicis existimationi determinandum relinquitur an dicta crimina eam gravitatem habeant quæ pœnâ depositionis sit plectenda.

811. — IV. *De degradatione* : Degradatio *est pœna ecclesiastica quâ clericus ordine et munere clericali, consequenter etiam omni beneficio et officio, necnon privilegio fori et canonis, per sententiam solemniter et authenticè privatur et traditur curiæ sæculari*. Sibi annexam habet pœnam infamiæ.

Duplicis generis est degradatio : *verbalis* nempe, quæ in sententiâ consistit, et ideò etiam *sententialis* vocatur ; et *realis* seu *solemnis* quæ etiam nuncupatur *actualis*. Hæc est quasi executio degradationis verbalis.

Privilegiis statûs clericalis ipso facto non privat *verbalis* degradatio : secus est dicendum *de reali* ; prior ferri potest à judice non Episcopo, posterior ècontra caracterem episcopalem exigit in ministro degradante : cùm enim per realem degradationem, clericus ad statum laicalem, saltem quoad conditionem, redigatur, Ecclesia voluit ut ad hunc statum solus ille posset reducere qui solus ab eodem educens potuit ad clericalem statum sublimare. Degradatum verbaliter Episcopus reintegrare valet, dum ad Sedem Apostolicam reservatur reintegratio clerici realiter degradati (Pontificale Roman., *De formâ degradat.*).

Realis degradatio est pœna ab Ecclesiâ ultimò in clericos infligenda ; eâque illatâ, reus eo ipso sæculari brachio traditur. Sed huic pœnæ locus esse non debet, nisi priùs exhaustis omnibus aliis mediis repressionis, vel nisi adsit perversitas modum excedens, et manifestè incorrigibilis. Item à judice imponi nequit nisi in casibus à jure communi expressis : ad illam enim legitimandam non sufficiunt statuta synodalia, nisi accederet Sedis Apostolicæ consensus.

Vide in *Manuali*, n° 6348, enumerationem criminum propter quæ degradare licet.

Olim sententia degradationis, etiam verbalis, ferri nequibat, nisi à duodecim Episcopis contra Episcopum, à sex Episcopis contra Presbyterum, à tribus verò contra Diaconum ; sed hodie verbalis degradationis sententiam Episcopus solus, per se aut per Vicarium ad id specialiter deputatum, pronuntiare valet, etiam contra presbyteros. Idem potest Capitulum aut ipsius Vicarius, Sede vacante (cap. *His quæ*, et cap. *Cùm olim*, *De major. et obed.*, Conc., Trid. sess. 13, cap. 4, *De ref.*).

Quoad verò realem degradationem, ad illam quidem hodie absque aliis Præsulibus procedere valet Episcopus caracterem illius ordinis habens, sed tamen per seipsum, et insuper. « Adhibitis... sibi assistentibus totidem Abbati- « bus usum mitræ et baculi ex privilegio apostolico haben-

« tibus, si in civitate aut diœcesi reperiri et commodè inte-
« resse possent (nempe quot olim requirebantur Antistites),
« alioquin aliis personis in ecclesiasticâ Dignitate consti-
« tutis, quæ ætate graves ac juris scientiâ commendabiles
« existant. » Ita Trident. (sess. 13, cap. 4, *De ref.*).

Cæremoniæ verò in hujusmodi degradatione observandæ habentur in Pontificali. *Nota* autem quòd in multis locis eæ non sint in usu quoad clericos minoribus ordinibus tantùm insignitos (*De Syn.*, *ib.*, nº 5); sed ubique Episcopus potest solus hujusmodi clericos degradare (cap. *Degradatio* 2, *De pœnis*, in 6°).

812. —V. *De infamiâ* : Hæc pœna est *status læsæ dignitatis ob crimen quo quis reus publicè habetur*. Non est duntaxat simplex bonæ famæ carentia, sed est insuper status in quo quis existimatur positivè malus. De infamiâ vide supra, ubi de irregularitatibus.

ART. II.

DE PŒNIS VINDICATIVIS TEMPORALIBUS.

813. — Præcipuæ ex iis quæ adhuc vigere possunt sunt mulcta pecuniaria, incarceratio et exilium.

I. *Mulcta pecuniaria* est summa pecuniaria à judice reo imposita, in vindictam alicujus delicti.

Non potest Episcopus mulctas pecuniarias vel aliquam ipsarum partem sibi aliquo modo appropriare, etiam ad stipendia sive Vicario suo sive Cancellario sive aliis ministris suis solvenda, sed debet eas in usus pios integrè adhibere, juxtà præscripta Concil. Trident. (sess. 25, c. 3). Ita pluries decisum.

Non est autem infligenda mulcta pecuniaria, nisi in casibus quibus à malo efficaciùs removere valet quàm cæteræ pœnæ. Vult tamen Trident., loco citato, ut judices ad censuras, præsertim excommunicationem, non veniant nisi priùs adhibitis pœnis temporalibus si hæ sufficiant.

II. *Incarceratio* : Alia est *præventiva*, quæ non debet præscribi nisi adsint indicia certa quibus criminis existentia valdè probabiliter constat, et nisi insuper meritò sit timendum ne aliter reus aufugerit.

Alia est *afflictiva* ad quam damnatur reus in judicio convictus. Apud nos hodie difficillimè hæc pœna in usum redigi posset, nisi fortè erga clericos qui ad tempus possent aliquando damnari ad remanendum intra monasterium, seminarium, vel alias similes domos.

III. *Exilium.* In eo consistit hæc pœna quòd reus expellatur è diœcesi, civitate, aut ab alio loco cum prohibitione revertendi. Rarò etiam apud nos hæc pœna potest infligi.

Silemus autem de aliis pœnis temporalibus, eò quòd in præsenti rerum statu, nullatenùs executioni mandari valent.

CAPUT III.

DE PŒNIS ECCLESIASTICIS MEDICINALIBUS SEU DE CENSURIS.

ART. I.

DE CENSURIS IN GENERE.

---

§ I.

De naturâ et divisione Censurarum.

814. — I. Vox *Censuræ* duplici sensu accipitur in jure ecclesiastico, videlicet: 1° designat quoddam genus pœnarum; 2° notam inustam doctrinæ vel libro. In primo sensu hæc vox adhibetur in capite præsenti, et definitur: *Pœna medicinalis per quam homo baptizatus, delinquens et contumax, privatur, per potestatem ecclesiasticam, usu quorumdam bonorum spiritualium.*

Dicitur 1° *pœna:* et sic convenit cum pœnis vindicativis ab Ecclesiâ impositis, depositione nempe, degradatione, etc. Hâc autem voce censura differt sive ab irregularitate ex defectu, quæ certè non est pœna cùm ex culpâ non oriatur, sive ab irregularitate ex delicto, quæ etiam non videtur pœna propriè dicta, imò potiùs est inhabilitas ex delicto

orta; saltem non est pœna medicinalis cùm tollatur non per absolutionem, sed per dispensationem. Ideòque in potestate datâ absolvendi à censuris non comprehenduntur irregularitates, nisi expressè id dicatur.

Dicitur 2° *medicinales* : id est, quæ primariò et principaliter infligitur ut reus emendetur et ad meliorem frugem se vertat (cap. *Cùm contingat* 36, *De offic. deleg.;* cap. *Ex litteris* 11, *De Constit.;* cap. *Cùm medicinalis*, *De sentent. excomm.*, in 6°). Per hoc censura differt à pœnis vindicativis, quæ primariò in criminis vindictam incutiuntur. Ex hâc qualitate censura est necessariò vinculum dissolubile et per absolutionem solvendum statim ac peccator emendatus fuerit. Propter eamdem rationem infligi non debet censura sinè prævià monitione, nisi inferretur per modum pœnæ vindicativæ, quod aliquando contingere potest.

Dicitur 3° *Per quam homo baptizatus*, *delinquens et contumax* : quibus verbis exprimuntur conditiones requisitæ ut quis possit censuris ligari. Is ergo debet esse : 1° *baptizatus*, alioquin non esset subjectus potestati ecclesiasticæ; 2° *delinquens*, cùm omnis pœna supponit delictum ; 3° *contumax,* id est monitionibus Ecclesiæ non obtemperans, et id fluit à naturâ censuræ quæ, ut jam diximus, est pœna medicinalis requirens prævias monitiones, sive à judice sive saltem à lege factas. Contumax autem est, non solùm qui formaliter contemnit auctoritatem Ecclesiæ, sed etiam qui cùm noverit legem aliquid vetantem sub censurâ, eam nihilominùs culpabiliter violat.

Dicitur 4° *Privans per potestatem ecclesiasticam usu quorumdam bonorum spiritualium* : quia censura non ideò ab Ecclesiâ profertur ut privet *omnibus* bonis spiritualibus, cùm nec etiam id possit fieri : sed solùm quibusdam ab Ecclesiâ dependentibus ipsique communibus, sacramentis nempe, suffragiis, indulgentiis, sacris functionibus, beneficiis, etc.

Etsi censuræ privent primariò bonis spiritualibus, privant tamen indirectè certis bonis temporalibus, nempe usu et commercio fidelium, circa plura temporalia, ut infra dicturi sumus loquendo præsertim de excommunicatione.

Specialis censurarum proprietas est quòd ex seipsis, statim ac incurruntur, executionem habeant, sinè aliquâ aliâ humanâ actione aut judicis declaratione : ita ut teneatur censuratus ab iis abstinere quæ ipsi per censuram prohibentur, non tantùm in publico, sed etiam in occulto, non tantùm in territorio illius qui censuram tulit, sed quòcumque ierit, donec ab eâ fuerit absolutus. Vide cap. *Pastoralis*, *De appell.*, § *Verum.*— Hæc autem vis censurarum non oritur ex præcepto censuram ferentis, sed ex auctoritate Ecclesiæ seu S. Pontificis.

Circa hæc notanda est propositio 46 à Pio VI per Bullam *Auctorem fidei* damnata : « Propositio asserens *effectum* « *excommunicationis exteriorem duntaxat esse, quia tan-* « *tummodò naturâ suâ excludit ab exteriori communica-* « *tione Ecclesiæ :* quasi excommunicatio non sit pœna « spiritualis, ligans in cœlo, animas obligans : *falsa*, *per-* « *niciosa*, *in articul.* 23 *Lutheri damnata; ad minus* « *erronea.* »

Hic est autem artic. 23 Lutheri à Leone X damnatus cujus meminit Pius VI : « excommunicationes sunt tan- « tùm pœnæ externæ, nec privant hominem communibus « spiritualibus Ecclesiæ orationibus ».

815. — II. Multiplici modo dividuntur censuræ : 1° *in suas species*, nempe in *excommunicationem, suspensionem* et *interdictum*; sic enim habet cap. *Quærenti* 20, *De* « *verbor. signif.* : Quærenti quid per censuram ecclesias- « ticam debeat intelligi.., respondemus quòd per eam non « solùm interdicti, sed excommunicationis et suspensionis « sententia valet intelligi. »

2° *Ratione modi* quo ferri solent, dividuntur censuræ *in censuras à jure* et *censuras ab homine :* censuræ *à jure* sunt illæ quæ *à jure* seu per canones, constitutiones, vel statuta feruntur modo stabili et permanenti. Censuræ verò *ab homine*, sunt eæ quæ à judice per sententiam judiciariam, vel à Prælato per temporale mandatum, sive particulare sive generale, infliguntur aut statuuntur.

3° Iterum ratione modi quo feruntur, censuræ tàm à jure quàm ab homine dividuntur in censuras *latæ sententiæ* et censuras *ferendæ sententiæ :* censuræ *latæ senten-*

tiæ, sunt illæ quæ, ipso facto seu crimine semel admisso, statim incurruntur absque ullâ judicis sententiâ, etiam declaratoriâ.

Censuræ verò *ferendæ sententiæ*, quæ etiam dicuntur *comminatoriæ*, sunt illæ quas jus aut judex non vult ipso facto incurri, sed solùm per sententiam infligi : unde censuræ hujusmodi possunt esse *à jure* simul et *ab homine* : *à jure* quidem, quatenus sanciri possunt per legem aut statutum permanens, et ab *homine*, quatenùs non incurruntur nisi per sententiam judicis.

Ut autem dignoscatur quandonam censuræ sint latæ et quandonam sint ferendæ sententiæ, « consideranda sunt « verba quibus censura fertur ; quæ, si includant alterius « actionem seu ministerium, significant censuram esse « *sententiæ ferendæ, latæ* verò si non includant. Si verò « verba ambigua sint, teneri potest regula 49 juris « in 6°, quòd in dubio circà pœnas, benignior interpre- « tatio sit facienda. » Cæterùm tutè teneri potest communis interpretatio, quia est optima legum interpres. Unde resolves :

« Censura est *latæ sententiæ* : 1° Si verba sint præte- « riti aut præsentis temporis : v. g. *excommunicavimus*, « *excommunicatus est, fuit, excommunico, suspenduntur*, « *interdicuntur, volumus aut jubemus esse excommunica-* « *tum, suspensum*, etc. ; 2° si addatur particula *ipso jure*, « *ipso facto*, vel *sinè aliâ sententiâ ;* 3° si verba sint im- « perativi modi, v. g. *incidat in excommunicationem*, « *maneat interdictus*, etc. : ratio quia hæc omnia nullius « actionem interponunt. » (Busembaum, apud S. Liguor., lib. 7, n^is^ 6 et 7.) — Si tamen dicatur *excommunicatus sit*, controvertitur qualis tunc sit censura : plures dicunt eam esse latæ sententiæ, sed plures alii ècontra volunt esse tantùm ferendæ : utraque sententia est probabilis, inquit S. Liguor. (lib. 7, n° 8) ; sed hoc pendere videtur à quæstione an mandatum excommunicandi alteri imponatur, vel non. Si verò dicatur *anathema sit*, iterum disputatur an excommunicatio sit latæ vel ferendæ sententiæ : sed omnes eam dicunt esse latæ sententiæ si fiat contrà hæresim.

Censura est ferendæ sententiæ, saltem ut plurimùm : 1° Si verba sint futuri temporis, v. g., *excommunicabitur, suspendetur ;* 2° si dicatur *excommunicetur suspendatur, volumus excommunicari* : sed ad hoc requiritur ut præceptum excommunicandi, suspendendi, alteri imponatur : nam si absolutè modo imperativo proferatur censura, communiter habetur tanquam latæ sententiæ ; 3° si verba sint minatoria, v. g., *sub pœnâ excommunicationis, sub interminatione anathematis*, etc., nisi tamen ex adjunctis aliud colligatur.

4° Censuræ dividuntur adhuc in *justas* et *injustas* seu *illicitas ;* in *validas* et *invalidas*, quæ denominationes satis intelliguntur ; *in reservatas et non reservatas*, seu quarum absolutio reservata est Superiori vel non est reservata.

5° Dividuntur in censuras ad *tempus determinatum*, et in censuras ad *tempus indeterminatum. Nota* tamen quòd censuræ ad tempus determinatum non sint censuræ propriè dictæ : omnes enim censuræ propriè dictæ : utpotè medicinales, durare debent usque ad rei emendationem, proinde sunt necessariò ad tempus indeterminatum : censuræ verò quæ feruntur ad tempus determinatum, vel quæ sunt in perpetuum, sunt pœnæ vindicativæ seu meræ pœnæ, non verò pœnæ medicinales. Cæterùm nunquam excommunicatio fertur ad tempus determinatum, vel in perpetuum : sed solæ suspensiones vel interdicta sic aliquando feruntur.

§ II.

A quo censuræ ferri possint.

816. Est certè in Ecclesiâ potestas censuras et alias pœnas ferendi, et hoc est de fide.

In quibusnam autem resideat hæc facultas?—Dicendum est quòd non resideat nisi in iis qui jurisdictionem in *foro externo*, sive ordinariam sive delegatam possident (cap. *Cùm ab Ecclesiarum* 3, *De officio judicis ordin.*; et cap. *Præterea*, *De officio judicis delegati*).

Ordinariam verò potestatem habent 1° Papa et Concilium

generale respectu totius Ecclesiæ ; 2° Congregationes Romanæ, ut Concilii, S. Officii, Episcop. et Regular., etc., quæ etiam pro universâ Ecclesiâ censuras ferre possunt in iis quæ sibi respectivè attribuuntur ; 3° Legati Apostolici in territorio ipsis assignato (cap. *Novit* 7, *De offic. Legati*) ; 4° Patriarchæ et Archiepiscopi respectu tantùm subditorum propriæ diœcesis, non verò aliorum suffraganeorum, nisi tempore visitationis, aut nisi, per appellationem, causa ad ipsos devolvatur (cap. *Venerabilibus*, *De sent. excomm.*, in 6°) ; 5° Episcopi respectu pariter subditorum, dummodo sint confirmati, esto non consecrati (cap. *Transmissum*, *De elect.*) ; 6° Vicarii Generales respectu etiam diœcesanorum : ita veriùs contra quosdam tenet communis sententia ex cap. *Romana*, *De appell.*, in 6°, et cap. 2, *De consuet.*, in 6° ; 7° Generales, Provinciales et Superiores locales Religionum, ut Priores, Guardiani, Rectores respectu suorum subditorum (cap. *Cùm in Ecclesiis*, *De major. et obed.*) ; 8° Congregationes Religionum, Concilia provincialia Episcoporum, Capitula provincialia quarumdam Religionum, Capitulum Cathedralis, sede vacante, et ipsius Vicarius (cap. *Cùm olim*, *De major.*, etc.) : singuli respectivè pro suis subditis ; 9° quidam ex privilegio, prout sunt multi Archidiaconi, Archipresbyteri, et Decani.

Potestatem censuras ferendi non habent parochi, cùm ex consuetudine abrogata fuerit concessio eis facta à jure communi, et ad forum internum reducta fuerit illorum jurisdictio.

Delegatam autem habent potestatem censuras inferendi ii quibus ea committitur ab habente ordinariam, sed ejusmodi potestas cessat per mortem aut amotionem delegantis, nisi causa à delegato jam fuerit incepta, etiam per solam citationem (ex cap. *Gratum* 20, *De offic. delegati*), nec delegatus potest eam alteri delegare, nisi habeat specialem ejus commissionem : ut si sit delegatus Papæ (cap. 3, *De officio delegati*).

817. Ut quis possit ferre censuras sex conditiones requiruntur : 1° *Ut sit vir*, saltem de potestate ordinariâ : disputatur enim an Papa, ex plenitudine potestatis, possit

committere mulieri facultatem censuras ferendi ; et probabiliùs negatur, quia hæc potestas per traditionem clavium Ecclesiæ data fuit Apostolis et eorum Successoribus in quibus nullo modo comprehendi possunt mulieres. Ergo, etc. — Si ergo in jure (cap. *Dilecta* 12, *De majorit. et obedient.*) *Abbatissæ* quædam dicuntur posse subjectos sibi clericos suspendere ab officio vel beneficio : suspensio hæc non habetur propriè ut censura cujus violatio irregularitatem inducit, sed latè et impropriè, et potiùs tanquam per præceptum Abbatissa clerico, quodammodo sibi subjecto, prohibet missæ celebrationem donec satisfecerit, redditus beneficii interea ei detrahens.

2° *Ut sit baptizatus*, quia, qui non est in Ecclesiâ, capax non est jurisdictionis ecclesiasticæ.

3° *Ut sit primâ tonsurâ insignitus* (cap. *Decernimus* 2, *De judiciis*).

4° *Ut sit rationis compos :* imò debet habere intentionem ligandi eum contra quem fert censuram (cap. *Cum voluntate, De sent. excomm.*).

5° *Ut habeat jurisdictionem expeditam quoad usum :* unde Episcopus excommunicatus, suspensus, hæreticus aut schismaticus non potest ferre censuras, etiam validè, si non sit toleratus, nec licitè, etiamsi toleratus sit (cap. *Exceptionem, De except.*) ; et ideò Vicarius Episcopi excommunicati aut suspensi, non potest quoque ferre censuras, ex cap. 1, *De officio Vicarii*, in 6°.

Regulariter Episcopus, extra propriam diœcesim existens, non potest ferre censuras in subditos per sententiæ modum (cap. *Episcopi* 9, q. 2 : Clement. *Quamvis, De foro compet.*) ; sed potest per modum præcepti aut statuti ad futura crimina præcavenda. — Diximus *regulariter* quia casus sequentes sunt excipiendi : 1° si contumacia sit tam manifesta ut non indigeat cognitione causæ (cap. *Manifesta* 2, q. 1) ; 2° si causa sit jam cognita in proprio territorio ; 3° si Episcopus sit injustè expulsus è suâ diœcesi : sed tunc peti debet licentia ab Ordinario, licet non obtineatur : Clement. *Quamvis* modò citatâ ; 4° si Ordinarius loci et partes in id consentiant. Benè tamen potest Episcopus extra suam diœcesim existens, sinè strepitu ju-

dicii, absolvere subditos à censuris, non verò judicialiter. (S. Liguor., lib. 7, n° 21.)

6° *Ut censuram ferens liberè agat, non coactè* (cap. *Cum voluntate, De sent. excommunic.*) ; veriùs tamen censura ex gravi metu lata valida est, etsi illicita, quia metus non tollit voluntarium. Sed absolutio censuræ, injustè per metum extorta, est invalida ex cap. *Absolutionis, De his quæ vi*, etc., in 6°.

Similiter, ferens censuram agere non debet ex odio aut vindictâ, aut solo amicitiæ titulo, aut in propriâ causâ, nisi necessarium fuerit ad legitimam defensionem contra injustum agressorem : alioquin, saltem illicita erit censura, et facilè contingere poterit ut sit etiam nulla, si nempe justa causa deesset.

§ III.

In quos ferri possint censuræ.

818. Ut quis censurâ ligari possit, quinque conditiones requiruntur :

1° Ut sit *homo* : interdici quidem possunt loca, sed solummodo ob personas.

2° Ut sit *baptizatus* : quia, alioquin, non est Ecclesiæ subditus.

3° Ut sit *rationis compos* : unde pueri et perpetuò amentes sunt incapaces censuræ. Illi verò qui ad tempus tantùm ratione carent, ut amentes ad tempus, ebrii, dormientes, hi ligantur censuris, si tempore quo erant rationis compotes, causam dederunt.

Quoad impuberes doli capaces vide supra (805).

4° Ut sit *subditus* (ex cap. *Ut animarum, De constit.* in 6°) : Unde S. Pontifex nequit censurâ ligari : excipe si sit hæreticus, quia Concilium Generale tunc potest eum cogere per censuras, ex cap. *Si Papa*, dist. 40; nec Episcopi ligantur censuris ab ipsis emanatis : si verò censuræ sint à jure, eas nec etiam incurrunt Episcopi aut Cardinales nisi de ipsis expressa mentio fiat, ex cap. *Quia periculosum, De sentent. excomm.*, in 6°. Hoc tamen duntaxat intelligi debet de suspensione et interdicto, de quibus fit

mentio in dicto capite, non autem de excommunicatione, cui subjacent Episcopi, etiamsi in lege de iis nulla mentio fiat.

Reges autem et Reginæ, quamvis subditi sint Episcopis in spiritualibus, jure tamen novo non possunt ligari censuris nisi à Papâ: et hoc ex privilegio, quod eis communiter ab AA. attribuitur.

Licet probabiliùs Episcopus nequeat ferre censuram in peregrinum ante monitionem, id tamen potest postquam peregrinus deliquerit in loco et Episcopus eum citaverit. Excipe si delinquens esset illius Episcopi Superior, ut ejus Archiepiscopus vel Patriarcha; secus, si Episcopus non esset illi suffraganeus, quia ratione delicti ille Archiepiscopus fit Episcopi subditus.

5° Ut sit *persona determinata* : sed hæc conditio non est necessaria, nisi quoad excommunicationem : nam suspendi aut interdici possunt civitates, collegia, etc.; sed non possunt excommunicari. Ita communiter.

819. Quærit. 1° An advenæ censuras incurrant?

Resp. 1° Advenas incurrere censuras jure communi statutas, modò vigeant in loco ubi reperiuntur; imò si peccent contra jus commune, possunt puniri per censuras tum ab Episcopo proprio, tum ab Episcopo loci delicti.

2° Quoad censuras jure particulari illatas : vel agitur de censuris in territorio ubi actu manent advenæ vigentibus, vel de censuris suæ propriæ diœcesis è quâ actu illi egressi sunt; in primo casu, advenæ, ex omnium consensu, ligari possunt censuris annexis legibus quarum violatione pax publica turbaretur in loco ubi actu manent, seu quæ respiciunt commune bonum hujusce territorii; quoad cæteras, certò advenæ non ligantur censuris latis per modum præcepti particularis : si verò censuræ ferantur per modum statuti generalis, controvertitur an advenæ illas incurrant : sed probabiliùs reputat S. Liguor. quòd non incurrant (lib. 7, n^is^ 17 et 27).

In secundo casu, iterùm distinguitur : vel agitur de censuris latis per modum statuti, vel de censuris latis per modum præcepti : si de primis, subditi absentes illas non

incurrunt, ex cap. 2, *De Const.*, in 6°. Excipe nisi agatur de re quæ in propriâ diœcesi fieri censeatur, licet auctor sit absens : v. g., si excommunicentur omnes qui ad synodum non venerint : sed probabiliùs requiritur tunc ut crimen in propriâ diœcesi consummetur. Unde qui virginem extraheret è propriâ diœcesi, et stuprum extra diœcesim consummaret, non incurreret censuras in propriâ diœcesi contra stuprum specialiter latas.

Si de censuris per modum *præcepti* agatur, disputatur an illas subditus incurrat, actu manens extra diœcesim : vide rationes pro et contra apud S. Liguor. (*ib.*, n° 23) qui sententiam affirmantem habet ut probabiliorem.

820. Quærit. 2° An ligati unâ censurâ possint adhuc aliâ censurâ ligari ?

Resp. Affirmativè : imò eâdem censurâ ligari possunt sub novo titulo, vel ejusdem vel alterius generis (cap. *Cùm pro causâ, de sent. excomm.*; et Clement. *Gravis*, ejusd. tituli).

§ IV.

Ob quam causam ferri possint censuræ.

821. Ferri possunt ob solum *peccatum externum, consummatum, censuræ proportionatum, conjunctum cum contumaciâ et proprium.*

Dicitur 1° *ob solum peccatum*, quia censuræ sunt pœnæ : unde quidquid excusat à peccato excusat à censurâ : v. g. inadvertantia, ignorantia invincibilis, defectus libertatis, etc.; imò ut quis possit censuram incurrere, scire debet illud esse sub censurâ prohibitum, quia aliàs deesset contumacia. Excusat ignorantia invincibilis, non solùm antecedens sed etiam concomitans : qui, v. g., occidit clericum ignorans esse clericum, non incurrit excommunicationem, quamvis, re cognitâ, occidisset; secus si diceret : *volo occidere, etiamsi sit clericus.*

Non videtur quòd ignorantia vincibilis, quæ à gravi peccato non excusat, possit practicè excusare à censurâ (cap. *Ut animarum, De constit.*, in 6°), nisi hæc fuerit lata solùm *in præsumentes, vel scienter, aut temerè crimen patrantes* :

imò in hoc ultimo casu, juxta communiorem et multò probabiliorem sententiam, à censurâ non excusat ignorantia affectata (cap. *Eos qui*, *De tempor. ordin.*, in 6°).

Metus autem gravis, vel gravis necessitas certè excusat à censurâ, si res sit vetita aut præcepta solo jure ecclesiastico, nisi res præcepta fuisset ob bonum magni momenti, v. g. si parocho præscriberetur residentia tempore pestis; imò DD. communiter, contra Collet, idem dicunt si res sit vetita etiam jure naturali aut divino, non obstante cap. *Sacris*, *De his quæ vi*, etc., ubi dicitur *metum qui non excusat à mortali*, *nec etiam excusare à censurâ* : quia hic textus intelligi debet, vel de metu levi, vel de casu ubi agitur in contemptum, siquidem censuram incurrit qui ob metum cogitur agere in contemptum ecclesiastici præcepti, vel qui ob metum perpetrat gravissimum malum, v. g. si Episcopum occideret, vel sinè jurisdictione absolutionem sacramentalem impertiret, quia in his casibus metus non excusat à culpâ etiam contra præceptum ecclesiasticum. Qui tamen ob metum gravem ministraret in sacris, nec censuram nec irregularitatem incurreret. S. Liguor. (lib. 7, n° 46).

Dicitur 2° *censuræ proportionatum* : Circa quod quæri potest an censuræ ferri possint propter peccatum veniale, et respondetur affirmativè si censura sit levis : si nempe suspensio vel interdictum sit ad breve tempus, et aliquo tantùm usu rerum spiritualium privet; secus si sit ad omnem usum, vel ad longum tempus : unde suspensio ad longum tempus lata propter culpam levem est invalida; minor etiam excommunicatio incurri potest ob levem culpam; secus de majori excommunicatione : vide cap. *Nullus* 42, causa 11, q. 3; Concil. Trid., sess. 25, c. 3, *De ref.*

Observa tamen quòd materia in se levis, potest reddi gravis, ex adjunctâ circumstantiâ scandali, aut periculi, aut finis intenti, ac similium : sic incurritur excommunicatio ob percussionem clerici, quæ licet sit in se levis, erit gravis ob reverentiam statui clericali debitam; sic pariter Prælatus potest imponere censuram gravem iis qui non interveniunt processioni pro aliquâ re gravi ordinatæ;

item clericis qui contra præceptum comam nutriunt, et sic de aliis.

In dubio autem de gravitate materiæ possidet Superioris potestas; sed Prælati sedulò cavere debent ne subditos censuris gravent ob materias non tàm graves, quandò sibi non constat illas valde conducere ad bonum finem. Bened. XIV (*De Syn.*, lib. 10, cap. 1, n° 3), qui dicit censuras non ferri prudenter, etsi ob culpam lethalem, si non sit ex gravioribus.

Quæri potest an eo ipso quòd præceptum fiat sub censurâ, obliget sub gravi? Quæstio instituitur tantùm pro casu quo res præcepta non est de se, nec certè gravis nec certè levis, sed talis est ut multùm conducere valeat ad finem intentum, qui gravis est. — Respondetur affirmativè, si censura gravis sit latæ sententiæ; si verò censura sit ferendæ sententiæ, et materia præcepti de se non sit gravis, tunc, si ad incurrendam censuram requiratur monitio, ut dicetur infra, præceptum non obligat sub gravi, nisi post monitionem; sed obligaret etiam sub gravi, si ad incurrendam censuram monitio non esset requisita, prout accidit quando adest clausula : *quòd sinè ullâ monitione talis censura possit à Prælato applicari.*

Dicitur 3° *peccatum externum* : quia Ecclesia non judicat de internis (cap. 20, *Consuluisti*, causa 2, q. 5; cap. *Tua nos* 34, *De simoniâ*); imò peccatum debet esse mortale quoad substantiam operis externi : hinc percutiens leviter clericum excommunicationem non incurrit, etsi intentionem mortalem habuisset; item si quis percuteret mensam, aut diceret : *Ita est*, intendens hæresim internam confirmare, non incurreret censuram, quia talis actus aut verbum non est de se aptum ad hæresim significandam, etc. Excipe tamen casus in quibus actus interior præceptus aut vetitus, necessariò cum exteriore conjungitur : prout si censura fulminetur contra scienter transgredientes, vel si agatur de simoniâ quæ impellit ad largitionem pecuniæ ad comparanda spiritualia.

Dicitur 4° *consummatum* : unde censuram non incurrunt mandans, consulens, ferens suffragium, si mandatum, consilium aut suffragium efficaciter non influat in crimen;

nisi censura principaliter contra mandantes, consulentes, etc., lata fuisset, et tunc censura incurritur etiam effectu non secuto. Disputatur autem an incurrant censuram mandans, consulens, etc., in dubio an mandatum vel consilium influxerit. — Probabiles sunt sententiæ tàm affirmans quàm negans.

Dicitur 5° *conjunctum cum contumaciâ* : quia, censura est pœna *medicinalis* : ut autem incurratur censura pro foro interno, requiritur contumacia vera ; pro externo verò sufficit præsumpta.

An autem incurratur censura si mandans aut consulens suum mandatum aut consilium revocet ante executionem? Vide in *Manuale*, n° 6404.

Dicitur 6° *proprium* : Intellige nisi agatur de interdicto aut suspensione.

An Episcopus possit ferre censuram pro crimine futuro, vide in *Manuali*, n° 6405.

Nota quòd censura non possit infligi ab homine ob peccatum merè præteritum, seu qui non aliquo saltem modo pendeat in futurum, ratione scandali, restitutionis faciendæ, perseverantiæ in peccatum post monitionem : et ratio est quia abest tunc contumacia.

Ob peccatum quidem merè præteritum vel etiam sinè peccato, sed cum justâ causâ, posset quis ad tempus arceri ab altari, à communione, ab aliorum consortio, ut subinde fit in Religionibus ; sed hujusmodi remotiones, quæ etiam in jure vocantur excommunicationes, suspensiones, non sunt censuræ quarum violatio inducat irregularitatem, sed meræ pœnæ, aut necessariæ cautiones pro vitando scandalo.

§ V.

De formalitatibus servandis in ferendis censuris.

822. Variæ sunt illæ formalitates, prout varias respiciunt censuras tam *à jure* quàm *ab homine*, *latæ* vel *ferendæ sententiæ* ; insuper aliæ sunt essentiales sinè quarum observatione invalidæ sunt censuræ, aliæ merè accidentales sinè quarum observatione censuræ sunt illicitæ.

Formalitates ad ferendas censuras requisitæ per legem, statutum aut præceptum, non aliæ sunt quàm eæ quæ requiruntur ad ferendam legem aut statutum, aut præceptum; et quidem si censuræ hujusmodi *sint latæ sententiæ* incurruntur in foro conscientiæ, absque ullâ aliâ formalitate : sed in foro externo requiritur sententia declaratoria : unde requiritur judicium in hoc casu, prout requiritur quando censura fertur per modum sententiæ, et proinde formalitates in judicio observandæ, etiam tunc requiruntur, licet non requiratur monitio à lege distincta.

Ferè omnes formalitates requisitæ in ferendis censuris spectant vel monitionem rei, vel sententiam judicis.

823. I. In censuris requiritur monitio rei, quia censuræ sunt pœnæ medicinales quæ nonnisi in contumaces ferri debent : unde quando non imponuntur in modum medicinæ, sed solùm in modum meræ pœnæ ad punitionem peccati præteriti, quod contingere potest in suspensione aut in interdicto particulari (non verò generali), tunc non requiritur monitio rei.

Monitio autem est declaratio facta à judice delinquenti quòd sit censuram incursurus, si non resipiscat aut non pareat. Differt à citatione in eo quòd monitio fiat ut subditus caveat à re vetitâ, aut, si mandatum transgressus sit, ab inobedientiâ recedat : dum citatio fit ut reus coram judice se sistat, ut respondeat, se defendat, aut sententiam audiat.

Quærit. An monitio sit requisita sub pœnâ nullitatis censuræ?

Resp. 1° Certè monitionem in censuris esse requisitam de necessitate præcepti etiam gravis. Ita enim se habet Alexand. III, in cap. *Reprehensibilis* 26, *De appell.* : « Statuimus ut nec Prælati, *nisi canonicâ monitione præmissâ*, « suspensionis vel excommunicationis sententiam ferant « in subditos, nisi fortè talis sit culpa quæ ipso suo genere « suspensionis aut excommunicationis pœnam inducat. » An autem sit requisita sub pœnâ nullitatis, duplex est sententia probabilis; sed affirmans habetur ut communior et probabilior, et probatur ex cap. *Statuimus* 3, *De sent. excomm.*, in 6°, ubi dicitur quòd sinè *præmissâ monitione*,

excommunicatio lata non teneat; idem dicitur in cap. *Const.* 9, ejusd. tituli, in 6°.

Monitio tamen distincta à lege vel mandato non requiritur quando censura est *latæ sententiæ*, ut constat ex eod. cap. *Reprehensibilis*, ubi dicitur : « Nisi talis sit culpa quæ ipso « suo genere suspensionis, etc., pœnam inducat ».

Sed si censura sit tantùm comminata à lege requirituine tunc monitio distincta?

Resp. Si censura feratur per modum *meræ pœnæ vindicativæ*, post commissum delictum, necessaria non est tunc monitio, quia hujusmodi pœnæ non sunt medicinales; si verò censura ferenda sit tanquam *pœna medicinalis*, tunc si sit comminata ab homine, certum est non requiri aliam monitionem, quia per illud præceptum jam habetur monitio. Si verò sit comminata à jure, quæstio controvertitur, ut videre est ap. S. Liguor. (lib. 7, n° 55), qui ut probabiliorem habet sententiam negantem, quia etiam in hoc casu habetur monitio per legem, et proinde adest contumacia. Tunc tamen requiritur rei citatio ad censuram infligendam, cùm benè fieri possit quòd reus probabilem sui facti excusationem afferat : excipe nisi crimen sit adeò notorium ut evidenter constet nullam reo competere defensionem : sed hujusmodi censuræ nunquam incurruntur sinè sententiâ condemnatoriâ, quæ si esset nulla defectu alicujus formalitatis essentialiter requisitæ, nulla pariter esset censura, quantumvis delictum foret certum.

Monitio autem canonica propriè est trina, ut colligi potest ex cap. *Constitutionem* 9, *De sent. excomm.*, in 6°; sed ex eodem cap., una fieri potest pro tribus (adhuc sinè causâ)[1] dummodò æquivalens tempus assignetur, nempe sex dies : nam verba canonis *aliquorum dierum competentia intervalla*, supponunt saltem duos dies pro unoquoque intervallo; et insuper dummodò terminus sex dierum assignetur ut peremptorius et ultimus, aliàs reus contumax

[1] « Statuimus quoque, ut inter monitiones, quas ut canonicè pro-« mulgetur excommunicationis sententia, statuunt jura præmitti, judi-« ces, sivè monitionibus tribus utantur, *sivè unâ pro omnibus*, obser-« vent aliquorum dierum competentia intervalla : nisi facti necessitas « aliter ea suaserit moderanda. » Ita dictum cap. *Constitutionem.*

non constitueretur ; sufficit tamen si dicatur : *mandamus ut infra sex dies restituat, aliàs excommunicatur ipso facto.* Ex justâ autem causâ tria spatia ad unum diem vel brevius tempus redigi possunt ; et si sit periculum in morâ, ut si clericus ad mortem ducatur, vel si agatur de reprimendâ violentiâ, etc., sufficit tunc una monitio, modò terminus designetur.

Monitio canonica fieri debet ab ipso judice aut ipsius nomine, et si censura imponitur in commodum partis, ad illius instantiam monitio fieri debet ; hæc autem monitio differt à paternâ aut fraternâ : « La monition paternelle... « est secrète, et ne peut jamais être invoquée juridique- « ment ou officiellement contre quelqu'un. Elle est faite « par l'Évêque, non pas en tant que juge, mais en tant « que père, comme l'indique son nom de paternelle. Elle « se fait sans témoin, de vive voix, ou par lettre privée, « et ne doit jamais être enregistrée à la chancellerie ; on « ne peut la mettre en avant pour refuser à quelqu'un un « bénéfice ou l'exclure d'un concours. La monition pater- « nelle ne saurait jamais tenir lieu de la monition cano- « nique, et les censures portées à la suite même de plu- « sieurs monitions paternelles seraient injustes. » (Stremler, *Des Peines ecclés.*, p. 209.)

Monitio fieri debet in scriptis, nisi judex procedat ex officio, quia tunc oretenus fieri potest : ita tamen ut possit probari in foro ; excipi debet adhuc casus necessitatis urgentis : cap. *Sacro*, *De sent. excomm.* — Monitio indicare debet 1° personam Superioris ; 2° censuram ab eo infligendam ; 3° personam cui est infligenda. Si unum ex his desit, non adest contumacia.

Si censura contra plures generatim sit ferenda, sufficit ut monitio fiat in ecclesiâ coram populo : si interdicatur communitas, sufficit ut moneantur ii ob quorum culpam interdictum comminatur ; sed si censura in individuum feratur, iste specialiter est monendus, tribus tamen exceptis casibus : 1° si reus se abscondit, aut fraude impedit monitionem, tunc sufficit ut monitio fiat in ejus domo, vel si domum non habeat, in ecclesiâ, vel loco publico ; 2° idem est dicendum si reus est simul personaliter citatus,

tunc reliquæ monitiones fieri possunt etiam coram tribunali; 3° item quando probari potest monitionem domi factam ad notitiam rei pervenisse.

Certum est autem quòd trina monitio non sit necessaria ad validitatem censuræ, sed solùm ad ejus liceitatem : cap. *Romana*, *De sent. excomm.*, in 6°, et cap. *Sacro, De sent. excomm.*[1]. Vide quasdem exceptiones in *Manuali*, n° 6416.

824. — II. *Quoad censuræ sententiam*, ad ipsius validitatem requiritur ut scripto, verbis, aut alio signo externo proferatur, quibus sufficienter determinetur persona, crimen et censura; et idem dicendum de censuræ absolutione.

Ut verò dicta sententia sit licita, observandæ sunt solemnitates assignatæ ab Innocent. IV in cap. *Cùm medicinalis*, *De sentent. excomm.*, in 6°, in quâ additur : « Si quis au- « tem judicum hujusmodi Constitutionis temerarius exti- « terit violator, per mensem unum ab ingressu ecclesiæ et « divinis officiis noverit se suspensum ». Insuper reus est protinus à censurâ absolvendus. — Ablata est susp. C. *Ap. Sed.*

Omittens dictas solemnitates ex causâ urgenti, pœnas non incurrit, cùm dicatur : *si quis temerarius*; nec si quis omittat ex ignorantiâ, licet fuerit crassa : nec Episcopus, quia ex cap. *Quia periculosum*, *De sent. excomm.*, in 6°, quando agitur de pœnis suspensionis et interdicti, specialis mentio fieri debet de Episcopis ut illas incurrant. Incurruntur verò pœnæ suprà recensitæ, etiamsi censura non habeat effectum, eò quòd, v. g., reus appellet aut judex impeditam habeat jurisdictionem.

Causa censuræ exprimi debet, non in genere sed in specie; insuper scriptura debet esse authentica, sigillo obsignata, et subscripta à judice aut ab alio, ipsius nomine, aut saltem debet per idoneos testes probari. Si judex sit Episcopus, sententiam per alium potest proferre; si Episcopo sit inferior, potest per seipsum aut saltem per notarium aut alium ministrum.

[1] Sic habet cap. *Sacro* : « Ne quis in aliquem excommunicationis « sententiam, nisi competenti admonitione præmissâ, et personis præ- « sentibus idoneis..., promulgare præsumat; quod si contra præsump- « serit, etiamsi justa fuerit excommunicationis sententia, ingressum « ecclesiæ per mensem unum sibi noverit interdictum. »

Sententia censuram infligens ferri debet diebus non feriatis (cap. finale, *De Feriis*) : alioquin non invalida quidem, sed illicita erit. Excipitur casus quo contumacia tàm esset evidens ut cognitione causæ non egeret; secus est de monitione quæ fieri solet etiam diebus feriatis, si causæ cognitio præcedat, non verò si hæc cognitio non præcedat.

Qui censuram incurrit denuntiari debet si sit spes quòd sic citiùs resipiscat (cap. *Pastoralis*, § fin., *De Appell.*; et Clement. fin., *De Censur.*) : ab hoc tamen judex se debet abstinere si resciat censuratum esse absolutum in foro interno.

Denuntiationem præcedere debet sententia declaratoria, quantumvis notorium censeatur delictum : effectus autem denuntiationis est quòd censuratus sit vitandus in iis quæ ipsi per censuram prohibentur.

Hæc autem denuntiatio fieri debet ab ipsomet judice, sive censura fuerit lata per modum statuti, sive per modum sententiæ; si verò censura fuerit lata à jure communi, denuntiatio fieri debet ab Ordinario loci, ubi censura incursa fuerit (Clement. 1, *De Privil.*), vel ab Ordinario domicilii : sed tunc præcedere debet citatio rei (Clem. *Sæpe*, *De verbor. signific.*). Hæc denuntiatio fieri debet per proclamationem publicam in ecclesiâ, vel per scriptum ad valvas ejusdem affixum, juxta morem receptum cujusque diœcesis. Si reus satisfactionem offerat, statim est absolvendus.

Parochus, cui censuræ denuntiatio mandatur regulariter tenetur obtemperare, juxta cap. *Pastoralis* 28, *De offic. jud. deleg.*, de quo vide *Manuale*, nº 6422.

Advertendum autem quòd appellatio ante sententiam censuræ eam suspendat; secus si fiat post sententiam.

§ VI.

De causis excusantibus à censurarum observatione.

825.—I. Causa est *ignorantia* vel inadvertentia excusans à gravi peccato, vel etiam ignoratio solius censuræ (cap. *Apostolicæ* 9, *De clerico excomm.*).

In dubio autem circa existentiam censuræ, certè non

incurritur, si reverà non existat; si verò censura existat, quamvis sit dubia, incurritur si moraliter non adhibeantur media sufficientia ad veritatem detegendam. Excipe nisi censura ferretur tantùm contra *temerarios*, vel *præsumentes*, etc. Si autem hæc media adhibeantur et dubium supersit, juxta communem ac veriorem sententiam, tunc censura non incurritur, licet expediat tunc ad *majorem cautelam* se abstinere et petere absolutionem.

826. — II. Causa est *metus gravis* mali, aut urgens et gravis necessitas : v. g., necessitas vitandi grave scandalum casu quo occulta est censura; vel celebrandi ad administrandum infirmo proximè periclitanti. Leges enim Ecclesiæ non obligant cum magno incommodo.

827. — III. Causa est *nullitas censuræ* : censura enim non existens non obligat, saltem ex se : Clem. 2, *De sentent. et re judic.*

Nullæ autem esse possunt censuræ : 1° defectu jurisdictionis ex parte ferentis : quod contingere potest, aut ex eo quòd jurisdictio Superioris sit à jure limitata, aut quia per censuras est impedita, aut appellatio fuit interposita antequam censura fuerit lata, aut denique quia censura in non subditum prolata fuit; 2° nullæ pariter sunt censuræ, etiam in foro conscientiæ, ob omissionem formalitatum essentialiter in processu requisitarum, velut si omitteretur citatio in casu non omninò notorio, vel si reo denegaretur facultas se sufficienter in judicio tuendi; 3° nullæ essent censuræ ob absentiam causæ sufficientis, si nempe nulla esset culpa vel si juridicè de illâ non constaret, quando per sententiam censura infligitur. Casu verò quo censura est *latæ sententiæ*, incurritur quidem in foro conscientiæ si commissum fuit crimen, licet de eo juridicè non constet, sed denuntiari nequit, nisi hoc crimen juridicè sit probatum.

In 1° et 2° ex his casibus nullitatis censura nullum producit effectum, nec est observanda tàm in foro externo quàm interno, modò causa nullitatis sit publica; in tertio verò, censura non ligat quidem in foro interno, sed est observanda in externo, quando prolata fuit à judice competente, et juris ordo servatus fuit. Vide cap. *Sententia* 1,

causa 11, q. 3, ubi S. Gregorius dicit : « Sententia Pasto-« ris, sive justa fuerit, sive injusta, timenda est ».

In dubio an censura sit incursa necne, non est obligatio illam servandi in foro conscientiæ, sive dubium sit facti, sive sit juris, quia possidet libertas, et in dubio odia sunt restringenda. Si verò dubitaretur tantùm de obtentâ absolutione, aut appellatione interpositâ, reus deberet se habere ut censuratum quia possessio stat pro superiore; et idem dicendum si dubium sit de potestate superioris, quando hic pacificè eam possidet. In dubio an censura sit justa necne, quidquid dicant nonnulli ap. S. Liguor. veriùs est dicendum quòd justa sit habenda, quia in dubio possidet potestas superioris (lib. 7, nº 68). Vide cap. *Illud*, *De clerico excomm.* Item, licet reus habeat opinionem probabilem pro se, tenetur parere judici aliquid præcipienti sub censurâ, v. g., solutionem pecuniæ : ita communiter, quia aliàs nunquam finirentur lites. Qui tamen esset certus de suâ innocentiâ, nec solvere teneretur, nec se gerere ut censuratum in privato; si autem talis in publico censuram violaret, v. g., sacris ministrando, etsi irregularitatem non incurreret, cùm reverâ coram Deo non sit censurâ ligatus, peccaret tamen ob scandalum et à judice etiam puniri posset nisi publicè constaret censuram esse nullam.

828. — IV. Causa est appellatio legitimè interjecta antequam incursa fuerit censura, quia post talem appellationem jurisdictio judicis est suspensa, nec proinde potest ferre sententiam quâ quis censuris ligetur; sed si censura est incursa, quia nempe fuit *latæ sententiæ*, tunc appellatio non excusat ab obligatione hanc censuram servandi, licet fuerit injusta si non sit invalida, quod contingit quando, v. g., non fuerunt observatæ formalitates à lege præscriptæ, modò tamen eæ formalitates non sint præscriptæ sub pœnâ nullitatis (cap. *Is cui* 20, *De sent. excomm.* n 6°; cap. *Ad reprimendum* 8, *De offic. jud. ordin.*).

§ VII.

De pœnis quæ per violationem censurarum incurruntur.

829. *Prima pœna* cui subduntur violatores censurarum,

si per exercitium ordinum illas violare præsumpserint, est irregularitas.

Secunda pœna, quam iidem incurrunt, est quòd si moniti non desistant sic censuras violare, plecti possint pœnâ depositionis officii et beneficii (cap. *Clerici* 3, et cap. *Latores* 4, *De clerico excomm.*).

Si autem censura violata sit major excommunicatio, et per missæ celebrationem violetur, talis delicti reus suis beneficiis ipso jure privatur, quamvis non teneatur illa dimittere ante sententiam declaratoriam (cap. *Fraternitatis* 6, *De clerico excomm.*).

Sunt etiam aliæ pœnæ latæ contra violatores censurarum: de iis loquemur in decursu, prout se dabit opportunitas.

§ VIII.

De cessatione censurarum et illarum absolutione.

830. — I. Cessare hîc dicuntur censuræ, in quantùm desinunt obligare aliter quàm per eorum absolutionem; et hoc intelligitur duntaxat de censuris nondum incursis.

Etenim censuræ nondum incursæ vel feruntur per legem generalem, vel per præceptum particulare : *si per legem*, conditionem legum sequuntur : cessare ergo possunt, vel per expressam legislatoris revocationem, vel per contrariam consuetudinem legitimè introductam seu desuetudinem; *si per præceptum*, non solùm cessare possunt per præcepti revocationem à legitimo Superiore factam, sed etiam per ipsius mortem, aut ipsius amotionem quâ jurisdictione privatur: quod tamen intelligi non debet de casu quo judex aliquid præcipit sub censurâ, præviâ monitione canonicâ : hujusmodi præceptum obligat etiam post ipsius judicis mortem aut remotionem, et censura incurri potest. Qui autem semel est censuris innodatus, ab iis, si sint veræ censuræ, solvi nequit nisi per absolutionem : de quâ est nunc agendum.

831. — II. Absolutio censurarum *est ipsarum relaxatio vi clavium facta, per superiorem competentem.* Diximus ergo quòd censuræ strictè dictæ, semel incursæ per solam

superioris competentis absolutionem tolli possint, quod sic probatur.

Si alio modo censuris innodatus ab iis eximi posset, certè vel per suî mortem aut emendationem, vel per mortem ferentis, vel denique per cessationem legis aut præcepti. Atqui 1° censuræ non tolluntur per mortem rei, ut constat ex cap. *A nobis* 28, et cap. *Sacris* 38, *De sentent. excomm.*, ubi mortuus sinè absolutione censurarum privatur sepulturâ ecclesiasticâ; — 2° non cessant per emendationem et cessationem contumaciæ aut satisfactionem, ut expressè ait Clemens III, cap. *Cùm desideres* 15, *De sent. excomm.*, et Greg. IX, cap. *Quamvis* 58, ejusdem tituli : unde damnata fuit ab Alexandro VII, propositio sequens : « *Quoad forum conscientiæ, reo correcto ejusque contumaciâ cessante, cessant censuræ* » : censuratus tamen potest in gratiam reintegrari per contritionem perfectam, ante absolutionem censurarum; 3° non cessant per mortem ferentis, ut patet ex cap. *Pastoralis*, *De officio judicis ordin.* 11, § *Præterea*; 4° nec tandem per cessationem legis aut præcepti : quia hujusmodi cessatio impedit quidem quominùs postea subditus teneatur sub censuris legem aut præceptum observare; sed non solvit eum qui, ante dictam cessationem, censuris jam fuerat ligatus. Ergo solâ absolutione tolli possunt censuræ jam incursæ.

Dictum fuit *censuræ strictè dictæ* : quia censuræ vindicativæ, ad certum tempus latæ, desinunt sinè absolutione, elapso termino ipsis assignato.

Si verò excommunicatio ad certum tempus incuteretur non cessaret sinè absolutione, juxta Stremler (*Des Peines ecclés.*, p. 227) qui citat Suarez, *De cens.*, disp. 7, sect. 1, n° 11, et Barbosam. Contra tamen videtur sentire S. Liguor. (lib. 7, n° 123).

832. Quærit. 1° A quonam censuræ debeant absolvi?

Resp. Generatim, ad tollendas censuras, eædem ex parte absolvendis requiruntur conditiones ac eæ quæ exiguntur ad illas ferendas : unde absolvi debent vel ab eo qui eas tulit vel ab ipsius Superiore, aut Successore, aut delegato. Attamen in specie : 1° Si censuræ non sint reservatæ et sint à jure latæ, certè absolvi possunt sive ab Episcopo,

sive à proprio sacerdote aut confessario. Illud constat ex cap. *Nuper, De sent. excomm.*, ubi Innocent. III dicit : « A suo Episcopo, vel à proprio sacerdote poterit absolutionis beneficium obtinere. Quamvis enim et tunc « non judicis, sed juris sententiâ... sit ligatus, quia tamen « Conditor canonis ejus absolutionem sibi specialiter non « retinuit, eo ipso concessisse videtur facultatem aliis « relaxandi. »

Quòd absolutio possit dari à simplici confessario quando non est reservata, S. Liguorius extendit ad suspensionem et interdictum personale non reservatum, etsi absolutio ipsarum non sit necessaria ad receptionem sacramentorum, eò quòd concessio favorabilis meritò amplietur.

An autem simplex sacerdos non approbatus pro confessione possit absolvere à censuris non reservatis, quæ sunt à jure, quidquid dicant Salmantic. et alii nonnulli, omninò negandum est, cùm ex dicto capitulo *Nuper*, absolutio est danda duntaxat *à proprio* sacerdote, qualis nequit intelligi simplex sacerdos.

2° Si censuræ sint ab homine et ferantur per modum *sententiæ particularis* contra determinatas personas, absolvi nequeunt nisi ab ipsomet ferente, vel ab ejus Superiore, aut Successore aut delegato : proinde non à Metropolitano nisi in casu appellationis, propter quem requiritur ut censura fuerit injusta, vel injustè absolutio sit denegata ab Ordinario. Vide cap. *Ad reprimendum* 8, *De offic. jud. ordin.* Est certum et commune.

Si verò censuræ ab homine ferantur per sententiam generalem et non sint reservatæ, absolvi possunt à quocumque : quia hujusmodi censuræ æquiparantur censuris latis à jure, et aliunde favores sunt ampliandi : hoc tamen controvertitur, sed ut probabiliùs habetur à S. Liguor., lib. 7, n° 73.

3° Quando censuræ latæ à jure sunt reservatæ, regulariter absolvi nequeunt nisi à S. Pontifice aut ejus delegato. De iis dicitur in Conc. Trident. (sess. 24, c. 6) : « Liceat « Episcopis in irregularitatibus omnibus et suspensionibus, « ex delicto occulto provenientibus, exceptâ eâ quæ oritur

« ex homicidio voluntario, et exceptis aliis deductis ad « forum contentiosum, dispensare; et in quibuscumque « casibus occultis, etiam Sedi Apostolicæ reservatis, « delinquentes.... sibi subditos in diœcesi suâ per seipsos, « aut Vicarium ad id specialiter deputandum, in foro « conscientiæ gratis absolvere, impositâ pœnitentiâ « salutari. Idem et in hæresis crimine, in eodem foro « conscientiæ, eis tantùm, non eorum Vicariis, sit per- « missum. »

Disputatur autem an prædicta facultas à Trident. concessa, fuerit revocata per Bullam *Cœnæ* quoad casus in eâ reservatos, inter quos maximè est hæresis : sententia affirmans habenda est ut verior et est tenenda, juxta Bened. XIV (*De Syn.*, lib. 9, cap. 4 et 5). Constat ex verbis Bullæ *Cœnæ*, ubi dicitur : « Nullus per alium quàm « per Romanum Pontificem, nisi in mortis articulo, ab- « solvi possit, prætextu quarumvis facultatum et indul- « torum, quibuscumque personis, etiam Episcopali vel « majori Dignitate præditis..., per Nos et dictam Sedem, « ac cujusvis *Concilii* (quod nota) decreta concessorum, « vel concedendorum. » Ergo per dictam Bullam derogatum fuit Concilio Tridentino. Unde damnata fuit proposit. 3, ab Alexandro VII, 24 sept. 1665, sic habens : « Sen- « tentia asserens Bullam *Cœnæ* solùm prohibere absolu- « tionem hæresis et aliorum criminum, quando publica « sunt, et id non derogare facultati Tridentini in quâ de « occultis criminibus sermo est, anno 629, 18 Julii, « in Consistorio Sacræ Congreg. Eminent. Cardinalium « visa et tolerata est. » Sed nunc, post C. *Apost. Sedis*, Concilii Trid. dispositio revocata fuit solùm quoad excommunicationes speciali modo à dictâ Constit. reservatas.

Dubitatur utrum crimen in uno loco publicum possit absolvi ab Episcopo alterius loci ubi est occultum : probabiliter affirmatur, dummodo locus ubi crimen est notum ita distet, ut non sit timor quòd publicetur ubi est occultum.

Nomine autem Episcoporum, quibus privilegium concessum est à Tridentino, veniunt etiam Abbates et alii jurisdictionem Episcopalem habentes; item Capitulum, sede vacante.

« Benè autem advertit Palaus... Episcopum non posse « dispensare in irregularitatibus, vel absolvere à suspen- « sionibus *(Papæ)* reservatis, cum alienigenis etiamsi ipsi « habeant quasi-domicilium in suâ diœcesi, ex Declar. « Gregor. XIII, relatâ lib. 6, 593. » Ita S. Liguor., lib. 7, n° 93, *in fine*.

Nequit Episcopus delegare facultatem absolvendi à casibus papalibus occultis, extra sacramentum Pœnitentiæ, ut declaravit Gregorius XIII.

833. Quærit. 2° An Episcopi possint absolvere à censuris Bullæ *Cœnæ* impeditos Romam adire?

Resp. Tres esse sententias : *prima* absolutè negat, quia in Bullâ *Cœnæ* excipitur tantùm articulus mortis; *secunda* negat tantùm quoad hæresim, non verò quoad cæteros casus; *tertia*, quæ communis est, docet Episcopos posse per se vel per alios ab ipsis specialiter delegatos absolvere in utroque foro legitimè impeditos [1], ab omnibus casibus, et etiam ab hæresi, præstito tamen juramento quòd se sistent postea coram Superiori [2] : ratio est quia, existente impedimento adeundi Papam, restituitur Episcopis potestas ordinaria absolvendi, non vi Concilii Trident., sed vi juris communis, ut constat ex cap. *Ea noscitur* 13, *De sentent. excomm.*

Præfatum autem impedimentum intelligi non debet de brevi tempore, nisi urgeat necessitas celebrandi aut communicandi ad vitandum scandalum vel infamiam. Porrò quando impedimentum est ad longum tempus, ad annum aut ad sex menses (quidam dicunt etiam ad unam noctem; sed neque ad biduum admittit Viva quia tali spatio non adest morale periculum), reus, nisi sit impubes, absolvi non debet, nisi præstito juramento quòd, cessante impedimento, ad Sedem Apostolicam quantociùs se præsentabit; aliàs recidet in eamdem excommunicationem (cap. *De cætero*, *De sent. excomm.*; et cap. *Eos qui*, *De sent. excomm.*, in 6°).

[1] In dubio de sufficientiâ impedimenti, Episcopus debet consulere S. Sedem, ex cap. *Mulieres*, *De sentent. excomm.*

[2] Pro foro interno sufficit promissio, juxta plures à S. Liguor. citatos (lib. 7, 92).

Si autem impedimentum esset perpetuum (et ad hoc sufficit, juxtà Tamb. et Viva, quòd duret per decennium, et etiam per quinquennium), absoluti omninò manent liberi ab obligatione comparendi : ita communiter.

Si verò ageretur de casibus reservatis absque censurâ, nulla esset obligatio adeundi Superiorem casu quo absolutio datur in articulo mortis, quia cessat tunc omnis reservatio et peccata directè absolvuntur etiam à simplici sacerdote; si verò hujusmodi peccata absolverentur ab inferiore propter necessitatem et difficultatem superiorem adeundi, remaneret obligatio se sistendi coram superiore, vel ipsius delegato, quia peccata reservata non remittuntur directè ab inferiore, cùm in casu non cesset reservatio.

Ex cap. *Nuper* 29, *De sentent. excomm.*, impeditus Episcopum adire absolvi potest à proprio sacerdote seu à confessario, nonnisi tamen ex defectu Episcopi, qui priùs adiri debet si potest, ut colligitur ex cap. *Noscitur*, et cap *De cætero*, *De sent. excomm.* : satis tamen probabile est quòd in periculo mortis quilibet confessarius possit, etiam præsente Episcopo, absolvere à casibus papalibus, quia tunc omnis reservatio cessat. Nec obstat cap. 11 et 13, *De sentent. excomm.*, quia probabiliter intelligi non debent nisi de casu percussionis clericorum.

Cùm autem Episcopi habeant ex jure communi potestatem absolvendi impeditos à casibus papalibus, illam potestatem utpote ordinariam delegare possunt, etiam generaliter et quoad hæresim, non obstantibus verbis cap. *Liceat* Trident. supra relati (832), ubi dicitur *eis tantùm non eorum vicariis*, quia hæc verba intelligenda sunt tantùm de potestate à Concilio concessâ absolvendi occultos hæreticos, non impeditos Romam adire, quæ fuit sublata per bullam *Cœnæ* et C. *Apost. Sedis.*

834. Quærit. 3° Quomodo sit danda absolutio à censuris ?

Resp. Modum observandum pendere à naturâ tùm censuræ, tùm absolutionis.

In genere verba determinata non requiruntur, sed sufficiunt ea signa quibus apertè significetur absolutionem im-

pendi : sic Papa conferens beneficium excommunicato censetur illum eo ipso absolvere. S. Congr. Conc., 26 apr. 1749.

In foro externo servanda est forma cujusque diœcesis, in foro verò interno, hæc communiter adhibetur : *Ego te absolvo*, v. g. *à vinculo excommunicationis, suspensionis, etc., quam incurristi propter* (causa exprimitur), *et* (si sit excommunicatus) *restituo te sacramentis Ecclesiæ et communioni fidelium* (aut si sit suspensus) *executioni tuorum ordinum, vel officiorum : In nomine Patris,* etc.

In publicâ ac solemni absolutione, à Rituali Romano indicatur forma observanda quando à Superiori non determinatur propria et specialis. Formula autem Pontificalis vel dicti Ritualis omitti potest absque culpâ, saltem gravi, ex consensu omnium, juxta Stremler (*ib.*, p. 246). — Absolutio tamen externa seu in foro externo est necessaria quoties censuratus fuit denuntiatus, aut est publicus clerici percussor.

In dicto Rituali dicitur quòd si crimen, ob quod incursa fuit excommunicatio, sit *grave*, juramentum exigi debet à censurato quòd parebit mandatis Ecclesiæ ; et deinceps non delinquet contra canonem vel decretum ob cujus violationem censuram incurrit : id verò fuerat præscriptum à cap. *De cætero* et cap. *Ex tenore, De sentent. excommunic.;* porrò illud grave peccatum communiter DD. intelligunt *de scandalosè violantibus ecclesias, graviter percutientibus clericum, de incendiariis, usurariis publicis, notoriis percussoribus Episcoporum, Cardinalium,* etc.; non verò de peccatis non ita gravibus, et hoc currit tàm in foro interno, quàm externo.

Nota 1° quòd non sit danda absolutio à censuris, nisi priùs parti læsæ satisfactum fuerit : alioquin absolvens graviter peccat, et ad restituendum tenetur, quia ex officio satisfactionem debitam tenetur procurare. Tres casus tamen excipiuntur, de quibus vide *Manuale*, n° 6465.

Nota 2° quòd si quis esset innodatus pluribus censuris absolvi posset ab unâ et non ab aliis : unde si censuratus absolutionem ab unâ censurâ tantùm petat, malitiosè alias celans, ab unâ tantùm est absolutus, nisi superior

aliud exprimat (cap. *Cùm pro causâ* et cap. *Officii*, *De sent. excomm.*) ; si autem sinè dolo alias tacuisset, judicatur ab omnibus absolutus, nisi constet absolventem aliud intendisse.

Nota 3° Quòd confessarii qui habent privilegium speciale pro absolvendis censuris Sedi Apostolicæ reservatis, non ideò valeant absolvere à censuris Ordinario reservatis.

Nota 4° quòd ex Concil. Trident. (sess. 25, c. 3, *De ref.*, in fine) : « Excommunicatus si... obdurato animo, censuris annexus, in illis per annum insorduerit, etiam « contra eum, tanquam de hæresi suspectum, procedi « possit ».

Nota 5° verba Concil. Lugdun. II (cap. *Absolutionis*, *De his quæ vi*, etc., in 6°) : « Absolutionis beneficium ab excommunicationis sententiâ, vel quamcumque revocationem « ipsius, aut suspensionis seu etiam interdicti per vim « vel metum extorta..., viribus omnibus vacuamus. Ne « autem sinè vindictâ, violentiæ crescat audacia, eos qui « extorserint, excommunicationis sententiæ decernimus « subjacere. » Suppressa est censura C. *Apost. Sedis.*

835. Quærit. 4° An valeat absolutio quando datur ob falsam causam : v. g., si judex absolvat, quia reus se dicit emendatum, vel parti satisfecisse, quod verum tamen non sit ?

Resp. Negativè, si deficiat causa principalis; secus si minus principalis, vel si judex certò conscius sit falsitatis. Ita communiter.

836. Quærit. 5° An invalida sit absolutio censuræ data à delegato, nondum satisfactâ parte, si facultas absolvendi data fuisset cum clausulâ *satisfactâ parte.*

Resp. Duplicem esse sententiam : probabiliorem tamen esse eam quæ affirmat nullam esse absolutionem in tali casu, quia clausula præfata veram importare videtur conditionem.

837. Quærit. 6° An possit dari absolutio censurarum sub conditione de futuro contingenti ?

Resp. Affirmativè, quoad validitatem actûs, cùm actus jurisdictionis conditionatus esse possit; ordinariè tamen

non expedit sic absolvere : ideò illicita de se talis est absolutio, quamvis ex aliquâ causâ possit cohonestari. Si quis dicat : *Absolvo te, si intra mensem solvas,* factâ solutione intra dictum tempus, tollitur censura.

838. Quærit. 7° An absens possit à censurâ solvi ?

Resp. Affirmativè (cap. *De manifestâ* 17, c. 2, q. 1; cap. *Quanto* 8, c. 2, q. 5). Sed sinè causâ urgenti absens absolvi non debet. Et si obtineatur absolutio per procuratorem, debet iste habere mandatum speciale, et constare debet de emendatione.

Quærit. 8° An dari possit absolutio ad reincidentiam, et an tunc requiratur nova culpa ad reincidendum?

Resp. Ad 1^m affirmativè, casu nempe quo absolutio datur sub certo onere, quo non impleto intra certum tempus, censura reviviscit.

Resp. Ad 2^m juxta Suarezium, non requiri tunc novam culpam, quia manet eadem censura, quæ non fuit sublata nisi sub conditione. Est tamen alia sententia quæ probabilior dicitur à S. Liguor. et quæ docet requiri novam culpam : quia prima censura non potest dici suspensa, nisi auctoritate Pontificis, et ideò sinè novâ culpâ renasci non potest.

839. Quærit. 9° An habens potestatem absolvendi à censurâ in foro conscientiæ possit id facere etiam extra confessionem?

Resp. Id controverti. — Dicimus tamen id fieri posse quando non agitur de casibus papalibus : vide *Manuale*, n° 6478.

840. Quærit. 10° An valida sit absolutio censurarum reservatarum accepta bonâ fide à confessario qui talem non habet potestatem ?

Resp. Si error circa potestatem confessarii non sit communis, sed solùm privatus, invalida est talis absolutio, etsi non peccet accipiens ob suam bonam fidem : ratio est quia nulla est in confessario potestas ex hypothesi, et nullibi videtur quòd ecclesia suppleat talem defectum ob solum errorem privatum.

Si verò error sit communis et confessarius vulgò habeatur ut legitimè approbatus, valida est absolutio censurarum

bonâ fide accepta, quia in hoc casu Ecclesia supplet jurisdictionem.

841. Quærit. 1° An qui obtinuit potestatem absolvendi à casibus Episcopo reservatis, habeat eo ipso potestatem à censuris iis casibus annexis absolvendi?

Resp. Si agatur de excommunicatione, qui potestatem accipit absolvendi à casibus reservatis eo ipso obtinuit potestatem absolvendi ab excommunicatione iis casibus ipso facto annexâ : ratio est quia alioquin non posset à casibus ipsis reservatis absolvere, cùm unus ex effectibus excommunicationis sit impedire receptionem sacramentorum.

Si verò agatur de suspensione aut interdicto, qui accepit ab Episcopo potestatem absolvendi à casibus reservatis in diœcesi, non ideò accepit potestatem absolvendi à suspensionibus aut interdictis iis casibus fortè annexis, et quæ essent reservata, nisi contrarium ab Ordinario diceretur. Ratio est quia hæ duæ censuræ non impediunt receptionem sacramenti pœnitentiæ.—Secus est dicendum quando obtinetur à S. Sede potestas absolvendi à casibus ipsi reservatis, eò quòd casus non reserventur à S. Sede, nisi ob censuras eis annexas; unde potestas data à talibus casibus absolvendi est præcipuè facultas absolvendi à censuris ipsis annexis.

ART. II.

DE CENSURIS IN SPECIE.

§ I.

De Excommunicatione.

842. *Excommunicatio est censura per quam Christianus privatur communione Ecclesiæ, seu bonis ipsius communibus quatenus sunt vinculum unionis fidelium inter se.* Sicut enim bonis et commodis societatis sæcularis civis spoliari potest propter sua scelera, ita bonis spiritualibus, quæ Ecclesia membris suis communicare valet, christianus potest orbari, si iis se indignum reddat propter sua crimina.

Cæteræ censuræ privant quidem bonis quibusdam Ecclesiæ, sed non quatenus sunt vinculum unionis fidelium inter se, et in hoc essentialiter differunt ab excommunicatione.

Duplicis generis est excommunicatio : 1° *Minor*, quæ tantùm privat usu passivo seu receptione sacramentorum, et electione passivâ ad beneficia ecclesiastica; 2° *Major*, quæ privat omni communione ecclesiasticâ, seu omnibus bonis quorum distributio ad Ecclesiam pertinet.

Nomine excommunicationis, nihil addito, intelligitur semper major.

I. — De minori excommunicatione.

843. Quid primis Ecclesiæ sæculis fuerit hæc excommunicatio vide dictum in *Manuali*, n° 6486.

Per Const. *Apostolicæ sedis* suppressa est excommunicatio minor, quæ olim incurrebatur propter communicationem cum excommunicato vitando. Posset tamen Episcopus alicui interdicere, justâ causâ interveniente, receptionem sacramentorum, præsertim communionis.

Incurri potest ob peccatum veniale, quod tunc est declarandum in confessione, ut hâc censurâ ligatus ab eâ absolvatur.

Communiter tenent DD. graviter peccare excommunicatum minori excommunicatione, recipiendo aliquod sacramentum. Vide alia in *Manuali*, à n° 6487, etc.

II. — De excommunicatione majori.

844. Ferri nequit licitè contra communitatem, collegium, etc., nisi à Papâ.

Diversi sunt ipsius effectus, prout afficit *toleratos*, vel *non toleratos* seu *vitandos*.

Ante Concilium Constant. vitandi erant omnes excommunicati : sed à dicto Concilio vitandi sunt duntaxat *nominatim denuntiati*, ut constat ex Bullâ Martini V, *ad vitanda scandala*, ubi dicitur : « Ad vitanda scandala... indulge« mus quòd nemo deinceps à communione alicujus, in « sacramentorum administratione, vel recentione, vel,

« etc..., prætextu cujuscumque sententiæ, aut censuræ à « jure vel ab homine generaliter promulgatæ, teneatur « aliquem vitare..., nisi sententia vel censura hujusmodi « fuerit in vel contra personam, collegium, etc... à judice « publicata vel denuntiata, specialiter vel expressè : salvo « si quem, pro sacrilegâ manuum injectione in clericum, « sententiam latam à canone adeò notoriè constiterit in- « currisse, quòd factum non possit aliquâ tergiversatione « celari, neque aliquo suffragio excusari.... Per hoc « tamen, hujusmodi excommunicatos seu prohibitos non « intendimus in aliquo relevare, nec eis quomodolibet « suffragari. »

Ex ultimis verbis patet quod, etsi sit aliis permissum communicare cum excommunicato tolerato, attamen nulli excommunicato, quantumvis occulto, licet cum aliis communicare in iis quæ excommunicatis prohibentur.

Probabiliùs est quòd liceat, etiam sine necessitate, communicare in divinis cum excommunicato tolerato, modò in statu mortali non ministraret, quia iste non peccat ministrando, quando ab aliis est rogatus ; et idem est dicendum de suspenso aut interdicto aut irregulari. Id constat ex præfatâ Bullâ Martini V.

Ex præfatâ Bullâ, vitandi sunt *notorii clericorum percussores* ; sed, juxta S. Liguor., 66, 7, n° 114, probabile est quòd requiratur ad hoc ut notorii de jure habeantur, ut nempe crimen fuerint in judicio confessi, aut fuerint condemnati. Vide de hoc *Manuale*, n^is^ 6501-6507, in quo etiam solvuntur varii casus circa notorietatem.

845. Quærit. 1° Quinam sint effectus excommunicationis majoris ?

Resp. Duplicis generis esse : mediatos nempe et immediatos. Effectus mediati sunt duo : 1° irregularitas, quando excommunicatus exercet actum ordinis sacri ; 2° si toto anno in excommunicatione insordescat contra eum procedi potest, et suo beneficio potest privari (Trid. sess. 25, c. 4).

Effectus immediati sunt sequentes :

1. Privat, etiam toleratum susceptione sacramentorum : unde illa suscipiendo peccat, nisi excusetur ignoran-

tiâ invincibili, vel metu mortis, infamiæ, jacturæ bonorum, et non sit tunc censuræ contemptus.

An autem excommunicatus possit aliquando validè recipere sacramentum pœnitentiæ, vide discussum in *Manuali*, nº 6510.

Excommunicatus suspensus fit recipiendo sacramentum ordinis, imò est deponendus, si scienter hoc faciat (cap. *Cùm illorum* 32, *De sent. excomm.*). Ablata est cens. C. *Ap. Sed.*

II. Excommunicatio privat usu activo seu administratione sacramentorum, et quidem, si excommunicatus sit vitandus, non potest illa administrare nisi in casu necessitatis, aut ad vitandum grave incommodum; si verò sit toleratus, ipsi etiam sub gravi vetitum est illa administrare, si non sit requisitus; secus autem si requisitus sit: imò si occurreret dies festus nec adesset alius sacerdos, posset missam celebrare, etsi expressè non rogaretur, nisi hoc scandalum afferret. Ita S. Liguor., lib. 7, nº 169.

Non solùm illicitè, sed etiam invalidè ministraret sacramentum pœnitentiæ excommunicatus vitandus, quia extra casum mortis articuli jurisdictione caret.

Ordines recipiens ab Episcopo vitando, non jam excommunicationem minorem, sed incurrit suspensionem ab exercitio ordinis suscepti (cap. *Cùm illorum*, § *fin. De sent. excomm.*; V. etiam C. *Ap. Sed.*).

Qui excommunicatos vel interdictos vitandos, *ad divina officia, seu sacramenta, vel ecclesiasticam sepulturam admittere præsumit, præter alias pœnas à jure statutas*, ingressum ecclesiæ sibi noverit interdictum. Ita cap. *Episcoporum*, 8, *De Privil.*, in 6º. Ita etiam quoad exc. C. *Ap. Sed.*

III. Major excommunicatio privat, saltem non toleratos, suffragiis Ecclesiæ communibus, non tamen privatis.

Quoad toleratos quæstio est controversa.

An autem possit sacerdos tanquam minister Ecclesiæ, validè saltem, applicare excommunicatis vitandis missæ sacrificium, vide in *Manuali*, nº 3474, ubi dicimus quòd possit validè quamvis illicitè tanquam minister Christi, non verò tanquam minister Ecclesiæ, nec etiam licitè potest accipi stipendium ab excommunicatis vitandis.

IV. Privat usu divinorum officiorum, ita ut excommu-

nicatus nequeat, sub mortali, iis parte notabili interesse, nisi ignorantiâ, necessitate vitandi scandalum, aut aliâ justâ causâ excusetur. Et, si sit sacerdos, tenetur missam inchoatam etiam relinquere si nondum consecraverit, et id possit facere absque scandalo. Hoc tamen peccatum fieri potest veniale parvitate materiæ, ut si missa usque ad *Evangelium* tantùm audiatur.

Per divina officia intelligenda sunt missæ sacrificium; publica oratio; processio; cantus horarum; benedictio olei, aquæ, candelarum; et cætera annexa ordini clericali quæ solemniter fiunt; non verò intelligitur concionis auditio (arg. ex cap. *Responsio, De sentent. excomm.*); sed excommunicatus, nisi sit toleratus et ab aliis rogetur aut ad hoc teneatur ex officio, quia tunc præsumitur ab aliis requiri, non potest concionare.

Item excommunicatis non prohibetur usus sacrarum imaginum, reliquiarum veneratio, imò nec usus aquæ benedictæ et aliorum sacramentalium, quorum quidem fructibus, quos habent ex Ecclesiæ benedictione, non participant, sed iis uti possunt ad venerationem.

Item excommunicati possunt, tempore quo non celebrantur divina, ecclesiam ingredi ad orandum privatim, et seorsim ab aliis in sacello distincto, imò et in eodem, modò privatim orent.

Excommunicatus autem, qui vellet missam audire vel aliis divinis officiis interesse, si monitus à sacerdote nollet exire, incurrit novam excommunicationem Papæ reservatam (can. *Si quis* 7, causa 11, q. 3, cap. *Illud*, *De cleric. excomm.*, et cap. fin. *De sentent. excomm.*, in 6°); et idem dicendum est de interdicto denuntiato, et de omnibus qui impediunt ne excommunicatus aut interdictus exeat. (Clement. *Gravis*, *De sent. excomm.*) Ablata est exc. C. *Ap. Sed.*

Sacerdos verò excommunicatus faciens celebrare missam coram se, irregularis efficitur (Glossa in Clem. 2, *De Privilegiis*, v° *Celebrari*); celebrans verò coram excommunicato etiam vitando non fit irregularis, nec hodie incurrit excommunicationem minorem, ex cap. *Is qui* 18, *De sentent. excomm.*, in 6°.

Quando excommunicatus monitus fuit ab ecclesiâ exire,

tempore quo divina officia celebrantur, tenentur clerici, si sit vitandus, eum licet sacerdotem expellere, si absque gravi incommodo possunt; aut si non possent, debent ab officiis cessare, etiam die festo, et celebrans, nondum inchoato canone, debet missam abrumpere; aut si canonem inchoavit, potest quidem missam prosequi, ut probabiliter tenent Suarez et alii contra Bonacin. et alios, sed exire debent cæteri fideles, solo ministro missæ remanente; celebrans tunc missam pergit tantùm usque ad communionem inclusivè, cætera autem perficit in sacristiâ, vel alio decenti loco.

Obligatus ad horas non eximitur ab illarum recitatione propter excommunicationem.

Recitans horas excommunicatus dicere non debet : *Dominus vobiscum*, sed *Domine exaudi*, etc. : hoc tamen non esset mortale, et juxta plures nec etiam veniale in recitatione privatâ; esset tamen veniale privatim horas recitare cum socio (cap. *Excommun.* 17, causa 11, q. 3). Non autem peccaret toleratus si requisitus oraret cum socio.

846. — V. Nulla est beneficii cujuscumque collatio, electio, confirmatio, etc., in favorem excommunicati (ex cap. *Postulastis*, *De clerico excomm.*) etiam tolerati juxta veriorem sententiam. Idque licet excommunicatio ignoretur, quia ignorantia excusare quidem potest à culpâ, sed non supplet defectum conditionis requisitæ ad valorem actûs. Ita communiter; quidam tamen dicunt quòd casu quo collatio fit ignoranti se esse excommunicatum, illa sit tunc valida, eò quòd collator soleat absolvere à censuris eum cui beneficium confert : hoc satis probabile reputat S. Liguor., lib. 7, n° 182.

Non solùm excommunicati recipientes, sed etiam conferentes excommunicatis beneficium, peccant graviter et incurrunt, præter excommunicationem minorem, etiam suspensionem à collatione beneficiorum, ex citato cap. *Postulastis*. Valida tamen est collatio si Papa scienter conferat beneficium excommunicato, vel si in concessione adsit clausula absolutionis, ad effectum validè consequendum, nisi quis excommunicatus sit ob hæresim, quæ non censetur comprehendi sub generali absolutione. Ablata est susp. C. *Ap. Sed.* sicut minor excommunicatio.

Excommunicatus non facit suos fructus beneficii, tempore excommunicationis perceptos, etiamsi postea absolvatur; proinde tenetur illos restituere ante omnem sententiam (vide cap. *Postulastis*, *De clerico excommunic.*). Si tamen per se vel per alios satisfaceret officio, potest eos fructus retinere, ubi saltem non est usus spolii; ubi verò talis usus viget, potest solùm retinere fructus correspondentes servitio præstito, et si fuerit in bonâ fide, probabiliter potest retinere etiam fructus correspondentes suæ congruæ sustentationi pro tempore servitii.

Quoad autem beneficia obtenta ante excommunicationem, disputatur an excommunicatus privetur fructibus hujusmodi beneficiorum ante sententiam, etiamsi per se aut per alios officium impleverit : probabiliùs negatur; tenetur autem illos restituere post dictam sententiam, etiamsi per illum non stet quominùs absolvatur, nisi tamen esset pauper.

VI. Privat communicatione forensi : unde excommunicatus nequit esse judex, advocatus, procurator; potest tamen respondere pro semetipso, et alium actorem reconvenire, quamvis per alium posset commodè se tueri.

Non potest esse actor, tabellio, testis, etc.; si tamen esset actor, validè ageret donec repelleretur (cap. *Pia*, *De except.*, in 6°).

847. — VII. Excommunicatus non toleratus privatur usu jurisdictionis; unde non potest validè eligere, conferre, præsentare, ferre leges, vel sententiam; et electores qui scienter admittunt talem electorem excommunicatum, electionem eo ipso irritant, etiamsi suffragium excommunicati nihil conferret ad electionem, sed hoc non est applicandum electioni Papæ.

Item excommunicatio irritat pleno jure quodvis rescriptum gratiæ vel justitiæ à S. Sede post excommunicationem concessum; excipe rescriptum justitiæ pro causâ ipsiusmet excommunicationis quæ tali rescripto locum dedit (cap. *Ipso jure* 1, *De rescriptis*, in 6°; cap. *Dilectus* 26, *De rescript.*). Sed Papa, concedendo alicui gratiam, solet eum absolvere à censuris ob quas irritum foret concessum beneficium.

848. — VIII. Non *toleratus* privatur ecclesiasticâ sepulturâ ; et si sepultus fuerit in loco sacro vel benedicto, exhumari debet, si ipsius ossa possint discerni : nec in eo loco divina possunt peragi ante ipsius reconciliationem. Si verò excommunicatus decessit cum signis pœnitentiæ, non est exhumandus, sed absolvendus, absolutione petitâ per hæredem. Cœmeterium tamen pollutum fuit et debet reconciliari.

Graviter peccant comitantes vitandum ad sepulturam et clerici canentes ; illum autem sepelientes incurrunt excommunicationem majorem (Clementin. 1, *De sepultur.*). Controvertitur an per *sepelientes* intelligi debeant ii qui procurant sepeliri. De his attentè est legenda C. *Ap. Sed.*

849. — IX. Excommunicatus privatur omni aliâ civili communicatione fidelium, ita ut ipse non possit cum aliis, et, si non sit toleratus, etiam alii cum ipso non possint communicare ; idque in casibus hoc versu comprehensis :

Os, orare, vale, communio, mensa negatur.

Ita ex cap. *Excommunicatus* 17, causa 11, q. 3.

Dicit. 1° *Os* : per quod intelligitur osculum et omne colloquium, etiam privatum, tàm per verba quàm per nutus, litteras, internuntium ; item quodvis signum benevolentiæ, missio vel acceptatio munerum, etc. Qui tamen excommunicatum injuriis afficeret, vel ei diceret : *Deus te illuminet*, *convertat*, etc., nullam censuram incurreret.

Dicit. 2° *Orare*, id est omnis communicatio in divinis, ut supra fuit expositum.

Dicit. 3° *Vale* : quod comprehendit omnem salutationem saltem honorificam, verbo, signo, amplexu, etc.

Dubitatur tamen an liceat exhibere excommunicato signa urbanitatis, v. g., assurgendo, dando locum, aperiendo caput, sinè ullâ expressione verborum, de quo vide *Manuale*, n° 6545.

Dicitur 4° *Communio* : quâ voce comprehenditur omnis contractus, qui tamen, si fiat, est validus, nisi ageretur de testamento usurarii ; item cohabitatio, cooperatio, socie-

tas : unde non licet cum excommunicato collaborare, sedere, sub eodem tecto vivere, dormire; intellige per modum societatis : nam cubare tantùm ad quiescendum, etiam in eodem lecto, probabiliter non est vetitum.

Dicitur 5° *Mensa* : per quam intelligitur omnis convictus per modum societatis : unde non licet acceptare convivium ab excommunicato, nec vitam communem agere cum eo, etsi non iidem cibi ederentur, uti evenire solet in monasteriis, seminariis, etc., ubi quamvis sint diversæ mensæ, omnes tamen censentur communicare in eâdem refectione; idem est dicendum quando multi sunt invitati ab excommunicato et in eodem cubiculo accumbunt, licet in mensis diversis : secus esset dicendum si mensæ non essent in eodem cubiculo; vel si quis in eâdem quidem mensâ accumberet, sed in diversorio ubi unusquisque solùm sibi intenderet, vel si casu hoc accideret in itinere aut aliter.

850. Quærit. 2° Quale sit peccatum communicare cum excommunicato vitando ?

Resp. Peccatum esse mortale : 1° Si communicatio fiat *in divinis*, et non excuset parvitas materiæ; 2° si communicatio fiat in *crimine criminoso*, seu in eodem crimine vel contumaciâ : v. g., si quis suam concubinam excommunicatam, iterùm post excomm. cognoscat (C. *Si Concub.*, *de sent. exc.*); vel si quis post excommunicationem latam in aliquem, ob furtum aut aliud crimen, impendit ei auxilium, aut consilium ne restituat, vel ne exeat ab excommunicatione : ex cap. *Nuper*, *De sent. excomm.*

3° Si communicatio fiat in civilibus, controvertitur an peccatum sit de se mortale : probabiliùs tamen tale reputatur, et probari posse videtur ex cap. *Excommunic.*, causa 11, q. 3; et cap. *Exceptionem* 12, *De except.*, ubi communicans civiliter, dicitur in *periculum animæ suæ communicare*; fit tamen certè veniale ex parvitate materiæ; sed si actus multiplicentur et conjungantur, materiam gravem constituunt : ut autem censeantur conjungi, non sufficit si quis frequenter, etiam per longum tempus, sejunctim communicet cum excommunicato, sed requiritur quòd tales communicationes sint connexæ per propositum

formale aut virtuale, seu quasi ex habitu sæpiùs communicandi, vel quòd adciscat excommunicatum sibi in socium aut famulum.

851. Quærit 3° Quænam pœnæ incurrantur per communicationem cum vitando?

Resp. suppressa fuit excommunicatio minor per Constit. *Apostolicæ Sedis*, quæ de ea omnino silet; sed excommunicatio major incurritur in tribus casibus, nempe: 1° quando clericus scienter communicat in divinis cum excommunicato nominatim et expressè à Papâ, et denuntatio (cap. *Significavit* 18, *De sent, excomm.)*; 2° quando excommunicatio est lata contra aliquem et simul contra participantes; tunc enim qui communicat cum illo (post monitionem tamen) incurrit excommunicationem majorem, à quâ non potest absolvi nisi per eum qui potest absolvere principalem; 3° quando quis scienter communicat cum excommunicato vitando in crimine criminoso, quod intelligendum est etiam de Episcopo excommunicante, si dicto modo communicaret. Absolvi autem non potest talis communicans nisi per eum à quo principalis est absolvendus, et post debitam monitionem (cap. *Nuper*, *De sent. excomm.*) Excommunic. 3ª servata est solùm quoad excommunicatum à Papâ (C. *Ap.Sed.*).

852. Quærit. 4° An aliquando liceat cum vitando communicare?

Resp. Affirmativè, et hoc quidem in quinque casibus in cap. *Quoniam multos* 103, causa 11, q. 3, definitis, et sequentibus versibus expressis :

> Hæc anathema quidem solvunt, ne possit obesse :
> Utile, lex, humile, res ignorata, necesse.

1° *Utile* intelligitur tàm de excommunicato, unde licitum est illum alloqui vel ei scribere ut convertatur, quàm de aliis, unde licet ab excommunicato petere consilium, aut audire concionem; item licet ab eo exigere debitum; vel, si desit alius æquè idoneus, petere medicinam, aut eleemosynam; sed non licet cum eo novos inire contractus, quamvis liceat jam initos continuare.

2° *Lex* intelligitur de lege matrimonii, quia licet uxori communicare cum marito excommunicato, et vice versâ :

unde conjuges possunt à se vel sibi invicem petere aut reddere debitum, et in omnibus aliis mutuò conversari; tres tamen casus excipiuntur : 1° quando sunt per divortium separati; 2° quando excommunicatio est lata propter dubium valoris matrimonii; 3° quando alter conjugum est propter hæresim excommunicatus.

3° *Humile*, id est in casu subjectionis : quâ ratione communicare possunt, saltem probabiliter, filii etiam emancipati; item filii adoptivi, imò etiam nepotes, pronepotes, et in eodem gradu affines, ut nurus, privigna; item servi et ancillæ, si ante excommunicationem fuerint in servitio (cap. *Quoniam* modò citato); item milites cum duce excommunicato, non autem vassalli cum suo domino, nisi quoad solutionem tributorum : sed sæpè quoad istos licita fit communicatio ratione necessitatis, vel utilitatis; item religiosi possunt communicare cum suis Prælatis, quoad communicationem, quæ ab habitantibus in eâdem familiâ vitari nequit.

Item parentes, mariti et domini possunt communicare cum filiis, uxoribus et famulis excommunicatis.

Non possunt autem, etiam famuli, uxores aut filii communicare in divinis cum excommunicato, nisi in quantum communicatio est necessaria ad præstandum obsequium debitum : hinc famuli jussi licitè comitantur ad missam, aut ministrant celebranti excommunicato, aut cum eo officium recitant : supponitur quòd ad hoc fuerint conducti ante excommunicationem : nam si conducantur à jam excommunicato, non excusantur, nisi ob bonam fidem, aut necessitatem.

4° *Res ignorata* : certum est quamlibet ignorantiam et inadvertentiam inculpabilem, sive juris sive facti, excusare communicantes cum excommunicato (cap. *Quoniam multos*, causa 11, q. 3). — Controvertitur an excuset ignorantia culpabilis et crassa : sententia affirmans vocatur satis probabilis à S. Liguor. (lib. 7, n° 205).

5° *Necesse* : id est casus necessitatis, sive spiritualis, sive corporalis, aut bonorum temporalium. Sed requiritur ut hæc necessitas, tàm temporalis quàm spiritualis, sit gravis, sive sit communicantis, sive excommunicati, sive aliorum

Id patet ex cap. *Si verè* 34, *De sent. excomm.* et dicto capite *Quoniam multos*. Excusat pariter metus gravis, cùm lex humana non obliget cum gravi incommodo.

Quænam sint excommunicationes majores à jure latæ, vide Const. *Apost. Sedis.*

§ II.

De suspensione.

853. Suspensio *est censura quâ minister Ecclesiæ prohibetur ab aliquo actu ecclesiastico, aliàs sibi competente.*

Differt ab aliis censuris in eo quòd suspensio fertur in solos clericos, dùm cæteræ censuræ etiam in laicos cadere possunt : solo ergo ministerio ecclesiastico privat suspensio, dum excommunicatio et interdictum privant aliis bonis, quibus etiam simplices fideles participare valent.

Suspensio alia est *completa* quæ suspendit ab ordine simul et ab officio et beneficio; proinde privat usu potestatis ecclesiasticæ alicui competentis ratione ordinis aut officii aut beneficii, sive potestas illa ordinis sit sive jurisdictionis.

Alia pro parte irrogatur, et suspendit duntaxat aut ab ordine, aut ab officio, aut à beneficio.

Suspensio ab ordine non privat ipso ordine, quippe ordo est indelebilis, sed duntaxat exercitio functionum sacrorum ordinum; vocatur etiam suspensio à divinis, aut ab officio sacerdotali. Suspensio hæc iterum potest esse vel à toto ordine, vel à quâdam parte ipsius : istius generis est suspensio à *Pontificalibus*, vel suspensio à collatione ordinum; suspensio *à sacris* suspendit ab actibus qui ordines requirunt; suspensio ab altari à solâ celebratione missæ removet.

Suspensus à certâ functione ordinis, v. g., à sacramentorum administratione, non ideò est suspensus à sacrificio. Item, si à collatione ordinis quis esset suspensus, posset nihilominus primam tonsuram conferre.

Suspensus ab ordine non est suspensus à jurisdictione.

Suspensio *à divinis* non obstat receptioni sacramentorum etiam pœnitentiæ : impedit tamen receptionem sacra-

menti ordinis : repugnat enim quòd suspensus ab ordine promoveri valeat ad ordines superiores : suspensus quidem ab ordine superiori non est ideò supensus ab inferiori, sed suspensus ab inferiore est multò magis suspensus à superiore.

Suspensio *ab officio* intelligi potest absolutè, et sic comprehendit omne exercitium potestatis ecclesiasticæ, sive ratione ordinis, sive ratione jurisdictionis; potest etiam intelligi de solâ jurisdictione, aut etiam de quâdam parte jurisdictionis, vel de functionibus quæ exercitium ordinum non requirunt. Quantitas autem et qualitas suspensionis colligi debent ex verbis quibus fertur, quæ, utpote in re odiosâ, non ampliùs sunt extendenda quàm propriè sonant.

Suspensio à solo beneficio, privat tantùm redditibus beneficii : sed iis privat in conscientiâ ante omnem sententiam : non privat ergo functionibus ordinis, aut exercitio jurisdictionis. Nec iis quæ proveniunt ex anniversariis, nec stipendiis missarum, nec iis quæ dantur propter servitium personale, nec pensionibus ecclesiasticis.

Suspensus simpliciter seu modo absoluto censetur suspensus ab officio et beneficio. Suspensus ab ordine simpliciter, censetur suspensus ab omni ordine; sicut suspensus à beneficio suspensus censetur ab omni beneficio, nisi aliud constet.

Suspensus ab officio simpliciter non intelligitur suspensus à beneficio, seu fructibus ejus : debet tamen per alium supplere quod per se facere nequit, ut fructus percipiat : ita communiter, ex cap. *Inter* 10, *De purgat. canon.* — Excipe 1° nisi crimen sit enorme (cap. eod.); 2° nisi reus insorduerit per annum in censurâ, ut habetur cap. *Cùm bonæ*, *De ætate et qualitat.*, etc.

Item suspensus ab ordine non est suspensus à beneficio, cùm etiam beneficium non fundatur in ordine; attamen indirectè suspenditur ab ejus fructibus, quia dum non potest implere officium, nec etiam fructus potest percipere.

Nota quòd suspensiones à jure latæ nunquam Episcopos

attingant nisi de iis fiat mentio expressa. Ita cap. *Quia periculosum, De sentent. excomm.*, in 6°.

Suspensus ab officio privatur jurisdictione, ita ut nulli sint ipsius actus si denuntiatus sit : nulla est, v. g., absolutio ab ipso data ; secus si sit toleratus.

Collatio autem beneficii facta suspenso ab officio, etsi ab ipso sit acceptata, irritari potest per judicis sententiam. Suspensio tamen non privat beneficio jam obtento.

Si collatio fiat suspenso ab omni beneficio, irritari debet per sententiam judicis ; sed interea suspensus fructus non facit suos : imò etiam post absolutionem, tenetur malè perceptos restituere, nisi condonationem eorum à Papâ obtinuisset.

854. Quæri hîc posset an suspensus à beneficio, fructus, si sit pauper, possit sibi retinere ?

Resp. Affirmativè si suspensio sit lata in pœnam criminis omninò præteriti ; secus si fuerit incussa ob contumaciam, quia Ecclesia non debet subvenire ei qui illam contemnit, præsertim cùm possit à suâ contumaciâ recedere. Attamen, si suspensus occultus sit, et munia sua impleverit, poterit sibi retinere partem quam dare substituto debuisset, quia hæc pars non est habenda ut fructus beneficii, sed potiùs ut stipendium laboris.

Hodie in Galliâ clericus suspensus à beneficio non potest legitimè sibi retinere, nisi prout modò dictum est, pensionem ipsi à Gubernio solutam, quia hæc pensio induit naturam reddituum ecclesiasticorum.

855. Suspensio ferri potest vel ut censura propriè dicta, seu tanquam pœna medicinalis, pro delicto non merè præterito, post præviam monitionem, quæque tolli debet per absolutionem quando reus emendatur ; vel etiam ferri potest ut pœna vindicativa, et tunc prævia monitio non est necessaria, ac ferri potest vel pro tempore determinato, vel ad beneplacitum, vel etiam in perpetuum, pro delicto merè præterito. — Si feratur pro tempore determinato, cessat elapso tempore assignato absque absolutione ; potest tamen etiam tolli ante terminum, sed tunc per dispensationem, non verò per absolutionem (cap. *Cùm æterni* 1, *De sentent. et re judic.*, in 6°).

Si feratur ad beneplacitum, cessat per mortem, vel amotionem ferentis; secus tamen si lata fuisset ad *beneplacitum Sedis*, quia tunc indiget dispensatione successoris; item suspensio in perpetuum cessare potest per dispensationem. Hoc est autem discrimen inter absolutionem et dispensationem, quòd absolutio directè cadat in reum et ab eo tollat vinculum quo ligatur; dispensatio verò cadat directè in legem vel mandatum et extinguat ipsius obligationem.

856. Extra quosdam casus, in quibus hujusmodi suspensiones ferri possunt ex informatâ conscientiâ, regulariter non sunt infligendæ, nisi servato consueto juris ordine; unde si Prælatus solo verbo dicat sacerdoti : *Suspendo te* à celebratione, non est censura, nec etiam præcisè pœna propriè dicta, quia hæ non feruntur nisi scripto. Prælatus verò non debet præsumi velle peccare nisi aliud constet de ipsius intentione, aut nisi Religio haberet privilegium absque scripto ferendi censuras. — An incurratur autem irregularitas ex suspensione quæ sit pœna propriè dicta, licet non medicinalis, vide in *Manuali*, n° 1790.

Suspensus ab ordine denuntiatus, vitandus est in divinis, non verò quoad jurisdictionem, vel quoad beneficium : nec etiam in divinis vitari debet, nisi quatenus à suspensione ei illatâ prohibetur : unde suspensi possunt officiis divinis assistere et recipere sacramenta præter Ordinem; tolerati autem divinas functiones exercentes non peccant si ab aliis requirantur; secus si, non requisiti, iis se immisceant.

Qui non vitant suspensum denuntiatum non peccant mortaliter, nisi conseantur cooperari actui à quo suspensus est, quales sunt qui inserviunt; unde audire missam suspensi denuntiati non est peccatum mortale nisi inservias : hoc communiùs et veriùs vocat S. Liguorius lib. 7, n° 313.

Clericus tamen suspensus peccat graviter quando exercet actum ipsi per suspensionem vetitum, nisi exerceret ordinem non sacrum, vel si sacrum exerceret non solemniter, vel si in parvâ materiâ, v. g., si exerceret levem actum jurisdictionis, si benediceret mensam, etc. : secus

si benediceret aquam, nuptias, fructus, etc., juxta solemnitates ab Ecclesiâ præscriptas.

Semel incursa suspensio ubique suspensum alligat, proinde etiam extra diœcesim suspendentis.

Non autem suspensus eximitur ab obligatione officium recitandi, missæ interessendi, sacramenta recipiendi.

857. Quærit. An suspensio possit ferri ob peccatum veniale?

Resp. Quidquid dicant nonnulli, veriùs et communissimè tenetur quòd gravis suspensio non possit inferri nisi ob mortale peccatum, quia culpa debet pœnæ proportionari: unde nulla esset suspensio gravis lata ob veniale peccatum; si tamen suspensio non esset gravis, vel si esset ad breve tempus, puta ad diem, vel hebdomadam, vel si esset solùm ferendæ sententiæ et non deberet infligi absque prævià monitione, posset inferri ob veniale peccatum; sed non videtur posse fieri prudenter nisi in monasteriis.

Quænam sint suspensiones in particulari, vide in *Manuali*, nº 6598.

Quilibet confessarius potest absolvere à suspensione non reservatâ; religiosi verò ex privilegio possunt absolvere ab omni suspensione in foro conscientiæ. Episcopi autem possunt etiam absolvere à suspensionibus Papæ reservatis à jure, si proveniant ex delicto occulto et non deducto ad forum contentiosum. (Trid., sess. 24, c. 6) Ablatum est dictum privilegium regularibus concessum. (C. *Ap. Sed.*)

§ III.

De interdicto.

858. Interdictum est *censura ecclesiastica prohibens divinorum officiorum, sacramentorum aliquorum et ecclesiasticæ sepulturæ usum quatenus sunt bona Ecclesiæ*: quod additur eò quòd excommunicatio iisdem bonis privet, sed quatenus per ea communicatio fit cum fidelibus; suspensio verò non propriè usum illum impedit, sed exercitium potestatis ecclesiasticæ.

Interdictum aliud est *locale*, quod immediatè locum afficit; aliud *personale immediatè* afficiens personas easque ubique sequens; aliud *mixtum*, quod immediatè loca et

personas afficit. Differt autem locale à personali quòd in illo tam indigenæ quàm alienigenæ teneantur se abstinere à sacris officiis, non absolutè quidem, sed tantùm quando reperiuntur in loco interdicto, iis tamen exceptis qui causam interdicto dederunt, nam sunt personaliter interdicti, et isti tenentur ubique interdictum observare.

Iterum interdictum, tàm locale quàm personale, dividitur in generale et particulare : *generale* est quando locus generalis, v. g., tota regio, tota communitas interdicitur; *particulare* est quando locus vel persona determinata, aut personæ in individuo interdicuntur.

Item interdictum est completum vel pro parte : priùs omnes effectus interdicto proprios comprehendit; posteriùs quosdam solùm illius effectus producit, prout esset v. g. interdictum ab *ecclesiasticâ sepulturâ*, vel interdictum ab *ingressu ecclesiæ*.

Quando interdictum fertur sinè addito, intelligi debet de interdicto completo : si interdictum speciale sit à divinis et contra clericos feratur idem est ac suspensio.

Interdictâ civitate, interdicuntur non solùm suburbia sed etiam monasteria exemptorum, et ipsorum ecclesiæ, alioquin interdictum fieret illusorium. Interdictum hujusmodi servare tenentur clerici et regulares, imò et Episcopus à quo fuit illatum.

Attamen regulares, tempore interdicti generalis, possunt in suis monasteriis divina peragere, prout officia recitare, missas celebrare, etc. : submissâ tamen voce, januis clausis, sinè sonu campanæ et exclusis nominatim interdictis vel qui causam interdicto dederunt, ut concessum fuit in c. *Alma*, *De sentent. excomm.* in 6°; item possunt Eucharistiam et Extremam-Unctionem suscipere, missas audire, et ad hæc possunt admittere monasterii famulos, procuratores, operarios non specialiter interdictos. Et etiam possunt publicè celebrare in festis Paschatis, Pentecostes, Natalis Domini, Assumptionis B. M., SS. Sacramenti et ipsius octavæ, Conceptionis, Annuntiationis et Nativitatis B. M., SS. Titularium Ecclesiæ et Sanctorum proprii Ordinis, in festis Circumcisionis, Epiphaniæ, SS. Trini-

tatis, Apostolorum S. Joannis Bapt., S. Lucæ, S. Marci, Omnium SS., Omnium Defunctorum.

Interdictâ verò ecclesiâ parochiali, interdicitur etiam sacellum vel cœmeterium contiguum, sed non vice versâ, quia accessorium sequitur naturam principalis, non è contra. Ita cap. *Si civitas* 17, *De sent. excomm.*, in 6°.

Interdicto populo non interdicuntur ii qui non sunt ipsius pars, ut studentes, clerici, peregrini, etc. Item interdicto clero, laici non censentur pariter interdicti (cap. *Si sententia, De sent. excomm.*, in 6°).

In interdicto generali personali non comprehenduntur Episcopi, qui etiam eximuntur à suspensione generali (cap. *Quia periculosum* 4, *De sent. excomm.*).

Interdicto clero, non interdicuntur religiosi, quia *clerici* nomine non comprehenduntur nisi in favorabilibus, excepto tamen casu quo officium vel beneficium in populo haberent.

859. Effectus autem interdicti sunt sequentes : 1° prohibitio *divinorum officiorum* : quo nomine veniunt omnia quæ à solis clericis fieri solent, benedictiones, consecrationes, etc.; non autem recitatio breviarii, officii B. M. vel defunctorum, si dicantur privatim et in loco non deputato ad illa recitanda : secus si recitentur in choro prout fit à monialibus.

Etiam interdicti ob alienam culpam prohibentur interesse sacro. Clerici tamen et religiosi, si non sint personaliter interdicti, possunt ac debent etiam in interdicto locali generali, non verò in particulari, celebrare, ut aliàs, missas divinaque officia, sed januis clausis, non pulsatis campanis (nisi ad concionem, Salutationem Angelicam, vel obitum alicujus), submissâ voce et exclusis *personaliter* interdictis, aut qui causam interdicto dederunt, si fuerint nominatim interdicti (Cap. *Alma mater, De sent. excomm.*, in 6°).

Si celebretur coram personaliter interdicto, licet denuntiato, debet quidem expelli talis interdictus : si tamen nequeat, non tenetur celebrans cessare quia id nullibi præcipitur. Nominatim verò interdicti, qui post monitionem exire nollunt, excommunicationem ipso facto incurrunt.

Quid verò sit permissum in interdicto locali generali, vide dictum in *Manuali*, nº 6618. Ablata est dicta exc. C. *Ap. Sed.*

2º *Prohibitio administrationis sacramentorum*, in quâ tamen prohibitione non comprehenduntur Baptismus, Confirmatio et Pœnitentia (cap. *Alma, De sentent. excomm.*, in 6º); Baptismus autem conferri potest etiam solemniter atque à ministro interdicto generaliter, non verò specialiter, nisi in casu necessitatis, et tunc administrari debet absque solemnitate, prout à laicis administrari valet : et idem est dicendum de ministro Pœnitentiæ et Confirmationis : unde Episcopus, non specialiter interdictus, potest conficere chrisma die Cœnæ Domini, etiam tempore interdicti sive localis sive personalis. Præfata tria sacramenta omnibus conferri possunt, iis tamen exceptis qui interdicto causam dederunt, aut auxilium vel favorem præstârunt, exceptis pariter personaliter et specialiter interdictis, nisi priùs satisfecerint si possint, aut saltem cautionem juratoriam præbeant si non possint : validè tamen etiam Pœnitentiæ sacramentum posset administrari personaliter interdictis, si essent dispositi, quia interdictum non tollit jurisdictionem. Eucharistia verò potest dari moribundis cum solemnitate consuetâ, id est cum lumine et pulsatione campanæ : idem est dicendum de iis qui sunt præliaturi, vel navigationem periculosam assumunt. *Nota* autem quòd à specialiter interdictis prævia satisfactio sit exigenda.

Probabiliùs putat S. Liguor. (lib. 7, nº 334) licere interdictis matrimonium contrahere, quia hoc sacramentum à contrahentibus administratur ; unde in cap. *Capellanus*, *De feriis*, dicitur quòd matrimonium possit contrahi quocumque tempore, et idem habetur in Rituali Romano.

Idem S. Liguorius notat (*ibid.*) : « Quòd si interdictum « sit latum ex sententiâ injustâ, quæ videbatur justa se- « cundùm probata, in foro externo debet servari, sed non « interno; quare, cessante scandalo, possunt audiri sacra, « recipi sacramenta. Religiosi tamen, quando interdictum « servatur ab Ecclesiâ Cathedrali vel matrice, tenentur « illud servare, etiamsi illud sit nullum ex quocumque « capite. Ex Clement. 1, *De sent. excomm.* »

3º *Prohibitio sepulturæ ecclesiasticæ*, etiam respectu

infantium et amentium (cap. *Quod in te, De pœnitentiâ et rem.*; et cap. *Episcoporum*, *De privilegiis*, in 6°; et Clement. 1, *De Sepult.*). Excipiuntur clerici, qui in interdicto generali, tàm locali quàm personali, sepeliri possunt in loco sacro, etiam cùm missâ, sed sinè pompâ : quinimò sepeliri possunt in ecclesiâ specialiter interdictâ : sed ii tantùm clerici qui hujus ecclesiæ servitio sunt addicti, et sinè missâ tunc sepeliri deberent : laici verò tempore interdicti localis generalis, sepeliendi sunt in loco non sacro, etiam infantes, et si fortè in loco sacro fuissent sepulti, exhumari debent : cessante autem interdicto, omnes in loco sacro sunt reponendi.

Mandantes seu cogentes tradi sepulturæ ecclesiasticæ hæreticos notorios, aut nominatim excommunicatos vel interdictos, excommunicationem nemini reservatam incurrunt. Qui verò scienter celebrant vel celebrari faciunt in locis interdictis, ab ingressu ecclesiæ interdicuntur, donec ei, cujus sententiam contempserint, satisfecerint. (C. *Apost. Sed.*).

Tempore verò interdicti generalis personalis nemo est privandus sepulturâ ecclesiasticâ, nisi qui personaliter et nominatim essent interdicti (Clement. 1, *De sepult.*; Glossa ad verbum *Nominatim*; cap. *Ut privilegium* 24, *De privileg.*).

Nemo pariter est privandus sepulturâ ecclesiasticâ, nisi interdictum tàm locale quàm personale sit specialiter denuntiatum.

Clerici violantes interdictum mortaliter peccant : excusantur tamen parvitate materiæ, ut si exerceantur functiones quæ à laicis fieri possunt.

Exercentes verò ordinem sacrum, quando sunt specialiter interdicti, vel quando id faciunt in loco specialiter interdicto, aut in loco generaliter interdicto, januis apertis, non solùm graviter peccant, sed etiam incurrunt irregularitatem.

Admittentes laicos interdictos ad officia divina non amplius hodie ab ingressu Ecclesiæ interdicuntur. (C. *Apost. Sedis.*).

Religiosi verò utriusque sexûs, qui violant interdictum, excommunicantur ipso facto. Servata videtur. (C. *Ap. Sed.*)

Laici autem graviter peccant si, non obstante interdicto personali, recipiant sacramenta; si verò tantùm violent interdictum locale, audiendo, v. g., divina officia, probabiliùs est ipsos peccare tantùm venialiter, dummodò ipsi personaliter non sint interdicti.

860. Quærit. 1° Quinam possint interdictum ferre?

Resp. Eosdem posse qui cæteras censuras inferre valent.

Ut autem determinata persona interdicatur, requiritur culpa mortalis ejusdem personæ, nisi interdictum esset ad breve tempus, in ordine ad unum tantùm aut alterum effectum.

Ut autem feratur interdictum locale vel generale in communitatem requiritur peccatum valdè grave, cum contumaciâ commissum à capite vel præcipuis membris, licet reliqui culpâ vacent.

Interdictum ergo generale non posset inferri pro obtinendâ alicujus debiti privati solutione (Extrav. comm., cap. *Providi* 2, *De sent. excomm.*).

861. Quærit. 2° Quænam interdicta ipso facto jure communi incurrantur?

Resp. 1° Interdictum personale incurritur ab iis qui celebrant in loco per sententiam interdicto; 2° qui scienter admittunt ad officia, sacramenta vel sepulturam nominatim excommunicatos, aut interdictos, interdicuntur ab ingressu ecclesiæ. Ità etiam C. *Ap. Sed.*

3° Ii qui non præmissâ monitione et sinè scripto decernunt censuras, nisi sint Episcopi, interdicuntur per mensem ab ingressu ecclesiæ (cap. *Sacro* 48, *De sent. excomm.*); 4° incurritur interdictum ab Episcopis exigentibus aliquid non debitum in visitationibus, nec restituentibus duplum infra mensem (cap. *Exigit*, *De cens.*, in 6°); 5° item à Capitulo danti litteras dimissorias ante annum à vacatione Sedis (Tr., sess. 7, c. 10, *De ref.*). Suppr. sunt int. 3° et 4° (C. *A. S.*).

Nulla hodie subsistunt interdicta localia à jure, quia nunquam sunt observanda, nisi priùs denuntiata fuerint.

862. Quærit. 3° Quomodo cesset interdictum?

Resp. Interdictum generale cessat quoad omnes, si si

personale, per dissolutionem communitatis; et quoad singulos, cessat statim ac desinunt esse membra communitatis interdictæ.

Interdictum locale, si sit speciale, cessat quidem per destructionem loci; sed si ecclesia reædificetur, reviviscit interdictum.

Cætera interdicta, nisi ferantur per modum meræ pœnæ, non cessant nisi per absolutionem.

« Interdicta localia, et personalia generalia, quæ jure « communi sunt imposita, nec reservata, possunt tolli ab « Episcopo vel alio habente jurisdictionem in communita- « tem interdictam, non tamen à religiosis privilegiatis, « quia locus et communitas foro pœnitentiæ non subji- « ciuntur (etiamsi haberent privilegium absolvendi ab « omnibus censuris) : interdicta generalia lata ab homine « non possunt tolli, nisi ab eo qui tulit, vel à Papâ. » (S. Liguor., lib. 7, n° 338.)

Ab interdicto personali particulari à jure lato, quivis confessarius potest absolvere si non sit reservatum.

Scholium. — *De cessatione à divinis.*

863. Cessatio à divinis non est pœna propriè dicta, nec proinde censura, cùm loca tantùm respiciat, et nullas personas directè afficiat; sed est tantùm *prohibitio simplex clericis facta, ut se abstineant ab officiis divinis, et ecclesiasticâ sepulturâ.* Indicitur ab Ecclesiâ in signum mœroris ob gravem injuriam ipsi illatam, ut sic reus ad satisfaciendum inducatur : de eâ fit mentio in cap. *Irrefragabili*, *De officio ordin.*; cap. *Quamvis*, *De officio ordin.*, in 6°; et Clement. *Ex frequenti*, *De sentent. excomm.* Publicari non debet, antequam reus per citationem idoneam provocatus fuerit ad reparandum injuriam.

Eas est, saltem identidem, tempore cessationis à divinis, celebrare ad renovandas sacras species, cùm hoc tempore liceat dare communionem moribundis.

Privilegium assistendi divinis officiis concessum laicis pro tempore interdicti, locum non habet tempore cessationis à divinis : cessatio tamen suspendi potest per aliquos dies solemnes.

Plerique alii effectus interdicti localis communes sunt cessationi *à divinis* : sacramenta concessa tempore interdicti, conceduntur pariter tempore cessationis à divinis.

Cùm autem hujusmodi cessatio non sit censura, nec pœna propriè dicta, qui illam violat non incurrit pœnas contra violatores censurarum statutas; et si illam violet per exercitium alicujus ordinis sacri, in irregularitatem non incidit.

CAPUT III.

DE DELICTIS.

864. Delictum seu crimen est *libera ac voluntaria divini aut humani juris violatio, quæ in detrimentum Ecclesiæ vel civilis potestatis redundat.* — Distinguitur à peccato simpliciter, in eo quòd peccatum, licet sit divini aut humani juris violatio, societati tamen nocumentum non infert.

Delicta alia sunt *ecclesiastica* quæ soli Ecclesiæ directè officiunt : qualia sunt quæ fidem et religionem directè lædunt, ut apostasia, hæresis, schisma, simonia, etc.; alia sunt *civilia* quæ sæculari Reipublicæ potissimùm nocent, ut homicidium, furtum, peculatus, etc.; alii tandem sunt *communia* seu *mixta* quæ religioni pariter et Reipublicæ adversantur, ut crimen usurarum, adulterii, concubinatûs, sortilegii, etc. Item delicta alia sunt *occulta*, alia *publica*, vel *manifesta* vel *notoria*.

De criminibus ecclesiasticis solus judex ecclesiasticus etiam contra laicos cognoscit et judicat, siquidem judicium est de re spirituali; crimina civilia judex laicus cognoscit; crimina autem mixta uterque judex cognoscit, servatâ lege præventionis : attamen omnia crimina sive laicorum sive clericorum pro foro interno et sacramentali, imò aliquando etiam pro foro externo, ad Ecclesiam spectant. Unde de præcipuis eorum indiscriminatim dicemus in capitibus sequentibus : nempe 1° de delictis contra fidem et unitatem Ecclesiæ; 2° de delictis contra virtutem religionis; 3° de delictis venereis; 4° de delictis contra justitiam.

ART. I.

DE DELICTIS CONTRA FIDEM ET UNITATEM ECCLESIÆ.

§ I.

De Apostasia.

865. Apostasia est defectio à Deo, quatenus vel fides christiana, vel status religiosus, vel ordo sacer receptus deseritur. Triplex ergo est apostasia, *à fide* scilicet, à *Religione* seu *statu religioso*, et à *sacro ordine*.

1° Apostasia à fide est totalis discessio à fide christianâ: fieri potest vel ad amplectendum judaismum, vel paganismum, vel mahumetismum, vel etiam (nullâ admissâ falsâ religione) ad atheismum profitendum, aut in indifferentiâ omnis religionis permanendum.

Ab hæresi discrepat apostasia quòd hæresis non ex toto, sed ex parte duntaxat in uno aut pluribus articulis, apostasia autem totaliter abhorret à fide: unde qui à verâ religione ad aliquam sectam hæreticam, prout lutheranam, anglicanam transeunt, nonnisi impropriè apostatæ nuncupantur; nec pœnis contra apostatas jure communi specialiter statutis subjacent. Ita communiter.

Præter autem pœnas contra hæreticos latas, apostatæ, quandiù vivunt et post mortem per quinquennium, accusari et in suis bonis per confiscationem puniri possunt (Leg. *Si quis* 2, et 4 *apostatarum* 4, c. *de apostatis*), nec suffragatur eis pœnitentia uti hæreticis (L. *Hi qui* 3, c. eodem).

Consuetudo quâ christiani, in quibusdam regionibus, nomina turcica assumerent, ut possent liberiùs negotiari cum infidelibus variasque evadere vexationes, prohibita fuit à Concilio in Albaniâ habito anno 1703: quam prohibitionem confirmavit Bened. XIV in suis Constit. *Inter omnigenas* et *Quod Provinciale*.

Aliud est omittere propriæ fidei professionem, quod aliquando tolerari potest; aliud profiteri fidem alienam, quod nullo pacto licet, etsi hoc fieret solummodo exteriùs, prout

constat exemplo Eleazari (2 Mach., c. 6). Unde reprehensibiles erant illi christiani, qui, urgente persecutione tempore S. Cypriani, obtinebant à magistratibus securitatis libellos, in quibus falsò asserebatur eos diis sacrificasse Christumque negasse, ut sic supplicia evaderent. Itemque graviter peccaret qui transiens per infidelium regiones indueret se vestibus quibus soli infideles utuntur : prout si apud Turcas caput tobaleâ albâ circumdaret, ne ab ipsis occideretur vel comprehenderetur, quia sic ut desertor fidei censendus foret; secus si vestes indueret quæ tantùm significarent distinctionem gentis à gente, non religionis à religione.

Circa hæc autem notandum est Decretum S. Inquisit. 18 jul. 1630 : quæsitum fuerat à S. Congr. : « An apostatæ à fide... ad pœnitentiam redeuntes cogendi sint ad « retractandum explicitè et publicè coram infidelibus cum « periculo vitæ, sicut negârunt fidem : an verò sufficiat « coram fidelibus publicè abjurare apostasiam... et implicitè apud infideles, abstinendo ab actibus infidelitatis, « et deponendo habitum? Sanctissimus Dom. noster censuit apostatas à fide redeuntes ad pœnitentiam non teneri « ad abjurandam apostasiam publicè coram infidelibus; « sed sufficere ut eam abjurent... coram fidelibus, abstinendo se ab actibus infidelitatis, ac deponendo habitum « infidelium, quatenus sit protestativus falsæ religionis : « si verò sit æquivocus, posse illum deferre. Quòd si ex « illâ delatione, ratione personæ, aliqua oriatur suspicio, « teneri aufugere cùm primùm poterit. » (*De Synodo*, *ib.*, n° 13.)

2° Apostasia à statu religioso est criminosa abjectio vitæ monasticæ solemniter professæ, cum animo ad regulare Institutum non ampliùs redeundi : de eâ vide *Manuale* (3077-3084).

3° Apostasia à sacro ordine locum habet quando clericus in sacris constitutus, relictis habitu et tonsurâ clericalibus, vitam sæcularem aut statum conjugii amplectitur.

Pœnis sequentibus minatur vel plectitur apostata ab ordine : 1° excommunicatione, non quidem latæ (nisi matrimonium contrahere præsumpserit) sed ferendæ sententiæ (ex cap. 1 *De apostatis* et Clement. unicâ *de consang. et*

affin.); 2° habendus est ut ipso facto infamis (cap. *Alieni* 23, causa 2, q. 7), proinde est irregularis; 3° amittit privilegium canonis.

§ II.

De Hæresi.

866. I. Hæresis considerari potest vel 1° *in se* seu *objectivè*, et sic spectata est assertio contradicens alicui veritati quæ ab Ecclesiâ proponitur tanquam à Deo revelata, et proinde ab omnibus firmâ fide tenenda; vel 2° in *individuo* seu *subjectivè*, et sic est error voluntarius et pertinax contra veritatem fidei catholicæ in eo qui profitetur religionem christianam. De priori modo hæresim intelligendi et quomodo hæresis differat à propositione *erroneâ*, *falsâ*, *sapiente hæresim*, etc., consulendi sunt theologi dogmatici in tractatu de fide vel de notis theologicis. Sufficiat hîc explicare quid sit hæresis in secundo sensu : per solam enim hæresim subjectivè sumptam aliquis *hæreticus* constituitur.

Dicitur 1° *Error contra veritatem fidei catholicæ :* unde propriè hæreticus non est qui verbis tantùm hæresim profert, quin intellectus hæresi verbis prolatæ adhæreat : error autem intellectûs debet esse directè et immediatè contra veritatem ab Ecclesiâ definitam tanquam de fide. Sufficit tamen dubium positivum plenè deliberatum, quia sic dubitans eo ipso judicat Ecclesiam posse errare : unde in cap. *Dubius* 1, *de Hæreticis*, dicitur : « Dubius in fide « infidelis est. »

Dicitur 2° *Voluntarius et pertinax.* Haberi debet ut pertinax qui voluntariè suæ sententiæ adhæret contra doctrinam Ecclesiæ ipsi sufficienter propositam, seu quando scit contrarium teneri ab universali Ecclesiâ, etsi acriter et mordicùs eam non tueatur : de quo sic habet S. August. in can. *Dixit Apostolus* 29, causa 29, q. 3 : « Qui sententiam suam, quamvis falsam..., nullâ pertinaci animositate defendunt..., quærunt autem cautâ sollicitudine « veritatem, corrigi parati cùm invenerint, nequaquam « sunt inter hæreticos deputandi. » — Qui nescit suam sententiam esse contra Ecclesiæ doctrinam, is est duntaxat

materialiter hæreticus, nec incurrit pœnas contra hæreticos latas. Nec item formaliter hæretici sunt habendi qui ex ignorantiâ, *etiam crassâ aut supinâ*, nesciunt Ecclesiam aliter sentire; imò juxta Patuzzium (*Curs. compl.*, tom. 6, col. 648), nec etiam hæretici formales sunt quorum ignorantia esset affectata ex solo addiscendi tædio; secus tamen si ex contemptu Ecclesiæ, prout esset si quis non curaret scire quid Ecclesia sentiat de suâ opinione. S. Liguor. tamen (lib. 7, n° 301) probabiliorem habet sententiam quæ tenet etiam tunc non incurri excommunicationem contra hæreticos latam, quia Ecclesiæ non contradicit qui nescit se Ecclesiæ contradicere, ob quamcumque ignorantiam hoc faciat.

Dicit. 3° *In eo qui profitetur religionem christianam;* alioquin esset infidelis : imò ut hæreticus pœnas Ecclesiæ incurrat, baptizatus esse debet.

867. II. Hæresis alia est purè mentalis, quæ in mente continetur nulloque actu externo proditur; alia est externa, quæ aliquo actu externo moraliter malo manifestatur; dicitur *moraliter malo* : unde pœnas contra hæresim latas non incurrit qui suam hæresim manifestat ad petendum consilium; sufficit tamen ad has pœnas incurrendas ut manifestatio erroris sit externa, etsi occulta. Externa autem potest esse *vel occulta*, quæ penitùs ignoratur, vel à tam paucis cognoscitur ut possit aliquâ tergiversatione celari; *vel manifesta*, quæ à plurimis cognoscitur, nec ampliùs potest celari : de hâc sic habet cap. *Super quibusdam* 26, *de verb. signif.* : « Tua devotio postulavit à Nobis « qui sunt dicendi hæretici *manifesti* : super quo tibi duxi- « mus respondendum illos esse intelligendos manifestos « hæreticos, qui contra fidem publicè prædicant, aut pro- « fitentur seu defendunt eorum errorem, vel qui coram « Prælatis suis convicti sunt, vel confessi, vel ab eis sen- « tentialiter condemnati super hæreticâ pravitate. » Manifesta verò esse potest hæresis vel notorietate *juris*, vel notorietate *facti*.

Insuper circa hæresim distinguuntur *credentes*, *relapsi*, *suspecti de hæresi et complices* : per *credentes* intelliguntur sectatores hæresiarcharum; per *relapsos* ii qui, postquam

suam hæresim palam ejuraverunt, ad vomitum suum revertuntur; *suspecti de hæresi* sunt illi qui, licet hæresim manifestè non profiteantur, meritò tamen ut tales præsumuntur ex variis indiciis : de iis vide Concil. Lateran. IV (Cap. *Excommunic.* 13, *de hæreticis*).

Per *complices* intelligi debent : 1° *receptatores* qui asylum hæreticis præbent ne veniant in judicum manus, vel qui domos suas ad conventicula præstant; 2° *defensores* qui hæreticos indebitè defendunt, ne à judicibus puniantur; 3° *fautores* qui, quocumque modo, hæreticis auxiliantur contra coercitionem legitimam erga ipsos adhibitam.

868. III. Variis pœnis hæresis à sacris canonibus plectitur : illæ autem pœnæ sunt, juxta C. Soglia : « 1° Excom- « municatio latæ sententiæ S. Pontifici reservata (modò « hæresis sit consummata interiùs et exteriùs), quam etiam « incurrunt fautores et receptores, tum ipsorum libros « legentes, retinentes, ac imprimentes. Cap. *Excommuni-* « *camus* 13, *de hæreticis.* » (Probabile est tamen eam excommunicationem non incurri à parentibus et filiis : si non ex motivo hæresis sed ratione consanguinitatis aut amicitiâ hæreticis faveant (*ibid.*, n° 307.) « 2° Depositio, si « clerici fuerint, ab omni officio et beneficio, ac degra- « datio. 3° Inhabilitas ad quodlibet officium et beneficium « ecclesiasticum. 4° Irregularitas seu inhabilitas ad sacros « ordines suscipiendos vel exercendos. His tribus pœnis, « nimirùm privatione omnium officiorum et beneficiorum, « itemque inhabilitate ad quævis officia et beneficia et irre- « gularitate, mulctantur etiam fautores, receptores et defen- « sores hæreticorum, atque ipsorum liberi ad primum et « secundum gradum per lineam paternam, per maternam « verò ad primum gradum duntaxat. *Et quidem*, inquit « Bened. XIV, *De Syn...*, lib. 13, cap. 24, *pater etiam* « *post ejuratam hæresim irregularitate tenetur, adeoque* « *dispensatione indiget ad ordines suscipiendos. At, relictâ* « *à patre hæresi, eoque ad Ecclesiæ sinum reverso, filii,* « *juxta æquiorem et magis receptam interpretationem,* « *irregularitate solvuntur.* 5° Infamia non tantùm facti, « sed etiam juris, ipso facto incurrenda (cap. 13, *De hæ-*

« *reticis*). Hæc autem infamia ad filios hæreticorum non « porrigitur, cùm id nullo jure sancitum sit. 6° Denique « privatio sepulturæ ecclesiasticæ... : cap. *Sicut, de hære-* « *ticis*...; in cap. 2, eodem, in 6°, sancitum est : *Ut qui-* « *cumque hæreticos, vel credentes, vel receptatores, vel* « *defensores, vel fautores eorum scienter præsumpserint* « *ecclesiasticæ sepulturæ tradere, sententiam excommuni-* « *cationis incurrant usque ad idoneam satisfactionem.* » Etiamsi hæretici non sint denuntiati, modo sint notorii, controvertitur an tunc cœmeterium polluatur. Mandantes tantùm aut cogentes tradi sepulturæ hæreticos excommunicationem incurrunt. (C. *Ap. Sed.*)

869. Quærit. 1° A quibusnam et quomodo hæreticus sit absolvendus?

Resp. Quoad primam quæstionis partem vide dicta supra (464). Quoad verò secundam partem si agatur de foro externo : 1° Exigi debet ante omnia hæresis abjuratio, pro quâ consule Pontificale : *ordo ad reconciliandum*, 3 pars; vel si abjuratio ab alio quàm ab Episcopo esset recipienda, determinanda esset forma ab eo qui dat facultatem hæreticum reconciliandi. In Galliâ sic generatim conficiebatur actus abjurationem referens : « *N... Episcopus... notum facimus universis, die... N... hæresim N.,. quam antea profitebatur deposuisse, ac fidei catholicæ, apostolicæ et romanæ professionem juxta formam ab Ecclesiâ præscriptam emisisse, ipsumque à vinculo excommunicationis solutum, quo propter dictam hæresim ligatus erat, in Ecclesiâ catholicâ receptum fuisse.* »

2° Expendi debet an hæreticus reconciliandus validè fuerit baptizatus : in dubio autem de validitate Baptismi baptizandus est sub conditione; postea absolvendus est à censuris et deinde, auditâ ejus confessione, absolutio sacramentalis ab ejus peccatis sub conditione est ipsi impertienda : quippe, supposito dubio baptismo, dubium est pariter an talis reconciliandus indigeat absolutione. Juxta Bened. XIV (*De Syn.*, lib. 9, cap. 4, n° 3), hæreticus ad tribunal Episcopi deductus potest ab eo reconciliari, et pro utroque foro absolvi à censurâ : imò, postquam suos ejuravit errores, ad simplicem confessarium remitti potest, ut ab eo absolvatur; eaque absolutio, licet data in foro sacramentali, prodest etiam pro foro externo.

870. Quærit. 2° Utrum sit licitum de rebus fidei disputare cum infidelibus et hæreticis?

Resp. Jure *naturali* cuilibet indocto prohibitam esse talem disputationem, quia in detrimentum religionis vergeret.

Jure *positivo* prohibitam videri omnibus laicis : dicitur enim in cap. *Quicumque*, *de hæreticis*, in 6° : « Inhibemus « quoque ne cuilibet laicæ personæ liceat publicè vel pri- « vatim, de fide catholicâ disputare : qui verò contra fece- « rit, excommunicationis laqueo innodatur. » Dicitur tamen in Glossâ quòd vox *laicæ* intelligenda sit fortè ad *modum ultramontanorum qui illiteratos laicos vocant*, *et litteratos clericos*. Sed quidquid sit de his, excipiendus est casus necessitatis aut magnæ utilitatis; puta cùm refellendus esset hæreticus qui cum injuriâ fidei ejusque periculo loquitur. Item excipiendi sunt loci ubi contraria invaluit consuetudo, ut evenit in Germaniâ et aliis locis in quibus catholici permixti vivunt cum hæreticis.

Doctioribus ecclesiasticis certè licet disputare cum hæreticis, servatis tamen servandis : ut nempe adsit majoris boni spes, nec sit periculum ex parte auditorum. Sed ut pericula omnia, in quantùm fieri potest, magis removeantur, consulendus est Ordinarius, nec sinè ipsius licentiâ publicæ disputationes cum hæreticis sunt aggrediendæ.

871. Quærit. 3° Quatenus hæresis inducat privationem officiorum et beneficiorum?

Resp. Certum esse 1° occultum hæreticum non amittere jurisdictionem, nec Dignitatem « donec ipse, ait Bellar- « minus (*de Eccles. milit.*, lib. 3, cap. 10), se ab Ecclesiâ « separet, aut convictus hæreseos separetur. »

Certum esse 2° ante Extrav. *Ad evitanda scandala*, hæreticos et schismaticos manifestos jure ecclesiastico caruisse ipso facto omni ecclesiasticâ jurisdictione.

Disputatur an post dictam Extravagantem, saltem jure divino, illi hæretici aut schismatici manifesti jurisdictionem penitus amittant? — Affirmat Bellarminus, eò quòd per hæresim manifestam aliquis desinat esse membrum Ecclesiæ. Negat verò Suarez, quia fides, etiam externa, non est fundamentum omninò necessarium jurisdictionis

ecclesiasticæ. Sententiæ Suarezii adhæret Card. Soglia.

872. Quærit. 4° An et quatenus sit probibitum communicare cum hæreticis?

Resp. Certè esse illicitum communicare cum hæreticis si sint nominatim denuntiati, ut diximus supra (844) tractando de excommunicatione; si verò non sint denuntiati, certè communicatio hæc illicita est, consentientibus omnibus, in casibus sequentibus: 1° si communicetur in ipsâ doctrinâ, in ritibus hæreticis, v. g. participando cœnæ calvinistæ, aut aliæ rei ob quam communicans graviter de suâ fide suspectus haberetur; 2° si ex communicatione periculum propriæ perversionis immineret, vel si oriatur scandalum proximi aut catholicæ religionis contemptus: unde peccarent catholici qui magistris hæreticis filios suos educandos committerent; 3° si per hujusmodi communicationem hæreticus fieret audacior et in suo errore pertinacior.

Circa hæc, notanda sunt varia Pii VI monita: nempe 1° in suo Brevi 19 mart. 1791, sic fideles admonebat: « Caveatis ne ullo modo communicetis, præsertim in divinis, cum intrusis et refractariis, quocumque nomine appellentur. » — In suis verò Brevibus, 26 sept. 1791 et 16 dec. 1793 dicebat: « Non licere fidelibus, sive diebus feriatis, sive diebus Dominicis aliisque de præcepto, missæ assistere celebratæ à parocho vel simplici presbytero, qui civicum juramentum emiserint, neque eisdem fidelibus licere vesperis publicisque precibus assistere, quibus parochus, vel simplex sacerdos præest, cùm expressè vetita fuerit quævis communicatio, præsertim in divinis, cum intrusis et refractariis...

« Non posse fideles parochum juratum adire pro sacramento Baptismatis, excepto casu extremæ necessitatis, in quo non adest alius valens baptizare. Non licere fidelibus patrini munere fungi in Baptismate administrato à parocho vel presbytero jurato aut à parocho intruso. » Vide alia in *Manuali* (6125).

Observandum est quòd non fuit prohibitum ne sacerdotes catholici celebrarent sacra mysteria in ecclesiis quæ à schismate profanatæ fuêre, quia per tale crimen templa non polluuntur.

Extra supradictos casus, aliqui autumant communicationem cum hæreticis, concurrente gravissimâ causâ, licitam esse, etiam in rebus divinis, suppositis tamen quibusdam conditionibus : « Haud equidem ignoramus, ait « Bened. XIV (*De Syn.*, lib. 6, c. 5), non deesse theologos « ab omni culpâ absolventes catholicos qui cum hæreticis « et schismaticis, nominatione non denuntiatis, commu- « nicant in divinis, atque etiam sacramenta ab iisdem « recipiunt, dummodo hæ simul concurrant circumstan- « tiæ : 1° ut... adigat gravissima et urgentissima causa ; « 2° ut hæretici aut schismatici, à quibus sacramenta « exposcunt, sint validè ordinati, et sacra administrent « ritu catholico, absque ullâ admixtione ritûs damnati ; « 3° ut communicatio cum eisdem in divinis, non sit ex- « terna protestatio falsi dogmatis ; 4° demum ut nulli « scandalum ingerat. Verum... prædicta theologorum sen- « tentia suos habet adversarios, neque ab omnibus admit- « titur tanquam in praxi secura ; dein, eâ etiam admissâ, « cùm omnes enumeratæ circumstantiæ simul et conjunc- « tim adesse debeant, ut catholicorum cum heterodoxis « in rebus sacris societas omni vacet culpâ ; idcircò ferè « impossibile est usuvenire, ut à flagitio excusari valeant « catholici sese in rebus sacris cum hæreticis vel schisma- « ticis admiscentes. » — Aliquando tamen id vacaret culpâ, ut constat ex verbis Pii VI supra relatis. (V. Manuale n^is 6128, etc.)

§ III.

De Schismate.

873. Schisma *græcum nomen est*, ait cap. *Schisma*, causa 24, q. 1, *quod scissuram significat* ; et locum habet quando aliquis sese separat voluntariè ab unitate Ecclesiæ catholicæ. Vix tamen schisma sinè aliquâ hæresi existit : tum quia schismatici facilè sibi persuadent extra Ecclesiæ unitatem salutem inveniri posse, quòd aperta hæresis est ; tum quia ferè semper, propter alicujus fidei veritatis negationem, sese ab Ecclesiâ segregant.

Schismatici sunt potissimùm illi qui sese separant ab Ecclesiâ Romanâ seu à Summo Pontifice, cùm « ad hanc

« Ecclesiam, propter potiorem principalitatem, necesse « est omnem convenire Ecclesiam, hoc est eos qui sunt « undique fideles » (S. Irenæus, lib. 3, *contra hæres.*, cap. 3, § 2). Sed schismatici etiam nuncupantur, quamvis sensu minus stricto, qui se, à suo proprio Episcopo communionem cum Papâ habente, segregant, ei subesse detrectantes. Si verò peculiares Ecclesiæ inter se dissociantur, salvâ unitate fidei, et communione cum universalis Ecclesiæ Capite, propriè schisma non est. sed potiùs voluntatum et opinionum dissensio.

Schisma est 1° vel *purum*, si cum nullâ conjungatur hæresi, quod vix fieri potest, ut jam diximus : si, v. g., regnum vel provincia, obedientiam Papæ tanquam Capiti Ecclesiæ renuens, constitueret sibi Patriarcham, sinè Papæ consensu, quamvis de cætero papatum et omnes fidei articulos crederet. Vel est *non purum*, si conjungatur cum hæresi : v. g., si non admittatur Primatus jurisdictionis S. Pontificis in universalem Ecclesiam.

2° Schisma est etiam vel *speciale*, vel *universale* : *speciale* est quando aliquis à propriâ Ecclesiâ, suoque Episcopo cum Apostolicâ Sede communionem habente, se injustè separat, et subesse omninò recusat. *Universale* est quando Ecclesia, Episcopus vel quivis fidelis subjectionem et obedientiam Romano Pontifici denegat.

874. Quærit. Quænam sint pœnæ contra schismaticos latæ?

Resp. Si non sint *puri*, easdem pœnas incurrere ac hæreticos de quibus supra diximus.

Si *puri* sint, sequentes pœnas ab ipsis incurri : 1° Excommunicationem majorem S. Pontifici reservatam (cap. *Nulli fas* 5, dist. 19; cap. *Liguribus* 43, causa 23, q. 5, Bullâ *Cœnæ*, § 1); 2° inhabilitatem ad beneficia et Dignitates ecclesiasticas, præsertim Episcopalem (cap. *Quia diligentia* 5, *de elect.*, et cap. 1, *De Schismaticis*, in 6°); et hoc probabiliùs locum habet etiam post peractam pœnitentiam; 3° privationem jurisdictionis ecclesiasticæ : ex quo fit ut quæcumque collatio beneficii, alienatio rerum ecclesiasticarum, uniones ecclesiarum, sententia et absolutio censurarum, etc., ab ipsis factæ, ipso jure sint irritæ (cap.

Novatianus 6, causa 7, q. 1 ; cap. *Didicimus* 31, causa 24, q. 2 ; cap. 1, *De Schismaticis*) ; 4° privandi sunt suis bonis, officiis, honoribus ac dignitatibus, cap. 1, *De Schismaticis*, in 6°. Hæc intelligenda sunt etiam de *schismate speciali*. Quidam tamen secus sentiunt. V. C. *Ap. Sed.* 3, exc. spec. res.

Nota quòd qui ordines à schismaticis susceperunt sunt ipso jure suspensi et inhabiles ad officia ecclesiastica, donec sint Ecclesiæ reconciliati. Hujusmodi ordinationes *irritæ* in sacris canonibus dicuntur, eò quòd nullum jus tribuant sacros ordines legitimè exercendi (cap. *Quod à prædecessore* ; et cap. *Fraternitati tuæ, de schismaticis*).

Quomodo vero schismatici sint reconciliandi? Vide in Manuali (6135, etc.).

ART. II.

DE DELICTIS CONTRA VIRTUTEM RELIGIONIS.

§ I.

De Simonia.

875. *Simonia* sic dicta à Simone Mago, definitur communiter : *studiosa* (seu deliberata) *voluntas emendi aut vendendi, pretio temporali, aliquid spirituale aut spirituali annexum.*

1° Nomine *rei spiritualis* intelligi debet res supernaturalis ad salutem ordinata, sive sit formaliter talis, ut gratia et dona Spiritûs S. ; sive causaliter, ut sunt sacramenta, concio, preces, etc. ; sive sint effectus et usus potestatis supernaturalis, ut consecratio, dispensatio, excommunicatio, electio, collatio beneficii, aliique actus jurisdictionis ecclesiasticæ.

Nomine autem rei *spirituali annexæ*, intelliguntur ea quæ per se non sunt quidem spiritualia, sed ad ea ordinantur, sive annexa sint eis *antecedenter*, ut jus patronatûs respectu beneficii, vasa et vestes sacræ respectu sacramentorum ; sive *concomitanter*, ut labor intrinsecus in administratione sacramentorum ; sive *consequenter*, ut redditus beneficiorum, qui dantur propter officium spirituale.

Non habetur verò ut res spiritualis labor extrinsecus qui non est necessariò annexus functioni sacræ, qualis est itineratio extraordinaria, cantus in missâ, aut aliquid aliud pretio æstimabile.

Instruere in doctrinâ sacrâ est quidem res spiritualis, si instructio tendat ad bonum tantùm spirituale aliorum : unde esset simonia sic instruere pro pretio, nec liceret aliquid recipere pro studio, defatigatione, quia hæc habentur ut labor intrinsecus : idem dic de labore ad præparandam concionem. Secus si instructio tendat etiam ad aliquod bonum temporale alterius, ad utilitatem, honorem, oblectationem, prout est instructio ad edocendas sacras Scripturas, aut theologiam sive polemicam sive moralem; unde S. Thomas dicit : « Qui docet scientiam, potest stipendium acci-« pere, quasi operas suas locans. »

Item non debet haberi ut res spiritualis sustentatio personæ à quâ spirituale præstatur : unde non est simonia accipere pecuniam, non ut pretium, sed ut stipendum sustentationis, etiam pro labore intrinseco in tali ministerio impendendo.

2° Ut *pretium temporale* haberi debent non solum munus à *manu*, id est pecunia, et quodcumque temporale quod pretio sit æstimabile, quale esset etiam remissio vel solutio debiti, vel pactum de præstando mutuo etiam in incontinenti; item si Episcopus dans beneficium conveniat cum accipiente quòd iste alteri pensionem præstabit : vel si quis pasciscatur cum aliquo, quòd si eum adjuvet ad beneficium obtinendum, pensionem illi solvet; sed etiam *munus à linguâ*, id est laus, vituperium, patrocinium, etc., aut etiam *munus ab obsequio et famulatu*, uti docere, inservire.

3° Per *venditionem et emptionem*, intelligendi sunt quivis contractus onerosi, sive venditionis sive locationis sive permutationis aut renuntiationis, quibus irreverenter res spirituales, instar temporalium, pretio æstimantur et contractibus subjiciuntur. Non autem existit simonia, saltem extra mentem, sinè aliquâ pactione, vel expressâ vel tacitâ, et obligatione ex pacto.

876. Simonia quadruplex est : 1° *mentalis*, cum quis

dat temporale cum animo obligandi ad reddendum spirituale, aut è converso, sed absque ullo pacto : est vel purè *mentalis* quæ nullo modo influit in actus externos; vel *non purè mentalis* quæ licet influat in actus externos, attamen nihil deducit in pactum, etiam tacitum.

2° *Conventionalis*, cùm adest pactum, sed nondum à contrahentibus executum. Si tamen ab unâ parte executioni mandaretur simonia vocaretur tunc *mixta*.

Nulla in jure canonico clarè expressa reperitur pœna adversùs simoniam, sive mentalem sive purè conventionalem sive mixtam.

3° *Realis*, cùm pactum jam est impletum ex utrâque parte saltem inchoativè, cum scilicet, datâ re spirituali ab uno, ab altero solvitur pars saltem pretii conventi.

4° *Confidentialis*, quando resignantur beneficia cum conditione *accessûs*, *regressûs*, vel *ingressûs* ad ipsa, vel cum confidentiâ recipiendi fructus ex beneficio resignato : si enim confidentia esset de aliâ re temporali recipiendâ, esset quidem simonia, sed non confidentialis.

Fit autem confidentia per *accessum* cùm quis renuntiat beneficium alteri, pacto ut ille deinde resignet et alteri conferatur. Fit per *regressum*, cùm quis sibi reservat jus reassumendi iterum beneficium in aliquo casu. Fit tandem per *ingressum*, si resignes beneficium tibi collatum, sed nondum possessum, cum pacto capiendi possessionem illius in aliquo casu aut tempore.

Iterum simonia, alia est juris naturalis in quâ accipitur temporale pro pretio rei spiritualis; alia juris ecclesiastici quæ ab Ecclesiâ prohibetur ob apparentiam quam habet simoniæ, vel periculum quod ingerit ad simoniam : v. g. quando prohibet confidentiam.

877. Simonia est unum ex maximis criminibus, et hæresi proxima habetur à sacris canonibus, qui eam vocant *simoniacam hæresim*. « Omnia enim crimina, inquit cap. « *Patet* 27, causa 1, q. 7, ad comparationem *simoniacæ* « *hæresis* quasi pro nihilo reputantur. » — « Pecunia tua « tecum sit in perditionem, quoniam donum Dei existi- « masti pecuniâ possideri » (Act. Apost., cap. 8, v. 20). Communis autem est sententia, casu quo simonia est juris

naturalis, non dari in eâ parvitatem materiæ : casu verò quo est tantùm juris ecclesiastici, probabiliter adesse potest materiæ parvitas, quia, quando non accipitur temporale pro pretio rei spiritualis, sed acceptio vetita est ad vitandam tantùm speciem simoniæ, reipsâ non fit injuria rei spirituali, sed violatur tantùm præceptum Ecclesiæ, in quo potest contingere parvitas materiæ.

An semper ac datur temporale pro spirituali, vel contra, sit simonia? Vide dictum in Manuali nis 6151, etc.

Simoniacum esset dare beneficium alteri propter preces alterius, si illud fieret ad favorem humanum adipiscendum; secus, si daretur etiam indigno, nullo habito respectu ad talem favorem comparandum. Ita S. Liguor., lib. 3, nº 52, qui adjicit, contra Lacroix, quòd adesset simonia in conferendo beneficio ad se liberandum ab injusto damno : quia esset dare spirituale pro temporali commoditate. Contradicere videtur Reiffenst. ob rationem quòd talis operans non agat ex pacto.

Notandæ sunt hîc sequentes propositiones ab Innocent. XI damnatæ : propos. 45 : « Dare temporale pro spirituali « non est simonia, quando temporale non datur tanquam « pretium sed duntaxat tanquam motivum conferendi vel « efficiendi spirituale; vel etiam quando temporale sit so- « lùm gratuita compensatio pro spirituali, aut contra. » Propositio 46 : « Et id quoque locum habet, etiamsi tem- « porale sit principale motivum dandi spirituale; imò, « etiamsi sit finis ipsius rei spiritualis, sic ut illud pluris « æstimetur quàm res spiritualis. »

Meritò damnatæ fuêre prædictæ propositiones; nam quamvis ibi dicatur ob motivum, non verò tanquam pretium, et non sit simonia ubi non intervenit venditio rei spiritualis, attamen quando res merè spirituales dantur principaliter propter temporales alicujus magni momenti (secus si parvi), difficilè dantur omninò gratis, sed praticè præbentur cum pacto implicito imponendi alteri novam obligationem, et sic motivum convertitur in pretium.

878. Quærit. 1° An sit simoniacum celebrare missas, administrare sacramenta, assistere choro, concionari, et similia peragere, principaliter ob emolumenta temporalia?

Resp. In hoc non concordare DD. : alii enim affirmant; alii verò negant; negantium verò sententia probabilior vocatur à S. Liguorio, quia simonia quidem est accipere temporale pro pretio spiritualis, minimè verò si temporale accipiatur tanquam stipendium ad sustentationem ministri qui spirituale munus exercet : sicut enim simoniacus non est qui stipendium dat principaliter propter missam, ita qui missam celebrat principaliter propter stipendium. In hoc tamen difficilè sic celebrans excusaretur ab aliquâ culpâ, cùm sit quædam inordinatio dirigere spiritualia ad temporalia, sed non ideo esset simonia.

Nec obstat propositio 46 supra relata, ubi dicitur : *Etiamsi temporale sit principale motivum dandi spirituale*, quia in dictâ propositione motivum accipitur pro eodem ac *pretium rei spiritualis*, et in nostrâ hypothesi temporale datur, non ut pretium *rei spiritualis*, sed in stipendium personæ occupatæ in gratiam alterius : in quo sensu liceret etiam, ad stipendii modum, dare pauperi pecuniam ut pro dante oret.

879. Quærit. 2° An sit simonia dare beneficium cum onere rem spiritualem præstandi?

Resp. Si illud onus jam sit insitum beneficio, vel si ab Episcopo cum Capitulo beneficio vacanti imponatur, v. g. infirmis assistendi, docendi, canendi, etc., tunc beneficium dare cum tali onere non est simonia. Ita communiter. Si verò dictum onus imponeretur à resignante vel à præsentante, quidquid dicant aliqui apud Sanchez, hoc haberi debet ut simoniacum, ex cap. *Quam pio* 1, q. 2; in aliis tamen rebus spiritualibus posset esse locus commutationi, v. g. *applico pro te missam, ut mane applices pro me.* Certè est simonia conferre beneficium famulo ut gratis inserviat; vel si famulus inserviat, ut loco salarii beneficium consequatur. Non tamen esset obligatio restituendi nec incurrerentur pœnæ contra simoniacos latæ, nisi intercessisset pactum expressum.

880. Quærit. 3° An reverà dari possit simonia de solo jure humano, non autem divino?

Resp. Negare Gonet, apud S. Liguor., quia, inquit,

minimè possunt homines rerum naturam mutare, et facere quòd aliquid sit simonia, quod tale non est; secus tamen communiter sentiunt DD., quia Ecclesia potest efficere ut materia sui præcepti sit materia determinatæ virtutis, sicut hic religionis.

Sic 1° plures dicunt simoniam esse de solo jure ecclesiastico vendere beneficia, quia jus ad redditus temporales, quod certè est pretio æstimabile et vendi posset si non esset Ecclesiæ prohibitio, potest mentaliter separari à jure ad exercendas sacras functiones, sicut in calice separatur valor argenti à consecratione. Attamen multi alii probabiliùs sentiunt tunc adesse simoniam de jure divino, quia aliud est temporale in calice, cùm ibi sit antecedenter annexum spirituali, aliud in beneficiis in quibus est subsequenter tantùm annexum, nec à spirituali separari potest quin statim desinat esse jus beneficiale; jus enim ad fructus beneficii non datur nisi propter officium spirituale (cap. *Si quis* 1, q. 3; et cap. *Et diligenti*, *de Simon.*). Hinc etiam cum dispensatione S. Pontificis vendi non possunt beneficia; sed Papa posset separare jus ad redditus, à jure ad sacra, et ita concedere ut vendantur redditus, tanquam res merè temporales; vel ut aliqua pensio super beneficium imponatur, separando tunc partem fructuum illius et alicui tradendo.

Sunt officia quæ neque spiritualia sunt, neque spiritualibus annexa, quæ propter periculum et speciem quamdam simoniæ pretio conferri vetantur : qualia sunt officia œconomi, sacristæ, advocati; et alia ejusdem generis quæ ad temporalium ecclesiæ rerum administrationem ordinantur ex cap. *Si quis* 1, et cap. *Salvator*, q. 1.

2° Etsi in aliis rebus spiritualibus præter beneficia, permutatio sit aliquando licita, unde licet dicere, v. g. : *Ego dicam missam pro te ut pro me dicas tot rosaria*; aut si, in rebus spirituali annexis, temporale sit antecedenter spirituali annexum, possit temporale permutari cum temporali, v. g. calix cum arculâ reliquiarum, in beneficiis tamen talis permutatio, sine legitimâ auctoritate peracta, tanquam simoniaca est vetita (cap. *Quæsitum*, *de rerum permut.*) : sed hæc simonia est juris positivi tantùm; facta

verò permutatio ex auctoritate competenti est licita, ut supra diximus (292, etc.).

3° Etiam extra beneficia, pacta possunt esse simoniaca ex solo jure positivo, sic ab Ecclesiâ prohibetur ne vendatur *oleum* benedictum et S. Chrisma, etiam quoad materiam, ob periculum in tali venditione insitum ne ratio habeatur consecrationis in æstimatione pretii (cap. *Ea quæ* 16, *de simoniâ*; et can. *Placuit* 102, causa 1, q. 1).— Item vetatur aliquid accipere etiam sponte oblatum pro examine ad parochiales ecclesias (Concil. Trid., sess. 24, c. 18, *De ref.*).

881. **Quærit. 4° Qualiter committi possit simonia pro ingressu in religionem?**

Resp. Certum est esse simoniam aliquid dare et accipere pro ingressu in monasterium (cap. *Quam pio* 2, causa 1, q. 2; cap. *Non satis*, et cap. *Veniens, de simoniâ*), quia hoc esset vendere Statum religiosum.

Sed quæstio est an liceat aliquid accipere pro sustentatione ingressuri: porrò certum est: 1° posse aliquid recipi pro alimentis tempore novitiatûs (Trid., sess. 25, c. 16, *De reg.*). 2° Certum est posse aliquid recipi pro sustentatione professuri, si monasterium sit inops, quia in hoc casu recipiendus nullum est habiturus jus ad bona quæ monasterium non habet: ita communiter; et ad hoc non requiritur arcta necessitas, sed sufficit quòd monasterium non possit aliàs commodè alimenta postulantibus suppeditare. 3° Certum est posse aliquid recipi si recipiendus sit infirmus, senex, tardus ingenio, etc., in compensationem nempe incommodi temporalis quod tunc subiturum est monasterium, vel servitutis quam alius sanus vel juvenis præstiturus fuisset: ita omnes. 4° Certum est posse aliquid accipi à monasteriis monialium, ex concessione Clem. VIII, quia monasteria monialium faciliùs sunt obnoxia diversis infortuniis, ut experientiâ constat. 5° Dicit Reiffenst. (lib. 5, tit. 3, *De simoniâ*, n° 183) posse « regulares tàm viri quàm « mulieres quorumvis monasteriorum, etiam divitum, cum « parentibus pacisci et exigere certam quantitatem pecu- « niarum, vel aliorum bonorum temporalium, sub condi- « tione ut suscepta ad religionem et professa persona omni

« jure hæreditatis, vel alterius justæ prætentionis tempora-
« lis, renuntiet. Ratio est quia in tali casu justè exigitur
« temporale pro temporali... Cùm... quidquid monachus
« acquirit, acquirat monasterio. »

His casibus exceptis, circa positam quæstionem duplex est sententia, prout exponitur in *Manuali* (6172). In cap. *Quoniam*, *De simon.*, et Extrav. *De simon.*, prohibetur quidem sub excommunicatione aliquid accipere ob quemcumque finem pro ingressu in Religionem, nisi quis liberaliter dare voluerit, sed hæc excommunicatio videtur usu abolita saltem pro monasteriis mulierum.

882. Quærit. 5° An aliquid possit accipi pro dispensationibus?

Resp. Nulla lege prohibente, accipi aliquid potest per modum sustentationis aut per modum commutationis, sicut vota commutantur in eleemosynas.

883. Quærit. 6° An simonia sit aliquid dare ad redimendam injustam vexationem ?

Resp. Vel res, à quâ injustè impeditur quis, est res *in quâ* jus certum habet, vel res *ad quam* tantùm jus possidet. *Si priùs*, licet tollere injustam vexationem dando aliquid temporale : ita communiter. Unde dari posset aliquid ne injustè denegarentur sacramenta in necessitate gravi, v. g., implendi præceptum paschale, non remanendi in mortali peccato, etc.; vel ne eligatur indignus, si electores ad hoc essent parati. Ecclesia enim habet jus acquisitum ne sibi detur minister ineptus; imò jus habet ut eligatur dignus aut dignior in genere (non verò in individuo). — Secus tamen si jus in re esset dubium, quia alioquin per temporale acquiri posset jus certum ad spirituale. Secus pariter si quis justè impediretur obtinere spirituale : undè, quidquid dicat Elbel cum aliis quibusdam, licitum non est dare pecuniam competitori, ut desistat concurrere ad beneficium.

Dictum fuit *dando aliquid temporale* : non enim posset dari spirituale pro redimendâ vexatione injustâ, quia hoc esset commutare spirituale pro temporali, et proinde esset simonia.

Si posteriùs, id est si *jus ad rem* tantùm quis habeat,

non licet pecuniâ vexationem tollere, ex cap. *Matthæus, De simon.* : hinc simonia esset si offerrem pecuniam Episcopo qui injustè nollet me præsentatum instituere, vel me dignum eligere, quia tunc per pecuniam, non solùm amoverem impedimentum, sed etiam rem spiritualem adipiscerer.

Probabiliter tamen simonia non esset dare pecuniam ne aliquis electorum vi vel fraude alios electores corrumpat, et sic impediat electionem dantis; imò etiamsi hoc faceret, solis precibus aut muneribus ex odio sinè vi vel fraude. Item non esset simonia dare pecuniam ad redimendam vexationem ab iis qui tantum obesse possunt; secus si possint obesse et simul prodesse, instituendo, præsentando, vel confirmando, quia sic pecuniâ tunc directè sterneretur via ad beneficium obtinendum.

884. Quærit. 7° Quæ sint pœnæ contra simoniam latæ?

Resp. Non incurri pœnas quoties committitur simoniæ crimen, sed duntaxat in simoniâ *reali contra jus divinum* quæ *perpetratur* in ingressu in Religionem, in collatione et susceptione ordinum, in beneficiis ecclesiasticis, vel per simoniam confidentialem : unde non incurruntur ullæ pœnæ pro venditione sacramentorum aut jurisdictionis spiritualis.

Diximus 1° *In simoniâ reali*, proinde non in simoniâ mentali, nec purè conventionali (cap. *Mandato* 46, *De simoniâ*). Disputatur tamen an, ad incurrendas pœnas, simonia debeat esse ex utrâque parte completa; communior et probabilior sententia tenet requiri impletionem ex utrâque parte, licet non requiratur ut in toto sit impleta, quia in jure nullibi pœnæ infliguntur contra simoniam non utrinque completam; et *in pœnis benignior est interpretatio facienda*. Secus est dicendum in simoniâ confidentiali : in eâ enim sufficit quòd ex unâ parte sit impleta, juxta Bullam S. Pii V *Intolerabilis*.

Ex præfatis concluditur eum qui beneficium obtinet per fictam pecuniæ promissionem, etsi peccet cooperando alterius simoniæ, attamen reverà, ante impletionem, non incurrere pœnas contra simoniam latas, quia tunc simonia non est utrinque completa.

Diximus 2° *In simoniâ reali contra jus divinum.* Controvertitur tamen an non etiam per simoniam realem *contra jus ecclesiasticum* incurrantur pœnæ contra simoniacos latæ : v. g. si quis emeret officium sacristæ, œconomi, etc. Opinio autem, tàm affirmans quàm negans, habetur ut probabilis à S. Liguor.

Ut autem deveniamus nunc ad speciales pœnas à sacris canonibus contra simoniam sancitas, dicendum est :

885. 1° Ex cap. 1 Extrav. *De simoniâ*, præsumentes dare aut accipere aliquid pro ingressu in Religionem incurrunt ipso facto excommunicationem papalem. Sed valde est probabile quòd non incurratur in simplici ingressu, sed in professione, quæ tamen certò est valida, hoc non obstante, etsi contrarium dicat Auctor *Prælect. S. Sulp.*, n° 693, p. 298. Servata est excomm. reservata per C. *Apost. Sedis.*

Si accipiens sit integra communitas aut Capitulum, non excommunicationem incurrit, sed suspensionem Papæ reservatam ob officio, executione juris capitularis et administratione jurisdictionis.

Item incurritur ex utrâque parte infamia juris, et proinde irregularitas ; simoniacè autem admissus debet transferri post sententiam in arctius monasterium, ex eâdem Extrav.

886. 2° Ultra excommunicationem et suspensionem papalem, Episcopi simoniacè ordinantes, et ad id mediatores, incurrunt ipso facto interdictum ab ingressu ecclesiæ (cap. *Cùm detestabile* 2, Extrav. *De simoniâ*). Et si violaverint suspensionem aut interdictum, suspenduntur à regimine Ecclesiæ suæ, et privantur perceptione fructuum (*ex motu* Sixti V). Suppressæ sunt hæ censuræ C. *Ap. Sed.*

Ordinati verò ultra prædictam excommunicationem et suspensionem Papæ reservatam, suspenduntur ipso facto ab exercitio suorum ordinum, sed probabiliter illorum duntaxat qui simoniacè sic fuerunt recepti, ac etiam à spe ascendendi ad superiores ordines (Extrav. *Cùm detestabile* citatâ; et Bullâ Sixti V). Ablatæ sunt hæ censuræ C. *Ap. Sed.*

Si crimen simoniæ sit manifestum, tàm ordinans quàm ordinatus, ultra supra dictas pœnas, à gradu suo et ecclesias-

tico beneficio sunt deponendi, ex can. *Qui per pecuniam*, causa 1, q. 1. Idem est dicendum in casu quo beneficium simoniacè obtinetur (can. *Erga simoniacos*, causa 1, q. 1; et cap. *De hoc* 11, *De simoniâ*).

887. 3° Ob simoniam realem in beneficiis incurritur 1° excommunicatio papalis; 2° irrita est electio, præsentatio, confirmatio et institutio; unde talis non facit fructus suos, et hoc licet crimen à tertiâ personâ, proviso ignorante, fuerit commissum, ut habetur in cap. *Nobis fuit, de simoniâ*, nisi tamen provisus contradixerit (cap. 33, *De simon.*), quo etiam casu contradicens beneficium non posset acceptare, si sciret pecuniam reverà fuisse datam à tertio pro collatione, cùm in dicto capitulo dicatur : *te penitus ignorante;* vel nisi à tertio pecunia fuerit data per fraudem, ut provisus redderetur inhabilis; vel nisi bonâ fide possessum fuerit beneficium per triennium. Non tenetur autem Beneficiatus, etiam ante triennium, restituere fructus bonâ fide consumptos, si ditior non evaserit, nec fructus perceptos intuitu stolæ et aliarum functionum parochialium, prout exequiarum, concionum, administrationis sacramentorum, etc.: quia hæc non sunt redditus beneficii, sed in stipendia officii præstantur : ita post S. Thomam, S. Liguor. 3° Provisus simoniacè inhabilis efficitur, ante omnem sententiam etiam declaratoriam, ad idem beneficium, etsi simoniam penitus ignorasset, aut dispensationem ab Episcopo obtinuisset. Non tamen ipso jure cæteris suis beneficiis privatur, nec inhabilis fit ad alia acquirenda, ante sententiam declaratoriam. Præfata congruunt C. *Ap. S.*

A dictis excipi debet simonia commissa ab examinatoribus beneficiorum parochialium, in synodo electis, qui, si aliquid recipiant occasione examinis, privantur ipso facto, ante omnem sententiam, beneficiis antea ritè obtentis (Conc. Trid., sess. 14, c. 18, *De ref.*). Attamen etiam tunc requiritur sententia saltem declaratoria criminis; imò, si illi examinatores velint absolvi à labe simoniæ, dimittere priùs debent sua beneficia juxta idem Concilium (*ib.*).

888. 4° Ob *simoniam confidentialem*, etiamsi fuerit tantùm conventionalis, incurruntur : 1° interdictum ab ingressu ecclesiæ; 2° excommunicatio papalis, ipso facto; 3°

nullitas collationis et obligatio restituendi fructus; 4° inhabilitas ad idem beneficium obtinendum, et ad alia quæcumque assequenda; 5° privatio aliorum beneficiorum justè antea obtentorum : hæ quidem pœnæ incurruntur ipso facto, sed requiritur sententia criminis declaratoria; 6° collatio beneficii per confidentiam dati ad Papam reservatur.—Excomm. servata, non verò interd. C *Apost. Sed.*

Nota quòd si quis resignet beneficium cum confidentiâ, ex auctoritate privatâ, non obtento Superioris assensu, peccatur quidem, sed tunc non incurruntur dictæ pœnæ; talis enim resignatio de se est nulla, etiam independenter à simoniacâ pactione. Pœnæ autem non incurruntur, quando resignatio independenter à labe simoniæ non est valida.

Circa prædicta notandum est adhuc quòd, nomine beneficiorum et officiorum quorum electio simoniaca nulla est ipso jure, non veniunt vicariæ amovibiles ad nutum, nec pensiones, nec capellaniæ non collativæ, nec officia Inquisitoris, Legati, aut cujuscumque habentis jurisdictionem spiritualem ad tempus[1] : quia non sunt propriè officia ecclesiastica; et quamvis simonia adsit in illorum venditione, attamen propterea non incurruntur pœnæ supra enuntiatæ.

Sed veriùs invalidæ sunt electiones simoniacæ Generalatûs, Abbatiæ, Provincialatûs, Prioratûs, Rectoratûs, aliorumque officiorum spiritualium in Religionibus. Vide Extrav. 2, *De simoniâ.*

889. Quærit. 8° An electio S. Pontificis simoniaca sit invalida?

Resp. Non concordare in hoc DD. : alii enim negant, ut Suarez et alii plures, et probant ex cap. *Licet* 6; affirmant tamen veriùs, juxta S. Liguor. (*ib., quær.* 4), Cabassut, Bonacin., Viva, etc., cum communiori sententiâ, et probant ex cap. *Si quis*, dist. 79; et clariùs ex Concil. Lateran. V, sess. 5, ubi dicitur : « Sacro approbante Con« cilio statuitur, ut electio Romani Pontificis per simo-

[1] Ex his verbis dubitari potest an incurrerentur pœnæ supradictæ in venditione parochiarum quæ apud nos vocantur *succursales*, quorum rectores ab Episcopo sinè formis juridicis removeri possunt.

« niam facta, eo ipso nulla existat; et sic electo nulla in « spiritualibus vel temporalibus tribuatur facultas. » Nec objici valet quòd Ecclesia remaneret sinè Capite : nam posito errore communi cum titulo colorato, si occulta esset simonia, Ecclesia suppleret jurisdictionem : « Unde, « ait S. Liguor. (*ib.*, q. 4), omnes actus hujusmodi Pon- « tificis benè erunt validi, et ejus definitiones adhuc « infallibilem habebunt auctoritatem, ut declaratur in... « cap. *Licet*; secùs si simonia esset publica. »

Quærit. 9° An et cui sit restituendum simoniacè acceptum? — Vide responsionem in Manuali (6193).

890. Quærit. 10° Quinam possint absolvere vel dispensare in supra dictis pœnis?

Resp. Quoad excommunicationem et suspensionem in ordine simoniacè accepto, solus S. Pontifex potest absolvere, nisi hæ censuræ sint occultæ (cap. *Liceat* 6, sess. 24, Conc. Trid.). Sed ex dictis susp. est suppressa.

Quoad verò suspensionem ab ordinibus ritè susceptis, controvertitur an illam Episcopus possit tollere. Salmantic. probabiliorem habent sententiam negantem.

Circa inhabilitatem ad alia beneficia præter illud quod fuit simoniacè obtentum, Episcopus potest dispensare, nisi fuerit simonia confidentialis, aut nisi simoniacus expectet sententiam, quia tunc est irregularis ex infamiâ juris.

Quoad autem inhabilitatem ad idem beneficium, si istud fuerit simplex, canonicatus nempe, vel etiam Dignitas cui non insit cura animarum, et fuerit acceptum per simoniam ignoranter, scilicet per simoniam à tertio commissam ipso accipiente ignorante, tunc potest Episcopus dispensare, etiam in illâ vacatione, dummodo beneficiarius spontè renuntiet. Ita probabiliter cum S. Thomâ. Si autem beneficium sit curatum non potest Episcopus dispensare, etiam in illâ vice, sed potest in aliâ vacatione cum ignorante.

Si verò quis scienter simoniacè acceperit beneficium, sive sit simplex, sive curatum, etiamsi simoniacus sponte renuntiet, nequit Episcopus cum eo dispensare ad idem beneficium, neque pro illâ, neque pro aliâ vice, ut docet

S. Thomas (2, 2, q. 100, art. 6, ad 7), quamvis posset dispensare ad alia beneficia obtinenda, nisi fuerit simonia confidentialis. Cap. penult. *De Elect.*

An autem Pontifex beneficium alicui quem scit inhabilem conferens, censeatur super hoc cum eo dispensare. Vide in Manuali (489).

§ II.

De blasphemia.

891. Blasphemia *est mala, seu contumeliosa locutio in Deum.* Vide theologos moralistas.

Antiquo jure blasphemi, si clerici erant, deponebantur ab officio et statu clericali; si verò laici, excommunicandi erant. (Cap. *Si quis* 10, q. 1.)

Vide insuper cap. 2 *De Maledicis.*

In suâ autem Const. *Cùm primùm*, § 9, S. Pius V variis pœnis laicum blasphemum plectit, quæ in praxim deduci non possunt apud nos in Galliâ.

Clericus verò blasphemus ex eâdem Constit. pro primâ vice privandus est fructibus unius anni omnium beneficiorum; pro secundâ, ipsis beneficiis; pro tertiâ tandem, omnibus dignitatibus privatus, deponendus est atque in exilium mittendus. Si autem clericus beneficium non habeat, pro primâ vice, pecuniariâ, vel corporali pœnâ plectendus est; pro alterâ, in carcerem detrudendus atque ad triremes mittendus. Qui in Sanctos blasphemias effuderit, eum S. Pius V, judicis arbitrio, habitâ ratione criminis ac personarum, puniri voluit.

§ III.

De perjurio.

892. Licitum est aliquando jurare, ut constat innumeris sive Scripturæ sive traditionis monumentis; sed conditiones requiruntur ut licitum fiat juramentum. « Jurabitis, aiebat « Jeremias (c. 4, v. 2), in veritate et judicio et justitiâ. » Vocare autem Deum in testem pro re parvi momenti non

est mortale, si adsint veritas et justitia : est tamen veniale, quia est assumptio nominis Dei in vanum : imò posset esse mortale, si juramentum esset adhibitum ad confirmandam detractionem etiam levem ; si verò desit veritas (imò justitia, saltem in juramento promissorio), juramentum est peccatum mortale, et vocatur perjurium : « Plures adversùs perjuros pœnæ sunt constitutæ. Eos non secus ac « fures et adulteros, sese ab altari rejecturum minatur « Chrysostomus (Hom. 17 *in Matth.*, n° 5) : per undecim « verò annos communionis expertes esse Basilius jubet « (*epist. canon.*). Jure civili et canonico perjuri infames sunt « (L. 8, Cod. Theod., *de Pactis*, can. 9, causa 3, q. 5, etc.) « arcentur à ferendo testimonio (cap. 7 et 34, *De Test.*), « atque ab ecclesiasticis beneficiis, et aliis etiam pro re- « rum criminisque ratione pœnis subjiciuntur.» Ita Devoti (tom. 4, tit. 12, § 2).

§ IV.

De sacrilegio.

893. Sacrilegium est violatio rei sacræ seu cultui divino dicatæ ; triplicis generis est : *personale* quo persona, *locale* quo locus, et *reale* quo res aliæ violantur.

I. *Personale* committitur per clericorum percussionem, aut eorum pertractionem ad judicium sæculare; item per luxuriosam violationem personæ Deo per votum castitatis sacratæ. Quoad pertractionem ad forum, vide Manuale (4678, etc.).

Controvertitur utrum violatio voti sit semper sacrilegium : probabiliùs autem est quòd tale sit violatio voti castitatis; imò certum est tale esse violationem voti solemniter emissi in professione religiosâ, aut in susceptione ordinis subdiaconatûs.

Sic autem de percussione clericorum habet cap. *Si quis* 17, q. 4 : « Si quis, suadente diabolo, in clericum vel « monachum violentas manus injecerit, anathematis vin- « culo subjaceat; et nullus Episcoporum præsumat illum « absolvere, nisi mortis urgente periculo, donec « Apostolico conspectui præsentetur, et ejus mandata

« recipiat.» Præfata excommunicatio incurritur ipsc facto.

Dicitur 1° *Si quis* .proinde, cujuscumque sexûs, statûs, ætatis, modò rationis compotis et doli capacis (cap. *Mulieres* et cap. *Pueris*, *de sent. excomm.*) : sed impuberes ab Episcopis absolvi possunt, etiam à percussione enormi, licet absolutionem post pubertatem postulent.

Extenditur canonis sanctio etiam ad efficaciter mandantes, consulentes et consentientes ; proinde requiritur ut percussio de facto eveniat, et graviter in eam influat mandatum, consilium, etc. Ita communiter, ex cap. *Quanta* et cap. *Mulieres*, *de sentent. excomm.* Si quis diceret coram suis : *cupio vindictam talis clerici*, prævidens ex eo dicto eum esse percutiendum, incurreret excommunicationem, si revera exinde clericus percuteretur.

Etiam ratihabentes incurrunt excommunicationem (Ex cap. *Cùm quis*, *de sentent. excomm.*) : 1° si percussio eorum nomine aut in eorum gratiam facta fuerit; 2° si hæc ratificatio externè significetur; 3° si quando percussio evenit fuerint habiles ad ratihabendum saltem habitualiter : non enim incurrerent si essent amentes, benè verò si tunc essent ebrii aut dormientes. Ita communiter.

Item non impedientes, si ex officio ad id teneantur, ut reges, judices et cæteri superiores, patres, tutores, heri, pedagogi, parochi, etc.

Hodie, post C. *Apost. Sed.*, soli percutientes, non verò mandantes, ratihabentes, etc., excommunicationem incurrunt, nisi de Prælatis superioribus agatur, et tunc excomm. est specialiter reservata.

Dicitur 2° *Clericum* : quo nomine intelligitur omnis saltem primâ tonsurâ initiatus, licet conjugatus, dummodo cum unicâ virgine, deferat habitum, serviatque certæ ecclesiæ. Item etiam excommunicatus, imò degradatus, si degradatio sit verbalis tantùm.

— Non incurrit verò qui percutit clericum bigamum ex reali bigamiâ ; secus si ex similitudinariâ, nempe qui in sacris constitutus matrimonium contraxerit et consummaverit. Neque incurrit percussor clerici qui habitum deponens sæcularibus negotiis se ingesserit, nec post tertiam monitionem sui Prælati resipuerit. Ita communiter.

Dicit. 3° *Monachum* : intellige quemvis religiosum,

etiam laicum, conversum, novitium utriusque sexûs; item tertiarios, si gestent habitum et vivant in communitate. Non requiritur ut Institutum sit expressè à S. Pontifice approbatum; sufficit ut tacitâ ipsius auctoritate subsistat, et inibi vivatur sub Prælato, etsi non fiat professio. Idem dicit Fagnan de mulieribus conviventibus in conservatoriis. Idem Renzius de Seminaristis et pueris collegiorum ecclesiasticorum.

Dicitur 4° *Violentas manus, suadente diabolo, injecerit.* Per hoc intelligitur quævis contumeliosa actio exterior, mortalis, circa clerici vel monachi personam, vel res eidem adhærentes, sive fiat manu, baculo, gladio, etc.

Non sufficit ut quis signum percussionis faciat, ut incurrat excommunicationem : sed quoties percussio, etsi levis, imò levissima per tactum physicum, existimatur graviter injuriosa, sufficit ad censuram incurrendam. Communiter autem DD. advertunt quòd hic canon, prout in favorem clericorum emanatus, non strictè sed latissimè sit intelligendūs.

894. Unde incurritur hæc excommunicatio : 1° Quando quis clericum vel monachum conspuit, conspergit aquâ, pulvere, luto; vel illi evellit crines, lacerat ejus vestes, eripit aliquid ab eo per vim et injuriam, v. g., pileum, pallium, per actionem tamen graviter injuriosam; 2° qui concludit aut violenter detinet eum in carcere, vel loco unde sinè dedecore non potest exire; 3° qui persequitur ut in flumen, fossam incidat, equo decidat, etc. : nec videtur excusari à censurâ explodens sclopum in clericum, qui ob metum exanimis caderet, licet à globo non attingeretur, quia tunc explodens est causa per se talis læsionis; 4° qui manus violentas injicit in equum cui is insedit; 5° qui aliquid supradictorum facit, etiam consentiente clerico, dummodo sit injuriosum ordini clericali (cap. *Nemo* 11, q. 5; et cap. *Contingit, de sent. excommunic.*); imò clericus consentiens, ex eodem cap., etiam excommunicationi subest, sed hæc est tantùm ferendæ sententiæ : si tamen consensus clerici auferret injuriam ab actione, puta si clericus peteret cædi ab alio ut sua lueret peccata, tunc excommunicatio non incurreretur; 5° qui percutit clericum.

etiam meritum, si fiat per quem non debet, ut si morte dignus puniatur à judice sæculari ; vel modo illicito, ut si à judice Ecclesiæ puniatur per laicum. S. Liguor., lib. 7, nº 274.

Non autem incurritur excommunicatio : 1º si fur à clerico clam eripiat crumenam vel vestem, quia actio non est violenta : secus si violenter eripiat; 2º si percussio sit jocosa, quamvis gravis, et etiam cum aliquâ irâ, si ad mortale non pertingat (cap. 1, *De Sent. excomm.*) : unde ut excommunicati non habentur pueri clerici qui pugnis se percutiunt, licet sanguis è naribus effundatur; quia regulariter puerorum percussio non reputatur graviter injuriosa; 3º si percussio sit ad defendendum se vel suos, vel res suas cum moderamine tamen inculpatæ tutelæ ; 4º quoties percussio, sive ob levitatem ipsius sive ob imperfectionem advertentiæ, ad mortale non pervenit ; 5º si clericus ut talis non agnoscatur, prout si percuteretur in tenebris. Dubitatur autem an incurrerit excommunicationem qui percuteret ignorans esse clericum, sed ita animo comparatus, ut etiamsi illum cognosceret etiam percuteret : sententia negans est communior et probabilior, juxta S. Liguor., modò percutiens penitus ignoret esse clericum : secus autem si dubitaret, aut si intenderet eum percutere sive laicus sit sive clericus. Sunt qui dicunt ignorantiam crassam excusare ab hâc excommunicatione ; sed meritò id reprobant Croix, Sanchez, etc., quia verba, *suadente diabolo*, important tantùm percussionem cum peccato gravi.

Item excommunicationem non incurrunt Prælatus, præceptor, pater, etc., percutientes clericum in minoribus constitutum correctionis causâ, moderatè tamen juxta gravitatem culpæ : hoc possunt etiam Prælatus et præceptor, erga clericum in sacris constitutum ; an autem idem possit pater, controvertitur. Nec incurrunt ministri qui verberant aut in carcerem detrudunt clericum reum ex jussu Superioris ecclesiastici (cap. *Ut formæ* 35, *de Sent. excomm.*, et cap. *Clericos* 15, *de Sent. excomm.*, in 6º).

Item excommunicatio non incurritur si percussus sit realiter degradatus vel bigamus, vel exercens publicè offi-

cium cauponis, vel macellarii, vel scurrum, et ter monitus non cesset; vel si in seditione deprehenderetur armatus et crudelitates exercens (cap. *Cùm ab homine* 14, et cap. *Perpendimus* 23, *de sent. excomm.*) ; vel si inventus fuerit turpiter agens cum uxore, matre, sorore, vel filiâ, vel si mulierem sollicitaret ad turpitudinem : quia privilegium tunc amittit (cap. *Si verò* 3, *de sent. excomm.*).

895. Quærit. An, in omni casu, S. Pontifici reservata sit excommunicatio quam incurrunt clericorum percussores ?

Resp. Tres gradus distingui in gravitate hujus criminis: alia enim est percussio quæ habetur ut *enormis;* alia ut *mediocris* seu *gravis*; alia tandem ut *levis,* quæ talis attamen non dicitur quòd sit tantùm peccatum *veniale*, cùm nunquam excommunicatio major possit incurri ob veniale peccatum, sed *levis* dicitur per comparationem ad alias *graves* aut *enormes* percussiones. De illis tribus gradibus percussionum sic habet Extrav. *Perlectum*: « Respondemus « percussionem levem esse pugni, palmæ, manûs, pedis, « digiti, aut baculi, aut lapidis, quæ nullam maculam neque « suggillationem carnium relinquit, neque abscindit mem- « brum, sinè extractione dentium, sinè avulsione multo- « rum capillorum, sinè effusione multi sanguinis » (talis est ergo percussio *levis*). « Nolumus tamen dicere quòd hu- « jusmodi levis percussio... fiat atrox ob multi sanguinis « effusionem. Ad judicandum tamen, quæ læsio sit levis, « mediocris aut enormis, volumus diligenter perpendi, « non solùm factum, sed etiam qualitatem ejus et modum « percutiendi cum omnibus suis circumstantiis loci, per- « sonæ, et aliis. *Personæ,* si est magister, judex, Prælatus, « pater, patronus, aut Dignitas, percussus injustè à subdito « aut ab alio se viliori, quia ex hoc interdum censentur gra- « ves injuriæ, quæ ex se sunt leves aut mediocres. Et quia « conditio negotii non patitur integram determinationem « hujus rei, relinquimus tuo arbitrio, ut declares quæ « sit levis, et quæ enormis injuria, admonentes ut po- « tiùs declares in dubio esse percussionem gravem, et ab « eâ non posse absolvere, quam, declarando levem esse « occasionem præbeas lædendi statum ecclesiasticum. »

Percussio *levis* sæpe potest evadere *gravis* vel *enormis* ratione circumstantiarum, videlicet : 1° ratione *personæ Læsæ*, si sit Abbas, Prælatus monasterii, judex, herus, aliusque in Dignitate constitutus ; 2° ratione *lædentis*, si sit officialis, laicus, vel plebeius, et nobilem percutiat ; 3° ratione personæ coram quâ percussio fit, v. g. coram Prælato ; 4° ratione scandali, si clericus à monacho percutiatur ; 5° ratione loci, si percutio fiat in ecclesiâ, in plateâ ; 6° ratione temporis, si clericus percutiatur dum vacat sacris functionibus, dum est sacris vestibus indutus, etc. ; 7° ratione injuriæ ut si quis clericum denudet, atramento vel stercore vultum fœdet, etc. (S. Liguor., *ib.*, n° 278.)

His explicatis, dicimus : 1° Episcopos, eorumque Vicarios posse absolvere à percussione levi, etiam publicâ (cap. *Pervenit*, *de sent. excomm.*) ; 2° à percussione enormi aut mediocri, si sit publica, absolvere posse tantùm Papam, Legatum à *latere*, legatos missos in aliquam provinciam (cap. *Ad Eminentiam, de sent. excomm.* ; cap. penult., *De Officio Legati*) ; si verò sit occulta, possunt ab eâ absolvere etiam Episcopi (Trid., sess. 24, c. 6) : imò iidem possunt à publicâ absolvere mulieres (cap. *Mulieres, de sent. excomm.*), etiamsi percussio fuerit enormis ; item impuberes, ac eos qui collegialiter vivunt, si percussio fuerit gravis tantùm, non verò enormis. De occultâ absolvere nequeunt in casu 5° specialiter reservato.

896. II. *Locale* sacrilegium committitur quando ecclesia vel locus sacer polluitur, vel quando in eisdem ea fiunt quæ illorum sanctitatem dedecent, aut immunitates lædunt.

Disputatur an omne furtum in ecclesiâ commissum sit sacrilegium : de quo vide Manuale [1] (6221).

Non violatur autem sanctitas loci per actus merè internos, ideòque non committit sacrilegium qui in ecclesiâ habet voluntatem occidendi extra illam ; secus, si quis extra ecclesiam proponit occidere in ecclesiâ.

[1] Ita se habet cap. *Quisquis* : « Sacrilegium committitur auferendo « sacrum de sacro, vel non sacrum de sacro, vel sacrum de non « sacro. »

897. III. *Reale* sacrilegium locum habet per indignam tractationem sacramentorum, ut si ministrentur, vel suscipiantur cum peccato mortali. Item si vasa aut instrumenta sacra ad usus profanos adhibeantur, v. g. si quis uteretur calice aut ornamentis altaris in convivio. Intellige tamen de his quæ saltem benedici solent: nam adhibere ad nuptias vel usum profanum tapetes, candelabra, pelvim, imò et manutergium et cætera quæ mediatè serviunt ministerio sacro peccatum non est, nisi fieret ex aliquo contemptu, saltem implicito, ut si semper et indifferenter ad similes usus adhiberentur. Idem dic de candelis, ramis, aquâ, incenso, et similibus benedictis, quia Ecclesia non agit cum tanto rigore in modicis istis benedictionibus, ut patet in pane, ligno, carbonibus, etc. benedictis.

Sacrilegium est autem malè tractare sacras imagines, reliquias; illas furari, etiam in parvâ quantitate, est grave sacrilegium si dominus prævideatur ex hoc fore graviter contristandus. — Est etiam sacrilegium torquere verba S. Scripturæ ad scurrilia, fabulosa, vana, adulatoria, detractoria. (Trident., sess. 4, *in fine*.)

Non læsio quorumcumque bonorum ecclesiasticorum est sacrilegium, sed duntaxat bonorum quæ pertinent ad *ornamentum ecclesiæ*, *aut sunt deputata ad sustentationem ministrorum*. — An autem sit sacrilegium injustè detinere legata Ecclesiæ relicta pro ejus servitio, controvertitur (*ib.*).

Nota quòd censuræ contra sacrilegos latæ non incurrantur ipso facto nisi à percutientibus clericum; à violantibus immunitatem Ecclesiæ, usurpando bona, tributa imponendo (Trid., sess. 22, cap. 11); ab effringentibus ecclesias et simul expoliantibus, seu aliquid ex iis eripientibus (cap. *Conquisitus* 22, *de sentent. excomm.*).

Juxta autem S. Liguor., lib. 3, 44, probabilius est incendiarios ecclesiarum non esse ipso facto excommunicatos.

Peccari sacrilegio potest etiam per omissionem, v. g. si quæ ad sacrificium missæ spectant, ut corporalia et similia, sint valde immunda, et hoc sacrilegium potest esse mortale. Nudâ verò manu vasa sacra et linteamina altaris tangere, citra contemptum non est mortale, si vacua sint; et, si causa subsit, nec veniale.

§ V.

De injuria ordinibus religiosis illata.

898. Non solùm qui personis religiosis, sed etiam qui ipsismet Ordinibus religiosis injuriam faciunt, censuras incurrunt.

Sic 1° qui libellis famosis, cantilenis injuriosè insequuntur religiosos Ordinis S. Francisci, S. Dominici, Societatis Jesu, Carmelitarum, Augustinianorum, etc., in communi (non in individuo), incidunt in excommunicationem majorem S. Pontifici reservatam; Constit. Gregorii XIII *Cùm ascendente Domino.*

Sic 2° qui impediunt regulares Ordinum Mendicantium ne eleemosynas expostulent aut recipiant, excommunicantur, si sint inferiores Episcopis : Episcopi verò, si admoniti, retractare prohibitiones à se factas in detrimentum horum regularium recusent, interdicuntur ab ingressu ecclesiæ, et suspensi sunt à regimine et administratione suæ diœcesis. Const. Sixti IV *Sacri* anni 1479. Vide *Prælect. S. Sulpitii* (n° 697). Suppressæ videntur censuræ præfatæ (C. *Ap. Sed.*).

Qui usurpant jurisdictionem in regulares exemptos Sanctæ Sedi immediatè subjectos incurrunt excommunicationem S. Pontifici reservatam, ex Bullâ *In Cœna Domini*, § 17. De hac censura v. Const. *Apost. Sed.* n° XII.

§ VI.

De magia.

899. In sensu latissimo magia est : ***Ars seu facultas, vi creatâ et non supernaturali, quædam mira et insolita efficiendi quorum ratio sensum et communem hominum captum superat.***

Duplicis generis est magia, *naturalis* nempe, quæ mira et insolita peragit mediis quæ vires humanas non excedunt, qualis est ars præstidigitatorum; et magia *non naturalis*, quæ mira operatur mediis humanam potestatem superantibus, interventu videlicet spirituum homine superiorum : de hâc secundâ magiæ specie hic tantùm agitur,

et dividitur in *albam* et *nigram*. — *Alba* seu *theurgia*, si reverà existeret, mira operaretur, per Dei et per bonorum Angelorum interventum : talem autem artem Deus non instituit, sed duntaxat aliquam (non verò semper et per media quæ ex se suum exerunt effectum) quibusdam concedit potestatem miracula patrandi. At hæc potestas minimè magia appellari potest. *Nigra* verò ope dæmonis stupenda et insolita peragit : ideoque vocatur *diabolica* aut simpliciter *magia*.

Magia diabolica, alia est divinatrix, quæ ideo vocatur *divinatio*, quâque propalantur res occultæ, quæ humano medio dignosci nequeunt; alia verò est *operatrix* quâ producuntur alii effectus humanas vires excedentes.

Variis nominibus nuncupatur *Divinatio*, prout varia sunt media quæ adhibentur ad detegendas res occultas : si enim diabolus ipse, in formâ visibili, illas res occultas propalet, vocatur *præstigium* ; si fiat propalatio per mortuorum apparitionem, dicitur *necromantia* ; si per homines vivos, dicitur fieri per *pythones* ; si per figuram in aquâ, vocatur *hydromantia* ; *geomantia* verò, si per inspectionem corporis terrestris, v. g. lapidis, speculi, etc. ; *chiromantia*, si per signa manuum ; *pyromantia*, si per apparentias in igne ; *aruspicium* si per viscera animalium contingat ; *oraculum*, si per idola ; *astrologia*, si per situs et motus astrorum ; *auspicium*, si per signa volucrum ; *augurium*, si per signa animalium ; *omen*, si per casum, v. g. per occursum funeris ; *sortilegium*, si per sortem.

Similiter *magia operatrix*, vel exercetur ut noceat et vocatur maleficium ; vel ut prosit, et generatim à pluribus vocatur *vana observantia*, sed varia etiam nomina sortitur, prout in eâ diversa adhibentur media.

Maleficium est aut *amatorium* quo quis incenditur in alicujus determinatæ personæ amorem vel odium, quod ita fit tamen quin voluntas à dæmone necessitetur, sed libera manet ; aut *veneficium*, quo nocumentum alicujus intenditur.

Circa magiam *non naturalem* hæc tenenda sunt :

900. — I. Effectus magiæ vires humanas excedentes,

tribuendi sunt non Deo, nec bonis angelis, nec defunctorum animabus.

1° *Non Deo :* quia ridiculum esset Deum mirabilia operari sese submittendo vanis et superstitiosis mediis in magiâ adhibitis; insuper iniquè vetaret in Scripturis, quod uti gratiam hominibus largiretur.

2° *Non bonis angelis*, propter easdem rationes, et præterea id constat ex variis canonibus à Gratiano relatis, causa 26.

3° *Non defunctorum animabus :* nam animæ defunctorum sinè Dei permissu nec è purgatorio, nec à fortiori ex inferno exire possunt; porrò ut sic exeant ex Dei licentiâ, nulla subest causa quæ legitima videatur. Ut enim ad magorum preces et incantationes id jubeat, impium est opinari. Præcipua ergo efficiens causa istarum artium est ipse diabolus.

901. — II. Dari magiam diabolicam absque temeritate non negaretur : Constat : 1° cap. 7, v. 10 Exodi, ubi dicitur : « Tulit Aaron virgam coram Pharaone et servis ejus, « quæ versa est in colubrum; vocavit autem Pharao sapien- « tes et maleficos, et fecerunt etiam ipsi per *incantationes* « *ægyptiacas* et arcana quædam similiter. » Vide insuper (Levitic., c. 20, v. 27; S. Matth., c. 24, v. 24, et act. Apostolorum c. 16, v. 16).

Citari etiam posset cap. 8 Act. Apost. ubi narratur de Simone Mago, quòd *multo tempore Samaritanos magiis suis dementasset.*

Omittimus innumeros alios textus sive S. Scripturæ sive traditionis; sufficiat referre verba Ritualis Romani, titulo *De exorcizandis obsessis à dæmone*, ubi monetur exorcista ut « jubeat dæmonem dicere an detineatur in corpore « obsessi, *ob aliquam operam magicam aut malefica* « *signa* vel instrumenta : quæ si obsessus ore sump- « serit, evomat; vel si alibi extra corpus fuerint, combu- « rantur. » Hæc verba manifestè supponunt magiæ diabolicæ realitatem. Cautè ergo sunt legendi quidam auctores, ut Feller et Bergier, qui in eis nimiùm videntur favisse impiorum incredulitati : « Hoc est, inquit S. Thomas « (*Supplem.*, q. 58, art. 20), contra auctoritates Sancto-

« rum qui dicunt quòd dæmones habent potestatem « supra corpora et imaginationem hominum, quando à « Deo permittuntur : unde per eos malefici aliqua signa « facere possunt. »

902. — III. Effectus magiæ, de quibus supra, obtineri solent pacto saltem implicito cum dæmone inito, seu per aliquam petitionem implicitam ad dæmonem directam. Dupliciter ergo pactum fieri potest cum dæmone, nempe *expressum* quando quis per se vel alium, verbo aut scripto, dæmonem invocat; *tacitum* quando quis utitur iis superstitiosis mediis quibus magi utuntur, sciens iis mediis naturalem vim non inesse intentos effectus producendi. Et hoc, etiamsi protestetur se nolle pactum cum dæmone inire, quia ipsius actus huic protestationi contrarius est, et illam inanem reddit.

Si tamen dubitaret tantùm an media effectum stupendum naturaliter habeant vel diaboli ope, non censeretur inire pactum, etiam implicitum cum dæmone, si illa adhiberet curiositatis vel alterius motivi causa, modò ita dispositus esset, ut nullatenus ea adhiberet, si sciret dæmonem intervenire : à fortiori, idem esset dicendum si quis adhiberet media magica, penitus ignorans talia esse.

Cæterùm patet gravissimum esse peccatum pactum expressum cum dæmone : quod quidem ad speciem idololatriæ pertinet, cùm per tale pactum seu petitionem quidam cultus *latriæ* dæmoni exhibeatur. Imò per hoc fides negari posset, si nempe crederetur hunc cultum diabolo deberi, vel diabolum posse ea legitimè operari.

Magia, quæ fit per pactum implicitum, est etiam gravissimum peccatum : sed excusari à mortali quidam asserunt ap. S. Liguor. « Videlicet tunc cùm vel intercedit « simplicitas et ignorantia non crassa, neque affectata « (licet culpabilis) : vel fides certa non adhibetur, sed tan- « tùm timor quidam, aut suspicio concipitur eventûs fu- « turi... eò quòd tunc superstitio verè non sit, cùm intentio « non sit talis. »

« Qui de fortunâ consulunt... si fiat cum firma fide vel « scandalo, etc., mortaliter (peccant) : si verò causâ curiosi-

« tatis vel risûs, ut fit communiter, venialiter tantum... » Busembaum.

Ex his sequitur : 1° Certò peccari, etiam mortaliter si scienter media superstitiosa seriò adhibeantur, quia, non obstante protestatione, adest pactum implicitum cum dæmone; 2° si dicta media adhibeantur ex joco vel curiositate ad videndum quid accidat, aliqui theologi existimârunt esse tantùm veniale, sed aliter sentiunt alii inter quos Mayol ; 3° in dubio an media suspecta suos effectus producant naturaliter vel ope dæmonis, si adhibeantur hujusmodi media ex honestâ et gravi causâ cum prævià protestatione, non videtur esse culpa, etsi futurum sit contra intentionem quòd effectus fortè producantur dæmonis interventu : quia sic agens utitur jure suo adhibendi media utilia, quando ei non constat illa operari dæmonis ope; secus dicendum, si hujusmodi media adhiberentur absque causâ honestâ et gravi, vel si probabilissimum esset intervenire dæmonem ; 4° qui hujusmodi media adhibent ex ignorantiâ crassâ, non ideò immunes sunt à culpâ etiam gravi, præsertim si jam fuerint moniti.

903. Quærit. 1° Quid sentiendum sit de virgâ bifurcatâ, quâ fontes et res deperditæ vel occultatæ inveniuntur ?

Resp. In duplicem classem posse dividi effectus virgæ bifurcatæ : alii enim sunt de quibus dubitari potest an sint naturales ; alii verò quos certò constat superare vires humanas : prioris generis sunt motus hujusmodi virgæ, quando qui illam adhibet stat supra fontem, vel supra metalla : plures enim inveniuntur personæ quæ in dicto casu physicè commoventur, quæ proindè fortè possent hunc motum dictæ virgæ communicare. Unde quoad fontes et metalla, non benè semper constat an effectus non sit naturalis.

Secundi autem generis essent motus virgæ quoad res deperditas, furto ereptas et occultatas : manifestè enim motus qui non contingunt circa aliquod corpus nisi quia est deperditum vel occultatum, causam physicam non habent, sed ab aliquo agente occultè procedunt, qui, in casu, alius supponi nequit nisi diabolus : naturaliter enim virga non magis potest moveri circa lapidem pro limitibus constitutum quàm super alium lapidem. In hoc ergo

secundo casu, usus virgæ bifurcatæ est certè diabolicus ex proinde illicitus; in priori verò, examinandum est an motus contingant uniformiter ac independenter à certis precibus aut conventionibus merè arbitrariis; si enim moveatur semper virga, quando, qui illam tenet, stat super aquam aut metalla, motus haberi poterit ut naturalis aut physicus; si verò non moveatur nisi quia fons vel metallum inquiritur, vel duntaxat eo momento quo à virgâ quæritur an aqua fluat, vel metallum infossum sit intra tria, vel quatuor metra sub terrâ, secus immota permaneat, certè tunc motus non est naturalis, cùm natura uniformiter et secundùm regulas constantes agat : proinde, in hoc casu, usus virgæ erit certò illicitus. Imò deterrendi sunt semper fideles ab hujusmodi experimentis ob periculum superstitionis eis inhærentis [1].

904. Quærit. 2° Quid sentiendum sit de tabulis gyrantibus, et spiritibus percussoribus (*Tables tournantes*, *Esprits frappeurs*) ?

Resp. Non multis abhinc annis, ubique ferè sermo non erat nisi de phænomeno hoc stupendo quo, pluribus simul tabulam et se invicem per manum tangentibus, tabula sic contacta girare incipiebat, et sæpe etiam, per repetitionem verberationum litteris alphabeticis correspondentium, respondebat variis quæstionibus ad ipsam directis : imò etiam illas responsiones scribebat medio graphii ipsius pedibus illigati : patet quòd si illi effectus reverà producantur sinè fraude tangentium, diabolicum sit dictum experimentum, ac proinde illicitum : diabolica pariter esset, ut patet, consultatio spirituum, qui per certum numerum verberationum quæsitis responderent.

905. Quærit. 3° Quid sentiendum sit de magnetismo quod dicitur animale ?

[1] Narrat D. Bouix quòd : « Junior quidam clericus... postulavit... à « confessario num sibi liceret, scientiæ causâ, eâ virgâ uti. Affirmative respondit confessarius dummodo protestationem contra diaboli « interventum præmitteret. Præmisit protestationem ; virgâ usus... ; « nec tantùm aquas subterraneas... detexit ; sed cùm frater ipsius unam « inter plurimas domûs paternæ claves in angulo quodam superioris « ædis abscondisset, versa est virga versus angulum istum, et sic à « prælato clerico clavis reperta est. »

Resp. Hoc nomine designari prætensum aliquod fluidum, vi cujus persona, præsertim sexûs feminæi, inducitur in quoddam somnambulismum, tam altum ut ipsam nec maximus fragor ad ejus aures productus ab eo suscitare valeat. A solo magnetizatore variis gesticulationibus, palpationibus aut etiam solo mandato interno, à distantiâ plurium leucarum dato, hoc somnambulismum producitur. Tunc si vivâ voce aut mentaliter, de suo absentiumve sibi ignotorum morbo interrogetur, etiam indocta, illicò medicos scientiâ longè superat, res anatomicas accuratissimè enuntiat, morborum internorum et cognitu difficillimorum causam, sedem, naturam indicat, eorumdem progressus, variationes, complicationes evolvit: idque propriis et technicis terminis; remediaque efficacissima præcipit. Si adsit persona de quâ consulitur, relationem inter ipsam et personam magnetizatam contactu instituit magnetizator; si verò sit absens, cincinnus ex hujus cæsarie eam supplet et sufficit: admoto enim hoc cincinno ad palmam magnetizatæ, confestim ipsa declarare valet cujus sint capilli, ubinam versetur persona ad quam pertinent, quid rerum agat, et circa ejus morbum omnia documenta præstare haud aliter, imò multò meliùs ac si, medicorum more, corpus ipsa introspiceret.

Oculis clausis et velatis res cernit, legit, etiam nescia legendi, librum vel litteras clausas. Ex hoc somnambulismo educta, vel jussu etiam interno magnetizatoris, vel quasi sponte suâ, ipso temporis puncto à se prænuntiato, nihil omnino de rebus in paroxysmo peractis, sibi conscire videtur, quamtumvis ille duraverit.

Ità somnambulismum magneticum exponit Cancellarius Episcopi Lausannensis et Gebennensis, D. Fontana in suâ consultatione directa ad S. Pœnitentiariam, 19 maii 1841 : deinde quærit utrum Confessarius possit suis pœnitentibus permittere :

« 1° Ut magnetismum animalem illis characteribus aliisque similibus præditum exerceant, tanquam artem medicinæ auxiliatricem atque suppletoriam ;

« 2° Ut sese in illum statum somnambulismi magnetici demittendos consentiant ;

« 3° Ut vel de se vel de aliis personas consulant illo modo « magnetizatas;

« 4° Ut unum de tribus prædictis suscipiant, habitâ « priùs cautelâ, formaliter ex animo renuntiandi cuilibet « diabolico pacto explicito vel implicito, omni etiam sata- « nicæ interventioni; quoniam hâc non obstante cautione, « à nonnullis ex magnetismo hujusmodi, vel iidem vel « aliquot effectus obtenti jam fuerunt. »

Hæc autem fuit responsio S. Pœnitentiariæ : Sacra « Pœnitentiaria, maturè perpensis expositis, responden- « dum censet prout respondet : *usum magnetismi*, prout « in casu exponitur, non licere. Datum Romæ in S. Pœni- « tentiariâ, die 1 jul. 1841. Card. Castracane M. P.; Ph. « Pamelia S. P. Secretarius. » Vide in Manuali (6253) litteras S. Inquisitionis 4 aug. 1856.

Non videtur tamen ex his debere concludi diabolicum esse simplex somnambulismum magneticum per gesticulationes aut aspectum inductum, etsi in hoc statu adsit quædam extraordinaria proclivitas loquendi de variis objectis, modò intra sphæram cognitionum naturalium contineatur.

Colligi ex his tamen potest quid sit sentiendum de spiritismo, seu de hâc novâ sectâ, jam longè latèque sparsâ, quæ stupendos effectus magiæ, somnambulismi magnetici, tabularum gyrantium verberantiumque tribuit interventui, non diaboli, sed spirituum qui, juxta hujusmodi sectatores non alii essent quàm animæ humanæ vel nondum incarnatæ vel jam à vinculis corporis sui solutæ.

An et quomodo tolli possent maleficia ? De hoc vide S. Liguor., lib. 3, n^is^ 24 et 25.

906. Quærit. 4° Quænam sint pœnæ contra magiam à sacris canonibus latæ ?

Resp. Maleficos incurrere 1° excommunicationem ex cap. *Si quis ariolos*, causa 26, q. 5, ubi dicitur : « Si quis « ariolos, haruspices, vel incantatores observaverit, aut « philacteriis [1] usus fuerit, anathema sit. » Disputatur

[1] *Philacteria* dicuntur hîc chartæ in quibus continentur incantationes. Ita Glossa.

tamen an hæc excommunicatio sit latæ vel ferendæ sententiæ; nam quamvis in rebus fidei verba *anathema sit* intelligantur de excommunicatione latæ sententiæ, in aliis tamen materiis non est ita intelligendum, juxta Suarez et alios. — De eâ silet C. *Apost. Sedis.*

2° Incurrunt excommunicationem Bullæ *Cœnæ*, si in iis conjungatur hæresis vel vehemens suspicio illius : quod contingit quando initur expressè pactum cum dæmone, vel quando adhibentur res sacræ, vel diabolus adoratur, aut consulitur de iis quæ ipse cognoscere nequit ; sed ad hoc requiritur error fidei in intellectu.

3° Magi et sortilegi declarantur infames a cap. *Constituimus* 9, causa 3, q. 5. Variis pœnis, etiam de positionis, plectendi sunt Episcopi et presbyteri et alii clerici magos vel haruspices consulentes : vide cap. *Si quis Episcopus*, causa 26, q. 5, et Cap. *Non oportet*, *ib.*, huc etiam spectant cap. 1 et 2 de *Sortilegiis* ; Const. *Superna*, § 41 Leonis X ; Constit. *Cœli et terræ* Sixti V ; Constit. *Omnipotens Dei* Gregorii XV ; et Constit. *Inscrutabilis* Urbani VIII.

ART. III.

DE DELICTIS VENEREIS.

907. Venereorum criminum species sunt fornicatio simplex, concubinatus, stuprum, adulterium, incestus, sacrilegium, raptus, sodomia, conjunctio cum bestiis quæ vulgò *bestialitas* appellatur.

Fornicatio est voluntarius concubitus viri cum muliere, quorum neuter alio vinculo obstrictus est. *Concubinatus* est consuetudo conjunctionis viri soluti cum solutâ. *Stuprum* est violenta virginis compressio. *Adulterium*, alieni thori violatio. *Incestus*, conjunctio consanguineorum aut affinium. *Sacrilegium*, concubitus cum personâ quæ se Deo vovit. *Raptus*, violenta abductio honestæ personæ libidinis explendæ causâ. *Sodomia* est conjunctio duarum personarum ejusdem sexûs quæ sodomia perfecta dicitur : eam verò proximè sequitur sodomia imperfecta, quæ locum habet quando duæ personæ sexûs dissimilis eo modo

copulantur qui sit contra ordinem à natura institutum pro liberis procreandis.

1° Simplex *Fornicatio*, præsertim clericorum, variis pœnis antiquitùs puniebatur : nunc verò plectitur quasi judicis arbitrio.

908. 2° De *Concubinatu* autem in Conc. Trid. (sess. 24 c. 8, *de ref. matr.*) sancitur quòd laici, qui in hujusmodi sceleris contagione versantur, si ter ab Episcopo moniti concubinas non ejecerint, excommunicationis pœnâ feriantur; aliisque pœnis plectantur si in concubinatu per annum permanserint : concubinæ verò si ter etiam monitæ non paruerint, ab Ordinario graviter pro mensurâ culpæ puniantur, atque extra oppidum vel diœcesim exulentur.

Quoad clericos concubinarios, si beneficia ecclesiastica vel pensiones non habeant; « juxta delicti et contumaciæ « perseverantiam et qualitatem, ab ipso Episcopo, car- « ceris pœna, suspensione ab ordine, ac inhabilitate ad « beneficia obtinenda, aliisque modis juxta sacros canones « puniantur. » (Tridentinum, sess. 25, c. 14, *de ref.*)

Si verò sint beneficiarii, v. g. canonici « si a superiori- « bus moniti, ab iis se non abstinuerint, tertiâ parte fruc- « tuum, obventionum ac proventuum beneficiorum suo- « rum quorumcumque et pensionum, ipso facto sint « privati : quæ Fabricæ ecclesiæ aut alteri pio loco, « arbitrio Episcopi applicetur. Sin verò, in delicto eodem « cum eâdem vel aliâ feminâ perseverantes, secundæ « monitioni non paruerint, non tantùm fructus omnes ac « proventus suorum beneficiorum et pensiones eo ipso « amittant qui prædictis locis applicentur, sed etiam à « beneficiorum ipsorum administratione, quoad Ordina- « rius, etiam uti Sedis Apostolicæ delegatus, arbitrabitur, « suspendantur; et si ita suspensi, nihilominus eas non « expellant, aut cum eis etiam versentur, tunc beneficiis « portionibus ac officiis et pensionibus quibuscumque « ecclesiasticis perpetuò priventur, atque inhabiles ac « indigni quibuscumque honoribus, Dignitatibus, bene- « ficiis ac officiis in posterum reddantur, donec, post « manifestam vitæ emendationem, ab eorum Superioribus « cum iis ex causâ visum fuerit dispensandum. Sed si

« postquam eas semel dimiserint, intermissum consor-
« tium repetere, aut alias hujusmodi scandalosas mulieres
« sibi adjungere ausi fuerint, præter dictas pœnas, ex-
« communicationis gladio plectantur. Nec quævis appel-
« latio, aut exemptio prædictam executionem impediat
« aut suspendat. » (Trid., *ib.*)

Omnes concordant prædictum modum contra concubinarios procedendi esse servandum, si agatur de consuetudine clerici cum mulieribus de quibus habetur solùm suspicio : de iis enim certè loquitur Concilium cùm dicat : « Prohibet Sancta Synodus quibuscumque clericis, ne « concubinas, aut alias mulieres, de quibus possit haberi « suspicio, in domo vel extra detinere, aut cum iis ullam « consuetudinem habere audeant; alioquin, etc. » — Si verò constet de fornicatione (præsertim publicâ) disputatur an supradicta processûs forma necessariò sit servanda : plures enim, inter quos Reiffenstuel, dicunt quòd in hoc casu, etiam non præmissis monitionibus supra relatis, statim Ordinarius possit procedere ad depositionem, juxta veteres sanctiones, quibus contraire Concilium Trident. non intendit, ut isti asserunt.

Consentire autem videntur omnes quòd statim Episcopus procedere possit ad depositionem si talis esset regionis consuetudo : hoc enim concedit ipsamet Trident. Synodus loco supra relato, cum statim dicat : « Alioquin pœnis à « sacris canonibus, vel *statutis ecclesiarum* impositis « puniantur. »

Nota quòd si agatur de iis qui curam habent animarum in parochiis, ex eodem Concil. (sess. 21, cap. 6, *de ref.)*, sufficiat semel eos admonere ut castigentur : « Et si adhuc « incorrigibiles in suâ nequitiâ perseverent, eos beneficiis, « juxta sacrorum canonum constitutiones, exemptione et « appellatione quâcumque remotâ », privare possunt Episcopi.

Nota adhuc quòd Episcopus, contra clericos concubinarios procedens, potest judicii summarii formam adhibere : Concilium enim Trid. (sess. 25, c. 14, *de ref.*) ait : « Supradictorumque omnium cognitio, non ad Archidia-
« conos nec decanos aut alios inferiores, sed ad Episcopos

« ipsos pertineat, *qui sinè strepitu et figurâ judicii et* « *solâ facti veritate inspectâ procedere possint.* »

909. 3° *Stuprum* à clerico illatum, Ecclesiæ leges multant pœnâ depositionis ab officio et onere dotandi puellam quæ vim passa est (cap. 1, *De adulter. et stupro*).

4° *Adulterium* jure canonico, in laico, excommunicatione, in clerico, depositione punitur (cap. 6, *De adulter. et stupro*, et cap. *Si quis* 10, dist. 81).

5° Adulterorum quoque pœnis, aliisque gravioribus aut levioribus, uti fert ratio criminis et prudentia judicis, plectuntur *Incestuosi* (Clem. *Eos qui* 1, *de consang.*; cap. *Adulterii* 11, causa 32, q. 7). Eodem jure censentur qui liberis dedêre operam cum eâ quam de sacro fonte susceperunt, vel in chrismate tenuerunt.

910. 6° « *Fornicatio* clerici, inquit Devoti lib. 4, tit. 15, « § 4, qui in sacris ordinibus versatur, quanquam verum « sit sacrilegium, tamen ut simplex fornicatio punitur. At « sacrilegium cum moniali commissum graviori pœnæ « subjicitur... Jure canonico laicus, qui monialem com- « pressit, excommunicatur; clericus privatur beneficio, et « depositus ab ordine in monasterium, seu potiùs in car- « cerem detruditur : ipsa verò monialis, quæ se violari « passa est, aut in arctius monasterium, aut in carcerem « conjicitur. »

911. 7° « *Raptores* virginum, nisi assentiente puellâ « crimen matrimonio purgetur, excommunicatione pu- « niuntur, aut depositione si clericus raptor fuerit. Rapto- « res mulieris quæ virum habet, subsunt pœnis adultero- « rum (Trid. sess. 24, cap. 6, *de ref.*)... Sacrarum autem « virginum sive monialium raptores pœnas perferunt, « quæ à sacris canonibus contra raptores simul et sacrile- « gos sunt constitutæ » (can. 2 et seq., causa 36, q. 2).

912. 8° « *Sodomia* et conjunctio cum bestiis, non « delicta sed monstra... sunt. Olim quisquis tam fœda et « immania patrasset crimina... non solum a limine, verùm « etiam ab omni ecclesiæ tecto removebatur. Hodie (ob « *sodomiam perfectam*)... jure canonico excommunicatio « in laicum, in clericum verò depositio ab officio, benefi- « cio, ordine clericali, et in monasterium detrusio, con-

« stituta est (cap. *Clerici*, *de excess. Præl.*). Eodem quoque « modo puniuntur qui sua cum bestiis corpora commiscue- « runt. » Vid. *Code pénal* (art. 331 et seq.). De omnibus his legenda est C. *Apost. Sedis.*

De confessione complicis et de sollicitantibus, diximus supra (682, etc.).

ART. IV.

DE DELICTIS CONTRA JUSTITIAM.

§ I.

De homicidio.

913. *Homicidium* est injusta hominis occisio : aliud est *simplex*, quando nulla alia adest circumstantia ad regulas morum pertinens ; aliud est *qualificatum*, quando in eo adsunt circumstantiæ quæ novam adjiciunt speciem, vel quæ intra eamdem speciem crimen notabiliter aggravant : circumstantiæ hujusmodi sunt : 1° *machinatio* quando scilicet præmeditatio crimen præcessit ; 2° *assassinium* quando conducuntur viri scelerati ad interficiendum aliquem ; 3° *proditio*, quando quis per dolum interficitur ; 4° *parricidium*, si occidantur parentes aut cognati ; 5° *sacrilegium*, quando occiditur persona Deo sacra ; 6° *duellum*, si in certamine singulari ex condicto suscepto occidatur ; 7° *abortus*, si fœtus ex utero materno præmaturè et culpabiliter ejiciatur, ita ut mors exindè sequatur ; 8° *suffocatio prolis*, aut ipsius expositio, quæ satis intelliguntur ; 9° *autochirio* quæ est suî occisio.

Homicidium *simplex* inducit : 1° irregularitatem : inducit proinde inhabilitatem ad beneficia et officia ecclesiastica (Trident., sess. 14, cap. 7, *de ref.*) ; 2° homicidæ subjacent pœnæ excommunicationis ferendæ sententiæ (cap. *Itaque* 20, causa 24, q. 3) ; 3° privandi sunt beneficiis priùs obtentis et omni exercitio sacrorum ordinum. Ita cap. *Si Episcopus* 7, dist. 50.

Homicidium verò *qualificatum*, excommunicationem ipso facto inducit : 1° si sit *sacrilegium*, ex cap. *Si quis vadente*, etc. ; 2° si contingat per *assassinium* inducit eamdem pœnam ipso facto. — Ablata est excomm. C. *Ap. Sed.*

914. 3° Si sit per *duellum* : « Duellum est duorum (vel

« subinde plurium) certamen, quod ex condicto, uno « dicente et altero acceptante, suscipitur. »

Non licet suscipere duellum etiam fictum ad vitandam infamiam; nec etiam ducibus licet permittere duella militibus, etiam cum hostibus ad ostensionem virium.

Notandæ sunt hîc propositiones à Bened. XIV damnatæ quæ sic habent :

« I. Vir militaris, qui, nisi offerat et acceptet duellum « tanquam formidolosus, timidus, abjectus et ad officia « militaria ineptus haberetur, indeque officio, quo se suos- « que sustentat, privaretur, vel promotionis aliàs sibi « debitæ ac promeritæ spe perpetuò carere deberet, culpâ « et pœnâ vacaret, sive offerat sive acceptet duellum.

« II. Excusari possunt, etiam honoris tuendi, vel hu- « manæ vilipensionis vitandæ gratiâ, duellum acceptantes, « vel ad illud provocantes, quando certò sciunt pugnam « non esse secuturam, utpote ab aliis impediendam.

« III. Non incurrit ecclesiasticas pœnas contra duel- « lantes latas, dux vel officialis militiæ acceptans duellum « ex gravi metu amissionis famæ, vel officii.

« IV. Licitum est in statu hominis naturali acceptare « et offerre duellum ad servandas cum honore fortunas, « quando alio remedio eorum jactura propulsari nequit.

« V. Asserta licentia pro statu naturali, applicari etiam « potest statui civitatis malè ordinatæ, in quâ nimirum, « vel negligentiâ vel malitiâ magistratûs, justitia apertè « denegatur. »

Videtur tamen quòd duellum possit acceptari vel offerri ad hostes debilitandos, vel ad terminandum bellum cum minori damno.

915. Pœnæ autem duello impositæ tres sunt ex Concil. Trident. (sess. 25, c. 19) : 1° excommunicatio ipso facto incurrenda et S. Pontifici reservata, quam etiam incurrunt patrini, consulentes modo efficaci, favorem præbentes, domini locum præstantes; ipsimet spectantes si de industriâ spectent et suâ præsentiâ quodammodo duellantes approbent et animent; non verò si tantùm obiter transeundo ibi reperiantur; 2° proscriptio omnium bonorum, cum perpetuâ infamiâ : hæc tamen pœna non videtur

recepta in nostris partibus ; 3° privatio sepulturæ ecclesiasticæ. — Servata est excomm. (C. *Apost. Sedis.*)

« Istæ autem pœnæ incurruntur tantùm ob duellum « strictè sumptum, scilicet convento loco, tempore et « armis, non verò ob conflictum improvisum, quamvis « pugnantes ex eodem impetu rixæ perrexerint ad ali- « quem locum idoneum. Ita valde probabiliter Elbel, etc... « Idemque probabiliter... si quis alteri dicat : *tecum pu- « gnabo primâ vice, quâ mihi obviaveris :* nam eo casu, « postea etiam habito conflictu, isti non incurrunt pœnas, « quia tunc deest designatio loci et temporis. » (S. Liguor., lib. 3, n° 401.)

916. 4° Si sit *abortus*, Sixtus V in Const. *Effrenatam*, statuit excommunicationem esse incurrendam ipso facto ab omnibus qui procurant abortum; sed post Bullam Gregorii XIV *Sedes apostolica*, hæc excommunicatio S. Pontifici non est reservata. Ipsi etiam fiunt irregulares. Insuper juxta Bullam *Effrenatam* omnes scienter procurantes abortum aut quocumque modo consentientes, vel præbentes venena sterilitatis, privantur omni privilegio clericali, Dignitate aut beneficio ecclesiastico, inhabilesque fiunt ad ea in posterum obtinenda. Controvertitur tamen an excommunicationem incurrant ipsæmet mulieres prægnantes quæ abortum sibi procurant.

5° Quoad suffocationem puerorum, vide cap. *Consuluisti* 20, causa 2, q. 5, et cap. *De Infantibus* 3, *de his qui fil. occider.*

6° Qui seipsos occidunt culpabiliter privandi sunt sepulturâ ecclesiasticâ.

917. 7° De jure communi parricidæ olim puniebantur variis pœnis in cap. *Latorem* 15, causa 33, q. 2, et toto titulo *De his qui filios occiderunt* recensitis; verùm tales pœnæ recesserunt ab aulâ, inquit Ferraris : unde in casu parricidii judices ecclesiastici remittere debent laicos judicibus sæcularibus; clericos verò, priùs, juxta præscriptum canonis, deponere debent ac degradare, sicque curiæ sæculari tradere.

8° Quâ autem pœnâ et à quo judice puniendi sint clerici

et religiosi læsæ majestatis rei, seu potiùs *proditionis*, dissentiunt DD.

§ II.

De maledicto et falso.

918. I. *Maledictum* in genere est *mala locutio de alio.* Episcopus non debet ipsemet punire aliquem ob maledictum sibi personaliter illatum, sed puniendus est tunc maledicus alterius judicis arbitrio (Lex *Si quis* 10, c. *de Episcopis et clericis*).

Pœnæ in clericos maledicos latæ sunt sequentes : « Cle« ricus maledicus (maximè in sacerdotibus) cogatur ad « postulandam veniam ; si noluerit, degradetur ; nec un« quam ad officium absque satisfactione revocetur » (Can. *Clericus* 5, dist. 46).

Contra auctores libellorum famosorum legantur can. 2 et 3, causæ 5, q. 1 ; sic autem habet can. 3, ex Concil. Eliberitano sumptus : « Si qui inventi fuerint famosos « libellos in ecclesiâ ponere, anathematizentur. » Can. verò 2 loquitur præsertim de iis qui libellos famosos sub anonymo in vulgus spargunt, qui anathematizantur si nolint se prodere.

919. II. *Falsum est veritatis immutatio, aut etiam suppressio dolosè in alterius præjudicium facta.*

Committitur quatuor præsertim modis, scilicet dicto, scripto, facto, usu : 1° *dicto*, si testes falsum dicant, vel verum taceant in judicio : huic crimini participant qui testes subornant, etc. ; 2° *scripto*, si nempe scripturæ falsæ exarentur vel in toto vel in parte ; 3° *facto*, ut si veræ scripturæ aliquo modo corrumpantur, deleantur, occultentur, vel si quis se fingat alium esse ac revera est, vel si merces falsificentur, et præsertim monetæ, quod pluribus modis contingere potest ; 4° *usu* vel potiùs *abusu*, et quidem dupliciter : 1° scienter utendo falsitate ab alio confectâ, v. g. falso instrumento ab alio exarato ; 2° scienter producendo falsitatem à se fabricatam.

Pœnæ autem falsantium litteras Apostolicas, vel iis utentium, sunt sequentes : 1° excommunicatio ipso facto incurrenda et S. Sedi reservata (cap. *Ad falsarium* 7, *de*

crimine falsi, et Bulla *Cœnæ*, § 6) ; 2° si falsantes sint clerici, etiam occulti, sunt ipso jure privati officiis et beneficiis ecclesiasticis (cap. *Falsarium* modò citat.) ; V. alias pœnas, ap. Ferr. v° *Pœnæ*, art. 2, n^is 51-66, et C. *Ap. Sed.*

Impetrantes tamen litteras Apostolicas per subreptionem non incidunt in supradictas pœnas, sed effectu earum carent : ratio est quia licet tales litteræ sint invalidæ, attamen in ordine ad expeditionem sunt veræ, ideoque qui eas impetrant, non sunt falsarii.

Qui autem scienter habent litteras Apostolicas falsas, nisi intra 20 dies, illas lacerent aut restituant, excommunicationi subjacent (cap. *Dura* 4, *de crimine falsi*), etiamsi iis non utantur. Non videtur servata à C. *Ap. Sed.*

Nomine litterarum Apostolicarum in ordine ad pœnas supra recensitas, non solùm veniunt Bullæ Datariæ et Cancellariæ Apostolicæ, sed etiam Secretariæ Brevium : ita Innoc. X, Const. 51 ; non verò litteræ Legatorum, Sacræ Pœnitentiariæ et Sacrarum Congreg., quia non sunt litteræ Papæ : controvertitur tamen de litteris S. Pœnitentiariæ.

Clericus falsans litteras Episcopi vel Capituli, est ab officio et beneficio suspendendus (cap. *Si Episcopus* 7, dist. 59 ; et cap. *Tam litteris*, in § fin., *de test.*, etc.).

Regulares verò falsantes sigillum, vel litteras Prælatorum, puniuntur juxta Constitutiones speciales cujuscumque ordinis.

Clericus autem falsans Principis sigillum ab ordine est deponendus.

Pœnæ quoad alias falsitates diversæ sunt pro diversitate falsi commissi : pro clericis vide caput *Si Episcopus* 7, dist. 50.

Falsificatio monetæ feritur excommunicatione S. Sedi reservatâ, ex Extr. Joann. XXII *Prodiens* 1, *de crimine falsi*. — De eâ silet C. *Apost. Sedis.*

§ III.

De furto, usura, etc.

920. I. *Furtum est occulta et injusta rei alienæ ablatio,*

invito rationabiliter domino. Si apertè vi fiat, est rapina à furto specie distincta.

Clericus, fur *notorius*, aut furti condemnatus est infamis (cap. *Infames* 17, causa 6, q. 1); et consequenter etiam irregularis. Insuper si notorius sit ab officio et ordine clericali deponi debet (cap. *Presbyter* 12, dist. 81; et cap. *Cùm non ab homine* 10, *de Judiciis*); et si non resipiscat, excommunicandus est; et tandem si incorrigibilis evadat, curiæ sæculari tradi debet (cap. *Cum non ab homine.*).

921. II. *Usura* est *quodcumque lucrum ex mutuo præcise vi seu ratione mutui proveniens.*

Usurarii notorii sequentibus pœnis canonicis subjacent : 1° Infames sunt (cap. *Infames* 2, c. 3, q. 7; cap. *Dilectus* 13, *de excess. Præl.*) ; 2° si clerici sint, et moniti non desistant, ab officio et beneficio sunt suspendendi et deponendi (cap. *Episcopus* 1, cap. *quoniam* et cap. *Si quis* 5, dest. 47, etc.); 3° si sint laici, excommunicari debent usquedum satisfecerint (cap. *Præterea* 7, *de usuris*); 4° ad communionem altaris non sint admittendi (cap. *Quia in omnibus* 3, *de usuris*; 5° si manifeste in peccato decesserint, carere debent ecclesiastica sepultura. Quoad alias pœnas vide Ferraris (v° *Usura*, n^is^ 92-100).

922. III. Sunt plura alia delicta contra justitiam : sufficiat aliquid delibare de incendiariis.

Jure canonico incendiarii ecclesiarum aliorumque locorum sacrorum ac ipsis contiguorum ad 30 passus, si malitiosè id faciant, ipso jure sunt excommunicati (cap. *Definivit* 35, c. 17, q. 4; cap. *Canonica* 107, c. 11, q. 3; cap. *Omnes Ecclesiæ* 5, c. 17, q. 4). Absolvi quidem possunt ab episcopo si non sint denuntiati, secus, à solo Papâ, cap. *Tua nos, de sent. excom.* Suppressa est C. *Apost. Sedis.*

Incendiarii autem locorum non sacrorum incurrunt tantaxat excommunicationem ferendæ sententiæ (Cap. *Si quis* 31, et cap. *Pessimam* 32, c. 23, q. 8).

INDEX

MATERIARUM IN TOMO SECUNDO

COMPREHENSARUM.

654. LIBER SECUNDUS. — De rebus ecclesiasticis seu sacris. . 494

655. SECTIO PRIMA. — De rebus sacris spiritualibus. *ib.*

Caput I. — De Eucharistiâ. 495

656. Art. I. — De requisitis ad Missam. . . . . *ib.*

679. Art. II. — De expositione et benedictione SS. Sacramenti. 515

681. Scholium. — De Lampade. . . 517

Caput II. — De Pœnitentiâ. 518

682. Art. I. — De sanctis à Bened. XIV, circa confessionem complicis. . . . . *ib.*

683. Art. II. — De Confessariis sollicitantibus. . 519

Numeri.		Paginæ.
	CAPUT III. — De sacramentalibus et benedictionibus.	525
699.	Art. I. — De Sacramentalibus.	*ib.*
702.	Art. II. — De Benedictionibus.	527
708.	CAPUT IV. — De Confraternitatibus.	534
709	Art. I. — De modo instituendi et aggregandi confraternitates.	*ib.*
710.	Art. II. — De Episcoporum auctoritate in confraternitates.	536
711.	Art. III. — Quædam alia circa confraternitates.	538
	CAPUT V. — De exequiis et cœmeteriis. . .	540
712.	Art. I. — De exequiis.	*ib.*
717.	Art. II. — De cœmeteriis.	550
	CAPUT VI. — De locis sacris.	555
720.	Art. I. — Quid sint loca sacra, de eorum antiquitate et formâ.	*ib.*
722.	Art. II. — Quid requiratur ad ædificandam ecclesiam.	558
723.	Art. III. — Quibusnam incumbant reparationes aut restaurationes in ecclesiis faciendæ.	559
724.	Art. IV. — Quid sit benedictio et consecratio ecclesiarum, et quid de iis à jure sit præscriptum.	560
726.	Art. V. — Quandonam ecclesiæ execrentur, et quid tunc sit faciendum. . . .	563
727.	Art. VI. — Quomodo polluantur ecclesiæ, altaria, cœmeteria; et quid tunc sit agendum.	565
733.	Art. VII. — De supellectili ecclesiarum. . .	570
735.	Art. VIII. — De prohibitione ne certi actus fiant in locis sacris.	573
736.	CAPUT VII. — De jure liturgico et de officio divino.	575
737.	Art. I. — De potestate ad quam spectat liturgiam statuere et ordinare. .	*ib.*
739.	Art. II. — De statu liturgiæ ante S. Pium V.	578
740.	Art. III. — De liturgiâ qualis fuerit ordinatâ à tempore S. Pii V.	580
751.	Art. IV. — De recitatione divini officii. . .	593
752.	§ I. — Quinam teneantur ad officium divinum.	594

Numeri.		Paginæ.
753.	§ II. — Cujus naturæ sit obligatio divinum officium recitandi.	596
756.	§ III. — Sub quibusnam pœnis præcipiatur recitatio divini officii.	598
757.	§ IV. — De celebratione publicâ divini officii, et specialiter de cantu.	600
760.	SECTIO SECUNDA. — De rebus ecclesiasticis temporalibus. . . .	607
	Caput I. — De Dominio bonorum Ecclesiasticorum.	*ib*
761.	Art. I. — De capacitate Ecclesiæ habendi dominium temporalium.	*ib.*
767.	Art. II. — In quonam resideat dominium bonorum Ecclesiasticorum.	615
	Caput II. — De bonorum Ecclesiasticorum administratione.	618
768.	Art. I. — De jure administrandi bona ecclesiastica et de iis ad quos jus illud spectat.	*ib.*
771.	Art. II. — De alienatione bonorum Ecclesiasticorum.	623
778.	Scholium.	633
	Caput III. — De præcipuis speciebus bonorum ecclesiasticorum.	634
779.	Art. I. — De Oblationibus.	*ib.*
781.	Art. II. — De Fundationibus.	637
784.	Art. III. — De beneficiis ecclesiasticis. . . .	640
789.	Scholium.	648
791.	Art. IV. — De commendis et pensionibus Ecclesiasticis.	651
794.	LIBER TERTIUS. — De judiciis. . . .	655
801.	Caput I. — De pœnis Ecclesiasticis in genere.	669
	Caput II. — De variis pœnis Ecclesiasticis vindicativis.	676
808.	Art. I. — De pœnis vindicativis spiritualibus.	*ib.*
813.	Art. II. — De pœnis vindicativis temporalibus.	680
	Caput III. — De pœnis Ecclesiasticis medicinalibus seu de censuris. . . .	681
	Art. I. — De censuris in genere.	*ib*
814.	§ I. — De naturâ et divisione Censurarum.	*ib.*
816.	§ II. — A quo censuræ ferri possint. . .	685
818.	§ III. — In quos ferri possint censuræ. .	688

Numeri.		
821.	§ IV. — Ob quam causam ferri possint censuræ.	
822.	§ V. — De formalitatibus servandis in ferendis censuris.	
825.	§ VI. — De causis excusantibus à censurarum observatione.	
829.	§ VII. — De pœnis quæ per violationem censurarum incurruntur.	
830.	§ VIII. — De cessatione censurarum et illarum absolutione.	701
	Art. II. — De censuris in specie.	710
842.	§ I. — De excommunicatione.	*ib.*
843.	I. — De minori excommunicatione. .	711
844.	II. — De excommunicatione majori. .	*ib.*
853.	§ II. — De suspensione.	721
858.	§ III. — De interdicto.	725
863.	Scholium. — De cessatione à divinis. .	731
864.	CAPUT IV. — De delictis.	732
ib.	Art. I. — De delictis contra fidem et unitatem Ecclesiæ.	733
865.	§ I. — De apostasia.	*ib.*
866.	§ II. — De hæresi.	735
873.	§ III. — De schismate.	741
	Art. II. — De delictis contra religionem. . .	743
875.	§ I. — De simonia.	*ib.*
891.	§ II. — De blasphemio.	756
892.	§ III. — De perjurio.	*ib.*
893.	§ IV. — De sacrilegio.	757
898.	§ V. — De injuria ordinibus religiosis illata.	764
899.	§ VI. — De magia.	*ib.*
907.	Art. III. — De delictis venereis.	772
	Art. IV. — De delictis contra justitiam. . . .	776
913.	§ I. — De homicidio.	*ib.*
918.	§ II. — De maledicto et falso.	779
920.	§ III. — De furto, usura etc.	781

POITIERS. — TYPOGRAPHIE DE HENRI OUDIN.

SUPPLEMENTUM.

DE STATU RELIGIOSO.

923. Quidquid nonnulli dixerint, statum religiosum fuisse a Christo institutum, saltem quoad ipsius substantiam, tenenda est sententia, juxta Suarezium. (*De statu relig.*, tr. 7, lib. 3, c. 2 nº 4). Innititur hæc assertio præcipue verbis S. Matth., c. 19, v. 12 et 20; cap. 16, v. 24 ; et Epist. 1 ad Cor., c. 7, v. 25-40; quibus Christus ad tria consilia paupertatis, castitatis et obedientiæ, et ad vota de illis perpetuo facienda hortatur. Porro in his tribus votis consistit substantia status religiosi, ut infra videbitur.

Et revera, etiam ab Ecclesiæ exordiis, extitisse veros religiosos sat aperte demonstrari potest : nam illi fideles, quibus juxta Sm Lucam [1] *erant omnia communia*, qui *possessiones et substantias vendebant et ponebant ante pedes Apostolorum*, *qui dividebant omnibus prout cuique opus erat*, hoc egisse non videntur nisi vovendo paupertatem ; porro si non accessisset quoque castitatis votum, Apostoli sane non permisissent parentibus sic filios suos spoliare : et cum hæc fiebant sub regimine Apostolorum, aderat pariter obedientiæ votum ; proinde in iis adunata erant omnia statum religiosum componentia. Et ita hæc interpretata fuere a pluribus SS. Patribus, ut videre est apud Bouix, *De Regularibus*, p. 151.

Præterea non tantum traditione discimus a SS. Martha et Magdalena amplexatam fuisse vitam religiosam, sed, ut ait S. Franciscus Salesius [2]. « S. Ignace disci» ple des Apôtres, écrivant aux Philippiens : Je salue, » dit-il, l'assemblée des Vierges et la Congrégation des » veuves. Et ailleurs il recommande à ceux de Tarse » d'honorer les Vierges comme consacrées à Dieu, et

1. *Act. ap.*, c. 2, v. 44 et 45 ; c. 4, v. 32, et 34 et 37 ; c. 5, v 1-10.
2. Préface des règles de la Visitation.

» les veuves comme *l'autel* ou *sacraire de Dieu ;* et en » l'épître aux Corinthiens : que *les Vierges*, dit-il, *recon-* » *naissent à qui elles sont consacrées.* Et finalement à Hé- » ron : *Conserve les Vierges comme les joyaux de Jésus-* » *Christ.* »

Unde etiam S. Cyprianus, qui, anno 238, martyrii corona decoratus fuit, cujusdam Deo sacrarum Virginum domus mentionem facit. Item legitur in actibus S. Bonifacii martyris, B. Aglae renuntiasse mundo et Christo famulatam fuisse cum aliis quibusdam puellis. Et in actis S. Febroniæ, quæ, circiter anno 304, martyrium passa est, fit mentio de feminarum monasterio, cui præerat Bryene, olim discipula Platonidis, proinde a multis annis antea existente. Igitur SS. Paulus et Antonius non statum religiosum, ut quidam cum Thomassino asserunt, sed duntaxat vitam eremiticam instituerunt, ut ex ipso sancto Athanasio colligitur.

Dicemus : 1° de status religiosi natura ; 2° de canonica norma novas erigendi religiosorum familias, novosque earumdem conventus ; 3° de canonica norma statum religiosum ingrediendi ; 4° de religiosorum obligationibus ; 5° de eorumdem regimine ; 6° de privilegiis ; 7° de religiosis statum mutantibus ; 8° de suppressione et dispersione familiarum religiosarum ; 9° de variis speciebus religiosorum institutorum.

ART. I.

DE NATURA RELIGIOSI STATUS ET SOLEMNITATE VOTORUM.

924 I. Status religiosus sub duplici respectu considerari potest, nempe, vel tanquam minus stricte dictus, vel ut stricte dictus, seu completus.

Primo modo definitur : *Status fidelium ad divinæ charitatis perfectionem tendentium.*

Dicitur : 1° *status*, sive modus vivendi stabilitatem per vota habens ; 2° *ad charitatis perfectionem* ; unde non solum ad præceptorum, sed etiam ad consiliorum, saltem quorumdam, observationem, religiosi per vota se adstringunt ; 3° *tendentium*, quia minime necessarium

est quod religiosi jam perfectionem acquisierint, sed sufficit quod ad illam, per varia media quæ ipsis proponi solent, pervenire conentur.

Secundo modo definitur : *Fidelium ad divinæ charitatis perfectionem tendentium, editis votis perpetuæ paupertatis, castitatis et obedientiæ, stabilis in communi vivendi modus ab Ecclesia approbatus.*

Dicitur : 1° *editis votis perpetuæ paupertatis, castitatis et obedientiæ* ; quia, ut complete tendatur ad perfectionis acquisitionem, removeri debent quæ solent homines eb amore Dei avertere et creaturæ devincire; hujusmodi porro sunt bona externa, delectationes sensibiles, proprio sensui et voluntati adhæsio, quibus omnibus per dicta vota renuntiatur. Insuper per ea totum quod habet homo Deo consecrat : bona externa nempe per paupertatis, corpus suum per castitatis, intimas tandem animæ facultates, voluntatem præsertim, per obedientiæ votum.

Dicitur 2° *stabilis in communi vivendi modus :* quamvis enim ad essentiam status religiosi vita communis non sit in se necessaria, quippe fuere olim veri religiosi qui vitam eremiticam ducebant; hodie tamen hujusmodi vita requiritur, ut constat cap. finali, *De religiosis domibus*, et cap, unico eodem titulo, in 6°, ubi statuitur *vota religiosa debere fieri in religione approbata a Sede Apostolica*, quæ non approbat nisi statum cœnobiticum, seu in communi viventium.

Dicitur : 3° *ab Ecclesia approbatus* ; de status quidem religiosi essentia non est, quod ab Ecclesia expresse approbetur, cum absque ejus approbatione in illo potest inveniri omne quod ipsummet constituit, nempe observatio trium consiliorum evangelicorum, cum traditione suî facta, et a Deo per aliquem acceptata. Attamen cum nullus status ut Deo gratus et ab ipso acceptatus possit haberi si ab Ecclesia sit prohibitus, et cum hodie Ecclesia interdicat omne institutum religiosum ab ipsa non approbatum, hodie hæc conditio est necessaria ut aliquis ordo sit reputandus status vere religiosus.

925. Ad essentiam vero status religiosi stricte dicti

communiter DD. requirunt quod professi donationem et traditionem suî Deo faciant, et quod, nomine Dei, ab aliquo hominum hujusmodi donatio ac traditio acceptetur. Sic autem rem explicat Suarez [1] : « Ostendimus » Deum per seipsum vota acceptare quæ in promissione » consistunt ; quod hîc negamus de traditione vel obla- » tione... : nam promissio ipsi Deo immediate fieri po- » test et illi placere, si sit de re sibi grata ; et hoc satis » est ut habeat suum effectum, qui tantum est obligare » promittentem ad faciendum quod promisit.... At » vero traditio vel donatio, licet possit immediate fieri » intuitu Dei, non tamen acceptatur ab ipso, nec est » illi grata, nisi fiat alicui homini a quo acceptari vel » repudiari possit, et qui jus requirat in rem traditam » ad utendum illa, vel illi imperandum, curamque » gerendi ejus ... Ratio est, quia Deus, secundum ordi- » nariam providentiam, non sùscipit peculiarem cu- » ram gubernandi privatam personam immediate per » seipsum, nec indiget his rebus sensibilibus, ut eis » immediate et sine interventu causarum secundarum » utatur. Et ideo donatio sic facta Deo, vel esset vana » et otiosa, vel quasi tentans Deum ab illo regimen » exigendo ; et propterea illi non placet, nec ab ipso » immediate acceptatur. » Proinde ab aliquo ipsius nomine acceptari debet.

926. Vota religiosa duplicis sunt conditionis : alia enim sunt simplicia, alia vero solemnia, hæcque distinctio ipso jure nititur, ut videre est cap. *Quod votum, de voto et voti redempt. in* 6°, et cap. *Rursus* 6, *Qui clerici*.

II. Dicendum est ergo hîc in quo consistat votorum solemnitas. In eo conveniunt DD. quod vota solemnia reddant voventem omnino et perpetuo incapacem, sivé ad matrimonium contrahendum, sive ad acquirendum bonum temporale, ac ad exercendum quemlibet proprietatis actum, sive ad quamcumque promissionem tam Deo quam hominibus faciendam, quæ non sit a superiore rescindibilis.

1. *De relig.*, tract. 7, tit. 2, c. 4, nis 7 et 8.

Tres sunt sententiæ circa quæstionem in quonam præcise consistat votorum religiosorum solemnitas : *Prima Thomistarum*, qui ipsamet natura rerum procedere dicunt hanc solemnitatem. Vota enim, juxta ipsos, sunt solemnia eo quod sint donatio suî ; porro donatio natura sua differt a simplici promissione. Concedunt tamen Thomistæ posse Ecclesiam apponere conditiones sine quibus validæ non essent tam traditio voventis, quam ejus a superiore religionis acceptatio. Sic suam sententiam conciliare nituntur cum verbis Bonifacii VIII, affirmantis solemnitatem votorum sola constitutione Ecclesiæ fuisse inventam (cap. *Quod votum*, *De voto et voti*, etc, in 6°).

Secunda sententia plurium veterum theologorum tenet dictam solemnitatem consistere in quadam benedictione seu consecratione, qua fit ut matrimonium iniri nequeat, eo quod res Deo sacrata non sit adhibenda ad usus tali consecrationi repugnantes.

Tertia communior, quam amplectimur, dicit hanc solemnitatem pendere ex sola Ecclesiæ determinatione.

Probatur hæc tertia sententia 1° ex Decretali modo citata *Quod votum* Bonifacii VIII : « Nos igitur, inquit » Pontifex, attendentes quod voti solemnitas *ex sola* » *constitutione Ecclesiæ* est inventa..., declarandum du- » ximus.... illud solum votum debere dici solemne ... » quod solemnizatum fuerit per susceptionem sacri or- » dinis, aut per professionem expressam vel tacitam, » factam alicui de religionibus per *Sedem Apostolicam* » approbatis ».

2° Ratione : vel ex sola constitutione Ecclesiæ pendet votorum religiosorum solemnitas, vel, ut aiunt Thomistæ, ex traditione voventis a superiore acceptata, vel ex aliqua benedictione seu consecratione. Porro hæc duo posteriora dici nequeunt. Non quidem primum : Nam vota scholasticorum in Societate Jesu, solemnia non sunt, sed tantum simplicia, juxta Const. *Quanto fructuosius* Gregor. XIII, anni 1583, quamvis, juxta eamdem constitutionem, iidem scholastici sint veri et proprie dicti religiosi. Porro dicti scholastici, se tamen

Societati omnino tradunt, quæ illos acceptat etsi non irrevocabiliter. Ergo traditio suî, a superioribus acceptata, non sufficit ad solemnitatem votorum.

Ne dicas Societatem non se ligare erga scholasticos, sed servare libertatem illos dimittendi. Nam hoc non impedit quominus scholastici omnino se religioni dedicent; ita ut, acceptante religione, non amplius valeant de seipsis disponere; unde in casu est vera suî donatio a superioribus acceptata.

Præterea, per vota solemnia, professus spoliatur, in perpetuum ac absolute, capacitate sive nubendi sive bona acquirendi, etc.; porro nemo capacitate hujusmodi potest se spoliare, cum ea situnicuique a natura inhærens; sed ad hoc requiritur auctoritas publica. Ergo 1° donatio suî non sufficit ut vota sint solemnia, sed auctoritas publica, nempe Ecclesiæ, ad hoc insuper exigitur.

Secundo solemnitas non pendet ex aliqua benedictione seu consecratione. Quod evidentiâ patet : nam ex una parte vota solemnia esse possunt ex professione quæ sine benedictione fiat, videlicet ex professione tacita, ut constat Decretali *Quod votum* Bonifacii VIII; et ex alia, sunt vota simplicia quæ ritu valde solemni emittuntur in variis Institutis, quibus Ecclesia non concedit facultatem ad vota solemnia admittendi. Ergo superest ut solemnitas votorum ex sola constitutione Ecclesiæ pendeat.

927. Ex his varia deducuntur consectaria :

1° Ut solemnia sint vota religiosa requiritur ut tria numero sint, obedientiæ scilicet, castitatis et paupertatis. Ut certum principium hoc habet ipsamet Curia Romana.

Anno enim 1820, in responsione ad Episcopum Lemovicensem, sic ait S. Pœnitentiaria : « Si hujusmodi » paupertatis votum solemne non est, nec solemnia » censeri possunt reliqua duo vota castitatis et obe- » dientiæ : quippe cum secundum solemnis religiosæ » professionis naturam atque Ecclesiæ disciplinam, vo- » tum unum, sine alio, solemne esse non potest ».

V. etiam responsionem ad Episc. Nannetensem 28 nov 1818.

928. 2° Votorum solemnitas non potest unice pendere a constitutione Ecclesiæ, quin ab ipsa pariter pendeat id omne quod, ipsius judicio, hanc solemnitatem debet constituere. Proinde ad Ecclesiam pertinet statuere incapacitatem voventibus inhærentem valide contrahendi varios actus hujusmodi votis oppositos ; et id quidem non obstante civili potestate contrarium ordinante, cum Ecclesia sit omnino independens a sæculari auctoritate quoad objecta finem spiritualem spectantia. Proinde non solum invalidum esset matrimonium a solemniter professo contractum, sed nulli absolute ac irriti essent omnes actus proprietatis, ab eodem peracti, quantumvis validi a jure civili alias haberentur. Sic intelligitur quomodo, etiam in Gallia, non obstante lege civili, solemnia esse possunt vota Jesuitarum, Carthusianorum, Benedictinorum, Trappistarum, Cappuccinorum, etc. ; quomodo pariter a S. Sede solemnia reputentur vota monialium in Sabaudia et in diœcesi Niciensi, etsi ipsa talia non habeat vota emissa in cæteris Galliæ monasteriis ad eadem Instituta pertinentibus.

Nisi enim ut certa hæc teneantur, dicendum erit pendere a quocumque Gubernio temporali quod solemnia nequeant esse vota religiosa prout illa existere vult Ecclesia, nempe cum absoluta incapacitate bona temporalia habendi. Porro nunquam Ecclesia censuit statum religiosum sic esse sub dependentia principum temporalium : incapaces enim habet omnes regulares solemniter professos, etiam in ditionibus hæreticorum et infidelium, quantumvis civiliter capaces possidendi in eis regionibus habeantur.

929. 3° Ex dictis intelligitur cur vota solemnia in ordine ab Ecclesia ad hoc specialiter approbato sint emittenda. A concilio enim Lateranensi IV decretum fuit : « Quicumque ad religionem converti voluerit, unam de » approbatis assumat. Similiter religiosam domum de » novo fundare, regulam et institutionem accipiat de » approbatis ». Porro S. Sedes ut solemnia non habet

quæcumque vota ordinum approbatorum, sed solummodo emissa solemniter in iis qui ad hoc sunt specialiter approbati. Vota enim Maristarum, Redemptoristarum, etc., non sunt solemnia, etsi approbata fuerint illorum Instituta, quia non ad hoc fuere specialiter approbata.

Imo ex bulla *Instaurandæ* Innocentii X, cujus præscripta vim legis ubique habent, juxta Bened. XIV [1], solemnia esse nequeunt vota, nisi emittantur et acceptentur in domibus auctoritate S. Sedis erectis. Nec ibi accipi valent valide, nisi a superioribus ab eadem S. Sede specialiter deputatis.

930. 4° Insuper Ecclesia solemnia non reputat monialium vota, nisi emissa fuerint in domo clausuræ adstricta. Ita cap. *Periculoso*, *De statu religioso;* Conc. Trid. sess. XXV, c. 5, *De regul.*, et Bened. XIV, Const. *Quamvis*, 30 apr. 1749. Quæ clausura, non episcopalis tantum, sed papalis est intelligenda, id est clausura a sacris canonibus præscripta, et juxta eorumdem determinationem observanda, ita ut de ea ipsimet Episcopi, qui speciale non habent indultum, haud possunt dispensare nisi in casibus a lege determinatis.

931. Defectu earum conditionum, monialium vota in Galliæ non habentur ut solemnia a Sancta Sede, etiam in monasteriis ad Ordines specialiter approbatos pertinentibus, licet in iisdem extra Galliam professio solemnis in usu sit. In Gallia enim moniales nisi clausuræ episcopali subjiciuntur. Nam tempore restaurationis cultus, post lugendam perturbationem 1789, ipsarum monasteria auctoritate S. Sedis non fuere erecta, nec ab eadem S. Sede superiorissæ potestatem acceperunt ad solemnem professionem admittendi.

Cur vero Sancta Sedes non præscripserit monialibus Galliæ observationem eorum quæ ad solemnitatem votorum requiruntur, dum in eadem ditione absque ulla difficultate admittere permittit viros ad professionem solemnem, vera ratio videtur esse quod, a tempore

1. *De Syn.*, l. IX, c. 1, n° IX.

dictæ perturbationis, nunquam Instituta religiosa tanta securitate civiliter potita fuere ut eorum eversio non esset formidanda ; porro, tali infortunio accidente, difficilius quam viri sibi providere possent feminæ solemnibus votis adstrictæ. Igitur ipsis tunc opus esset ut à votis solverentur ; proinde expediebat ut votis solemnibus non forent ligatæ, sed solummodo simplicibus, quorum solutio multo facilior est.

Cæterum monialium vota in Gallia, vigente actuali legislatione, possent esse solemnia, si Sancta Sedes id permitteret, prout adhuc permittit in Sabaudia. Etenim Trappistarum vota nonnisi simplicia fuerant ab anno 1837 usque ad 5 februarii 1868, sic Roma disponente ; attamen solemnia nunc esse possunt ex nova concessione S. Pontificis. (V. des *Communautés religieuses*, etc, n° 524, et *Manuale tot. jur. canon.* n° 2505, edit. 4ª.)

932. Quærit. Quid speciale habeant vota religiosa solemnia ?

Resp. 1° : Hujusmodi vota illum constituunt statum religiosum qui Romæ habetur velut proprie dictus, cuique soli applicandæ sunt generaliter leges canonicæ statum regularem spectantes. Non ideo tamen concludendum est solos solemniter professos esse veros religiosos, cum ex Const. *Quanto fructuosius* Gregor. XIII decretum fuerit : « non modo eos qui in coadjutorum formatorum, » sive spiritualium sive temporalium gradus et ministeria admittuntur, sed etiam alios omnes, et quoscumque qui in ipsa Societate admissi, biennio probationis... peracto, tria vota prædicta, tametsi simplicia emiserint, emittentque in futurum, *vere et proprie religiosos fuisse et esse, et ubique semper ab omnibus censeri et nominari debere, ac si in professorum præ-dictorum numerum* adscripti fuissent. Præcipimus, et » interdicimus ne quicumque.... illud in controversiam.... ponere audeat quoquo modo ». Igitur qui emittunt vota simplicia regulares in stricto sensu esse possunt ; imo et tales habentur a Sede Apostolica, modo tamen tria vota religiosa emittant, et pertineant ad ordinem specialiter approbatum qui facultatem habeat ad-

mittendi ad professionem solemnem ; si vero pertineant ad ordinem, approbatum quidem, sed non specialiter cum dicta facultate, non habentur ab Ecclesia Romana tanquam regulares stricte dicti, proinde ipsis non sunt generaliter applicandæ leges Ecclesiæ regulares spectantes, nisi quatenus Ecclesia expresse eosdem voluerit obligare ; sed revera, in facta hypothesi quod emittant tria supra dicta vota in Instituto a Sede Apostolica approbato, sunt in se veri religiosi, cum plene Deo se dedicent, et cum eorum vota nomine Dei a superioribus suis ad hoc legitime deputatis recipiantur. In iis enim consistit vera vitæ religiosæ essentia, etsi Ecclesia nolit ad tales religiosos generaliter extendere suas præscriptiones statum regularem respicientes.

933. Resp. 2° Addendum est nunc quid sit speciale unicuique voto solemni seorsim sumpto.

I. Votum solemne castitatis speciale habet quod et dirimat matrimonium antea contractum quando nondum est usu consummatum, et quod insuper sit perpetuum impedimentum contrahendi valide conjugium subsequens. Hæc duo constant ex Tridentino : primum quidem ex can. 6 sess. XXIV, sic habente : « Si quis dixerit matrimonium ratum, non consummatum, per » solemnem religionis professionem alterius conjugum » non dirimi, anathema sit ». Secundum vero ex canone 9 ejusdem sessionis, ubi dicitur : « Si quis dixe» rit... regulares castitatem solemniter professos, posse » matrimonium contrahere, contractumque validum » esse, non obstante... voto..., anathema sit ». Et hoc posterius sequitur ex dictis supra : cum enim Ecclesia tollat in perpetuum capacitatem nubendi a solemniter professis, necessario iidem nuptias validas inire nequeunt.

Revera etiam scholastici in Societate Jesu haud possunt valide matrimonium contrahere quamdiu dictæ Societatis sunt membra, etsi simplicia sint illorum vota, eo quod sic de illis statuit Ecclesia ; sed illorum incapacitas non est perpetua, et, contingente quod a Societate dimittantur, valide etiam sine dispensatione, possunt

uxorem accipere, nisi fuerint sacris ordinibus initiati; minime autem matrimonium ratum non consummatum antea contractum dissolvitur per scholasticorum vota. (V. *Manuale*, etc., n° 2603, *in nota.*)

934. II. Ut bene intelligatur quid speciale sit voto solemni paupertatis, quatuor paupertatis gradus distinguendi sunt.

Primus est ejus qui nec licite nec valide potest habere dominium, neque proinde rebus tanquam propriis uti.

Secundus, ejus qui dominium potest quidem valide habere sed non licite, nec uti valet rebus tanquam suis.

Tertius, ejus qui valide et licite potest dominium habere, sed nequit licite uti rebus tanquam suis. Tales sunt scholastici in Societate Jesu.

Quartus tandem, ejus qui nec abdicat dominium, nec usum rerum independentem, sed duntaxat voto se adstringit ad non habendum temporalia ultra mensuram sufficientis sustentationis. Unde non abdicat nisi usum superfluorum.

935. Porro votum solemne paupertatis non tantum continet supradictum primum paupertatis gradum, sed supponit in solemniter professo perpetuam ac absolutam incapacitatem aliquid temporale tanquam proprietario habendi, ac ullum actum proprii dominii valide peragendi. Ad hoc, ut jam diximus, necessaria est interventio potestatis Ecclesiæ, cum nemo queat sibi auferre talem capacitatem a natura unicuique inhærentem; et in hoc omnes concordant.

Hæc præsertim constant cap. *Cum ad monasterium* 6, *De statu monachorum*, ubi Innoc. III, anno 1213, ait: « Prohibemus.... ne quis monachorum *proprium aliquo* » *modo habeat*..... Si vero... *proprietatem aliquam* fuerit » deprehensus habere, regulari monitione præmissa, » de monasterio expellatur, nec recipiatur ulterius nisi » pœniteat secundum monasticam disciplinam... Unde » si quidquam alicui fuerit specialiter destinatum, *non* » *præsumat accipere*, sed Abbati, vel Priori, vel cellario » *assignetur* ». Et ex Conc. Trident. (Sess. xxv, c. 2, *De regular.*), ubi dicitur: « Nemini... regularium, tam

» virorum quam mulierum, liceat bona immobilia vel » mobilia, cujuscumque qualitatis fuerint, etiam quo- » vis modo ab eis acquisita, *tanquam propria, aut etiam* » *nomine conventus*, *possidere vel tenere;* sed statim ea » superiori tradantur, conventuique incorporentur » V. *Manuale*, n° 2488.

Nota quod incapacitas possidendi afficiat religiosos, non vero monasteria (Trid., sess. xxv, c. 3, *De regular.*), nisi speciali lege prohibeatur monasteriis possidere, uti Capuccinis, quibus nec etiam in communi licet aliquid habere, et quorum bona ad Ecclesiam Romanam pertinent.

936. De quæstione quisnam paupertatis gradus requiratur ad essentiam status religiosi, disceptatur apud Doctores. Porro 1° probabile est statum religiosum extitisse aliquando cum solo quarto gradu, excludente duntaxat superfluorum usum, proinde probabile pariter est illum gradum sufficere ad status religiosi essentiam. In probationem affertur antiquorum solitariorum exemplum.

2° Probabilius tamen dici potest semper viguisse tertium paupertatis gradum, usum bonorum independentem excludentem, quia proprietas repugnare videtur statui perfectionis : « Quamdiu enim res tractatur ut propria, amatur ut propria, aut saltem valde timendum est quod taliter ametur : unde amor non est purus. Et quoad solitarios antiquos, dicendum est illos habuisse sane aliquos superiores, alioquin non fuissent veri religiosi, cum apud omnes constet aliquam obedientiam esse statui religioso essentialem.

3° Probabilis est ergo ad essentiam religiosi status requiri saltem gradum tertium paupertatis. Sed inquiri potest an sufficiat; et responderi potest quod certe ita sit; et id constati 1° exemplo antiquorum religiosorum, SS. Antonii, Hilarionis, etc., qui possiderunt aliqua et testamenta condiderunt; 2° votis Scholasticorum in Societate Jesu, qui remanent domini capaces; et tamen, juxta Const. Gregor. XIII, *sunt veri et proprie dicti religiosi*; et propter hanc auctoritatem diximus certam esse

responsionem; 3° ratione, quia qui habent dominium solummodo exercendum cum superioris licentia, sunt vere pauperes, quippe bonis suis non fruuntur aliter quam si eorum dominio carerent.

937. III. Nihil fere speciale est voto solemni obedientiæ : nam etsi virtute hujusmodi voti superior religionis potestatem habeat omnes promissiones a solemniter professo factas irritandi, eamdem potestatem communiter DD. tribuunt superioribus cæterorum religiosorum votis simplicibus adstrictorum : vi nempe potestatis dominativæ, quæ ipsis competit in omni Instituto religioso sufficienter approbato, irritare possunt illorum vota votis professionis superaddita, cæterasque ipsorum promissiones. Discrime naliquod tamen est : nam ex mera S. Pontificis permissione superiores Institutorum, in quibus sola emittuntur simplicia vota, possent præfato renuntiare privilegio, et hoc sine mutatione conditionis religiosorum istorum; dum Papa nequit generaliter hanc licentiam dare superioribus solemniter professorum quin mutet conditionem hujusmodi religiosorum, et illos constituat in statu simplicium votorum. Unde erga solemniter professos, potestas inhærens superioribus irritandi vota et promissiones est absoluta, et *quasi immutabilis*, cum desinere nequeat nisi per destructionem conditionis solemniter professorum; dum res aliter se habet erga simplicia vota emittentes. Inde sequitur quod superiores solemniter professorum irritare valeant eorum promissiones et pleraque vota professioni superaddita, etiamsi illa antea approbassent.

Dicimus *pleraque vota professioni superaddita* : quia sunt excipienda illa quæ, in quibusdam Religionibus, absolute et absque dependentia superiorum tribus votis consuetis superadduntur : v. g. vota abstinentiæ apud Minimos, captivos redimendi apud religiosos de *Mercede*, etc. Quoad votum transeundi ad strictiorem religionem, v. *Manuale* n° 2500, aut S. Liguorium, lib. 4, n° 13.

ARTICULUS II.

DE NORMA ERIGENDI RELIGIOSAS FAMILIAS NOVOSQUE EARUM CONVENTUS.

Dicendum : 1° de eadem norma canonice erigendi ; 2° de norma instituendi civiliter.

§ I.

De norma canonice erigendi religiosas familias et novas illarum domus.

PUNCTUM I.

DE NORMA CANONICE ERIGENDI RELIGIOSAS FAMILIAS.

938. Ad vitandas æquivocationes, sensus quorumdam vocabulorum est determinandus :

1° Per *Religiones*, maxime si dicantur *formales* aut *stricte* dictæ, intelligenda sunt instituta in quibus emittuntur vota solemnia.

2° Per *Congregationes religiosas*, instituta intelliguntur quæ essentiam quidem habent status religiosi, sed in quibus duntaxat emittuntur vota simplicia.

3° Vox *Ordo religiosus*, juxta Suarezium, comprehendit utraque præfata instituta : sed juxta alios, præsertim recentiores, idem significat ac Religio formalis.

4° Vocabulum *Institutum religiosum* sumi potest vel in stricto sensu, et sic designat institutum cui inest omne quod ad essentiam status religiosi requiritur, vel in lato sensu et tunc applicari potest omni congregationi religiosæ, etsi in ea nullum votum emittatur.

5° In quibusdam Institutis *regula* distinguitur a Constitutionibus ; sed, juxta S. Congr. Episc. et Regul., distinctio hæc « haud admittitur in novis Institutis, cum » regularum nomine veniant tantum regulæ antiquo» rum ordinum, quæ olim ab Apostolica Sede appro-

» batæ fuerunt. Hinc omnia sub nomine constitutio-
» num comprehendenda sunt ». (*Manuale*, 1.° 2522.)

939. His præmissis, observandum est : 1° adesse legem Ecclesiæ prohibentem institutionem novorum ordinum religiosorum. Sic enim decretum fuit ab Innoc. III, in Concilio Lateranensi IV : « Ne nimia religionum
» diversitas gravem in Ecclesiam Dei confusionem in-
» ducat, firmiter prohibemus ne quis de cætero novam
» Religionem inveniat; sed quicumque ad Religionem
» converti voluerit, unam de approbatis assumat. Si-
» miler qui voluerit religiosam domum de novo fun-
» dare, regulam et institutionem accipiat de appro-
» batis [1] ». Titulus autem hujus capitis sic habet : « No-
» vam Religionem non licet constituere sine auctoritate
» Romani Pontificis ». Idem fuit decretum a Gregorio X, anno 1273, in concilio Lugdunensi II.

Et sub præfata prohibitione comprehenduntur ipsimet Episcopi, ut constat Extrav. *Sanctæ Romanæ, De relig. domibus*, Joannis XXII, in qua Pontifex statuit insuper dictam prohibitionem esse omnino irritantem. (V. *Manuale* n° 2525).

Communiter autem prohibitio intelligitur, non tantum de Religionibus proprie dictis, sed de omni Instituto religioso, etiam improprie dicto; quia vox *Religio* qua utitur Innocentius III, nondum, suo ævo, restringebatur ad Ordines in quibus emittebantur vota solemnia; et insuper quia si lex non esset sic interpretata finem propositum non obtineret, scilicet impediendi *ne nimia religionum diversitas gravem in Ecclesia confusionem inducat*.

940. Attamen, a multis annis, aliquatenus mitigata fuit interdictio; et, quamvis etiam nunc instituta religiosa, sine Sanctæ Sedis approbatione, nequeant permanenter et absolute institui, ita ut in eis tria vota profitentes sint veri et proprie dicti religiosi, inchoari nihilominus possunt, modô id fiat ex episcopali licentia

1. Lib. 3, Decret. tit. 30, c. 9.

Sic incœpit S^te. Joannæ Valesiæ Institutum, quod postea, anno 1501, ab Alexandro VI fuit approbatum; Idem est dicendum de Congregatione Fratrum Scholarum Christianarum vener. De La Salle, quæ, nonnisi multo post suam institutionem, anno 1724, approbationem a Sede Apostolica obtinuit; sic incœperunt Maristæ a Gregor. XVI, per Bullam *Omnium gentium*, approbati; sic multæ aliæ Congregationes religiosæ. Imo constat hodie Curiam Romanam nolle ullam novam Congregationem approbare, quin per temporis experimentum utilitatem suam et consistentiam ostenderit. Proinde non amplius hodie prohibetur novum ordinem inchoare, modo id fiat auctoritate Ordinarii [1]. Certum est autem vigere, adhuc nunc, dictam prohibitionem quando Ordinarii licentia deest. Proinde vota quæ emitterentur in aliquo novo Instituto sine licentia episcopali incœpto, illicita essent ac proinde nulla, saltem quatenus respectum haberent ad hujusmodi Institutum. (V. des *Communautés*, etc, n^os 11, 12, 37, 38.)

Nota quod statim ac a S. Sede approbatæ fuerint Constitutiones Instituti cujuslibet, etiamsi in eo vota non emittantur, vel clausuræ non subjaceat, nullæ in eis sive mutationes sive additiones fieri queunt, sive a superioribus Instituti, sive ab Ordinario. (V. *Manuale*, n° 2529.)

941. Observandum est : 2° monialium vota solemnia esse haud posse, nisi emissa fuerint in monasteriis clausuræ papali adstrictis; imo a Sancta Sede prohibitum fuit ne erigantur conventus monialium in quibus non admittitur professio solemnis.

Primum constat tum ex cap. *Periculoso*, *De statu reg.* in 6°, ubi dicitur : « Nulli earum (monialium) religionem tacite vel expresse professæ, sit vel esse valeat..

1. Sed cum Ordinarius nequeat licentiam concedere nisi pro sua diœcesi, et sub conditione quod non erit retrahenda a S. Sede, patet Congregationem sola auctoritate Ordinarii institutam, illam non habere consistentiam quæ est requisita ut voventes sint in statu religioso proprie dicto, seu vere permanenti; proinde voventes in instituto hujusmodi non esse veroset proprie dictos religiosos.

» monasteria ipsa deinceps egrediendi facultas ». Tum ex Conc. Trident. (sess. xxv, c. 5, *de Regular.*) sic habente : « Nemini autem sanctimonialium liceat, *post* » *professionem*, exire e monasterio, etiam per breve tem- » pus, quocumque prætextu, nisi ex aliqua legitima » causa, ab Episcopo approbanda ».

Secundum probatur ex Const. S. Pii V *Circa pastoralis*, 29 maii 1566, ubi, loquens de Tertiariis clausuram non servantibus, decernit ut vel vota solemnia emittant et sese clausuræ subjiciant, vel nullas in posterum possint recipere novitias. Hæc vero Constitutio communiter a canonistis intelligitur de omnibus monialibus. In Constitutione autem *Quamvis*, 30 apr. 1749, Bened. XIV affirmat monasteria mulierum sine clausura viventium esse *contra præscriptum Decretalis Bonifacii VIII, decretum Conc. Tridentini, nec non Const. S. Pii V, quæ incipit :* Circa pastoralis.

Circa tamen hoc secundum punctum mitigata pariter fuit jurisprudentia Curiæ Romanæ. Primo quidem congregationibus a se approbatis S. Congr. Episc. et Regul. concessisse videtur, per tolerantiam tantum, quod clausuram non observarent ; sed hoc nunc absque difficultate permittit, ut constat ex variis approbationibus ab eadem datis, in quibus non amplius inveniuntur hæ vel similes clausulæ olim insertæ : *Citra tamen approbationem dicti conventus, vel conservatorii.*

942. Ex supra dictis, perspectum est quod, etsi cum sola episcopi licentia inchoari valeant hodie Instituta religiosa, attamen ad Sanctam Sedem recurrendum est ut habeant ab Ecclesia approbationem, quæ ipsis veram stabilitatem conferat ad emittenda in eis vota sive solemnia sive simplicia. — Quid vero tunc sit agendum pro obtinenda hujusmodi approbatione, dicitur in quodam libro ad usum S. Congreg. Episcop. et Regularium impresso, cujus hîc referimus tenorem :

« Quando petitur approbatio alicujus Instituti, debent exhiberi litteræ commendatitiæ Antistitum locorum in quibus domus reperiuntur. Preces remittuntur Episcopo diœcesis in qua prima fundatio vel domus

princeps sita est, ut referat de fine seu scopo, de fundatione, de numero domorum, fratrum vel sororum, de medio sustentationis, deque utilitate, progressu, aliisque similibus.

« Si Institutum recenter erectum fuerit, unam vel alteram domum duntaxat habeat, nec opportunæ Constitutiones adhuc concinnatæ fuerint, laudatur finis seu scopus fundatoris, vel finis seu scopus Instituti, pro qualitate circumstantiarum.

« Post congruum tempus, si Institutum satis diffusum fuerit, uberes fructus retulerit, et Ordinarii locorum illud commendaverint, decretum *Laudis* Instituti conceditur, et aliquando etiam decretum approbationis, præsertim si constitutiones efformatæ fuerint, nec in substantialibus graves difficultates præ se ferant; quod tamen approbationis decretum ordinarie ad aliud tempus solet differri. Communicantur animadversiones circa constitutiones.

« Constitutiones autem non approbantur nisi per congruum tempus experientia comprobatæ fuerint, et ad tramites animadversionum reformatæ. Approbatio ut plurimum conceditur per modum experimenti, ex. gratia, ad triennium, vel quinquennium; et deinde, nisi aliquid obstet, decretum definitivum tribuitur » (omittimus hîc formulas à S. Congr. adhibendas).

« In hujusmodi vero negotiis expediendis omnia debent referri S. Pontifici. Quin imo Sanctissimus D. N. Pius Papa IX, in audientia habita die 22 sept. 1854, mandavit ut in posterum supplicationes pro laudatione vel approbatione alicujus Instituti, et constitutionum confirmatione, antequam quidquam a S. Congregatione agatur, S. Pontifici referantur [1]. »

Notandum est quod Institutum non reputari debet approbatum pro admissione ad vota solemnia, nisi hoc sufficienter exprimatur in decreto, et quod in congregationis religiosæ approbatione aliquid statui religioso proprium exprimi debeat; cum secus ipsa meræ con-

1. *Des Communautés*, n° 48.

fraternitati confundi posset. Et ea de re sciendum est Lazaristas non haberi ut religiosos proprie dictos, licet fuerint approbati, et tria vota consueta, etiam perpetua, emittant : quia Sedes Apostolica noluit approbare quod illa vota nomine S. Sedis aut Instituti nomine acceptarentur. V. *Manuale*, n^is^ 2535—2538.

PUNCTUM II.

DE NORMA CANONICA NOVAS ERIGENDI RELIGIOSAS DOMUS.

943. Sola auctoritate Ordinarii monasteria Regularium erigebantur ante Decretales Gregor. X, cap. *Non amplius, de Constit.*, et Bonifacii VIII, cap. *Religionum, De religiosis dom.* in 6°; sed a tempore hujusmodi Constitutionum, necessarium fuit Sedis Apostolicæ beneplacitum pro erigendis mendicantium conventibus. Imo per Bullam *Instaurandæ* Innoc. X, anno 1652, prohibita fuit cujuslibet monasterii erectio regularium proprie dictorum, absque S. Sedis licentia. Hæc quidem constitutio lata fuit duntaxat pro Italia et Insulis adjacentibus; sed a tempore Bened. XIV [1], ubique tanquam obligatoria a sacris Romanis Congregationibus habetur. Idem beneplacitum Apostolicum requiritur pro erigendis monialium monasteriis in quibus viget professio solemnis, quæque ideo clausuræ papali sunt subjicienda. Quoad alias domos religiosas sive virorum sive mulierum, in quibus sola vota simplicia profitentur, nulla lex generalis exigit Beneplacitum Apostolicum, pro illarum erectione. Attamen pluries sacra Congregatio hanc conditionem quorumdam Institutorum approbationi apposuit, et solet præscribere pro delectu Novitiatus domus. Nota insuper quod minime sit dubitandum quin S. Pontificis auctoritas debeat intervenire cum agitur de provinciarum, per quas Institutum se extendit, divisione aut unione. (V. des *Communautés*, etc., n° 50, etc., et *Manuale* 2541-2544.)

944. Porro Beneplacitum Apostolicum non sufficit ad erectionem domus religiosæ, qualiscumque sit, sed in-

1. *De Syn.* l. IX *c.* 1, n° 9.

super opus est Ordinarii licentia, nisi super hoc expresse dispenset Sancta Sedes. Id ex se satis patet quidem, sed præterea constat Conc. Trid. sess. 25, c. 3, *de Regul.*, ubi dicitur : « Nec de cætero similia loca (mo-» nasteria tam virorum quam mulierum) erigantur » sine Episcopi in cujus diœcesi erigenda sunt, licentia » prius obtenta ». Quod evidenter intelligi debet de omnibus conventibus, etiam in quibus non emittuntur nisi simplicia vota, imo nulla vota emittuntur. Si vero absque justa causa licentiam hanc Episcopus denegaret, recursus ad Sanctam Sedem haberi posset. (V. *Manuale*, nº 2547.)

945. Etsi ad cujusque Instituti superiorem vel superiorissam generalem spectet erigere novos conventus, non debent tamen ipsi hanc erectionem peragere, inconsulto et renuente Capitulo generali Ordinis, juxta præscriptiones uniuscujusque Instituti constitutionum.

946. Hîc inquiri potest an erectioni novi conventus sese opponere valeant regulares et parochi in loco degentes ?

Huic quæstioni, quoad regulares, respondent duæ Constitutiones Sedis Apostolicæ : 1ª Clementis VIII, 23 jul. 1603, sic habens : « Declaramus locorum Ordina-» rios non posse licentiam ad novos conventus cujus-» cumque mendicantium Ordines, in civitatibus et locis » eorum ordinariæ jurisdictioni subjectis erigendos, im-» pertiri, nisi vocatis et auditis aliorum in eisdem civi-» tatibus et locis existentium conventuum Prioribus seu » procuratoribus et aliis interesse habentibus; et, causa, » servatis servandis, cognita, constiterit in eisdem civi-» tatibus et locis, novos hujusmodi erigendos conven-» tus sine aliorum detrimento commode sustentari » posse. Si vero ab eorum, in hujusmodi causis, sen-» tentiis ad Nos et Apostolicam Sedem provocari et ap-» pellari contigerit, ipsos Ordinarios tamdiu erectionem » novorum conventuum suspendere debere, quousque » a Nobis et Apostolica Sede in eadem causa pronun-» tiatum exstiterit : et irritum nihilominus et inane de-» cernentes quidquid super his, a quoquam, quavis

» auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit atten-
» tari. »

Secunda Gregorii XV, 17 aug. 1622, prohibens erectionem cujuscumque conventus regularium : « Nisi... » Priores, seu procuratores aliorum manasteriorum, conventuum seu domuum aliarum religionum... non so-» lum in prædictis, sed etiam in aliis per quatuor mil-» lia passuum, circumvicinis locis, ad id vocati et au-» diti fuerint et tali erectioni consenserint, vel alias » Ordinariis locorum constiterit religiosos monasterii, » conventus seu domus regularis sic erigendi seu eri-» gendæ, absque detrimento religiosorum, in monaste-» riis seu domibus in... locis hujusmodi erectis, degen-» tium, ibi in numero duodecim commode et congrue » manuteneri et ali posse. »

Ex his infertur Episcopum posse concedere licentiam novum conventum erigendi haud vocatis dictis superioribus, si aliunde ipsi bene constet hunc novum conventum absque aliorum detrimento posse sibi providere.

Præfatos superiores vocare et audire non tenetur Episcopus pro erectione conventuum monialium, quia de iis non loquuntur prælaudatæ Constitutiones, et sic habet, juxta D. Bouix, praxis sacræ Congregationis. — Contradicunt tamen S. Liguorius, *De Privilegiis*, n° 88, in fine, et *Analecta*, quoad moniales solemniter professas. (V. *Manuale*, n° 2565.)

Si nulli alii regulares reperiantur in loco ubi novus conventus est erigendus, tunc Gregorius XV in prælaudata Constitutione præscribit ut « Ordinarii locorum » nihilominus diligenter inquirant an locorum incolæ, » quorum consensum requirant..., hujusmodi duode-» cim religiosos commode alere et manutenere valeant... » Irritumque et inane, quidquid secus... contigerit at-» tentari, decernentes ». — Consensus tamen incolarum non requiritur, si eorum eleemosynis conventus non sit sustentandus, aut si Episcopo constet religiosos aliunde posse sibi sufficienter providere.

947. Quoad loci parochum certum est quod possit se

opponere erectioni novi conventus, quando propter illam jura ipsius læduntur. An autem vi prædictarum Constitutionum Episcopus teneatur eos vocare et audire antequam licentiam præbeat conventum erigendi, disceptatur inter canonistas, ut est videre in *Manuali*, n° 2554, etc.; sed dicta Constitutio nihil continet ex quo sit concludendum consensum parochorum pro hujusmodi erectione esse requisitum, licet, juxta easdem Constitutiones, aliquando consensus Priorum Superiorumque regularium obtinendus sit. Possent ergo Parochi solummodo appellare, si eorum jura proprie dicta læderentur, id est, si ob erectionem privarentur commodo ad quod jus strictum habent; v. gr., si propter erectionem, parochiani non tenerentur tempore paschali Eucharistiam a parocho recipere, aut moribundi extremam-unctionem et Viaticum, vel defuncti sepulturam ab eodem; non vero, si duntaxat fieret concursus aut oblationum spontanearum diminutio in ecclesia parochiali, ut constat decisione S. Congr. Concilii 19 dec. 1772 : alioquin nunquam conventus erigi possent, quod nonnisi absone diceretur.

948. Ex Tridentino, sess. XXV, c. 3, *De regular.*, conventus eum tantum religiosorum numerum, sive virorum sive mulierum, habere debent qui commode in eis sustentari possit. Circa quod est notandum quod, etsi juxta Const. *Cum alias* Gregor. XV, religiosi debeant esse, in quolibet monasterio, saltem numero duodecim, tamen Decretum 21 Junii 1625 S. Congr. Concilii, auctoritate Urbani VIII promulgatum, conventus minorem numerum continentes tolerat, modo tunc subjecti intelligantur *Ordinarii loci visitationi*, *correctioni*, *atque omnimodæ jurisdictioni*. V. *Manuale*, n^is^ 2563, 2564.

949. An omnia supra relata sint observanda in reassumptione prisci conventus, distinguendum est : vel religiosi fuerunt a suo prisco conventu injuste expulsi, vel illum ex se dereliquerunt : in primo casu, generaliter negative est respondendum, nisi agatur de monialibus solemniter professis. V. (*Manuale*, n^is^ 2579-2585); in secundo casu, respondit affirmative Sacra Congreg. Episc.

et Regular., 17 nov. 1617.—Diximus nisi *agatur de monialibus solemniter professis* : istæ enim, inquiunt *Analecta*, subjiciuntur clausuræ papali, quæ a solo Summo Pontifice statui potest. (*Manuale*, n° 2585). At hæc responsio supponere videtur dispositiones monasterii fuisse immutatas.

§ II.

De norma civiliter erigendi familias religiosas.

950. Juxta legem 31 Jan. 1852, collatam cum lege 24 maii 1825, familiæ mulierum religiosæ a Gubernio approbantur aut per decretum tantum, aut per legem.

Per decretum quidem : 1° quando ipsæmet statuta jam pro aliis Congregationibus a Gubernio approbata, declarant adoptare ; 2° quando ex Ordinarii testimonio constat familias, quæ peculiaria statuta possident, extitisse ante 1 Jan. 1825 ; 3° quando Congregatio, quæ seorsim amplius existere nequit, alteri approbatæ se coadunat ; 4° quando probari potest familiam religiosam, quæ fuerat initio approbata tanquam regimini superiorissæ localis subjicienda, subjectam tamen fuisse canonice regimini Superiorissæ Generalis, sub se varias domus habentis ; 5° si erigatur nova domus Congregationis subjectæ superiorissæ generali, aut si petatur illius recognitio a Gubernio.

Unicus est casus in quo lex est necessaria pro approbatione familiarum religiosarum, nempe si Congregatio, post annum 1825 instituta, constitutiones habeat omnino novas nondum a Gubernio approbatas. Instituta autem virorum per solam legem approbari possunt ; sed a luctuosa perturbatione 1789, fere solæ familiæ mulierum a Gubernio nostro fuerunt agnitæ. Implicite tamen fuit recognitum Institutum *Fratrum Scholarum Christianarum* per decretum 17 martii 1808, a quo constituta fuit *Galliæ Universitas*. Variis insuper decretis approbatæ fuere tum domus religiosorum in Alpis montibus degentium, tum Congregationes S. Lazari, missionum exterarum, S^ti^ Spiritus ; et aliquo modo Magna Cartusia

et conventus Trappistarum Staouelis in Africa. Imo, etsi in se non approbentur virorum Congregationes religiosæ, agnosci tamen possunt tanquam *Instituta publicæ utilitatis.*

Instituta religiosa a Gubernio ut talia approbata, bona acquirere et possidere queunt cum assensu Principis; imo in eis emitti licent vota quæ a Gubernio agnoscuntur, sed pro tempore solummodo. (*Manuale*, nis 2586-2595.)

Quoad Instituta a Gubernio non agnita, coram lege civili habentur ac si essent sæcularia et absque votis.

Si tamen ut *publicæ utilitatis* Instituta agnoscantur, hæc civilis recognitio, ait D. Calmette, « ne procure » que les avantages qui en derivent, d'après la loi de » l'enseignement. Nous croyons, contrairement à l'opi- » nion de quelques auteurs, que cette reconnaissance » rend les associations religieuses... habiles à posséder » des biens et à recevoir des libéralités. » (*Manuale* nº 2596; vide etiam *Traité des Congrég. religieuses* de M. Armand Ravelet.)

ARTICULUS III.

DE CANONICA NORMA STATUM RELIGIOSUM INGREDIENDI.

Ingressus in religionem fit per professionem quam præcedere debet novitiatus rite peractus.

§ 1.

De Novitiatu.

951. Novitiatus est mutuum experimentum quo Religio, ex una parte, experitur mores et qualitates novitii, ut videat an expediat illum admittere vel rejicere; et Novitius, ex altera parte, experitur Religionis austeritates et statuta, suamque indolem, ut videat an sibi expediat illam profiteri.

Plura sunt examinanda circa Novitiatum :

PUNCTUM I.

QUINAM JURE COMMUNI IN RELIGIONEM SINT ADMITTENDI.

952. In eam quidem omnes admitti possunt qui ad hoc genus vitæ aspirant, si videantur apti et propter quædam specialia impedimenta non prohibeantur.

Porro : 1° apti non sunt amentes, eorumque admissio invalida esset; 2° admittendi non sunt servi; imo a dominis suis intra triennium repeti possunt, si absque ipsorummet consensu professionem emiserint; 3° conjuges sine consensu compartis non sunt pariter admittendi, quando matrimonium fuit consummatum, nisi perpetua separatio fuerit legitime facta per sententiam Episcopi, propter adulterium carnale, vel spirituale, scilicet propter hæresim.

Diximus *quando matrimonium fuit consummatum* : nam jura concedunt conjugibus ut possint, renuente etiam comparte, religionem ingredi, si matrimonium sit tantummodo ratum, scilicet nondum consummatum; imo hujusmodi conjugium dissolvit solemnis professio; ita ut pars derelicta possit tunc ad alias convolare nuptias. Concedunt igitur jura nuptis bimestre, quod probabilius est a judice ecclesiastico præfigendum, ut deliberare valeant an sint in matrimonio permansuri, vel ipsis expediat ingredi religionem. (C. *Verum*, et c., *Ex publico*, *de convers. conjug.*)

953. 4° Non est admittendus jam in alia religione professus, nisi transitus fiat a laxiori ad strictiorem (Conc. Trid. sess. XXV c. 19, *de Regular.*). Imo in hoc posteriori casu transitus est illicitus si fiat *ex temeritate, aut levitate, aut in jacturam vel injuriam proprii ordinis.* Ita Innoc. III in cap. *Licet*, *De regular.*, in quo præcipit ut petatur licentia a superiore, quamvis ipsius consensus non sit necessarius extra casum privilegii specialis; sed tunc ad Sedem Apostolicam est recurrendum.

Nunquam moniales solemniter professæ transire queunt ad alium ordinem, aut ad aliud monasterium

absque indulto Papæ, qui solus circa clausuram papalem dispensare potest.

Etsi Ordines, vitæ contemplativæ dediti, perfectiores sat communiter habeantur ordinibus vitæ activæ, attamen, juxta S. Thomam, *summum gradum tenent qui ordinantur ad docendum et prædicandum*, 2, 2, q. 188, art. 6, *Conclusio*. In quo est nota dum quod ad dignoscendum num una religio sit aliis perfectior, attendenda est maxime non primaria ipsius institutio, sed ejus observantia actualis.

Non obstante circa hoc punctum opinionum varietate, generaliter concordant DD. religionem carthusianam esse omnium perfectissimam.

An dos, in casu transitus, sit monialibus restituenda infra dicturi sumus.

954. 5° Ex pluribus capitulis juris, videlicet ex c. *Licet de Regular.* ; c. *Inter.* 2, *De translat. Episc.*, etc. certum est Episcopum non posse, absque S. Pontificis licentia, religionem ingredi. Cæteri autem clerici, etiam curam animarum habentes, admitti possunt ad religionem absque Episcopi licentia ; et probabilius licet religio non sit stricte dicta, id est cum votis solemnibus modo essentiam status religiosi habeat

Casu tamen quo ecclesia grave damnum pateretur ex transitus clerici ad religionem, Episcopus posset illum repetere, etiam post ejus professionem. Ita Bened. XIV, in suo Brevi *Ex quo*, 14 Januarii 1747.

955. 6° Juxta regulam generalem a DD. communiter acceptam, non licet religionem ingredi, quando parentes extrema vel gravi necessitate premuntur, a qua liberari nequeunt sine filiorum subsidio.

Idem est dicendum de parentibus quando filii in simili necessitate relinquerentur, vel nondum sunt emancipati. Imo jam professi tenerentur ii omnes e conventu egredi, si parentes aut filii in extremam necessitatem essent reducti, et aliter ipsis provideri nequiret. Si autem gravi tantum necessitate premerentur, probabilius tunc petenda esset superioris licentia egrediendi.

Excipe si filius in sæculo manens, subvenire nequi-

ret parentum necessitatibus; vel, si ibidem remanens, in proximo periculo esset salutem amittendi.

Item liceret in sæculo manere ad subveniendum gravi fratrum et sororum necessitati; sed non esset tunc obligatio sic agendi, nisi ageretur de extrema necessitate.

Cæterum filii pubertatem adepti licite possunt religionem ingredi invitis aut insciis parentibus, quia non esi obligatio parentibus obsequendi quoad electionem status, præsertim religiosi; eo quod sæpe, ob mundanum affectum, in hostes mutentur. Attamen consultius est ut ad hoc illorum consensum obtineant, eo magis in Gallia quod lex civilis huic ingressui ante majoritatem adversetur. V. art. 372 et 374 codicis civilis.

Ex Tridentino, sess. XXV, c. 18, qui cogunt puellas aut mulieres ad religionem ingrediendam proprie dictam; vel qui, sine justa causa, aliter quam precibus aut sollicitationibus, impediunt ne eædem ingrediantur, majorem excommunicationem, non reservatam incurrunt. (V. *Des Communautés*, etc., nº 311.)

956. 7º Ex bulla *Cum de omnibus* Sixti V, in religionem recipi prohibentur *ingenti ære alieno supra vires facultatum suarum gravati, vel reddendis ratiociniis ita obnoxii, ut ex hujusmodi causis, vel molestia eis jam illata sit, vel timendum est ne inferatur.* Irrita tamen non esset professio in casu, juxta Constit. *In suprema* Clementis VIII; nec moniales in hac prohibitione comprehensæ videntur, juxta S. Liguorium, lib. 7, nº 71, qui ibidem plures casus excipit.

Controvertitur autem an in Congregatione simplicium votorum admitti possint ære alieno gravati, antequam sua debita solverint. Probabilius habet S. Liguorius, adesse tunc obligationem in sæculo remanendi, quando sic debita intra biennium aut triennium solvi possent.

8º Ex eadem Const. Sixti V, admittendi non sunt in religionem viri accusati vel inquisiti coram Judice civili, de gravi scelere, puta de homicidio, furto et similibus. Ex Const. tamen, *In suprema* Clementis VIII, admissio in casu non foret nulla.

9º Item religionis ingressum impediunt tum infirmi-

tas quæ onera vitæ communis portare non sineret, tum notabiles difformitates, ut cæcitas, enormis claudicatio, etc.

1° Insuper inquirendum est, ait Clemens VIII, (Constit. *Cum ad regularem*) *quo spiritu, qua mente* (postulans) *id vitæ genus elegerit; quem finem sibi proposuerit; num zelo perfectionis vitæ, an potius levitate vel humano affectu aliquo ducatur.*

Denique necessaria est vocatio, de qua vide S. Liguor. lib. 4, n° 78.

957. Præfatis addenda sunt quæ præscripsit Pius IX decreto 25 Januarii 1848 : « D. N. Pius Papa IX.... » Apostolica auctoritate statuit atque decernit : 1° in » quocumque Ordine, Congregatione, Societate, Instituto, monasterio, domo, sive in eis emittantur vota » solemnia, sive simplicia, nemo ad habitum admittatur » absque testimonialibus litteris, tum Ordinarii originis, » tum etiam Ordinarii loci in quo postulans, post expletum decimum quintum annum ætatis suæ, ultra » annum moratus fuerit. Ii Ordinarii, in præfatis litteris testimonialibus, postquam diligenter exquisiverint, » etiam per secretas informationes, de postulantis qualitatibus, referre debeant de ejus natalibus, ætate, » moribus, vita, fama, conditione, educatione, scientia; an sit inquisitus, aliqua censura, irregularitate, » aut alio canonico impedimento irretitus, aut ære » alieno gravatus, reddendæ alicujus administrationis » rationi obnoxius. Et sciant Ordinarii eorum conscientiam super veritate expositorum oneratam remanere » nec ipsis unquam liberum esse hujusmodi testimoniales litteras denegare. »

Recipi tamen posset postulans absque præfatis litteris, si ideo Ordinarius eas denegaret quia nullo modo illum cognosceret. Si vero absque justa causa ipsas dare renueret, ad S. Congreg. Episcop. et Regular. recurrendum esset. Vide *Des Communautés relig.*, etc., n^is^ 330 331.

PUNCTUM II.

AD QUEM PERTINEAT NOVITIOS ADMITTERE.

958. Jure communi in ordinibus virorum a Sede Apostolica approbatis, licet vota solemnia non habeant, admissio et rejectio novitiorum, ordinarie, non ad Episcopum locorum, sed ad Congregationem religiosam, per Capitulum aut saltem per Concilium consentientem, pertinent. Aliter res se habent apud moniales : juxta enim praxim communiter vigentem, licentia postulantes ad habitum admittendi danda est ab Ordinario, si non sint exemptæ ; si è contra exemptæ sint, a Prælato regulari concedi debet, Capitulo tamen in utroque casu consentiente.

Regulariter ab Ordinario cogi nequeunt moniales ad recipiendam novitiam ; nec sine justa causa rejici novitiæ debent.

Nomen *Sanctæ* novitiæ est imponendum, et nuncupanda est denominatione *Sororis*, non vero domnæ. (*Manuale.* n^is^ 2641-2646.)

PUNCTUM III.

DE NOVITIATUS DURATIONE.

959. Secluso privilegio, per annum integrum durare debet novitiatus. Ita statuit Tridentinum : « Nec qui » minore tempore quam per annum, post susceptum » habitum, in probatione steterit, ad professionem ad- » mittatur ». (Sess. XXV, c. 1. *De Regular.*) A die ergo susceptionis habitus novitiatus incipit. Ex communiori sententia mathematice integer annus esse debet, nisi in quibusdam circumstantiis a Sancta Sede concederetur privilegium professionem anno non completo emittendi, ut contingit, v. gr., casu quo revalidatur professio in ordine nondum approbato.

A S. Pio V, Const. *Summi Sacerdotis*, concessum fuit ut, in casu morbi mortalis, novitiis, tam viris quam feminis, liceret, anno novitiatus non expleto, professionem emittere, dummodo ætatem requisitam haberent

sed Religio per hujusmodi professionem non ligatur, etsi talis professus nequeat ejici sine justa causa. (V. *Manuale*, n^is 2647-2650).

Continuus esse debet annus novitiatus, ita ut si novitius, nondum impleto novitiatus tempore, e monasterio exeat animo non revertendi, vel si ejiciatur, nisi injusta esset ejectio, tunc de novo, si ad conventum rediret et denuo reciperetur, reincipiendus esset novitiatus. — Non vero interrumperetur novitiatus per novitii exitum cum licentia superioris; imo, etsi exiret culpabiliter et sine licentia, si id ageret animo postea revertendi. Item non interrumpitur per morbum. Casu tamen dementiæ supplendum esset tempus, si saltem ad unum mensem pertingeret. (V. *Des Communautés*, etc., n^is 361-373.)

Juxta Tridentinum (sess. XXV, c. 16, *De regul.*) : « finito tempore novitiatus, superiores novitios, quos » habiles invenerint, ad professionem admittant, aut e » monasterio ejiciant. » Attamen S. Congregatio asserit quod Sanctitas Sua (Pius V) concesserit ut superiores possint prolongare novitiorum probationem, quando nondum sunt sufficienter ad vitam religiosam instructi, si spes adsit quod infra sex menses habiles sint efficiendi.

Etsi præfatæ canonum dispositiones circa novitiatum regulares proprie dictos solummodo spectent, attamen S. Congregatio illas solet applicare Institutis etiam votorum simplicium, quando ipsis dignatur approbationem concedere.

PUNCTUM IV.

DE LOCO NOVITIATUS ET NOVITIORUM HABITU.

960. I. Decreto 20 Junii 1599, Clemens VIII statuit ut « nulli in posterum ad habitum et professionem ad- » mitterentur nisi in conventibus per Sedem Apostoli- » cam in qualibet provincia deputandis » ; quod sæpe Institutis etiam votorum simplicium, tam virorum quam mulierum, applicatur a sacra Congr. Episc. et regularium. Imo in iisdem locus separatus assignari debet pro novitiatu.

Ex his patet illicitum esse, non completo novitiatu, novitios mittere in alias domus, etiam prætextu puellas educandi. (V. *Des Communautés*, etc., n^is^ 354-360.)

Vi autem decreti 19 Martii 1603, Clementis VIII, novitiorum magister minoris ætatis non debet esse quam 35 annorum, cum decem professionis annis : socius vero ejus plus quam 30 annos habere debet.

Pro regimine novitiatus accurate est legendum Clementis VIII decretum 19 mart. 1603, supra laudatum.

961. II. Regulariter sub nullitatis pœna peragi debet novitiatus in habitu religionis, ut constat verbis Tridentini, Puncto III, supra relatis. Sic etiam pluries fuit decisum a S. Congreg. Episcoporum et regular., 17 apr. et 25 oct. 1602. (V. *Des Communautés relig.*, etc., n° 346.

Diximus *regulariter*, quia ex statutis quorumdam ordinum, vel propter necessitatem, apud gentes statui religioso hostiles, in sæculari habitu potest peragi. — A legitimo autem superiore habitus est imponendus.

PUNCTUM V.

DE DISPOSITIONIBUS JURIS CIRCA BONA TEMPORALIA NOVITIORUM EORUMQUE BENEFICIA.

962. I. Si de Ordine regulari proprie dicto quæstio sit, novitii, tempore novitiatus, disponere nequeunt de suis bonis in favorem cujuscumque piæ causæ, nisi id intra duos menses ante professionem peragant cum licentia Episcopi, aut ejus Vicarii, vel Vicarii Capituli, sede vacante; et nonnisi realiter emissa professione, dispositio hujusmodi suum potest habere effectum. Potest tamen Religio, etiam in hoc casu, compensationem exigere expensarum pro victu et vestitu novitii, nisi huic censeretur renuntiasse. Imo prohibetur parentibus aut curatoribus novitii aliquid notabile de bonis ipsius monasterio tribuere sub quocumque prætextu, exceptis dictis expensis, ne hac occasione discedere impediatur novitius. Insuper monasterio præcipitur, si quid ipsi elargitum fuerit, ut hoc novitio abeunti restituat, et ad id Episcopus debet per censuras conventum compellere. Ita Trident. sess. XXV, c. 26, *De regular.*

Illicitum est insuper a parentibus aliquam pecuniæ summam exigere pro convivio vestitionis aut professionis. Ita Extrav. *Sane, De Simonia*; et, non obstante contraria consuetudine, quæ, juxta Suarezium et alios, observari posset, sacra Congreg. Episcop. et regularium urget observationem hujus præscriptionis. (V. *Des Communautés*, etc., nº 398.)

Quamvis præfatis legibus non adstringantur novitii Institutorum simplicium votorum, et tam valide quam licite de bonis suis possint disponere etiam ante bimestre professionem præcedens, tamen si paupertatis votum sint emissuri, debent saltem, alicui, sive e parentibus, sive ex aliis quibuscumque, sive monasterio, bonorum suorum administrationem ante professionem committere modo revocabili. Quod si de dominio illorum bonorum per testamentum disposuerint, hanc dispositionem, aut etiam administrationem revocare non poterunt absque Apostolicæ Sedis indulto. Ita pluries decisum a S. Congreg. Episc. et regul. imprimis 20 x^bri 1861 erga Trappistas. V. *Des Communautés*, etc., n^is 386-393.

963. II. Casu quo novitius est beneficiarius, ex cap. *Beneficium, De regular.*, ipsius beneficium intra annum novitiatus, imo juxta plures, ante professionem non est alteri conferendum. Proinde, durante novitiatu, beneficii functiones vicario sunt committendæ, assignata eidem ab Episcopo portione congrua ex fructibus beneficialibus, cæteris fructibus novitio reservatis, qui de iis ante professionem poterit disponere; vel qui monasterio acquisita erunt, si de iis non disponat.

Vacat quidem ipso facto beneficium per solemnem professionem; si vero talis non sit, et beneficium residentiam exigat, potest Ordinarius professis terminum præfigere, intra quem resignare teneantur: quo elapso, beneficium, aliis poterit conferri, etsi non fiat resignatio. (S. C. C., 14 x^bris 1835.)

Beneficio suo novitius renuntiare nequit, nisi intra bimestre professionem præcedens, ex hypothesi quod sit solemnis. Idque constat ex Trident. c. XXV, c. 16,

De reg.; secus si vota duntaxat simplicia a novitio sint emittenda.

PUNCTUM VI.

SOLUTIO QUORUMDAM DUBIORUM CIRCA NOVITIOS.

964. Quærit. 1° An novitii obedire teneantur superioribus Instituti et regulam observare ?

Resp. In rigore quidem ad hæc non tenentur, cum nondum sunt religiosi ; sed, ait cap. *Recolentes*, *De statu monach.*, « Dignum est ut qui similem cum aliis vitam » suscipiunt, similem sentiant in legibus disciplinam. » Imo, regulas infringendo, contingere posset quod etiam graviter peccarent, ob scandalum , insubordinationem, ac religiosarum præscriptionum relaxationem. Etsi ad regulas stricte novitii non teneantur, plecti tamen a superioribus possunt, juxta cap. præfatum.

965. Quærit. 2° An et quatenus novitii possint ejici vel deserere Institutum ?

Resp. Absque rationabili causa ejici nequeunt, et, si nihilominus ejiciuntur, ad superiorem appellare possunt. Sed ipsis liberum est religionem deserere et ad sæculum redire, non petita licentia, excepto tamen casu quo religionem ingredi vovissent ; tunc enim ipsis exire non licet, nisi experti fuissent illam esse sibi valde incommodam. (*Des Communautés à vœux simples*, n° 413.)

966. Quærit. 3° A quibusnam solvi queant novitii a peccatis suis ?

Resp. : Vel agitur de novitiis Institutorum votorum solemnium, vel de novitiis aliorum Institutorum : In primo casu , novitii et simul omnes qui in monasterio commorantur et obedientiæ subdunt, tam a confessariis regularibus monasterii licet ab Episcopo non approbatis, quam a sacerdotibus sæcularibus ab Ordinario approbatis, absolvi possunt. Clemens VIII tamen, in Bulla *Regularis disciplina*, jubet ut cura novitiorum audiendorum in confessione , soli eorumdem magistro committatur, ita tamen ut locali superiori liceat per se, vel per alium, semel aut bis in anno, eorumdem confessio-

nem audire. — In secundo casu, absolvi nequeunt nisi a sacerdote approbato ab Ordinario diœcesano.

967. Quærit. 4° Quænam sint novitiorum privilegia?

Resp. Iisdem privilegiis generatim gaudent quibus fruuntur professi Ordinis quem amplecti intendunt, juxta regulam juris 55, in 6° : *Qui sentit onus, sentire debet et commodum.*

Indulgentiam plenariam lucrantur die susceptionis habitus et professionis, præmissis confessione et communione, quando agitur de religione proprie dicta. In aliis vero Institutis hanc non lucrantur, nisi id Instituto sit a Sancta Sede concessum. Ita Breve *Romanus Pontifex*, Pauli V. — Imo ut favores Sedis Apostolicæ ordo possit obtinere, requiritur ut ei saltem Breve *Laudis* fuerit impertitum.

968. Quærit. 5° A quo Episcopo novitii clerici ordinandi sint?

Resp. Juxta Ferraris, ab Ordinario loci novitiatus. Juxta vero Suarez, probabilius ab Episcopo a quo, ante novitiatum, ordines accipere debebant, nisi Institutum, prout societas Jesu, specialia in eo habeat privilegia.

§ II.

De Professione religiosa.

969. Professio religiosa in genere est *traditio suî ad cultum divinum in religione approbata quæ hanc traditionem accipit.* Si huic definitioni adjiciatur : *ad vivendum caste, sine proprio et sub obedientia*, erit definitio professionis proprie religiosæ, imo et stricte dictæ si traditio fiat et accipiatur solemniter, in religione ad hoc specialiter approbata.

Igitur professio alia est late sumpta, alia stricte, et etiam alia strictissime dicta.

Item professio potest esse *expressa*, quæ verbis, scripto aut etiam nutibus exprimitur; alia *tacita*, quæ fit tantum per actus professis proprios.

Ad valorem religiosæ professionis plura requiruntur :

1° ut profitens sit habilis ad ingrediendam religionem. Diximus supra quinam sint habiles (952, etc.).

2° Ut decimum sextum annum compleverit, etiam mathematice, ita ut, unica hora deficiente, professio velut nulla habenda esset. Ita S. Congreg. et omnes Doctores Tridentinum interpretantur.

Imo 19 Martii 1857, prodiit decretum S. Congreg., vi cujus professio solemnis a viris nequit emitti, nisi prius ab ipsis emissa fuerint vota simplicia expleto novitiatu; quæ quidem vota simplicia perpetua sunt ex parte voventis, qui circa ea haud potest dispensari nisi a Romano Pontifice, juxta declarationem secretarii S. Congreg. 17 Julii 1858 : Nec potest tunc ad sacros ordines promoveri ex titulo paupertatis; sed solubilia sunt ex parte Ordinis, ita ut, peracta dimissione, hujusmodi professi a suis votis liberi sint, et cum ipsis Ordinarius possit se gerere, sicut cum cæteris suis diœcesanis. Hoc autem decretum moniales non spectat.

3° Integer annus novitiatus debet professionem præcedere.

4° Emitti non debet professio ex fraude, vel vi aut metu, tam ex parte profitentis, quam ex parte monasterii acceptantis. Metus tamen professionem non irritat, nisi sit injuste illata in ordine ad obtinendam professionem.

PUNCTUM I.

DE PROFESSIONE EXPRESSA ET TACITA.

970. Juxta usum communem, professio expressa fit in scriptis : fieri tamen potest verbis tantum aut nutibus, ut passim colligunt DD. ex cap. *Porrectum, De Regular.*

Ex decreto Clementis VIII, 20 Junii 1590 et 25 Juni 1599, emittenda est in domibus a Sede Apostolica designatis (V. *Des Communautés*, etc., p. 354 et 355). Non tamen omnino constat hoc sub pœna nullitatis requiri nec in genere nullitas professionis prætendi debet ob inobservationem constitutionum Ordinis, quando earum

observatio a Sancta Sede sub pœna nullitatis non fuit præscripta.

Haud potest hodie, post declarationem 17 Julii 1858, fieri tacite a viris professio solemnis ; secus a monialibus : nihil autem impedire videtur quominus tacite fiat professio non solemnis. (V. *Manuale*, nº 2690.)

Renovatio votorum quæ, in quibusnam religionibus, quotannis fit, sufficiens communiter non reputatur ad professionem tacitam, eo quod vel non libere fiat, vel propter ignorantiam nullitatis professionis. (V. *Des Communautés*, etc., nis 435-444.)

PUNCTUM II.

AD QUEM PERTINEAT ADMITTERE AD PROFESSIONEM.

971. Si de virorum Ordinibus exemptis agatur, ad solos superiores hujusmodi ordinum pertinet ad professionem admittere, juxta sancita a Concilio Tridentino : *Superiores novitios, quos habiles invenerint, ad profitendum admittant.* (Sess. XXV, c. 16, *De regul.*). Si vero de non exemptis sit quæstio, etiam monialium, hoc similiter ad eorumdem superiores aut superiorissas ordinarie spectat cum consensu majoris partis Capituli Ordinis.

Dicimus *ordinarie* : nam jure particulari, hoc ad Episcopum, præsertim quoad moniales, pertinere potest. Proinde consulenda sunt statuta uniuscujusque Instituti.

Non adest in jure formula generalis pro emittenda professione ; attamen in cæremonia Vestitionis, vel emissionis votorum, libris qui a Sancta Sede, vel saltem ab Ordinariis non essent approbati, uti non licet. Ita S. Rit. Congr. 12 sept. 1857 ad 18m; etsi hoc sub pœna nullitatis prohibitum non videatur.

PUNCTUM III.

DE EFFECTIBUS PROFESSIONIS.

972. 1º Valida professione contrahitur obligatio tum vota emissa, tum varias Instituti amplexati observantias adimplendi. De iis infra uberior erit sermo.

2° Indulgentia plenaria concessa fuit a Paulo V per Bullam *Romanus Pontifex*, 23 maii 1606, pro die professionis quando est solemnis.

Hæc indulgentia a monialibus Galliæ, ad ordines, in quibus alibi solemnia vota admittuntur, pertinentibus, lucrifieri potest ; et insuper a Sancta Sede impetrari licet quod lucrifiat in aliis professionibus non solemnibus, præmissis in hujusmodi casibus, confessione et communione tunc consuetis.

Imo communiter docetur, juxta Divum Thomam (2, 2, q. 189, art. 3 ad 3^m^) quod consecratio Deo facta a profitente tria religiosa vota, tam eximii sit meriti ante Deum, quando est prædita debitis conditionibus cum contritione perfecta, ut non solum omnium culparum, sed etiam pœnarum omnium, quæ pro ipsis essent exsolvendæ, obtineat remissionem.

3° Profitens, si velit, commutare potest omnia vota a seipso emissa ante professionem : Nam unicuique licet vota sua in melius commutare : sed vita religiosa nihil melius est, saltem si in ea tria solita vota emittantur ; nam si secus, contingere posset quod vota in religione emissa meliora non essent. — Si de hujusmodi commutatione, profitendo, religiosus non cogitavit, tunc, vel vota ante emissa cum statu religioso sunt incompossibilia, vel in eo observari queunt : si prius, extinguuntur per professionem, quia nunquam vota nata sunt majus bonum, quale est religionis, impedire. Si tamen professio non esset solemnis, non omnino extinguerentur hujusmodi vota cum statu religioso incompossibilia; sed cum taliter professi possent a religione dimitti, suspenderetur duntaxat eorumdem votorum obligatio quandiu in religione manerent... — Si posterius, observari debent.

Quoad eum vero qui, post votum de certa religione amplectenda, laxiorem ingreditur, potest quidem, juxta Decretalem Bonifacii VIII, *Qui post votum* 5, *De regular.* in 6°, manere licite in eadem (quod applicari posse videtur etiam ingressui Instituti simplicium votorum, si in eo reperiatur omne statui religioso essentiale), non-

obstante priori suo voto, cui tanquam simplici derogatur a jure; sed pœnitentia erit ei imponenda pro dicti voti non impletione. Ex quo patet professionem etiam solemnem haud posse ex se extinguere votum ingrediendi religionem magis perfectam : quippe hæc ex tinctio non accidit nisi ex dispositione juris.

4° Irregularitatem ex defectu natalium tollit professio solemnis, sed hoc ad effectum duntaxat sacros ordines recipiendi ; non vero Prælaturas vel dignitates (cap. *Ut filii*, *De filiis*).

5° Professio, etiam non solemnis, sponsalia dirimit; si vero solemnis sit, non solum est impedimentum subsequens matrimonium dirimens, sed etiam prius contractum dissolvens, si nondum sit consummatum. (Trid. sess. XXIV, can. 6). Imo, juxta legem civilem nostram, monialis quæ votum continentiæ emisit in ordine civiliter approbato, nequit per quinquennium nuptias coram magistratu civili contrahere.

973. Modo dicta intelligenda sunt de professione valida. Difficultas esse potest an invalida professio aliquos habeat effectus, saltem an valeat ut votum simplex. Porro satis perplexa est hujusmodi quæstio, ut videre in nostro *Manuali*, n^is^ 2723-2724; dici tamen potest quod, etsi hæc professio nullam producat obligationem quoad regularum ordinis observationem, in pluribus casibus, vim habet voti perpetuæ continentiæ, modo nullitas ex defectu consensus non oriatur (V. *Des Communautés*, etc., n^is^ 467-469).

PUNCTUM IV.

QUID SIT AGENDUM IN CASU PROFESSIONIS NULLÆ, VEL IN QUO NULLA PRÆTENDITUR.

974. Nulliter professus, remoto impedimento, potest professionem ratificare, vel expresse, vel etiam tacite si de professione solemni in Instituto virorum non agatur.

Si vero quis reclamare voluerit contra validitatem professionis suæ, ex Trid. sess. XXV, c. 19, *De regul.*, causam debet coram superiori suo et Ordinario dedu-

cere, servatis omnibus a dicto Concilio præscriptis. Monialis autem causam Ordinario coram simul ac Prælato deducere debet, si sit exempta; si talis non sit, solummodo coram Ordinario.

Intra quinquennium causa est deferenda, saltem si de professione solemni agatur. Post tamen quinquennium, obtineri posset aliquando a S. Sede beneficium *restitutionis in integrum*, vi cujus, per exceptionem, causa adhuc judicari posset. (V. *Des communautés*, n^is^ 462-466.)

§ III.

De quibusdam specialibus novitiatui aut professioni monialium.

975. 1° Examinandæ sunt ab Ordinario puellæ ante susceptionem habitus religiosi et professionem; sic enim habet Trident. sess. XXV, c. 17, *De regular.* : « S. Synodus statuit atque decernit ut si puella, quæ habitum regularem suscipere voluerit, major duodecim annis sit (hodie, ex decreto S. Congreg. Episc. et regular., major quindecim annis), non ante eum suscipiat, nec postea ipsa vel alia professionem emittat quam exploraverit Episcopus (vel eo absente, vel impedito, ejus Vicarius, aut aliquis, eorum sumptibus, ab eis deputatus) virginis voluntatem diligenter, an coacta, an seducta sit, an sciat quid agat; et si voluntas ejus pia ac libera cognita fuerit, habueritque conditiones requisitas, juxta monasterii illius et Ordinis regulam, necnon monasterium fuerit idoneum, libere ei profiteri liceat. Cujus professionis tempus, ne Episcopus ignoret, teneatur Præfecta eum ante mensem certiorem facere. Quod si Præfecta certiorem Episcopum non fecerit, quamdiu Episcopo videbitur, ab officio suspensa sit. »

Infra quindecim dies, postquam fuerit admonitus, præfatas explorationes facere debet Episcopus, juxta Const. S. Pii V, 16 maii 1567, et id ad crates monasterii,

et juxta tenorem Concilii Tridentini, quærendo duntaxat *an Deo dicanda coacta*, *an seducta fuerit*, *an scial quid agat.*

Etiam moniales exemptæ ab Episcopo sunt examinandæ; non tamen invalida foret professio absque dicto examine; et quamvis Tridentina præscriptio non adstringat eas quæ simplicia tantum vota emittunt, Episcopus statuere potest, si velit, ut eidem se subjiciant; et tunc non rigorose ad formam Concilii Tridentini et S. Pii V, sed ad prudentiam et æquitatem naturalem servandam, solummodo tenetur.

976. 2° Præfigendus est monialium numerus juxta monasterii proventus; et id fieri debet vel a solo Episcopo, si monasterium non sit exemptum, vel ab eodem cum Prælato cui subest, si exemptum sit. Ita Trident. sess. XXV, c. 3, *De reg.*, et plures Constitutiones Pontificiæ. His vero præscriptionibus non subjiciuntur votorum simplicium Congregationes.

977. 3° *De Dote.* Dotis nomine intelligitur pecuniæ summa a legitimo superiore taxata, quæ monasterio dari debet in sustentationem profitentis. Simonia quidem esset pecuniam exigere tanquam pretium ingressus in religionem, sed, juxta Bened. XIV. (De Syn., lib. XI, c. 6, n° 5), hoc hodie licet causa alimentorum et sustentationis; et Sacra Congreg. Episc. et regular. vult quod puellæ, etiam in congregationibus votorum simplicium, ad professionem sine dote non admittantur, nisi dispensatio in hoc fuerit ab eadem Sacra Congregatione obtenta.

Quantitas dotis a Sede Apostolica determinari solet in approbatione Instituti; et si tunc id non fuit determinatum, huic omissioni ab Ordinis superiore, vel ab Ordinario suppletur, qui etiam dotem augere, justa causa, possunt. Pro minuenda tamen taxa jam determinata, semper ad S. Congreg. Episc. et regular. est recurrendum. V. *Des Communautés*, etc., n^os 334, 335.

Solvendæ sunt dotes ære, non autem bonis immobilibus; sacra tamen Congregatio licentiam dedit aliquando illas censibus solvendi. Nec debet monasterio,

etiam depositi titulo, ante professionem consignari, sed ex præscriptione Pauli Papæ V, deponendæ sunt apud personas probatæ integritatis, aut Cancellarium Episcopalem, cum onere conventui tradendi, emissa professione. Hæc tamen stricte obligare non videntur Instituta votorum simplicium.

Dos (sicut alia bona monasteriorum), absque Sedis Apostolicæ beneplacito, alienari nequit; sed ita collocari debet ut frugifera efficiatur; et id etiam, et maxime est observandum a Congregationibus votorum simplicium; quippe ab eisdem dos est restituenda professis quando dimittuntur; quod non raro contingit. (V. *Des Communautés*, etc., nº 338.)

In Gallia hodie et Belgio non pro dote, cum lex civilis dotem religiosam non agnoscat, sed pro sustentatione est stipulandum : sic enim facta stipulatio a consanguineis repeti nequit tanquam donatio nulla defectu solemnitatum a lege præscriptarum, aut quæ excederet portionem bonorum quam lex conventui dare permittit. (V. articulum 5 legis 24 maii 1825.)

An et quandonam dos sit restituenda professæ congregationem relinquenti ? Jure civili Gallico restitui ipsi debet, si a communitate dimittatur; secus, si sponte conventum deserat. (Ravelet, *Des Communautés relig.*, p. 131) : jure vero canonico non esset restituenda post solemnem professionem ; secus si professio fuisset simplicium votorum ; maxime si non sponte monialis dimitteretur. Sed decisio pendere potest a variis circumstantiis de quibus V. nostrum *Manuale*, n is2739 et 2740, et opus *Des Communautés à vœux simples*, nis 297 et 298.

978. 4º Moniales clausuræ papali adscriptæ, puellas causa educationis admittere nequeunt, nisi licentiam obtineant a Sancta Sede, quæ ipsis tunc varias imponit conditiones, legendas in nostro Manuali, nº 2742; quæ tamen non requiruntur pro cæteris monialibus hujusmodi clausuræ non subjectis, nec proinde in Gallia, extra Sabaudiam et Niciensem diœcesim.

Quoad jus nostrum civile, moniales a Gubernio approbatæ reputantur habiles muneri puellarum educatio-

nis per litteras obedientiales a superiorissa generali concessas. Ita lex 15 Martii 1850, art. 49. (*Des Communautés à vœux simples*, n° 714.)

ART. IV.

DE RELIGIOSORUM OBLIGATIONIBUS.

§ I.

De obligationibus votorum religiosorum.

PUNCTUM I.

DE OBLIGATIONIBUS EX VOTO CASTITATIS.

979. Hujusmodi voto religiosi, non solum matrimonio, sed et omni venereæ delectationi renuntiant, adeo ut illorum contra castitatem peccatum triplicem contineat malitiam ; impudicitiæ quidem contra puritatem, infidelitatis ob violationem promissionis Deo factæ, sacrilegii ob profanationem personæ Deo sacratæ, et id est certum quando votum est solemne, probabilius vero si votum sit simplex (S. Liguor. lib. 3, n° 47).

Violatio hujusce voti est grave peccatum, et solummodo defectu advertentiæ aut pleni consensus veniale efficitur, non autem ob levitatem materiæ.

PUNCTUM II.

DE OBLIGATIONIBUS EX OBEDIENTIÆ VOTO.

980. « Magna quidem paupertas, inquit Joannes » XXII. (Extr. *Quorumdam*, *De verb. signif.*), sed major » integritas, *bonum est obedientia maximum*, si custodia- » tur illæsa : nam prima rebus, secunda carni, tertia » vero menti dominatur et animo ». Unde obedientiæ professio est quasi totius suî immolatio, ac proinde verum holocaustum.

Per obedientiæ votum adstringitur religiosus ad omnibus obtemperandum quæ sibi præcipit superior se-

cundum Ordinis constitutiones, sive directe, sive indirecte et implicite, uti ad pœnas contra transgressores regularum, vel ad statuta, quæ pro bono religionis legitime essent condita a capitulo generali, aut a Summo Pontifice, si nempe præciperetur clausura vel vitæ communis restauratio, casu quo in desuetudinem abiisset, etc.

Vi tamen obedientiæ voti, religiosus nec superiori illegetimo, nec in eis quæ a vita religiosa aliena sunt, vel sunt contra [1], supra, vel extra regulas et ordinis constitutiones tenetur obedire : quia nonnisi secundum eas, profitendo, promisit obedientiam. Nec etiam tenetur ad impossibilia vel illicita, nec ad ea quæ graviter essent ipsi damnosa, nisi ageretur de curandis suis confratribus religiosis etiam pestiferis.

Duplici modo peccat religiosus inobediens : contra religionem nempe, ratione voti, et contra virtutem obedientiæ qua tenetur suorum superiorum mandata exequi, etiam absque voto. Ita probabilius, juxta S. Liguorium, lib. 4, nº 46.

Porro hujusmodi peccata sunt gravia vel levia secundum materiam, et voluntatem præcipientis, qui non censetur velle sub peccato, præsertim mortale, obligare, nisi præcipiat *virtute sanctæ obedientiæ*, *vel sub pœna excommunicationis*, etc.

Superior, cui religiosus obedire tenetur, est non tantum Prælatus regularis, sed etiam Summus Pontifex, Sacra Congregatio Regularium, Episcopus in iis in quibus jurisdictioni ejusdem subditur : moniales vero obedire tenentur in conscientia suæ abbatissæ. — Non tamen voto obedientiæ religiosus se obstringit ad ea ad quæ jam, quatenus christianus, obligatur : non enim vovit obedire Ecclesiæ legibus, definitionibus fidei, etc., sed præscriptionibus duntaxat quæ vitam proprie religiosam spectant. (V. *Manuale*, nis 2796-2805.)

Si contingeret a variis superioribus religioso imperari quæ sibi opponuntur, majoris superioris mandatum præferendum esset, vel illius ad quem magis pertineret

1. Nisi superior posset dispensare.

rem præscribere : nam etsi religiosus censeatur regulari Prælato se potius obstrinxisse, in iis quæ ad regularem observantiam pertinent, attamen in quibusdam, in iis, v. gr., quæ cultum divinum concernunt, Episcopus jus imperandi majus habet quam regularis superior.

In dubio autem utrum licita sit res imperata, vel an potestatem superioris excedat, obtemperare debet religiosus, prout etiam in casu quo dubitatur mandatum fuerit revocatum, necne. Casu vero quo fit dubium an legitimus sit superior, non est obligatio obediendi, nisi iste communiter ut legitimus habeatur. (V. *Des Communautés*, etc., nis 502-505.)

PUNCTUM III.

DE OBLIGATIONIBUS EX VOTO PAUPERTATIS.

981. Recensuimus supra (934) varios paupertatis gradus qui in religione voveri queunt; itemque diximus qualis gradus sit vitæ religiosæ proprie dictæ essentialis.

Hîc autem addi debet nec honorem aut famam, vel scientiam, jus eligendi, præsentandi et conferendi beneficium regulare esse de objecto voti paupertatis religiosæ. Idem communius et probabilius tenetur de manuscriptis : quod confirmatur Brevi *Postulat* Benedicti XIII, et declaratione Clementis VIII ; itemque de reliquiis, juxta Salmanticenses (vide *Manuale* no 2750, ubi expenditur quid sit sentiendum de picturis a religioso elaboratis).

982. Quæritur hîc : 1o An religiosis liceat habere peculium, id est bonum temporale, non ad communitatis sed ad uniuscujusque usum destinatum ?

Resp. Hoc certe esse illicitum, si religiosi habeant hujusce peculii usum independentem. Constat ex Trident. sess. XXV, c. 1, *De regular.* Si vero illum habeant modo dependenti, etsi probabilius id pariter prohibeatur a Tridentino (*ibidem*), ubi dicitur : « Nemini liceat... » bona... etiam nomine conventus, possidere, vel te-

» nere »; et maxime a Clemente VIII, per decret. *Nullus*, sic habens : « Bona statim superiori tradantur « et conventui incorporentur, atque cum cæteris illius « bonis, redditibus, pecuniis ac proventibus confun- « dantur, quo communis victus et vestitus omnibus « suppeditari possit ». Tamen ex consuetudine, a Sancta Sede, hoc in quibusdam monasteriis permittitur, ut videre est ap. S. Liguorium (lib. 4, nº 15), citantem Clementis VIII decretum. Sed, ut monet idem S. Doctor, peculii usus licite introduci nequit ubi viget vita communis. Vide plura alia de *peculiis* seu de *livellis*, in *Manuali*, nis 2758-2763.

983. Quærit. 2º An et quatenus religiosus dare aliquid valeat ?

Resp. Negative, nisi a suo superiore habeat ad hoc licentiam. Excipe : 1º si ageretur de paupere magna egestate laboranti, quando aditus ad superiorem non patet ; 2º moderatas eleemosynas quando religiosus versatur extra conventum cum debita licentia. In conventu vero superior solet ordinarie consentire ut esculenta pauperibus impertiantur.

Renuente dare licentiam superiore immediato, recurri potest ad superiorem generalem aut provincialem ; imo istis denegantibus, ad subalternum recursus posset aliquando haberi ; sed, in hujusmodi circumstantiis, monendi essent superiores, tam generales, quam provinciales, aut subalterni, de renuentia licentiæ antea petitæ ; secus obrectitia sæpe posset esse et nulla. (V. *Des Communautés*, etc., nº 539, etc.).

984. Quærit. 3º An religiosis prohibitum sit munera elargiri ?

Resp. affirmative, ex Constit. *Religiosæ* Clementis VIII, et Decreto *Nuper* Urbani VIII : Quæ prohibitio ad conventus et Capitula extenditur, ita ut accipientes ad restitutionem teneantur erga conventum ; eorumque peccatum ad S. Sedem reservetur donec hanc restitutionem opere compleant. Sed hujusmodi reservatio locum non habet quando agitur de Institutis in quibus

vota tantum simplicia emittuntur. (V. *Des Communautés*, etc., n° 558.)

A dicta prohibitione excipiuntnr : 1° *leviora esculenta et poculenta*, item *munuscula* de rebus ad devotionem spectantibus.

2° In decreto Urbani VIII declaratur « munera a religiosis.... tribui posse ex causis gratitudinis, conciliationis, benevolentiæ ejusque conservationis erga ipsam religionem vel conventum, aliisque causis ex suî natura, actum virtutis et meriti continentibus; modeste tamen et discrete, et dummodo id non fiat nisi de superiorum localium licentia, ac etiam cum consensu majoris partis conventus, si talis consensus de jure vel constitutionibus, etc... requiratur. »

Nota quod religiosi nequeant sine superioris consensu, saltem præsumpto, accipere munera vel largitiones etiam pro suo conventu. Sed cum merito Prælati consensus præsumi possit in tali casu, peccaret ordinarie contra charitatem erga conventum religiosus largitiones hujusmodi abnuendo.

Ex Constit. Urbani V et Gregorii XI, cogi parentes non debent, occasione vestitionis aut professionis ad præbendum monasteriis splendida convivia. Sed illa non prohibentur pro recipiendis benefactoribus et Ordinis protectoribus, modo decentiæ limites non excedant. Imo institutis religiosis commendatur hospitalitas erga pauperes et peregrinos.

985. Quærit. 4° An liceat religiosis professis testamentum condere ?

Resp. vel agitur de solemniter professis ; vel de iis qui vota simplicia duntaxat emiserunt : In *primo casu*, respondendum negative, etiamsi superior det licentiam pro pia causa, nisi accedat summi Pontificis permissio. Excipiendus est casus patris-familias qui ante suam professionem omisisset de suis bonis disponere : tunc enim professus potest illa inter filios distribuere ; in cæteris casibus, bona ipsius ad monasterium transeunt si accipiendi sit capax, secus ad heredes ab intestato (*Manuale*, n^is 2775, etc.).

In *secundo casu*, solutio dubii pendet a natura voti emissi : circa quod necessario consulendæ sunt proprii Instituti constitutiones ; quæ si nihil, quoad hoc, contineant, cum taliter professus servet ordinarie directum suorum bonorum dominium, tenetur Romæ, juxta DD. Lucidi, quod valide, imo et licite, religiosus possit de suis bonis disponere : quod fieri maxime potest per testamentum, ut videre est in opere *Des Communautés*, etc., n° 524.

986. Quærit. 5° An et quatenus religiosis liceat de bonis temporalibus, tam suis quam communitatis, disponere ?

Resp. 1° Nec de communitatis nec de propriis bonis disponere possunt religiosi, absque licentia a superiore data ; et si id faciant, contra paupertatis votum peccant; imo contra justitiam, quando eorum non habent saltem dominium directum.

2° Si autem superioris licentiam rationabiliter datam habent, minime peccant : quippe in casu, actum non exercent proprietatis. Porro sufficit quod hæc licentia sit solummodo tacita, aut etiam præsumpta, modo sit de *præsenti*. Controvertitur utrum sufficeret præsumpta de *futuro* : sententiam affirmantem probabiliorem reputat S. Liguorius (lib, 4, n° 18), quia tunc, non suo nomine quasi dominus, sed nomine conventus sub superioris dependentia, agit religiosus. Sed advertendum quod talis licentia non sit facile præsumenda.

Quoad quantitatem requisitam ut peccatum religiosi de bonis temporalibus sine licentia disponentis, sit gravis culpa, valde disceptatur inter DD. — Communiter tamen habetur quod requiratur eadem saltem materia quæ pro furto ; porro aureus, seu circiter quinque franci requiruntur a S. Liguorio, quando furtum in communitatem, nec divitem præcise nec pauperem, committitur. At quia, tempore sancti Doctoris, quinque franci æquivalebant certe duplo monetæ hodiernæ, scilicet decem francis, dicendum culpam religiosi disponentis sine licentia de bonis conventus in favorem extraneorum non fore gravem nisi pertingat ad valorem

decem francorum ; imo si disponat in propriam , vel confratrum aut consororum utilitatem , mortalis non erit nisi agatur de summa viginti francorum. (V. *Des Communautés*, etc., n° 560, etc.)

Si vero, sine licentia, acciperet aliquid usu non consumptibile cum intentione illud postea restituendi , v. g. librum, vel aliquid aliud , etiam notabilis pretii , mortaliter non peccaret : quippe tunc superior magis est invitus de modo quo facta fuit acceptio, quam de ipsamet acceptione. Idem est dicendum de mutuo vel commodatione a religioso facta , modo ipse habeat restitutionem certo faciendum. (Vide alia, in dicto opere, n° 561).

987. Quoad pœnas contra religiosos latas, qui, licet a suo superiori moniti , decedunt cum proprio latenter contra regulam servato , sepultura christiana privandi sunt, juxta cap. *Super quodam* , *De statu monach.* ; imo exhumari sine scandalo debent si jam fuerint sepulti. Si vero ante mortem deprehenduntur quidquam tenere, biennio activa et passiva voce privati habendi sunt, et etiam puniri debent juxta tenorem constitutionum proprii ordinis (Trid. sess. XXV , c. 2, *De regular.*) — hujusmodi tamen pœnæ a professis votorum simplicium incurri non videntur.

Quærit. 6° An superior regularis possit subditis darə licentiam aliquam pecuniæ summam ludo exponendi ?

Resp. affirmative, si modica sit summa , et ludus sit licitus. Non autem concordant auctores quoad quantitatem exponendam ; de quo vide *Manuale*, n° 2789.

988. Quærit. 7° Utrum ordines religiosi bona in communi possint habere ?

Resp. affirmative, et hoc omnibus concessit Trident. ; *solis Capuccinis et Minoribus de observantia exceptis* (sess. XXV , c. 3 , *De regular.*). Huic tamen concessioni renuntiaverunt Jesuitæ et Carmelitæ discalceati , quoad domos professionis, etsi Jesuitæ servent dominium, non mobilium ipsis inservientium duntaxat, sed etiam domus professionis quam habitant, cum suis horto et ecclesia.

Capuccini vero et minores de observantia nec ullorum mobilium, nec domus quam habitant, dominium habent ; sed eorumdem proprietas penes Sanctam Sedem manet. Legata quidem recipere possunt; sed per modum eleemosinæ, quam exigere nequeunt sub pœna excommunicationis ipso facto incurrendæ. Cogi tamen a fabrica S^ti^ Petri possunt legatorum debitores ad illa solvenda. (*Manuale*, n° 2792.)

Imo denariorum contrectatio, quæ fit ad illa variis modis expendenda, Capuccinis et dictis minoribus per Const. *Sollicitudo* omnino interdicitur ; nec eis etiam in suis ecclesiis eleemosynas petere licet, nec in eisdem habere gazophilacia (*Manuale*, n^is^ 2793-2795.)

989. Quærit. 8° An contra paupertatis votum peccent religiosi curam rerum conventus negligentes et sinentes disperire ?

Resp. affirmative : Et ad hoc attendere maxime debent varii officiarii quibus cura hujusmodi rerum committitur. (V. *Des Communautés*, etc., n^is^ 544, etc.).

Quærit. 9° An velut domini, proinde suo arbitrio, de bonis communitatis disponere queant superiores religiosi ?

Resp. negative : Etenim etiam superiores ligantur voto paupertatis; nec sunt domini bonorum ordinis aut conventus ; unde non pro sua aut suorum utilitate illa administrare debent, sed pro bono et utilitate communitatis. (Ibid., n^is^ 566, etc.)

§ II.

De obligatione ad perfectionem tendendi.

990. « Religiosus non est transgressor professionis, » inquit S. Thomas [1], si non sit perfectus, sed si con» temnat ad perfectionem tendere »; et, juxta S. Liguorium, peccaret mortaliter si firmiter statueret se nullo modo conaturum ad illam acquirendam. Tendit tamen ad perfectionem is qui vota et cætera omnia, quæ sub

1. 2. 2. q. 186, art. 2, ad 1^um^.

peccato gravi ipsi injunguntur servat. Qui vero statueret non curare de peccatis venialibus, difficillime, juxta eumdem S. Doctorem, excusaretur a gravi culpa, ob periculum transgrediendi vota, vel grave damnum religioni inferendi (*Manuale,* n[is] 2806-2808).

§ III.

De obligatione regulam et constitutiones servandi.

991. Nomine regulæ, quoad præsentem quæstionem, comprehenduntur etiam Constitutiones : est enim eadem obligatio utrasque servandi (938).

Regula non est merum consilium, sed vera lex, etsi sub peccato non obliget : Vi enim ipsius superior infractores punire potest; ipsique pœnæ delinquentes se subjicere debent : quod de violatione meri consilii dici nequit.

Dari potest regula quæ ad culpam etiam gravem obliget; ad pœnam autem semper saltem obligat.

Ordinarie religiosi non emittunt votum regulam observandi, sed duntaxat obediendi secundum regulam.

« Si regula sub peccato obliget, ejus transgressio est » contra votum et sacrilega : ratio est quia talis regula » non est minus præceptiva quam vox superioris ». (S. Liguor. lib. 4, n° 41.)

Si in regula dicatur ipsam obligare quantum fieri potest, ejus violatio erit peccatum, et quidem mortale in materia gravi. Econtra nec etiam sub levi, si hoc in ipsa declaretur. Si vero regula de hoc omnino sileat, controvertitur an tunc obliget; et dignoscendum ex recepta interpretatione in unaquaque religione.

In praxi tamen raro peccato vacat regularum transgressio, ob inordinatum affectum, scandalum, etc.; imo frequens ejus violatio sæpe posset mortale peccatum constituere, ob gravem perturbationem disciplinæ regularis, vel si procederet a contemptu formali; quæ tamen oriretur ex sola desidia, non ideo formalem contemptum supponeret.

Etsi regula non obliget sub peccato, superiores tamen

tenentur transgressiones ejus, etiam leves, prudenter corrigere : et quidem sub gravi si exinde magna disciplinæ relaxatio oriri posset. (V. *Des Communautés*, nis 481-487.)

§ IV.

De obligatione habitum religiosum gestandi.

992. Quibusdam institutis, etiam votorum solemnium, non imponitur forma specialis habitus : sic Jesuitæ habitum clericalem deferre solent quando sunt clerici, secus laicale vestimentum induunt. Sic pariter in Instituto : *Filles de Marie* a P. de Closriviere cum Dⁿ. de Cicé concursu fundato, anno 1790, sorores genus vestium a se in sæculo gestatarum non mutant. Sed, his et quibusdam aliis exceptis, generatim forma habitus religiosis præscribitur.

Porro iis lem non licet hunc habitum dimittere nisi ad dormiendu n, aut propter aliam necessitatem; et hoc etiamsi regula sub peccato non obliget : quia ex jure canonico oritur hujusmodi obligatio habitum non dimittendi, ut constat ex cap. 2, *Ne clerici et monachi* in 6°, ubi ipso facto excommunicatur professus temere dimittens religionis habitum. Hæc tamen excommunicatio non incurritur a professo instituti simplicium votorum; et ut incurratur a regularibus proprie dictis, dimissio habitus fieri debet citra rationabilem causam, et per tempus quod non sit brevissimum, v. g., ad jocandum; et quidem esse completa, ita ut religiosus ut talis non amplius dignoscatur.

Circa obligationem habitum regularem gestandi dispensare nequeunt superiores Ordinis; sed tantum declarare possunt in dubio causam illum dimittendi esse sufficientem.

§ V.

De obligatione clausuram servandi.

993. Multiplicis est generis clausura monasteriorum,

videlicet virorum et mulierum, quæ est papalis aut solummodo episcopalis.

I. Clausura quoad viros in eo consistit quod non debeant e monasterio egredi absque debita superioris licentia, nec illis liceat intra septa conventus ullam mulierem admittere, imo nec aliquando viros in certas ipsius partes. — *Prima pars* hujus assertionis in natura regiminis monasteriorum fundatur, juxta quam, ut ait Suarez [1], *subditus debet esse sub potestate superioris, ut ab illo possit vel custodiri vel gubernari.* Unde obligat sub peccato, etiam in institutis quorum regula non est sub peccato obligatoria. Sancita fuit hæc clausura a Tridentino, sess. XXV, c. 4, *De Regular.*, ubi dicitur : *Non liceat regularibus a suis conventibus recedere, etiam prætextu ad superiores suos accedendi, nisi ab eis missi aut vocati fuerint*, et a Clemente VIII Constit. *Nullus*, dicente : « Nullus a conventu egredi audeat nisi ex causa, » et cum socio licentiaque singulis vicibus impetrata a » superiore; qui non aliter concedat, nisi causa pro» bata, sociumque exituro adjungat, non petentis ro» gatu, sed arbitrio suo, neque eumdem sæpius. Licen» tiæ vero generales exeundi nulli concedantur ».

Communiter auctores tenent graviter peccare religiosum e monasterio suo sine licentia egredientem, et per notabile tempus extra manentem, aut exeuntem per noctem, vel cum gravi scandalo. Et hoc est dicendum etiam de religiosis ad instituta simplicium votorum pertinentibus.

Excipiendus tamen est casus urgentis necessitatis, si nempe succurrendum esset proximo de vita temporali, et præsertim spiritali periclitanti.

994. *Secunda pars*, quoad introductionem mulierum in conventum, est juris positivi : Constat ex variis Constit. S. Pii V, Greg. XIII, Bened. XIV, et maxime Const. *Apostolicæ Sedis* Pii IX, ubi excommunicatio latæ sententiæ, Sedi Apostolicæ simpliciter reservatæ, decerni-

1. De relig. t. 1, tr. VIII, l. V, c. VI, n° 8.

tur contra *mulieres violantes regularium virorum clausuram, et superiores aliosque eas admittentes.*

In prædictis Bullis non comprehenduntur imperatrices et Reginæ, earumque filiæ et aliæ feminæ quæ illas comitantur. Nec etiam omnino constat an infantulæ sub prohibitione includantur. Ut vero certum habetur præfatas pœnas non esse extendendas ad conventus votorum simplicium.

Nomine clausuræ, in quam feminis interdictus est ingressus, intelligitur totum spatium quod intra septa monasterii continetur : id est, claustra, cellæ, officinæ, cœnaculum, dormitorium, infirmaria, coquina, horti, viridaria, prata si sint conventui conjuncta, sacristia si ad eam non sit accessus per ecclesiam omnibus fidelibus permissam. (*Manuale*, n° 2834.)

995. II. De clausura quoad moniales : Hujusmodi clausura multum differt a clausura virorum; istis enim non prohibetur e monasterio egredi, si superioris licentiam habeant; dum monialibus etiam exitus cum licentia Abbatissæ est prohibitus; unde dispensationem ab auctoritate competente obtinere debent.

Extra casus a jure expressos, egressus monialis professæ, etiam conversæ, est peccatum mortale, cui a S. Pio V, et a constitutione *Apostolicæ Sedis* Pii IX, annexa est majoris excommunicationis pœna ipso facto incurrenda, et Summo Pontifici simpliciter reservata, cum aliis pœnis, de quibus v. *Manuale*, n° 2837.

Juxta sacram Concilii Congreg., consuetudo prævalere nequit contra decreta conciliaria et constitutiones apostolicas quæ clausuram papalem imponunt.

Pœnæ vero modo relatæ clausuram papalem respiciunt, eam scilicet quæ a Summo Pontifice statuitur. Est autem alia clausura ab Episcopis sancita, cujus violatio solis pœnis ab Ordinario præscriptis plectitur.

Ut pœnæ supra dictæ incurrantur sufficit, juxta Ferraris, quod monialis ambobus pedibus, uno vel altero palmo extra clausuræ ostium pergat, vel quod ascendat supra tectum, vel se suspendat per fenestram aut arborem extra clausuram, vel quod adeat spatium quod

separat portam monasterii clausam a porta secularibus patefacta, vel quod intret ædes monasterii contiguas a famulis inhabitatas, aut ecclesiam exteriorem. (V. *Ibid.*, n° 2840.)

Diximus *extra casus a jure expressos :* Moniales enim egredi possunt *causa magni in monasterio incendii*, *vel infirmitatis lepræ et epidemiæ*, id est pestis, non vero phtisis; item ratione inundationis, belli imminentis, ruinæ ædificii : obtenta tamen, in iis casibus, quantum fieri poterit, licentia scripta ab Episcopo, aut, Sede vacante, a vicario capitulari, et etiam a Prælato regulari si monasterium sit exemptum. — In cæteris casibus, licentia a Sancta Sede est obtinenda, etiamsi de audienda missa de præcepto ageretur, aut ad balnea eundum esset, aut esset fundandum vel regendum aliud monasterium.

996. Quoad vero ingressum in monialium monasteria, generaliter quibuslibet personis, sub pœna majoris excommunicationis, simpliciter Papæ reservatæ, interdicitur, nisi habeatur licentia a Sancta Sede. Ita Const. *Apostolicæ Sedis*, qua excommunicantur non solum *violantes* clausuram, sed etiam *introducentes* vel *admittentes*.

Diximus *quibuslibet*, proinde in dicta prohibitione, comprehenduntur etiam sorores dictæ *tourières*, extra saltem tempus probationis. Ita sacra Congreg. Episcop. et regular. (V. *Manuale*, n° 2848.) Imo etiam pueruli et puellæ, ut constat Trident., sess. XXV, c. 5.

A prohibitione excipiuntur Imperatores, Reges, Imperatrices, Reginæ, atque eorum filii et filiæ; non vero duces, nec magistratus, quibus tamen aliquando, inconsulto Episcopo, non esset prudens aditum denegare.

Ex justa causa Episcopi possunt clausuram monialium suæ diœcesis, non vero alienæ, etiamsi essent cardinales, ingredi. Tanquam Ordinarii ingrediuntur quidem, si monasterium non sit exemptum; secus, tanquam Sedis Apostolicæ delegati; et tunc solummodo pro visitatione circa observationem clausuræ. Porro tunc plus quam octo personas secum introducere nequeunt, juxta Gregorium XIII, qui varias pœnas insua Bulla in contravenientes decernit. Non tamen Episcopis licet septa

conventus ingredi pro examine ante vestitionem aut professionem. Hoc enim examen ad crates monasterii fieri debet. (V. *Manuale*, n° 2852, et *Communautés*, etc., n° 659).

Item clausuram ingredi possunt confessarii pro ministrandis sacramentis et commendandis animabus in agone constitutis; medici similiter, ex licentia generali pro casibus urgentibus, singulis trimestribus renovanda. Item operarii et alii ad servitium necessarii.

Nota mulieres haud posse monasteria ingredi sine monialium consensu capitulariter per secreta suffragia præstito, etiamsi obtenta fuisset a Sancta Sede licentia intrandi.

Præfata de clausura papali dicta sunt : porro hujusmodi clausura in Gallia, Sabaudia et Niciensi diœcesi exceptis, non existit. Clausura tamen est observanda in omnibus monasteriis in quibus a regula præscribitur; et id quidem sub pœnis ab Ordinario sancitis.

Ex pluribus S. Congreg. Concilii decretis, prospectum in clausuram habere non debent domus vicinæ. (V. *Des Communautés*, etc., n° 677).

997. III. De accessu et colloquiis cum monialibus. Omnibus generaliter prohibetur accessus ad moniales si absit justa causa : et quidem sub variis pœnis a Tridentino innovatis (sess. XXV, c. 5, *De regul.*). Excipiuntur sæculares in 1° et 2° gradu cognationis, pauperes mendicantes, famuli aut famulæ jussu dominorum suorum munera deferentes, confessarii, etc.

Diximus *sæculares :* Nam regulares monasteria, etiam exempta, visitare nequeunt sine Episcopi licentia; et cum ejus licentia quater tantum, extra adventum, quadragesimam, feriam VI, sabbatum, vigilias et dies festos possunt conjunctas in 1° et 2° gradu invisere. Insuper, quoad exemptas, licentia subscribi debet a regulari Prælato. Imo missas in ecclesiis monialium celebrare nequeunt sine eadem Episcopi licentia. (*Manuale*, n^is 2856-2860).

Excommunicationem majorem ipso facto et alias pœnas incurrunt regulares alloquendo sine licentia sancti-

moniales sub clausura papali degentes. (Ib. nº 2859.)

Nota quod moniales uti nequeant confessionali pro locutorio, nec communionis fenestella; item quod collocutorium in secundo plano esse non debeat; et quod conventus fenestræ ita debeant esse dispositæ ut nec videre exteros nec ab ipsis videri possint moniales.

Notandum adhuc est non debere moniales, sine licentia, litteras scribere aut accipere, easdemque teneri superiorissæ ostendere. Excipiendæ sunt tamen litteræ ad Episcopum vel ad confessarium scriptæ.

§ VI.

Religiosis prohibita.

998. Generatim quæ clericis prohibentur, religiosis etiam sunt prohibita : unde abstinere se debent ab officiis, artibus, actionibus quæ clericis vetantur. Omnia hæc enumeravimus supra (640-648). V. insuper *Des Communautés à vœux simples*, nis 579, etc.

Immemores esse non debent religiosi utriusque sexus quod esse nequeant, etiam per procuratorem, compatres et commatres. (*Manuale*, nº 2866.)

§ VII.

Plures aliæ religiosorum obligationes.

999. I. Sacramentorum frequentatio. De ea sic habet Trid. : « Attendant diligenter Episcopi et cæteri superiores monasteriorum sanctimonialium, ut in constitutionibus earum admoneantur sanctimoniales, ut, saltem semel singulis mensibus, confessionem peccatorum faciant, et sacrosanctam Eucharistiam suscipiant. » (Sess. XXV, c. 10, *De regular.*)

Idem quoad Benedictinos præscripserat Concilium Viennense : « Sane singulis mensibus, tam in monasteriis quam extra, sublata occasione quacumque, ad confessionem saltem semel accedant omnes et singuli monachi, et in prima Dominica mensis cujuslibet in monasteriis semper communicent. » — Communius

gravis non reputatur hæc obligatio. (*Des Communautés*, etc., nº 602.)

« An et de cujus licentia sacram Eucharistiam reci-
» pere debeant moniales, quæ eam recipere volunt
» ultra dies statutas a constitutionibus, vel a cons-
» titutione monasterii, ut in illis omnes moniales
» communicent.... ? — S. C. respondit.... De licentia
» confessarii ordinarii, et non directorum, prævia par-
» ticipatione Prælati Ordinarii ». Proinde dicta deter-minatio ad superiorissam non spectat.

1000. II. De culparum confessione et conscientiæ manifestatione. In hoc duæ istæ differunt quod prior publice in Capitulo fiat, dum posterior privatim apud superiorem vel superiorissam peragitur. Item fieri non solet prior nisi de externis regulæ transgressionibus, et non obligat nisi a regula præcipiatur; posterior vero in usu est in pluribus ordinibus, et imprimis apud sorores Visitationis : sed ob graves qui irrepserunt abusus, non amplius Apostolica Sedes hanc praxim in novis Institutis approbat, ut videre est in opere *Des Communautés*, etc., nis 623-626 : et ubi adhuc viget hujusmodi manifestatio, minime peccata sua occulta pandere tenentur professi aut professæ.

1001. III. Sacri secessus. « Ante vestitionem et pro-
» fessionem præmitti debent per decem dies exercitia
» spiritualia. » Ita S. Congreg. Episcop. et regular. in suis observationibus circa Constitutiones cujusdam Instituti ab *Analectis* memorati.

Quoad autem exercitia quæ quotannis fieri solent, eadem Sacra Congregatio ait : « Difficillimum erit ut om-
» nes sorores, tempore vacationum sese conferant ad do-
» mum principem, causa vacandi exercitiis spirituali-
» bus... Melius fortasse erit relinquere arbitrio superio-
» rissæ designationem domorum in quibus fiant exercitia
» spiritualia ». (*Des Communautés*, etc., nº 627, *in nota.*)

1002. IV. Obligatio divinum officium recitandi. Religiosi proprie dicti [1] etiam ad privatam horarum cano-

1. Scholasticis ordinis Jesuitarum tamen exceptis.

nicarum recitationem sub gravi tenentur, quando choro non assistunt. Idem est dicendum de monialibus stricte dictis. Secus tamen dicendum est de iis quæ pertinent ad domos in quibus, prout in Gallia, non emittuntur nisi vota simplicia. Sic enim respondit Sacra Pœnitentiaria ad Episcopum Petrocorensem, 26 nov. 1852 : « Moniales votis solemnibus obstrictas teneri sub gravi » quotidie officium recitare ex consuetudine jam præs- » cripta. Cum vero moniales in Galliis nec vota solem- » nia emittere, neque esse moniales stricte dictas, sed » piarum tantum feminarum societates... pluries res- » ponsum fuerit, ideo illæ non alia obligatione tenen- » tur quam ea quæ ex respectivis constitutionibus re- » sultat ». Porro regulæ non solent ex se sub peccato obligare. Dicemus infra de privilegiis regularibus quoad officium concessis (1031).

ARTICULUS V.

DE REGIMINE REGULARIUM.

Regularium regimen vel extraneos respicit vel ipsos regulares.

§ I.

De regimine regularium ad extra.

PUNCTUM I.

DE HABILITATE REGULARIUM AD MUNIA ECCLESIASTICA.

1003. I. Tam jure naturali quam divino capaces quidem sunt regulares muniorum ecclesiasticorum, sed ambigi potest an jure hodierno ecclesiastico valeant promoveri ad beneficia tam curata quam simplicia; et respondetur quod si parochiales ecclesiæ sint monasteriis unitæ, etiam quoad curam animarum, ad illas a suis Prælatis promoveri queunt, ex Tridentino, sess. VII, c. 7, *De reform.*, revocabili tamen modo si agatur *de mendicantibus* et *monachis;* si vero sit quæstio de cæteris

regularibus in *perpetuum* nominari possunt. Juxta autem Constit. *Ad exequendum* S. Pii V, a Gregorio XIII correctam, socius religiosus (unicus tamen) parocho huic regulari est adjungendus.

Observandum quod religiosus ad curam modo revocabili deputatus, tenetur superiori suo obedire et regulam servare, in iis quæ pastorale officium non concernunt, quoad enim hujusmodi officium jurisdictioni Episcopi subest : si econtra in perpetuum deputaretur, ab obedientia sui Prælati et a regula liber esset, eodem modo ac regulares ad episcopatum provecti; et idem esset dicendum si promoveretur ad sæculare beneficium, nisi aliter dispositum fuisset in suo Instituto a Sede Apostolica approbato, prout contigit in Ordine Præmonstratensium; et tali religioso socius non esset necessario adjungendus.

Etsi olim regulares eligi potuerint ad sæcularia beneficia parochialia, hodie tamen, si dictos Præmonstratenses excipias, ad nulla beneficia sæcularia promoveri queunt absque indulto apostolico. Ita sæpe respondit S. Congr. Concilii cum approbatione summi Pontificis. Prohibitio tamen hæc comprehendere non videtur religiosos vota tantum simplicia professos. Applicanda sunt modo dicta regularibus quoad coadjutoriam parochialem.

1004. II. Si dotes requisitas habeant, si nempe sint Doctores, eligi possunt regulares in examinatores synodales; et si sint in dignitate constituti, id est si in monasterio nullum habeant immediatum superiorem supra se, possunt pariter esse delegati Sanctæ Sedis, proinde etiam Conservatores. Vicarii tamen generales esse nequeunt, nisi sui superioris simul et Sedis Apostolicæ licentiam habeant, juxta dicta in *Manuali* etc., n^is^ 1139 et 1140.

Eadem superioris licentia accedente, evehi queunt ad gradus academicos, quos, ex privilegio apostolico, possunt extra publicas Universitates obtinere. Professores quoque esse valent in iisdem, nisi obstet proprium ipsorum Institutum. (*Ibid.*, n^is^ 2878-2883.)

Imo necessaria est superioris licentia ut regularis eligatur in Episcopum aut Cardinalem; non vero ut in Summum Pontificem eligatur.

Factus autem Episcopus aut Cardinalis, non ideo regularis desinit esse religiosus; sed ex Constit. *Custodes* Benedicti XIII, præcipitur ipsi, in virtute sanctæ obedientiæ, ut singulis suæ regulæ officiis et obligationibus, quæ Episcopatus aut Cardinalatus officium non impediunt, satisfaciat. Quoad obedientiam tamen non amplius suo Prælato sed Summo Pontifici subest; et, quoad paupertatem, non sibi, nec monasterio, sed suæ mensæ seu Ecclesiæ acquirit, habens cæterum usum temporalium minus restrictum ob suæ dignitatis indigentias. Imo post promotionem jus recuperat ad hæreditates nondum tertio acquisitas. — Quoad vero habitum, retento suæ religionis colore, potest formæ sæcularium Prælatorum se accommodare.

Quando Episcopi regulares cum licentia Papæ suæ dignitati renuntiant, vel deponuntur, ad claustra redire tenentur sub pœna privationis usus Pontificalium; et si extra per annum contumaciter manserint, ipso facto a divinis suspenduntur, juxta dictam Const. *Custodes* (*Manuale*, etc., n^is^ 2884-2891).

PUNCTUM II.

DE JURE REGULARIUM QUOAD SACRI MINISTERII EXERCITIUM.

1005. Cum a Jansenistis in Synodo Pistoriensi (prop. 80) renovatus fuerit error Guillelmi a S. Amore, *statum regularem natura sua componi non posse cum animarum cura cumque vitæ pastoralis muneribus, nec ideo in partem venire posse ecclesiasticæ hierarchiæ, quin ex adverso pugnet cum ipsiusmet vitæ monasticæ principiis;* Pius VI, in sua Constit. *Auctorem fidei*, hanc propositionem damnavit ut *falsam, perniciosam, in sanctissimos Ecclesiæ Patres et Præsules, qui regularis vitæ instituta cum clericalis ordinis muneribus consociarunt, injuriosam, pio, probato vetusto Ecclesiæ mori, Summorumque Pontificum sanctionibus contrariam.* Unde Clemens VIII, sua Const. *Superna*,

Episcopis prohibuit ne regularibus, absque justa causa, denegent licentiam prædicandi, et ne concessam suspendant, nisi ob rationabiles causas ipsam prædicationem spectantes; et ne illos generatim prædicare in eorumdem ecclesiis impediant.

Ex dicta Const. *Superna* jus habet Episcopus regulares examinandi circa doctrimam, antequam prædicent in ecclesiis quæ ad ordinem ipsorum non spectant.

Item in eadem mandavit Pontifex *illos religiosos qui ad confessiones audiendas idonei reperti fuerint, ab Episcopis generaliter, absque limitatione temporis, locorum, aut personarum in diœcesi propria admittendos* fore, et ab ipsis examinatos non posse iterum examinari aut suspendi ab auditione confessionum, nisi nova superveniente causa, ipsas confessiones concernente, quam Sedi Apostolicæ duntaxat tenebitur significare si sit requisitus.

Ex declaratione S. Congr. Episc. et regul. confessarii regulares non sunt ad duos restringendi in qualibet ecclesia. Nec sufficientia cleri sæcularis est ratio sufficiens regulares a sacro pœnitentiæ ministerio excludendi. (*Manuale*, n^is^ 2892-2894).

Regulari examen postulanti denegari non debet, nisi bene comperta sit ipsius idoneitas; et tunc eidem est danda approbatio. Posset e contra denegari sine examine, si omnino comperta esset ipsius incapacitas. (V. *Manuale*, n^is^ 2895-2896.)

PUNCTUM III.

DE JURE REGULARIUM QUOAD BONORUM SUORUM ADMINISTRATIONEM.

1006. Prænotandum est 1° bona non esse habenda ut ecclesiastica, nisi pertineant ad Institutum, vel communitatem auctoritate Ordinarii erectam.

2° Distinguendum esse inter *dominium proprie dictum* et *dominium altum*. Prius confert jus de bonis disponendi, saltem valide, prout libet; posterius nihil aliud est quam jus gubernii, seu facultas disponendi de bonis pro publica utilitate.

3° Dominium proprie dictum exerceri potest vel im-

mediate ab eo ad quem bona pertinent, vel ab aliquo alio nomine proprietarii, prout fit in Institutis in quibus bona religiosorum administrantur a superioribus.

Ad quem pertineant bona Institutorum religiosorum dictum fuit supra n° 767.

Unaquæque Communitas, inquit Suarez, jus proprium habet sua bona administrandi; sed quia istud jus practice nequit a tota Communitate exerceri, Prælato committi solet ipsius exercitium, vel cum omnimoda independentia, vel cum consilio aut consensu Capituli, etiam cum facultate alienandi, modo non in detrimentum, sed in monasterii utilitatem id fiat. — Hæc autem potestas Prælatorum non est potestas jurisdictionis. Sed potius dominationis omnibus superioribus inhærentis, subordinatæ tamen auctoritati Summi Pontificis, non solum quoad altum dominium, sed etiam quoad potestatem dominationis, quæ Capiti Ecclesiæ in omnia religiosa Instituta necessario pertinet.

Quoad vero Episcopos, seclusis constitutionibus specialibus, approbatis a Sancta Sede, ipsis non licet se ingerere in hujusmodi administrationem; quia nullam potestatem dominativam in religiosos possident, etiam in moniales, nisi in casibus a jure vel constitutionibus Ordinis legitime concessis. Habent tamen in bona communitatum quamdam jurisdictionis potestatem, vi cujus coercere et punire possunt delicta quæ in iis administrandis committerentur, ea nempe dilapidando, aut nimiis debitis aut oneribus onerando.

1007. Quærit. 1° An jure positivo adempta in aliquo fuerit religiosis libera bonorum suorum administratio?

Resp. Ex Extrav. *Ambitiosæ* Pauli II, anni 1468, explicata et ampliata 7 sept. 1624, per decretum S. Congr. Concilii, approbatum ab Urbano VIII, alienatio bonorum ecclesiasticorum immobilium et mobilium pretiosorum, et omnes in eisdem enumeratæ dispositiones, inconsulto Romano Pontifice peractæ, sub variis pœnis prohibentur, si fiant extra casus a jure exceptos, videlicet extra necessitatem, quando de facili potest Papa adiri. Secus si fames regionem invaserit, et aliter pau-

peribus subveniri haud posset, vel si res servari nequirent, si vendendæ essent ad solvenda debita pro quibus creditores urgerent apud judicem; vel in casu notoriæ utilitatis, si expectato pontificio consensu timendum esset ne transiret opportuna occasio. (S. Liguor. lib. 4, nº 187, *Notand.* VI.)

Pœnam excommunicationis majoris, ipso facto incursæ, intulit Pius IX, per Const. *Apostolicæ Sedis*, in alienantes et recipere præsumentes bona ecclesiastica. Hac autem prohibitione et pœnis comprehenduntur non solum religiones in quibus vota solemnia emittuntur, sed etiam omnes Congregationes, etiam in quibus nulla vota emittuntur; quippe lex omnia ecclesiastica bona attingit.

Sed in eisdem non comprehenduntur ordines incapaces in communi possidendi, prout sunt minores observantes et Capuccini, Cum enim isti bona possidere nequeant, etiam in communi, necessario illa per patronos vendere debent; et hoc illis licet ut in usus suos pretium consumere valeant.

Quoad immobilia *modici valoris*, jus permittit illa alienare cum sola Episcopi licentia, ut constat C. *Terrulas*, cui, juxta decisionem S. Congr. Concilii 11 Jan. 1596, non fuit derogatum. — Modici autem valoris hodie reputantur quæ summam 500 francorum non excedunt.

Pretiosa reputantur mobilia, vel ex materia, ut aurum, margaritæ, etc., si ad valorem 500 francorum perveniant, vel ex forma, ut picturæ, opera textilia, et alia id genus, quæ ob artem vel antiquitatem magni pretii habentur; item reliquiæ insignes, sacræ imagines, quæ in magna veneratione sunt apud populum.

Jura quoque incorporea jurisdictionum, vel præeminentiam aliudve genus honorificum præstantia alienari nequeunt absque beneplacito apostolico.

Quoad casus in quibus alienari nequeunt pecuniæ, vide *Des Communautés à vœux simples*, nis 804-808. Et quoad locationes et conductiones vide *Ibid.*, nis 809, 810.

Beneplacito apostolico etiam est opus in alienationi-

bus erga aliud monasterium factis, quando, quoad bonorum administrationem, eidem superiori generali non subest ac alienans. Ita S. Congr. 27 Julii 1647. (*Des Communautés*, etc., 812; et *Manuale*, nº 2919.)

Præter Beneplacitum Apostolicum requiritur justa causa, necessitatis nempe vel certæ utilitatis. (Decr. *Ambitiosæ*.)

An autem extra Italiam obligare desierit lex *Beneplaciti Apostolici*, pro alienandis immobilibus et mobilibus pretiosis, vide *Manuale*, nº 2922, et *Communautés*, etc., nis 795, etc.

1008. Quærit. 2º An ab Ordinario pendeant regulares quoad bonorum alienationem et administrationem?

Resp. Ab illo non pendent quoad alienationes beneplacitum apostolicum exigentes, quia sufficit Summi Pontificis licentia. Sed ab eodem pendent quoad alienationem immobilium *modici valoris*, saltem si communitas non sit exempta. Constat ex cap. *Terrulas*, 12, q. 2.

Quoad vero alienationem mobilium non pretiosorum, distinguendum est inter virorum et mulierum communitates : in prioribus libera omnino est bonorum administratio. Ita fuit decisum quoad Oratorianos, confirmante Benedicto XIV. (*Manuale*, nº 2927.)

Secus vero de communitatibus mulierum : Nam in sua Const. *Inscrutabili*, sic habet Gregor. XV, 5 febr. 1622 : « Administrantes bona... Sanctimonialium, etiam » regularibus subjectarum... sive regulares extiterint, » sive sæculares quomodolibet exempti, Episcopo loci, » adhibitis etiam superioribus regularibus, singulis annis, rationes administrationis, gratis tamen exigendas » reddere teneantur; ad idque juris remediis cogi et » compelli queant. Liceatque Episcopo, ex rationabili » causa, superiores regulares admonere, ut ejusmodi » administratores amoveant; iisque superioribus id facere detrectantibus aut negligentibus, habeat Episcopus facultatem prædictos... administratores amovendi » quoties et quando opus esse judicaverit ». In quo amotionis casu Episcopus tenetur superioribus regularibus indicare quam ob causam sic agat.

Præterea, *consuetudine*, non autem jure scripto, introductum fuit ut Episcopus exigere possit a monialibus, regularibus non subjectis, ut pro rebus majoris momenti, suus expectetur consensus; et insuper ad ipsum pertinet administratores approbare et revocare, et ut ipsi administrationis rationem reddant. — Contraria tamen consuetudo vigere potest, et huic stare posse videntur moniales.

Ex his intelligere possunt monialium superiores ab Episcopis deputati, quomodo se gerere debeant, in hujusmodi munere adimplendo. Non enim ipsis licet pro libitu consensum in dictis negotiis denegare, sed ubi nullum secuturum damnum perspiciunt, assentire debent : alioquin eorum auctoritas quamdam tyrannidem saperet, nec in bonum sed potius in malum esset communitatum. (*Manuale*, nis 2930, etc.)

Contractus fieri semper debent nomine monasterii, non autem Episcopi aut superioris ab ipso deputati : quia non isti obligantur, sed conventus.

1009. Consentanee ad jus canonicum dicta sunt supra exposita. Quoad vero dispositiones legis civilis in Gallia circa administrationem bonorum religiosorum, vide *Des Communautés*, etc., nis 829-870. Sufficiat hîc monere, quoad Instituta a Gubernio non agnita, quod illorum bona nomine conventus possideri civiliter nequeant : unde ab ipsis est eligendus unus vel plures religiosi, qui censeantur eorumdem bonorum proprietarii coram tribunalibus. Porro sic electus statim conficere debet testamentum quo in gratiam quorumdam aliorum consortium de iis bonis disponat. Frustra hîc præmoneretur quanta cum cautela tales communitatis vices gerentes sint eligendi, quominus nec ex eorum nec ex hæredum ipsorum parte aliquid improbitatis sit metuendum. — Instituta vero a Gubernio non agnita, immunia sunt quidem a tributo *Mainmorte* nuncupato, sed jura successionis solvenda sunt quoties e vita decedit religiosus, bona conventus suo nomine civiliter possidens.

PUNCTUM IV.

DE CONGREGATIONIBUS VIRORUM VOTIS SOLEMNIBUS CARENTIBUS RELATIVE AD EPISCOPOS.

1010. Hujusmodi Congregationes Ordinarii quidem jurisdictioni subjiciuntur, sed quando illorum constitutiones ab Apostolica Sede sunt approbatæ, nullo modo possunt ab Episcopis mutari; eo quod ad solum S. Pontificem pertineat retractare quod ipse statuit. In aliquo tamen, cum Capituli ordinis consensu, illas mutare posset Episcopus, si Institutum ab ipso duntaxat esset approbatum.

Ab Episcopo, ut supra diximus (1006, 1008), non pendent eædem Congregationes, quoad bonorum administrationem, nisi ageretur de alienatione immobilium modici valoris. Item ipsis non subsunt quoad Præpositorum electionem, expulsionem religiosorum, nec quoad regulæ observationem, etc.

Attamen, juxta Bullam *Emanavit* Benedicti XIV, judex est Episcopus causarum nullitatis electionum ad Præposituram, modo causa ad ipsum ab aliquo communitatismembro deferatur, casu saltem in quo non agitur de Superiori generali, vel de superiori alicui conventui a superiori generali præposito. (V. *Manuale*, n^is^ 2962, 2963).

Eadem Instituta institui quidem nequeunt sine Ordinarii consensu, sed non ideo ab ipso supprimi possunt, si a Sancta Sede approbata fuerint.

Eorum presbyteri Episcopi approbatione indigent, etiam pro confratribus absolvendis, nisi secus a Sancta Sede dispositum fuerit. Ipsius pariter jurisdictioni subsunt quoad repressionem criminum contra jus commune patratorum. Non autem communicant privilegiis regularium proprie dictorum.

PUNCTUM V.

DE VARIIS REGIMEN EXTERNUM MONIALIUM CONCERNENTIBUS.

1011. I. Vi jurisdictionis suæ ordinariæ, canonicam monialium visitationem Episcopus potest et debet semel in anno facere si non sint exemptæ; si vero exemptæ sint et Sanctæ Sedi immediate subjectæ, tanquam ejusdem Sedis delegatus visitationem peragit; et si regularibus subdant, tunc a Prælatis regularibus visitatio quidem fit, sed insimul monasterium visitare potest Ordinarius ratione clausuræ : Ita Clem. *Attendentes. de statu monach.* Idem potest Vicarius generalis, de mandato tamen speciali Episcopi. Item, juxta communiorem sententiam, Vicarius Capitularis, etiam quoad exemptas.

Ex dicta Clementina, moniales visitationem impedientes excommunicationem, si prius fuerint monitæ, incurrunt.

1012. II. Quoad Capellanos et confessarios monialium, vide dicta supra nis 561-564.

Confessarii tam ordinarii quam extraordinarii monialium, etiam exemptarum, approbandi sunt ab Ordinario; nec sufficit approbatio communis : sed etiam speciali pro monialibus et pro unoquoque monasterio opus habent, etsi parochi sint, si agatur de monialibus proprie dictis, ut constat Constit. *Superna* Clementis VIII et Const. *Inscrutabili* Gregorii XV.

Quoad cæteras moniales sufficit approbatio communis, quando specialis non exigitur ab Ordinario, qui habet quidem jus istam præscribendi, saltem pro confessariis delegatam tantum potestatem habentibus.

Nisi ex justa causa deputatum confessarium ordinarium recusare possunt moniales; secus de extraordinario, dummodo alium non petant. (*Manuale*, nº 2969.)

Confessario extraordinario munus suum fungente, Ordinarius præsumere non debet cujusvis intra septa monasterii commorantis confessionem audire. Ita Const. *Pastoralis* Bened. XIV.

Juxta eamdem Constitutionem : « Pro monialibus

» regula est ut ordinarius earum confessarius sit sacer-» dos sæcularis ». Subdunt enim moniales episcopali jurisdictioni prout cæteri fideles quando non sunt exemptæ.

1013. Consuetudine introductum est quod ab Ordinario etiam pendeant quoad quosdam actus dominationis, graviores nempe administrationis. Nulla in hoc adest difficultas quando conventus ab alio non pendet; sed si generali Superiorissæ subdat, multa mala oriri possent si singulæ domus unius et ejusdem Instituti ab, unoquoque respectivo Ordinario regerentur. Deficeret enim tunc regiminis unitas. Revera unicuique respectivo Episcopo subesse debent hujusmodi moniales in iis quæ sunt jurisdictionis episcopalis, quæ necessario intra limites cujusque propriæ diœcesis restringitur; sed quoad ea quæ sunt meræ administrationis œconomicæ seu domesticæ, admittendum non videtur quod sic ab unoquoque respectivo Ordinario dependeant: multum enim in singulis Congregationibus perturbaretur ordo, si, v. g., uno Episcopo exigente quod certa quædam monialis tali monasterio præficeretur, alter eamdem vellet sibi retinere; aut si, juxta unum, esset a congregatione ejicienda, retinenda foret juxta alterum. Idem dic de aliis multis. Quomodo enim rebus sic stantibus adhuc consistere posset congregatio? Ergo dicta consuetudo in hujusmodi conventus congruenter introduci haud potuit; eo minus quod moniales non pendeant ab Episcopis, quoad œconomicum et domesticum regimen, nisi vi consuetudinis, quæ obligare nequit nisi sit bona, societatique utilis. Cæterum circa hæc omnia, his quæ a Sancta Sede decreta fuerunt, standum est. Porro in hujusmodi negotio, rem componit aliquando Sancta Sedes concedendo Institutis religiosis Cardinalem Protectorem.

1014. A veris juris Canonici principiis non multum dissentit legislatio nostra circa præsens punctum; sic enim habet Instructio ministerialis, legem 24 maii 1823 interpretans : « art. 8. La Supérieure générale d'une » Congrégation conserve une action immédiate sur tous

» les sujets qui en dépendent. Elle a droit de les placer » et les déplacer, de les transférer d'un établissement à un » autre ; de surveiller le régime intérieur de l'administration. Mais chaque établissement n'en demeure pas » moins soumis, dans les choses spirituelles, à l'Evêque » diocésain. Cette reconnaissance de l'autorité spirituelle des Ordinaires doit toujours être exprimée dans » les statuts. » — Hæc ultima tamen adversantur auctoritati Sedis Apostolicæ, cui jus competit eximendi regulares, si utile judicet, ab Ordinarii jurisdictione : et quoad hoc approbanda non sunt.

§ II.

De regimine regularium ad intra.

PUNCTUM I.

DE POTESTATE QUA REGULARES AD INTRA GUBERNANTUR.

1015. Triplicis speciei esse potest superiorum religiosorum potestas in subditos ; voti nempe solius, jurisdictionis proprie dictæ, et administrationis seu simplicis regiminis.

1° *Voti solius.* Vi cujus independenter a potestate jurisdictionis, seu clavium, et absque auctoritate dominationis superior imperare potest, sicut pœnitenti imperaret confessarius si ipsi pœnitens obedientiam vovisset. Sed tunc non ex justitia obedientia debetur, sed duntaxat ex virtute religionis.

2° *Jurisdictionis proprie dictæ*, qua intelligenda est potestas spiritualis ad claves ecclesiæ pertinens, proinde a Christo, mediante suo Vicario Summo Pontifice, data. Ita Suarez.

3° *Dominationis :* quæ potestas, inquit idem, radicaliter derivat a profitentium voluntate se religioni donantium cum obligatione superioribus secundum regulas obediendi.

Ultima hæc saltem potestas est necessaria in omni

Instituto; et quidem sufficit, prout constat ex monasteriis mulierum, quarum Superiorissæ potestate clavium, seu jurisdictione proprie dicta, non gaudent.

Omnes autem religiosi, sive viri sive feminæ, jurisdictioni Summi Pontificis subjiciuntur, et etiam Episcopi, si exempti non sint, aut exemptæ. — Cum autem, exemptione supposita, regulares soli subdant Papæ, qui illos solus gubernare impar est, necesse est, ut, in hujusmodi Ordinibus, pastores sint ordinarii quibus cura animarum incumbat cum jurisdictione proprie dicta et quasi episcopali, etiam pro foro contentioso. Hujusmodi sunt Præpositi Generales, Provinciales, locales. Abbates nempe, Priores, Guardini, qui ideo Prælati regulares vocantur.

Illi Prælati vel sunt *infulati*, usum scilicet habentes mitræ, baculi, cæterorumque insignium Pontificalium; vel *non infulati*, id est præfatis insignibus carentes.

In Congregationibus virorum in quibus vota non emittuntur solemnia, quæque Episcopis subdi solent, superiores non habent in subditos jurisdictionem proprie dictam, sed solummodo dominativam.

1016. Quærit. 1° Quomodo constituendi sint Prælati, aut alii superiores in virorum Institutis?

Resp. Non constituuntur per hæreditariam successionem, nec per Prælati decedentis nominationem; sed vel per nominationem a Summo Pontifice factam, vel per canonicam electionem.

Ut vero quis valide eligatur, requiritur: 1° ut ætatis sit 25 annorum; 2° ut professionem emiserit; 3° ut professio sit expressa in eadem religione; 4° ut clericus sit, si jurisdictionem debeat habere ecclesiasticam.

Electio autem ad congregationem pertinet: electores vero ab eo ad quem spectat sunt convocandi; debentque esse professi religionis cui de Prælato providetur. Si non agatur de Instituto laicorum, subdiaconi saltem esse debent, nullaque censura aut sententia esse ad eligendum inhabiles.

Diximus supra (247) qua forma electio sit peragenda. Electores autem præsentes esse debent in congregatione

in qua electio fit; et si, vocati, non adessent, electio, quando religiosi sunt exempti, ad Summum Pontificem devolveretur. Irrita autem electio, si unus electorum, licet solus, ad præstandum suffragium, quamvis præsens, non admitteretur. Si quis vero elector non vocaretur, irritanda solummodo esset. Ad valorem electionis opus est, ut suffragia mox in communi publicentur, dicendo coram tota congregatione quot personæ suffragium dederint, non tamen pro quo suffragia fuerint data. Ad substantiam electionis pertinet quod scrutatores inter se conferant de suffragiorum numero. — Cum autem secreta esse debeant suffragia, locum in casu non habent tam electio per *compromissum*, quam electio *per inspirationem*.

Jure communi Superioris generalis electio est a Sancta Sede confirmanda. Ex statutis autem plurium ordinum, Prælati inferiores a superioribus instituuntur, et isti a Congregationibus generalibus Ordinis. Quando vero constitutiones circa modum electionis silent, inferiores Prælati eodem modo eligendi sunt ac superiores generales, In Congregationibus Episcopo subjectis ab isto confirmari solent superiores.

Prælatus regularis nondum confirmatus nequit *per se aut per alium, in toto vel in parte, quovis quæsito colore, regimini monasterii, tum in spiritualibus tum in temporalibus, sese immiscere, vel se recipi facere, vel alias se pro Prælato gerere, antequam electio rite celebrata a Romano Pontifice... confirmata fuerit, et litteræ desuper expeditæ fuerint.* (Pius IV, Const. *Sanctissimus.*)

Quando Prælati benedictioni locus est, fieri debet iis diebus quibus conferri possunt minores ordines, et ab Episcopo, non vero ab Abbatibus est impendenda. (S. R. C. 10 decem. 1631.)

Ab Episcopo diœcesano, secluso speciali indulto, est conferenda; et quidem intra missarum solemnia, assistentibus duobus abbatibus.

1017. Quærit. 2° Quomodo amittatur regularis Prælatura?

Resp. Quadruplici modo hoc contingere potest: 1° re

nuntiatione ab eo acceptata qui Prælatum instituere valet; 2° lapsu temporis quando temporalis est; 3° morte naturali; 4° depositione, cujus causas recenset Clemens IV, anno 1264 pro Cisterciensibus.

Si Ordo sit exemptus, Prælati depositio ad Papam spectat; si non sit exemptus, consulendæ sunt Ordinis constitutiones.

1018. Quærit. 3° Quid observandum sit in superiorissarum et Abbatissarum monialium electione?

Resp. Sic hac de re disposuit Tridentinum, sess. XXV, c. 7, *De ref.* : « Abbatissa et Priorissa, et quocumque » nomine Præfecta... eligatur non minor annis 40 » (completis, juxta S. Congr. Conc.), et quæ octo annis » post expressam professionem laudabiliter vixerit. » Quod si his qualitatibus non reperiatur in eodem mo» nasterio, ex alio ejusdem Ordinis eligi possit. Si hoc » etiam incommodum superiori, qui electioni præest, » videatur, ex iis, qui in eodem monasterio annum tri» gesimum excesserint, et quinque saltem annis post » professionem recte vixerint, Episcopo vel alio supe» riore consentiente, eligatur.... »

Jure communi electio Superiorissæ ad moniales pertinet. Porro electrices debent 1° esse professæ, 2° explevisse saltem annum duodecimum (imo hodie decimum sextum [969], 3° non debent esse excommunicatæ, interdictæ, aut voce activa privatæ, 4° etsi conversæ solemniter professæ suffragium præstare valeant, excludi tamen possunt ab hac facultate. Infirmæ possunt suum votum mittere scriptum, suo sigillo munitum.

Secreta debent esse vota, unde nec per *compromissum*, nec per *quasi-inspirationem* Superiorissa est eligenda.

Præter dotes a Tridentino requisitas, Superiorissa debet esse legitima, nisi a S. Pontifice dispensationem obtineat; nec eligendà est corrupta, neque publice pœnitentiata, neque vidua, nec cœca, nec surda, nec tertia soror, viventibus duabus aliis S. C. ap. Bouix, *De regul.* t. 2, p. 420.

Quoad præposituræ durationem, constitutiones, saltem extra Italiam, sunt consulendæ.

Electioni præesse ad Episcopum spectat, et quidem tanquam Ordinarium, si ipsi monasterium sit subjectum; si autem subdat Sedi Apostolicæ, præsidet tunc Episcopus sicuti ejusdem Sedis delegatus. (Vide alia in *Manuali*, n° 3011.)

Si, facta publicatione electæ in Abbatissam, statim moniales declarent se proclamatam non elegisse, denuo audiri debent per personam non suspectam. Ita S. C., juxta Ferrar. v° *Abbatissa*, n° 40.

Electa Abbatissa confirmari debet vel a Prælato regulari si ipsi monasterium subdat, vel ab Episcopo si non sit exemptum. Si vero S. Sedi immediate subjectum sit, a Summo Pontifice confirmatio est obtinenda :

1019. Quærit. 4° An et quatenus superiores religiosi valeant in conscientia obligare?

Resp. 1° Vi ipsiusmet solius dominativæ potestatis subditos obligare possunt, etiam sub gravi, quando materia est sufficiens; et quidem independenter a voto, et ob solam suî traditionem, quam, profitendo, religiosi fecerunt.

Item Prælati, jurisdictionem ecclesiasticam habentes, possunt ex hoc titulo conscientias graviter ligare; sed hac potestate in necessitatis casu duntaxat uti solent; v. gr., dispensando, potestatem coactivam exercendo. Casu vero quo vota aut alias subditorum promissiones irritant, potestatem dominativam solummodo exercent.

An autem ad officiarios minores pertineat imperare vi obedientiæ voti, vide dicta in *Manuali*, n^is^ 3017 et 3018, et præsertim in opere *Des Communautés à vœux simples*, n^is^ 89-92.

2° Superior potestatem *contra regulam* præcipiendi non habet, nisi in ea valeat dispensare, et justa causa subsit. In dubio tamen legitimitatis causæ obedire subditus tenetur.

Nec etiam *supra regulam* potest præcipere : Nam, inquit S. Bernardus : « Qui profitetur, spondet quidem » obedientiam; non autem omnimodam, sed determi- » natam secundum regulam ».

In pœnam tamen delicti commissi aut ad præcaven-

dam recidivam posset superior aliquam austeritatem in regula non comprehensam ; sed hoc reductive in regula continetur.

Imo si gravis causa postulet, præcipere potest ut subditus cum periculo vitæ ministret fratri morbo contagioso ægrotanti. Superior tamen carthusianus subdito jubere nequiret ut mare transfretet cum vitæ periculo, etiam ad infidelibus prædicandum, quia hoc est ab Instituto S. Brunonis alienum.

Superioribus contraria præcipientibus, ei qui majorem auctoritatem possidet, religiosus obedire tenetur. (V. alia in *Manuali*, n^is^ 3025-3027.)

1020. Quærit. 5° An Prælati regulares valeant condere statuta vim et rationem legis habentia ?

Resp. Ex se quidem non posse, sed id valent cum Capituli generalis Ordinis consensu ; unde non *episcopalem*, sed tantum *quasi-episcopalem* possident auctoritatem Prælati regulares.

A Capitulo autem generali condi possunt statuta nova, quoad omnes obligatoria, modo sub regula, reductive saltem, comprehendantur : imo Capitulum statuta posset condere quæ, nec etiam reductive, sub regula comprehenderentur. Sed ea obligare haud queunt nisi eos qui sunt in posterum religionem professuri.

Secus esset si talia a S. Pontifice conderentur ; quia, etsi præcipere nequeat Papa quæ sunt surerogationis et consilii, attamen, inquit Suarez, supposito statu religioso, aliquam potest observantiam religiosis præscribere, si eam judicet expedire ad Ecclesiæ bonum, vel ad majorem decentiam Instituti religiosi. Quod quidem valet, non ex potestate dominationis, sed vi suæ jurisdictionis supremæ.

1021. Quærit. 6° An religiosi mitigati obligari possint ad observandam reformationem ?

Resp. Si inducta fuerit mitigatio per S. Sedis dispensationem, et a Capitulo generali reformatio fiat, qui professus fuit ante reformationem, ad ipsam servandam non tenetur, nisi talis sit ut indirecte sub regula mitigata contineatur. Secus si mitigatio inducta fuisset per con-

suetudinem; quia, regulariter loquendo, tunc professus censetur voluisse se obligare ad observanda statuta generalia Capituli generalis quibus finis a religione intentus melius procurari poterit. Excipiendus est tamen casus quo per consuetudinem immutata omnino fuisset religio.

Si autem reformatio fiat pontificia auctoritate, etiam in casu quo mitigatio per dispensationem apostolicam inducta fuisset, religiosi ad reformationem observandam adstringuntur : quia hanc potestatem habet Pontifex vi suæ supremæ jurisdictionis.

Ante autem reformationem superior obligare subditos nequit ad servandam primitivam regulam per desuetudinem legitime abrogatam, nisi in pœnam delicti hoc præciperet, aut nisi reductive sub regula qualiter fuit professa res imperata reduci posset (V. *Manuale*, nis 3032-3036.)

1022. Quærit. 7° Quænam sit superiorissarum monialium potestas ?

Resp. 1° Etsi jure divino incapaces non omnino sint moniales jurisdictionis ecclesiasticæ, jure tamen canonico prohibitum est ipsis hanc potestatem conferre; unde istam habere nequeunt nisi per Pontificiam dispensationem. Ita communiter cum S. Thoma.

2° Quoad potestatem dominativam, probabilius saltem est ad illas hanc pertinere. Vi autem hujusce potestatis non tantum possunt subditas in conscientia obligare, sed etiam queunt earumdem vota irritare. Sed quoniam non habent potestatem clavium, dispensare non valent, non solum circa leges Ecclesiæ, sed nec etiam circa regulares observantias. Possunt tamen declarare in certis casibus obligationem non adesse ; imo S. Liguor. dicit illas posse ex commissione dispensare. (Lib. 4, n° 53.)

Nequeunt pariter Abbatissæ publice et solemniter benedicere, quia potestas clavium ad hoc requiritur.

Quoad potestatem concedendi suis subditis licentiam communicandi, vide supra, (999).

Nota quod, juxta decretum Clementis VIII : « Non li» ceat superioribus regularium confessiones subdito-

» rum audire, nisi quando peccatum aliquod reserva-
» tum admiserint, aut ipsimet subditi, sponte aut pro-
» prio motu, id ab eis petierint ». Unde, juxta eumdem Pontificem, duo vel tres confessarii in singulis monasteriis sunt a superioribus designandi, ad quos liber accessus pateat omnibus religiosis, (*Manuale*, nº 3046.)

PUNCTUM II.

DE PRÆLATORUM REGULARIUM COERCITIVA, SEU JUDICIARIA POTESTATE.

1023. Certum est superioribus regularibus competere aliquam coercendi suos subditos potestatem : quia talis potestas est *necessaria ut ordo, pax et institutio religiosa conservetur* (Suarez).

Superiores, qui jurisdictionem non habent, subditos suos jure communi coercere nequeunt, nisi modo paterno, intra limites regulæ, et sic præsertim monialium superiorissæ.

Prælati ordinum exemptorum hanc coercitivam potestatem possident. Unde non tantum Generales hujusmodi Ordinum et Provinciales, sed etiam Prælati conventuales subditos suos possunt coercere per quascumque censuras; non tamen per interdictum locale, quia hoc redundaret in personas non eisdem subjectas.

Item possunt quasdam corporales pœnas infligere : v. gr., carcerem, graves pœnitentias, relegationem in conventum extraneum et longinquum; imo ejectionem ex Ordine, erga incorrigibiles.

1024. Quærit. 1º Quomodo canonice intra religiosos ordines procedendum sit in causa criminali ?

Resp. 1º Locus processui criminali esse non debet, nisi agatur de infligendis pœnis quæ limites potestatis dominativæ excedunt; et etiam tunc observandæ non sunt omnes solemnitates juris, sed sufficit formam summariam servare. Minores causæ et probationes requiruntur pro depositione Prælati regularis, quam si esset quæstio de sæculari Prælato deponendo. Nomina autem testium non sunt reo communicanda, sed solum depo-

sitiones. Insuper observanda sunt cujusque ordinis statuta.

Jure communi appellatio religiosis prohibetur, in causis quæ nec infamiam nec acerbam pœnam inducunt. (Cap. *Reprehensibilis*, De *appellat.*) ; sed in causis hæc importantibus, eisdem licet appellare. Ita S. Congr. regul., anno 1587 ; modo manifeste injusta sit sententia. — Recursus habetur ad superiores, vel ad Summum Pontificem.

1024. Quærit. 2° An et quatenus superiores generales suæ Congregationis monasteria visitare teneantur ?

Resp. affirmative : « Teneantur, inquit Tridentinum, » suæ Congregationis monasteria frequenter visitare, et » illorum reformationi incumbere ». (Sess. XXV, c. 8, *De Regular.*)

Nisi gravis causa aliud exposcat, sufficit ordinarie quod superiores semel in anno monasteria visitent.

Nomine visitationis intelligitur etiam inquisitio de subditorum vita et moribus, ut delinquentes coerceantur, et sanctitas vitæ promoveatur.

Hæc inquisitio est vel *judicialis*, in qua Prælatus procedit ut judex ; vel *paterna*, in qua agit ex sola potestate dominativa, instar patris-familias.

Exceptis quibusdam gravibus criminibus, prout hæresis, læsæ majestatis crimen, blasphemia, sollicitatio occasione confessionis, etc., Prælatus non debet procedere ut judex nisi quando crimen ipsi ut Judici denuntiatur.

In actu visitationis moniales, ab Episcopo vel ab Ordinis Prælato interrogatæ, aperire tenentur veritatem circa violationes regulæ, etsi leves, nisi 1° crimen sit a tribus annis emendatum ; 2° sit ita occultum ut nulla præcesserit infamia, vel indicium evidens ; 3° constet nullum remedium fore adhibendum, vel jam fuisse delictum denuntiatum ab iis a quibus auditum fuerat ; 4° crimen fuerit cognitum sub secreto naturali, et non agatur de damno communi.

Prælato non licet pro libitu crimina sibi modo pa-

terno delata manifestare, sed duntaxat pro necessitate et cum admonitione secretum non propalandi. (V. *Manuale*, nis 3057-3063.)

PUNCTUM III.

DE POTESTATE SOLVENDI REGULARIUM VOTA.

1025. Vel agitur de solemnibus vel de simplicibus votis : circa *priora* dispensare potest ex rationabili causa Summus Pontifex. Ita communiter, et constat ex Ecclesiæ praxi, quæ in eo fundatur quod solemnitas votorum est duntaxat ecclesiasticæ institutionis. Vide *Manuale*, nº 3064, etc., ubi respondetur S. Thomæ verbis, 2, 2, q. 188, art. 11, et Innocentii III, cap. *Cum ad monasterium* 6, *de statu monach.* — Jure communi, quando in unius voti solemnitate dispensatur, cætera vota solemnia esse desinunt.

Nec Episcopus nec regularis Prælatus, etiam in casu necessitatis, absolvere queunt a solemnium votorum vinculo, quia Summus Pontifex magis hoc sibi reservavit quam potestatem dispensandi super simplicibus perpetuæ castitatis, aut religionem ingrediendi et aliis reservatis votis. Ita omnes.

Circa *posteriora*, quoties intervenit perseverantiæ promissio ab Instituto acceptata, nemo, præter Papam, nisi ipsummet Institutum consentiat, potest ullum Instituti membrum liberum facere ab obligatione in eo perseverandi, quia hîc de jure tertii agitur, quod solvi nequit nisi ab eo a quo istud jus pendet, nempe a Summo Pontifice, cui soli subsunt jura omnium ordinum religiosorum. Episcopus enim Indulto pontificio indiget ad disponendum de bonis ecclesiasticis; ideoque Bened. XIV, in sua Const. *Convocatis* anni 1750, confessarios admonet, ut, *quoad vota, noverint sibi abstinendum esse ab eorum votorum commutatione in quibus agitur de præjudicio tertii*; *quare.... ad vota... perseverantiæ, seu alia emitti solita in congregatione...*, *non se ingerant* (§ 32).

Imo, etiam cum consensu Instituti, Episcopus nequit

dispensare in voto perpetuæ continentiæ a religioso in professione emisso, nec in aliis votis, si congregatio sit exempta. Unde dispensare nequit in votis scholasticorum societatis Jesu, sic etiam solet Sancta Sedes sibi reservare potestatem dispensandi circa vota monialium, in Congregationibus quibus præest Superiorissa Generalis.

1026. Quærit. Quænam sit potestas superiorum regularium in novitiorum vota ?

Resp. Eorum lem vota directe irritare nequeunt superiores, quia nondum habent in eos dominativam potestatem; sed irritare possunt indirecte, quatenus impediunt conventus gubernium.

Quoad potestatem dispensandi, vel de ordinibus exemptis, vel de aliis agitur : in primo casu, cum habeant tunc clavium potestatem, possunt Prælati, ex justa causa, dispensare super votis, a novitiis, sive ante, sive post novitiatus ingressum, emissis. In secundo casu, id non possunt, nisi hæc facultas eisdem fuerit collata ab auctoritate competenti.

Quoad potestatem irritandi vota post professionem emissa, vide dicta supra (937).

Nota quod, etsi habeant Prælati exempti potestatem dispensandi super votis subditorum, etiam quoad votum ad religionem strictiorem transeundi, eamdem potestatem regulariter non habent superiores non exempti, quia ordinarie in foro externo jurisdictione carent.

ARTICULUS VI.

DE PRIVILEGIIS RELIGIOSORUM.

1027. Jam plura diximus supra (316-320) de exemptionibus regularium, quæ inter privilegia certe sunt enumerandæ, cum privilegium sit *privata lex aliquid speciale concedens contra vel præter jus.*

Dicendum 1° Ex variis Summorum Pontificum Constitutionibus, non solum habere mendicantes inter se absolutam privilegiorum communicationem, sed eam-

dem possidere omnes regulares ordines, ipsasmetque moniales, modo eorumdem privilegiorum sint capaces.

Hæc communicatio, inquit Reiffenstuel, currit de Prælatis ad Prælatos, de fratribus privatis ad fratres privatos, de conventibus ad conventus, de festivitatibus ad festivitates : nisi tamen privilegium vel alicui religioso, vel alicui Ecclesiæ, ob rationem specialem, sit proprium, vel sit ad tempus, aut contra ordinis constitutiones.

Quando privilegium alicui ordini concessum revocatur quoad ipsum, non ideo quoad alios revocatur.

Congregationes votorum simplicium privilegiis ordinum votorum solemnium non communicant : et hoc imprimis est dicendum quoad exemptiones ab Ordinario vel parocho. Attamen professi votorum simplicium, in ordinibus in quibus professio solemnis admittitur, participes sunt omnium gratiarum et privilegiorum quibus gaudent solemniter professi (*Manuale*, n° 2690, 6°); et moniales conventuum, in quibus sola emittuntur simplicia vota, gaudent pariter privilegiis quibus fruuntur domus ejusdem ordinis in regionibus ubi solemnis professio admittitur, salvo tamen tertiorum jure, v. gr. Ordinariorum ac parochorum. (V. *Des Communautés*, etc., n^is^ 696, 697.)

1028. Dicendum 2° revocata fuisse a Concilio Tridentino omnia regularium privilegia eisdem antea concessa, quæ adversabantur decretis sess. XXV, et aliis decretis ejusdem Concilii clausula *non obstantibus quibuscumque* privilegiis munitis. Id constat cap. 22 ejusdem sessionis, ubi dicitur : *Omnia* et *singula in superioribus decretis contenta observari præcipit...*, *non obstantibus eorum omnium et singulorum privilegiis*, *sub quibuscumque verborum formulis*, *ac* MARE MAGNUM *appellatis*.

Nota quod clausula rescriptis annecti solita : *dummodo sacris canonibus et decretis Concilii Tridentini*, etc., intelligi debet de *solis canonibus et decretis Tridentinis*, cum alias nihil concederetur.

1029. Dicendum 3° quoad absolutionem reservatorum et dispensationem super irregularitatibus, posse

regulares dispensare cum suis subditis in omnibus inhabilitatibus et pœnis contractis ratione delicti, etsi illæ sint Summo Pontifici reservatæ; sed, quoad sæculares, non amplius posse a casibus reservatis absolvere sine indulto, eo quod eorum, quoad hoc, privilegia Constit. *Apostolicæ Sedis* sustulerit. Quoad vero dispensationem circa præcepta ecclesiastica, id possunt Prælati regulares cum suis subditis, quod valent Episcopi cum suis diœcesanis (S. Liguor., *De privilegiis*, nº 106).

Confessarii autem regulares potestatem habent irritandi, remittendi juramenta et vota, circa ea dispensandi; et idem possunt quoad impedimentum debitum petendi oriens ex incestu, modo tamen a superiori eorum monasterii licentiam habeant. Item possunt ex communi sententia dispensare cum conjugibus in voto castitatis ad petendum debitum. Sed communius negatur quod idem valeant ad matrimonium contrahedunm. (*Manuale*, nº 2942.)

1030. Dicendum 4º Ex privilegio a SS. Pontificibus Gregor. XIII, Alexandro VI et Clemente VIII concesso, posse regulares celebrare una hora ante auroram; imo, cum aliqua justa causa, immediate hora secunda post mediam noctem; sed id tantum in propriis ecclesiis, in quibus etiam sæculares dicto privilegio uti possunt. — Item ipsis Eugen. IV concessit, ex justa causa, celebrare tribus horis post meridiem.

Etsi nequeant regulares in suis cubiculis altare erigere, Gregor. XIII tamen Provincialibus Jesuitarum concessit deputandi oratoria in suis ædibus in quibus omnes possint celebrare.

1031. Dicendum 5º, quoad divinum officium, posse regulares ex variis concessionibus 1º anticipare officia longiora, et breviora reservare pro diebus majoris occupationis; 2º infirmos et infirmarios satisfacere præcepto, recitando, juxta superioris assignationem, septem psalmos, cum septem *Pater* et duobus *Credo;* et convalescentes satisfacere, dicendo eam breviarii partem quam confessarius assignaverit; 3º moniales item, etsi sub gravi ad horas teneantur, satisfacere, etiam sine licen-

tia superiorum, recitando, ob quamlibet rationabilem causam, officium conversarum.

SCHOLIUM.

1° *De privilegio regularium eligendi sibi conservatores.*

1032. *Conservatorum* nomine intelliguntur judices speciales a Sancta Sede delegati ad aliquos, contra manifestas injurias et molestias, absque indagine judiciali, defendendos.

In sua Const. *Sanctissimus*, Gregor. XV statuit ut, coram conservatoribus, regulares, personæque in ipsa designatæ conveniri possint; sed prohibuit ne alias præter memoratas coram iisdem conveniant.

Regulares eligere sibi debent conservatores in singulis diœcesibus in quibus conventum habent.

Duo requirunt in Conservatoribus, nempe 1° ut habeant dotes requisitas in Delegatis a Sede Apostolica, 2° ut sint judices synodales, vel provinciales.

Si nulli reperiantur judices synodales aut provinciales, eligere possunt regulares eos qui dotibus requisitis prædíti sunt; sed sic electi suam, electis judicibus synodalibus, amittunt jurisdictionem : dum conservatores in Synodo electi amoveri nequeunt per quinquennium, nisi ex justa causa, per Sedem Apostolicam aut per Ordinarium approbanda.

Nullam habet jurisdictionem Conservator quando manifesta non est injuria, ita ut judicialem indaginem requirat.

Etiam contra Episcopos procedere possunt Conservatores, sed modeste ob reverentiam Episcopali Dignitati debitam. (*Manuale*, nis 2947-2954.)

1033. 2° De Cardinalibus Protectoribus.

Tales sunt Cardinales a Summo Pontifice assignati ut Institutis religiosis præsidio sint. Multum differunt a Conservatoribus : non s dum quia a regularibus non eliguntur et sunt pro omnibus ordinis monasteriis, sed

quia *de se* non sunt ordinarie judices, sed tantum Protectores.

Ex Constit. *Christi fidelium* Innoc. XII, hujusmodi Cardinales se ingerere non debent ut judices in negotiis quæ universum Ordinem non concernunt; nec possunt statuta mutare, nullumque possunt superiorem, officialemve instituere aut destituere, nullum religiosum de loco ad locum transferre, nullum punire aut a pœnis eximere.

Non ad ipsos, sed ad sacram Congreg. Episcop. et regular., recursus haberi debent; sed interesse possunt electionibus Prælatorum et Superiorissarum. (*Manuale*, nis 2955-2957.)

ARTICULUS VII.

DE REGULARIBUS STATUM MUTANTIBUS.

§ I.

De regularium Apostasia.

1034. Apostasia a religione est *criminosa discessio a religione, cum animo non amplius ad regulare institutum redeundi, etsi habitus religionis detineatur.*

Juxta Suarez cum aliis pluribus, apostata esset qui a sua religione sine licentia discederet ad aliam laxiorem amplectendam. Secus sentit Ferraris, v° *Apostata.*

Qui sine licentia discedunt cum animo redeundi, non sunt quidem stricte apostatæ, iis tamen in jure æquiparantur.

Dimissio habitus quæ non fit cum animo non redeundi non est apostasia; si tamen fiat sine necessitate, vagandi animo, incurritur ipso facto excommunicatio.

Non est item apostata, nec illicite agit qui, injuste et notabiliter a superiori gravatus, recursum ad Provincialem vel Generalem sine licentia habet, modo evidens sit gravamen, et inferior nullum aliud medium habeat ad illud repellendum. Unde dicta Concilii Trident. (sess.

XXV, c. 4, *De regul.*) communiter intelliguntur de discessu de levi vel irrationabili causa, ut indicat locutio *sub prætextu.*

Apostatæ 1° ipso facto incurrunt excommunicationem, si simul habitum dimittant; 2° suspenduntur a suis ordinibus; et, si celebrent durante apostasia, irregulares fiunt; 3° privilegiis religionis privantur, durante apostasia. Hæc quidem de jure communi : jure autem particulari uniuscujusque Instituti variis aliis pœnis plectuntur.

Sixtus V, Constit. *Cum de omnibus* 26 nov. 1587, et Const. *Ad Romanum Pontificem*, prohibuit ne recipiantur in conventibus religiosi sine licentia itinerantes : et id quidem, sub pœna privationis vocis activæ et passivæ, amissionis officii, gradus et dignitatis, et insuper inhabilitatis ad ista omnia. (*Des Communautés*, etc., n° 895.

Superiores apostatas et fugitivos revocare tenentur, et pro posse, procurare ut redeant.

Verius est apostatas et fugitivos acquirere monasterio, si istud sit dominii capax; secus, Sedi Apostolicæ. Excipe tamen ea quæ ex beneficio ecclesiastico accepta fuerunt (S. Liguor. lib. 4, n° 80.)

§ II.

De ejectione religiosorum.

1035. Ejici a religione queunt religiosi, etiam solemniter professi; hæc tunc servanda sunt : 1° non sunt ejiciendi nisi incorrigibiles; 2° non talis est censendus, nisi qui ter fuerit convictus et punitus de gravi delicto, sive eodem, sive diverso; 3° requiritur adhuc ut per sex menses incarcerationis probatus, iterum graviter peccaverit. Ubi autem huic incarcerationi obstant leges civiles, ut in Gallia, ad sacram Congreg. Regularium est recurrendum; 4° A Generali vel Provinciali fieri debet cum consilio et assensu majoritatis sex religiosorum in Capitulo Generali vel provinciali electorum, et in hoc ultimo casu confirmatorum; 5° procedi debet juxta formam a

Constitutionibus Ordinis determinatam; 6° Decem dies sunt religioso, pro appellatione ad Sanctam Sedem, concedendi; 7° Expulsionis sententiæ consentire debet Superior Generalis, et ab ipso, vel a Provinciali loci Ordinario est significanda. Ita ex decret. Urbani VIII et Innoc. XII.

1036. Juxta Urbanum VIII, solemniter professi *ejecti*: 1° *quamdiu non redierint ad religionem, in habitu clericali incedere debent,* nisi in hoc a Sancta Sede dispensati fuerint, saltem si ordinibus minoribus fuerint initiati, *atque Ordinarii loci jurisdictioni et obedientiæ subesse.*

2° Manent suspensi ab omni exercitio ordinum, nec possunt concionare aut docere.

3° Jus non habent ut sibi a religione alimenta suppeditentur, nisi injuste fuissent expulsi : lite tamen pendente, alimenta ipsis sunt præstanda.

4° Ad essentialia votorum tenentur [1] : proinde castitatem servare debent; incapaces sunt dominii, nec testari valent. Propter præsentis eorum status necessitatem, plura facere possunt quam non solent regulares in conventu manentes : habent enim usum et administrationem temporalium; emere, vendere, donare possunt, prout exigit eorum conditio ; sed non possunt facere expensas magnas superfluas nec donationes rerum magni pretii; ab illisque accipientes ad restitutionem tenentur ; bona ab ipsis acquisita extra claustra ad Cameram Apostolicam pertinent. — Item quoad obedientiam plura absque licentia facere possunt ejecti, prout præsens illorum conditio exigit, quia, ipsis data censetur ad hoc generalis facultas. Ejectus, ait S. Liguori, « a » monasterii observantiis et regulis, ut a jejuniis, vigiliis, » delectu ciborum et similibus liber est... ; nec tenetur » ad divinum officium, nisi sit in sacris... Idem dicitur » de damnato ad triremes; idem... de perpetuo degente » cum licentia extra monasterium (sed probabilius hoc

1. Scholastici in societate et alii non solemniter professi, liberi et absque religioso vinculo dimittuntur. Idemque hodie est dicendum in cæteris virorum religionibus, post decretum 1857. Vide supra (969).

» negant Palaus, Suarez... cum Salmant..., contra Les-
» sium, Sanchez)... Ratio est quia talium observatio non
» comitatur simpliciter professionem votorum substan-
» tialium, sed statum regularem, e quo ille est expul-
» sus. »

5° Nisi locum sepulturæ elegerint, ejecti, decedentes extra claustra, sepeliri debent in ecclesia parochiali, non vero in monasterio.

Cæterum ejecti tenentur procurare, sese emendando, ut iterum in conventum admittantur; et quominus admittantur cogere possunt religionem, probando se esse emendatos ex litteris testimonialibus Ordinarii. Sed, juxta D. Bouix, prudenter aget in hoc conventus ad Sacram Congregationem recurrendo, ut illos admittere non teneatur. Si autem non admittatur ejectus emendatus, potest tuta conscientia remanere in sæculo, nec tenetur in aliam religionem, etiam laxiorem, introire. (Vi Liguor. lib. 4, 81.)

Religiosi, etiam vota simplicia professi, non sunt propter infirmitatem ejiciendi; nec, sine justa causa, dimitti possunt cum ipsorum consensu, casu saltem quo religioni sese voto vel juramento devinxerunt. (V. *Des Communautés*, etc., n^is^ 902, etc.)

§ III.

De religiosis solemniter professis indultum pontificium in sæculo manendi obtinentibus.

1037. Cum ejectis non sunt confundendi hujusmodi religiosi. In ipsis enim permanet tota solemnis professionis substantia; proinde incapaces sunt dominii, testari non possunt, ipsorumque bona, non ad hæredes, sed ad Cameram Apostolicam pertinent; ipsis tamen conceditur generalis facultas rebus temporalibus, prout opus habent, utendi. Subduntur Ordinariis tanquam propriis superioribus; valentque sub eorumdem regimine varia munia ecclesiastica explere. (*Manuale*, n° 3094.)

De religiosis ad aliam religionem transeuntibus suffi-cere possunt dicta supra (953). Vide tamen *Manuale*, nis 3095-3102.

ARTICULUS VIII.

DE SUPPRESSIONE ORDINUM ET RELIGIOSORUM DISPERSIONE.

1038. Vel a legitima auctoritate, seu competentibus ecclesiasticis superioribus, vel a potestate sæculari supprimuntur ordines. In *priori casu*, opus non est religiosis indicare qualis esse debeat eorum ratio vivendi : vix enim supponi potest ipsis superiores, pro tali eventu, non fore sufficienter provisuros in ipsomet suppressionis decreto.

Jus autem quoscumque ordines supprimendi ad Summum Pontificem certe spectat, et quidem privative ad ipsum duntaxat, quando ab ipso approbatum fuit institutum. Si vero a solo Ordinario approbatum fuisset, supprimere quidem posset Ordinarius, attamen non sine justa causa.

In *posteriori casu*, illegitima esset suppressio, et Institutum non desineret habere canonicam existentiam ; quippe in res spirituales potestatem non habet sæcularis potestas : unde religiosi remanerent tunc votis suis devincti. Quando autem sic expelluntur a suis domibus, ipsis tantum permittitur, inquit Cardinalis De Luca, *vivere in sæculo in habitu clerici sæcularis sub obedientia Ordinarii*.

Non obstante tamen voto paupertatis, etiam solemni, possunt regulares dispersi, valide et licite res sibi necessarias, aut utiles (non vero voluptuarias aut statui religioso incongruas) comparare, pecuniam apud se habere, et varios emptionis, venditionis et donationis contractus inire : ad hos enim actus necessarios aut utiles agendos licentiam a suis Prælatis habere censentur.

Remanent autem legitimis suis superioribus subjecti, quamdiu per auctoritatem ecclesiasticam ordo non fuerit suppressus. Et de facto extinctus non est habendus

quamdiu aliquis religiosus supervivit. — Tamdiu pariter durant ipsius privilegia a Sancta Sede ipsi concessa, quamdiu ipse ordo subsistit.

Statim ac possibilis est reditus in conventum, tenentur religiosi ad ipsum reverti. (V. *Manuale*, nis 2568-2577 ; *Des Communautés... à vœux simples*, nis 914, etc.)

ARTICULUS IX.

DE VARIIS SPECIEBUS ORDINUM RELIGIOSORUM.

1039. Præcipua religionum divisio est in *contemplativas*, *activas* et *mixtas*.

Contemplativæ ad contemplationem et propriam membrorum perfectionem sunt principaliter institutæ. *Activæ* ad misericordiæ actiones erga proximum præcipue occupantur. *Mixtæ* utrumque finem pariter intendunt.

Antequam breviter earum enumerationem exponamus, explicandæ sunt quædam denominationes.

1° Voce *ascetæ* dicuntur religiosi quatenus variis perfectionis operibus sese exercent.

2° *Anachoretæ* vocantur qui seorsim in solitudine asceticam ducunt vitam.

3° *Cœnobitæ* seu *monachi*, illi sunt qui vitam communem in cœnobio agunt.

4° *Clerici regulares* sunt illi qui, pertinent ad Congregationem, quarum membra ad ordines promoveri solent ut sacro ministerio incumbant.

5° *Mendicantes* sunt religiosi qui, ex primaria institutione, bona immobilia in communi possidere nequeunt, ideoque eleemosynis sustentantur.

1040. I. Ordines *contemplativi et monachi sunt*. 1° Religio Sancti Basilii, anno 360 ab eodem Sancto instituta; 2° Religio Sti Benedicti, anno circiter 500 à S. Benedicto fundata prope Subiacum, et postea in Monte Cassinate. — Ex ea orti sunt, anno 913, religiosi Cluniacenses ; et, anno 1098, Cistercienses, deinceps multum a Sancto Bernardo aucti. Ex iis ortum habent Trappenses ab

Abbate De Rance reformati. — A Benedictinis orti sunt etiam Camaldulenses anno 1012, a S° Romualdo fundati. 3° Religio Carthusiana, a Sancto Brunone in solitudine Carthusiæ instituta. — Erant insuper plures aliæ religiones ejusdem generis ut Grandimontensis, Hieronomytana, etc. (*Manuale.* n^is^ 3112, etc.)

II. Religiones *mixtæ* et præsertim *Mendicantes.* Tales sunt 1° FF. Prædicatorum, ordo a S° Dominico institutus anno 1215, cui adjecti sunt ordines Dominicarum et Tertiorum; 2° Ordo FF. Minorum, anno 1209 creatus a S^to^ Francisco, et in plures postea familias divisus, videlicet in *Conventuales*, *Observantes*, *Recollectos* et *Capuccinos.* Instituit etiam S. Franciscus, S^a^ Clara cooperante, ordinem Clarissarum, itemque fratres et sorores tertii ordinis; 3° Eremitarum S^ti^ Augustini, de cujus fundatore disceptatur inter auctores; 4° Ordo Carmelitarum de cujus institutore pariter multum controvertitur, et qui dividitur hodie in Carmelitas *mitigatæ observantiæ*, et Carmelitas *strictioris observantiæ*; sorores quoque sunt Carmelitæ ad pristinam austeritatem a S. Theresia reductæ; 5° Ordo Minimorum, cujus Institutor fuit S^s^ Franciscus de Paula; 6° Clerici Societatis Jesu, anno 1534, a S. Ignatio instituti; 7° sunt insuper plures aliæ familiæ religiosæ vitæ mixtæ, quarum præcipuæ sunt: Canonici regulares Præmonstratenses fundati a S. Norberto. Servitæ a septem civibus Florentinis instituti anno 1233; Theatini a S. Gaetano creati anno 1524; Redemptoristæ a S. Liguorio. Multæ pariter mulierum Congregationes, imprimis Sorores Visitationis, quarum institutor fuit S. Franciscus Salesius, Ursulinæ a S. Angela Mericia fundatæ anno 1537, etc., etc.

FINIS.

PIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

SACRO APPROBANTE CONCILIO

AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

Pastor æternus et episcopus animarum nostrarum, ut salutiferum redemptionis suæ opus perenne redderet, sanctam ædificare Ecclesiam decrevit, in qua veluti in domo Dei viventis fideles omnes unius fidei et charitatis vinculo continerentur. Quapropter, priusquam clarificaretur, rogavit Patrem non pro Apostolis tantum, sed et pro eis qui credituri erant per verbum eorum in ipsum, ut omnes unum essent sicut ipse Filius et Pater unum sunt [1]. Quemadmodum igitur Apostolos, quos sibi de mundo elegerat, misit, sicut ipse missus erat a Patre, ita in Ecclesia sua Pastores et Doctores usque ad consummationem sæculi esse voluit. Ut vero Episcopatus ipse unus et indivisus esset, et per cohærentes sibi invicem sacerdotes credentium multitudo universa, in fidei et communionis unitate conservaretur, Beatum Petrum cæteris Apostolis præponens, in ipso instituit perpetuum utriusque unitatis principium ac visibile fundamentum, super cujus fortitudinem æternum exstrueretur templum, et Ecclesiæ cœlo inferenda sublimitas in hujus fidei firmitate consurgeret [2]. Et quoniam portæ inferi ad evertendam, si fieri posset, Ecclesiam contra ejus fundamentum divinitus positum majori in dies odio undique insurgunt; Nos itaque ad catholic.

1. Cf. Joan. XVII, 1, 20 sq.
2. S. Leo M. serm. IV. (al. III.) cap. 2. in diem Natalis sui.

gregis custodiam, incolumitatem, augmentum, sacro approbante Concilio, necessarium esse judicamus, doctrinam de institutione, perpetuitate, ac natura sacri Apostolici primatus, in quo totius Ecclesiæ vis ac soliditas consistit, cunctis fidelibus credendam et tenendam, secundum antiquam atque constantem universalis Ecclesiæ fidem, proponere, atque contrarios, dominico gregi adeo perniciosos errores proscribere et condemnare.

CAPUT I.

DE APOSTOLICI PRIMATUS IN BEATO PETRO INSTITUTIONE.

Docemus itaque et declaramus, juxta Evangelii testimonia, primatum jurisdictionis in universam Dei Ecclesiam immediate et directe Beato Petro Apostolo promissum atque collatum a Christo Domino fuisse. Ad unum enim Simonem, cui dixerat : Tu vocaberis Cephas [1] postquam ille suam confessionem edidit : Tu es Christus, Filius Dei vivi, locutus est Dominus : Beatus es Simon Bar-Jona : quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui in cœlis est : et ego dico tibi, quia tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, et portæ inferi non prævalebunt adversus eam : et tibi dabo claves regni cœlorum : et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in cœlis ; et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in cœlis[2]. Atque uni Simoni Petro contulit Jesus post suam resurrectionem summi pastoris et rectoris jurisdictionem in totum suum ovile, dicens : Pasce agnos meos : Pasce oves meas [3]. Huic tam manifestæ sacrarum Scripturarum doctrinæ, ut ab Ecclesia catholica semper intellecta est, aperte opponuntur pravæ eorum sententiæ, qui constitutam a Christo Domino in sua Ecclesia regiminis formam pervertentes, negant solum Petrum præ

1. Joan. I. 42.
2. Matth. XVI. 16-19.
3. Joan. XXI. 15-17.

cæteris Apostolis, sive seorsum singulis sive omnibus simul, vero proprioque jurisdictionis primatu fuisse a Christo instructum ; aut qui affirmant eumdem primatum non immediate, directeque ipsi Beato Petro, sed Ecclesiæ, et per hanc illi ut ipsius Ecclesiæ ministro delatum fuisse.

Si quis igitur dixerit, Beatum Petrum Apostolum a Christo Domino constitutum non esse Apostolorum omnium principem et totius Ecclesiæ militantis visibile caput ; vel eumdem honoris tantum, non autem veræ propriæque jurisdictionis primatum ab eodem Domino nostro Jesu Christo directe et immediate accepisse ; anathema sit.

CAPUT II.

DE PERPETUITATE PRIMATUS PETRI IN ROMANIS PONTIFICIBUS.

Quod autem in Beato Apostolo Petro Princeps pastorum et Pastor magnus ovium Dominus Christus Jesus in perpetuam salutem ac perenne bonum Ecclesiæ instituit, id eodem auctore in Ecclesia, quæ fundata super petram, ad finem sæculorum usque firma stabit, jugiter durare necesse est. Nulli enim dubium, imo sæculis omnibus notum est, quod sanctus beatissimusque Petrus, Apostolorum princeps et caput, fideique columna et Ecclesiæ catholicæ fundamentum, qui a Domino nostro Jesu Christo et Salvatore humani generis ac Redemptore claves regni accepit, ad hoc usque tempus et semper in suis successoribus episcopis sanctæ Romanæ Sedis, ab ipso fundatæ, ejusque consecratæ sanguine, vivit et præsidet et judicium exercet [1]. Undequicumque in hac Cathedra Petro succedit, is secundum Christi ipsius institutionem primatum Petri in universam Ecclesiam obtinet. Manet ergo dispositio veritatis, et Beatus Petrus, in accepta fortitudine petræ per-

1. Cf. Ephesini Concilii Act. III. et S. Petri Chrysol. ep. ad Eutych. presbyt.

severans, susceptа Ecclesiæ gubernacula non reliquit [1]. Hac de causa ad Romanam Ecclesiam propter potentiorem principalitatem necesse semper erat omnem convenire Ecclesiam, hoc est, eos, qui sunt undique fideles, ut in ea Sede, e qua venerandæ communionis jura in omnes dimanant, tamquam membra in capite consociata, in unam corporis compagem coalescerent [2].

Si quis ergo dixerit, non esse ex ipsius Christi Domini institutione seu jure divino, ut Beatus Petrus in primatu super universam Ecclesiam habeat perpetuos successores; aut Romanum Pontificem non esse Beati Petri in eodem primatu successorem; anathema sit.

CAPUT III.

DE VI ET RATIONE PRIMATUS ROMANI PONTIFICIS.

Quapropter apertis innixi sacrorum litterarum testimoniis, et inhærentes tum Prædecessorum Nostrorum Romanorum Pontificum, tum Conciliorum generalium disertis perspicuisque decretis, innovamus œcumenici Concilii Florentini definitionem, qua credendum ab omnibus Christi fidelibus est sanctam Apostolicam Sedem, et Romanum Pontificem in universum orbem tenere primatum, et ipsum Pontificem Romanum successorem esse Beati Petri principis Apostolorum, et verum Christi Vicarium, totiusque Ecclesiæ caput, et omnium Christianorum patrem ac doctorem existere; et ipsi in Beato Petro pascendi, regendi ac gubernandi universalem Ecclesiam a Domino nostro Jesu Christo plenam potestatem traditam esse; quemadmodum etiam in gestis œcumenicorum Conciliorum et in sacris canonibus continetur.

Docemus proinde et declaramus, Ecclesiam Romanam, disponente Domino, super omnes alias ordinariæ potestatis obtinere principatum, et hanc Romani Pon-

1. S. Leo M. Serm. III. (al. II.) cap. 3.

2. S. Iren. Adv. hær. l. III. c. 3. et Epist. Conc. Aquilei. a. 381. ad Gratian. Imper. c. 4. Cf. Pius VI Breve *Super soliditate.*

tificis jurisdictionis potestatem, quæ vere episcopalis est, immediatam esse : erga quam cujuscumque ritus et dignitatis pastores atque fideles, tam seorsum singuli quam simul omnes, officio hierarchicæ subordinationis, veræque obedientiæ obstringuntur, non solum in rebus, quæ ad fidem et mores, sed etiam in iis, quæ ad disciplinam et regimen Ecclesiæ, per totum orbem diffusæ, pertinent ; ita ut, custodita cum Romano Pontifice tam communionis quam ejusdem fidei professionis unitate, Ecclesia Christi sit unus grex sub uno summo pastore. Hæc est catholicæ veritatis doctrina, a qua deviare salva fide atque salute nemo potest.

Tantum autem abest, ut hæc Summi Pontificis potesta officiat ordinariæ ac immediatæ illi episcopalis jurisdictionis potestati, qua Episcopi, qui positi a Spiritu Sancto in Apostolorum locum successerunt[1], tamquam veri Pastores assignatos sibi greges, singuli singulos, pascunt et regunt, ut eadem a supremo et universali Pastore asseratur, roboretur ac vindicetur, dicente sancto Gregorio Magno : Meus honor est honor universalis Ecclesiæ. Meus honor est fratrum meorum solidus vigor. Tum ego vere honoratus sum, cum singulis quibusque honor debitus non negatur[2].

Porro ex suprema illa Romani Pontificis potestate gubernandi universam Ecclesiam jus eidem esse consequitur, in hujus sui muneris exercitio libere communicandi cum pastoribus et gregibus totius Ecclesiæ, ut iidem ab ipso in via salutis doceri ac regi possint. Quare damnamus ac reprobamus illorum sententias, qui hanc supremi capitis cum pastoribus et gregibus communicationem licite impediri posse dicunt, aut eamdem reddunt sæculari potestati obnoxiam, ita ut contendant, quæ ab Apostolica Sede vel ejus auctoritate ad regimen Ecclesiæ constituuntur, vim ac valorem non habere, nisi potestatis sæcularis placito confirmentur.

Et quoniam divino Apostolici primatus jure Romanus

1. Conc. Trid. Sess. 23. cap. 4.
2. S. Gregor. M. ad Eulog. Alexandrin. ep. XXX.

Pontifex universæ Ecclesiæ præest, docemus etiam et declaramus. eum esse judicem supremum fidelium [1], et in omnibus causis ad examen ecclesiasticum spectantibus, ad ipsius posse judicium recurri [2]; Sedis vero Apostolicæ, cujus auctoritate major non est, judicium a nemine fore retractandum, neque cuiquam de ejus licere judicare judicio [3]. Quare a recto veritatis tramite aberrant, qui affirmant, licere ab judiciis Romanorum Pontificum ad œcumenicum Concilium tanquam ad auctoritatem Romano Pontifice superiorem appellare.

Si quis itaque dixerit Romanum Pontificem habere tantummodo officium inspectionis vel directionis, non autem plenam et supremam potestatem jurisdictionis in universam Ecclesiam, non solum in rebus quæ ad fidem et mores, sed etiam quæ ad disciplinam et regimen Ecclesiæ per totum orbem diffusæ pertinent; aut eum habere tantum potiores partes, non vero totam plenitudinem hujus supremæ potestatis; aut hanc ejus potestatem non esse ordinariam et immediatam, sive in omnes ac singulas ecclesias, sive in omnes et singulos pastores et fideles; anathema sit.

CAPUT IV.

DE ROMANI PONTIFICIS INFALLIBILI MAGISTERIO.

Ipso autem Apostolico primatu, quem Romanus Pontifex tanquam Petri principis Apostolorum successor in universam Ecclesiam obtinet, supremam quoque magisterii potestatem comprehendi, hæc Sancta Sedes semper tenuit, perpetuus Ecclesiæ usus comprobat, ipsaque œcumenica Concilia, ea imprimis, in quibus Oriens cum Occidente in fidei charitatisque unionem conveniebat, declaraverunt. Patres enim Concilii Constantinopolitani quarti, majorum vestigiis inhærendo,

1. Pii PP. VI Breve « Super soliditate » d. 28 Nov. 1786.
2. Concil. Œcum. Lugdun. II.
3. Ep. Nicolai I. ad Michaelem Imperatorem.

hanc solemnem ediderunt professionem : Prima salus est, rectæ fidei regulam custodire. Et quia non potest Domini nostri Jesu Christi prætermitti sententia dicentis : Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam [1], hæc, quæ dicta sunt, rerum probantur effectibus, quia in Sede Apostolica immaculata est semper catholica reservata religio, et sancta celebrata doctrina. Ab hujus ergo fide et doctrina separari minime cupientes, speramus, ut in una communione, quam Sedes Apostolica prædicat, esse mereamur, in qua est integra et vera Christianæ religionis soliditas [2]. Approbante vero Lugdunensi Concilio secundo, Græci professi sunt : Sanctam Romanam Ecclesiam summum et plenum primatum et principatum super universam Ecclesiam catholicam obtinere, quem se ab ipso Domino, in Beato Petro Apostolorum principe sive vertice, cujus Romanus Pontifex est successor, cum potestatis plenitudine recepisse veraciter et humiliter recognoscit ; et sicut præ cæteris tenetur fidei veritatem defendere, sic et, si quæ de fide subortæ fuerint quæstiones, suo debent judicio definiri. Florentinum denique concilium definivit : Pontificem Romanum, verum Christi Vicarium, totiusque Ecclesiæ caput et omnium Christianorum patrem ac doctorem existere ; et ipsi in Beato Petro pascendi, regendi ac gubernandi universalem Ecclesiam, a Domino nostro Jesu Christo plenam potestatem traditam esse [3].

Huic pastorali muneri ut satisfacerent, Prædecessores Nostri indefessam semper operam dederunt, ut salutaris Christi doctrina apud omnes terræ populos propagaretur, parique cura vigilarunt, ut, ubi recepta esset sincera et pura conservaretur. Quocirca totius orbis Antistites nunc singuli, nunc in Synodis congregati,

1. Matth. xvi. 18.

2. Ex formula S. Hormisdæ Papæ, prout ab Hadriano II Patribus Concilii Œcumenici VIII, Constantinopolitani IV, proposita et ab iisdem subscripta est.

3. Cf. Joan. xxi, 15-17.

longam Ecclesiarum consuetudinem [1], et antiquæ regulæ formam sequentes [2], ea præsertim pericula, quæ in negotiis fidei emergebant, ad hanc Sedem Apostolicam retulerunt, ut ibi potissimum resarcirentur damna fidei, ubi fides non potest sentire defectum [3]. Romani autem Pontifices, prout temporum et rerum conditio suadebat, nunc convocatis œcumenicis Conciliis, aut rogata Ecclesiæ per orbem dispersæ sententia, nunc per Synodos particulares, nunc aliis, quæ divina suppeditabat providentia, adhibitis auxiliis, ea tenenda definiverunt, quæ sacris Scripturis et apostolicis Traditionibus consentanea Deo adjutore cognoverant. Neque enim Petri successoribus Spiritus Sanctus promissus est, ut eo revelante novam doctrinam patefacerent, sed ut eo assistente traditam per Apostolos revelationem seu fidei depositum sancte custodirent et fideliter exponerent. Quorum quidem apostolicam doctrinam omnes venerabiles Patres amplexi et sancti Doctores orthodoxi venerati atque secuti sunt ; plenissime scientes, hanc sancti Petri Sedem ab omni semper errore illibatam permanere, secundum Domini Salvatoris nostri divinam pollicitationem, discipulorum suorum principi factam : Ego rogavi pro te, ut non deficiat fides tua, et tu aliquando conversus confirma fratres tuos [4].

Hoc igitur veritatis et fidei non deficientis charisma Petro ejusque in hac Cathedra successoribus divinitus collatum est, ut excelso suo munere in omnium salutem fungerentur, ut universus Christi grex per eos ab erroris venenosa esca aversus, cœlestis doctrinæ pabulo nutriretur, ut sublata schismatis occasione Ecclesia tota una conservaretur atque suo fundamento innixa firma adversus inferi portas consisteret.

At vero cum hac ipsa ætate, qua salutifera Apostolici muneris efficacia vel maxime requiritur, non pauci

1. S. Cyr. Alex. ad S. Cœlest. P.
2. S. Innoc. I ad Conc. Carth. et Milevit.
3. Cf. S. Bern. Epist. 190.
4. Cf. S. Agathon. epist. ad Imper. a Conc. œcum. VI. approbata

inveniantur, qui illius auctoritati obtrectant, necessarium omnino esse censemus, prærogativam, quam uni genitus Dei Filius cum summo pastorali officio conjungere dignatus est, solemniter asserere.

Itaque Nos traditioni a fidei Christianæ exordio perceptæ fideliter inhærendo, ad Dei Salvatoris nostri gloriam, religionis Catholicæ exaltationem et Christianorum populorum salutem, sacro approbante Concilio, docemus et divinitus revelatum dogma esse definimus: Romanum Pontificem, cum ex Cathedra loquitur, id est, cum omnium Christianorum Pastoris et Doctoris munere fungens, pro suprema sua Apostolica auctoritate doctrinam de fide vel moribus ab universa Ecclesia tenendam definit, per assistentiam divinam, ipsi in Beato Petro promissam, ea infallibilitate pollere, qua divinus Redemptor Ecclesiam suam in definienda doctrina de fide vel moribus instructam esse voluit; ideoque ejusmodi Romani Pontificis definitiones ex sese, non autem ex consensu Ecclesiæ, irreformabiles esse.

Si quis autem huic Nostræ definitioni contradicere, quod Deus avertat, præsumpserit: anathema sit.

CONSTITUTIO

APOSTOLICÆ SEDIS.

PIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

Apostolicæ Sedis moderationi convenit, quæ salubriter veterum canonum auctoritate constituta sunt, sic retinere, ut, si temporum rerumque mutatio quidpiam esse temperandum prudenti dispensatione suadeat, eadem Apostolica Sedes congruum supremæ suæ potestatis remedium ac providentiam impendat. Quamobrem cum animo nostro jampridem revolveremus ecclesiasticas censuras, quæ per modum latæ sententiæ, ipsoque facto incurrendæ, ad incolumitatem ac disciplinam ipsius Ecclesiæ tutandam, effrenemque improborum licentiam coercendam et emendandam, sancte per singulas ætates inductæ ac promulgatæ sunt, magnum ad numerum sensim excrevisse; quasdam etiam, temporibus moribusque mutatis, a fine atque causis ob quas impositæ fuerant, vel a pristina utilitate atque opportunitate excidisse; eamque ob rem non infrequentes oriri, sive in iis quibus animarum cura commissa est, sive in ipsis fidelibus, dubietates angoresque conscientiæ; Nos ejusmodi incommodis occurrere volentes, plenam ea-

rumdem recensionem fieri, Nobisque proponi jussimus, ut, diligenti adhibita consideratione, statueremus quasnam ex illis servare ac retinere oporteret, quas vero moderari aut abrogare congrueret. Ea igitur recensione peracta, ac Venerabilibus Fratribus Nostris S. R. E. Cardinalibus, in negotiis Fidei Generalibus Inquisitoribus per universam Christianam Rempublicam deputatis in consilium adscitis, reque diu ac mature perpensa, motu proprio, certa scientia, matura deliberatione Nostra, deque Apostolicæ Nostræ potestatis plenitudine, hac perpetuo valitura Constitutione decernimus, ut ex quibuscumque censuris sive excommunicationis, sive suspensionis, sive interdicti, quæ per modum latæ sententiæ, ipsoque facto incurrendæ hactenus impositæ sunt, nonnisi illæ quas in hac ipsa Constitutione inserimus, eoque modo quo inserimus, robur exinde habeant; simul declarantes easdem, non modo ex veterum canonum auctoritate, quatenus cum hac Nostra Constitutione conveniunt, verum etiam ex hac ipsa Constitutione Nostra, non secus ac si primum editæ ab ea fuerint, vim suam prorsus accipere debere.

Excommunicationes latæ sententiæ speciali modo Romano Pontifici reservatæ.

Itaque excommunicationi latæ sententiæ speciali modo Romano Pontifici reservatæ subjacere declaramus :

1. Omnes a christiana fide apostatas, et omnes ac singulos hæreticos, quocumque nomine censeantur, et cujuscumque sectæ existant, eisque credentes eorumque receptores, fautores ac generaliter quoslibet illorum defensores.

2. Omnes et singulos scienter legentes, sine auctoritate Sedis Apostolicæ, libros eorumdem apostatarum et hæreticorum hæresim propugnantes, necnon libros cujusvis auctoris per Apostolicas litteras nominatim prohibitos, eosdemque libros retinentes, imprimentes et quomodolibet defendentes.

3. Schismaticos et eos qui a Romani Pontificis pro

tempore existentis obedientia pertinaciter se subtrahunt, vel recedunt.

4. Omnes et singulos, cujuscumque status, gradus seu conditionis fuerint, ab ordinationibus seu mandatis Romanorum Pontificum pro tempore existentium ad universale futurum concilium appellantes ; necnon eos, quorum auxilio, consilio vel favore appellatum fuerit.

5. Omnes interficientes, mutilantes, capientes, carcerantes, detinentes, vel hostiliter insequentes S. R. E. Cardinales, Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, Sedisque Apostolicæ Legatos, vel Nuntios, aut eos a suis diœcesibus, territoriis, terris, seu dominiis ejicientes, necnon ea mandantes, vel rata habentes, seu præstantes in eis auxilium, consilium vel favorem.

6. Impedientes directe vel indirecte exercitium jurisdictionis ecclesiasticæ sive interni sive externi fori, et ad hoc recurrentes ad forum sæculare ejusque mandata procurantes, edentes aut auxilium, consilium vel favorem præstantes.

7. Cogentes sive directe, sive indirecte judices laicos ad trahendum ad suum tribunal personas ecclesiasticas præter canonicas dispositiones ; item edentes leges vel decreta contra libertatem aut jura Ecclesiæ.

8. Recurrentes ad laicam potestatem ad impediendas litteras vel acta quælibet a Sede Apostolica, vel ab ejusdem Legatis aut Delegatis quibuscumque profecta, eorumque promulgationem vel executionem directe vel indirecte prohibentes, aut eorum causa sive ipsas partes sive alios lædentes, vel perterrefacientes.

9. Omnes falsarios litteram apostolicarum, etiam in forma Brevis, ac supplicationum gratiam vel justitiam concernentium, per Romanum Pontificem, vel S. E. R. Vice-Cancellarios seu Gerentes vices eorum, aut de mandato ejusdem Romani Pontificis signatarum ; nec non falso publicantes Litteras Apostolicas, etiam in forma Brevis, et etiam falso signantes supplicationes Vice-Cancellarii aut Gerentis vices prædictorum.

10. Absolventes complicem in peccato turpi, etiam in mortis articulo, si alius sacerdos, licet non approbatus

ad confessiones, sine gravi aliqua exoritura infamia et scandalo, possit excipere morientis confessionem.

11. Usurpantes aut sequestrantes jurisdictionem, bona, redditus ad personas ecclesiasticas, ratione suarum ecclesiarum aut beneficiorum pertinentia.

12. Invadentes, destruentes, detinentes, per se vel per alios, civitates, terras, loca aut jura ad Ecclesiam Romanam pertinentia; vel usurpantes, pertubantes, retinentes supremam jurisdictionem in eis; necnon ad singula prædicta auxilium, consilium, favorem præbentes.

A quibus omnibus excommunicationibus hucusque recensitis absolutionem Romano Pontifici pro tempore speciali modo reservatam esse et reservari : et pro ea generalem concessionem absolvendi a casibus et censuris, sive excommunicationibus Romano Pontifici reservatis nullo pacto sufficere declaramus, revocatis insuper earumdem respectu quibuscumque indultis concessis sub quavis forma et quibusve personis etiam regularibus cujuscumque Ordinis, Congregationis, Societatis et Instituti, etiam speciali mentione dignis et in quavis dignitate constitutis. Absolvere autem præsumentes sine debita facultate, etiam quovis prætextu, excommunicationis vinculo Romano Pontifici reservatæ innodatos se sciant, dummodo non agatur de mortis articulo, in quo tamen firma sit quoad absolutos obligatio standi mandatis Ecclesiæ, si convaluerint. V. infra, p. 688.

Excommunicationes latæ sententiæ Romano Pontifici reservatæ.

Excommunicationi latæ sententiæ Romano Pontifici reservatæ subjacere declaramus :

1. Docentes vel defendentes, sive publice sive privatim, propositiones ab Apostolica Sede damnatas sub excommunicationis pœna latæ sententiæ; item docentes vel defendentes tanquam licitam praxim inquirendi a pœnitente nomen complicis, prouti damnata est à Benedicto XIV, in Const. *Suprema*, 7 julii 1745 : *Ubi*

primum 2 junii 1746; *Ad eradicandam*, 28 septembris 1746.

2. Violentas manus, suadente diabolo, injicientes in clericos vel utriusque sexus monachos : exceptis, quoad reservationem, casibus et personis, de quibus jure vel privilegio permittitur ut Episcopus aut alius absolvat.

3. Duellum perpetrantes, aut simpliciter ad illud provocantes vel ipsum acceptantes, et quoslibet complices, vel qualemcumque operam aut favorem præbentes, necnon de industria spectantes, illudque permittentes, vel, quantum in illis est, non prohibentes, cujuscumque dignitatis sint, etiam regalis vel imperialis.

4. Nomen dantes sectæ *Massonicæ*, aut *Carbonari*, aut aliis ejusdem generis sectis, quæ contra Ecclesiam vel legitimas potestates, seu palam seu clandestine, machinantur; necnon iisdem sectis favorem qualemcumque præstantes; non earumve occultos coryphæos ac duces denuntiantes, donec non denuntiaverint.

5. Immunitatem asyli ecclesiastici violare jubentes, aut ausu temerario violantes.

6. Violantes clausuram monialium, cujuscumque generis aut conditionis, sexus vel ætatis fuerint, in earum monasteria absque legitima licentia ingrediendo; pariterque eos introducentes vel admittentes; itemque moniales ab illa exeuntes, extra casus ac formam à S. Pio V in Const. *Decori* præscriptam [1].

7. Mulieres violantes regularium virorum clausuram, et superiores aliosve eas admittentes.

8. Reos simoniæ realis in beneficiis quibuscumque, eorumque complices.

9. Reos simoniæ confidentialis in beneficiis quibuslibet, cujuscumque sint dignitatis.

10. Reos simoniæ realis ob ingressum in religionem.

11. Omnes qui, quæstum facientes ex indulgentiis aliisque gratiis spiritualibus, excommunicationibus

1. Agitur hic de violatione clausuræ papalis.

censura plectuntur constitutione S. Pii V *Quam plenum*, 2 januarii 1570.

12. Colligentes eleemosynas majoris pretii pro missis, et ex iis lucrum captantes, faciendo eas celebrari in locis ubi missarum stipendia minoris pretii esse solent.

13. Omnes qui excommunicatione mulctantur in Constitutionibus S. Pii V *Admonet nos*, quarto Kalendas aprilis 1567; Innocentii IX, *Quæ ab hac Sede*, pridie nonas novembris 1591; Clementis VIII, *Ad Romani Pontificis curam*, 26 junii 1592; et Alexandri VII *Inter cæteras*, nono Kalendas novembris 1660, alienationem et infeudationem Civitatum et Locorum S. R. E. respicientibus.

14. Religiosos præsumentes clericis aut laicis extra casum necessitatis sacramentum Extremæ-Unctionis aut Eucharistiæ per Viaticum ministrare absque parochi licentia.

15. Extrahentes absque legitima venia reliquias ex sacris cœmeteriis sive catacumbis Urbis Romæ ejusque territorii, eisque auxilium vel favorem præbentes.

16. Communicantes cum excommunicato nominatim a Papa in crimine criminoso, ei scilicet impendendo auxilium vel favorem.

17. Clericos scienter et sponte communicantes in divinis cum personis a Romano Pontifice nominatim excommunicatis, et ipsos in officiis recipientes.

Excommunicationes latæ sententiæ Episcopis sive Ordinariis reservatæ.

Excommunicationi latæ sententiæ Episcopis sive Ordinariis reservatæ subjacere declaramus :

1. Clericos in sacris constitutos vel regulares aut moniales post votum solemne castitatis matrimonium contrahere præsumentes ; necnon omnes cum aliqua ex prædictis personis matrimonium contrahere præsumentes.

2. Procurantes abortum, effectu secuto.

3. Litteris apostolicis falsis scienter utentes, vel crimini ea in re cooperantes.

Excommunicationes latæ sententiæ nemini reservatæ

Excommunicationi latæ sententiæ nemini reservatæ subjacere declaramus :

1. Mandantes seu cogentes tradi ecclesiasticæ sepulturæ hæreticos notorios aut nominatim excommunicatos vel interdictos.

2. Lædentes aut perterrefacientes Inquisitores, denuntiantes, testes, aliosve ministros S. Officii ; ejusve Sacri Tribunalis scripturas diripientes, aut comburentes ; vel prædictis quibuslibet auxilium, consilium, favorem præstantes.

3. Alienantes et recipere præsumentes bona ecclesiastica absque beneplacito Apostolico, ad formam Extravagantis *Ambitiosæ*, *De rebus Eccles. non alienandis*.

4. Negligentes sive culpabiliter omittentes denuntiare infra mensem confessarios sive sacerdotes a quibus sollicitati fuerint ad turpia, in quibuslibet casibus expressis à Prædecess. Nostris Gregorio XV, Const. *Universi*, 20 augusti 1622, et Benedicto XIV, Const. *Sacramentum pœnitentiæ*, 1 junii 1741.

Præter hos hactenus recensitos, eos quoque quos Sacrosanctum Concilium Tridentium, sive reservata Summo Pontifici [1] aut Ordinariis absolutione, sive absque ulla reservatione excommunicavit, Nos pariter ita excommunicatos esse declaramus ; excepta anathematis pœna in Decreto sess. IV, *De editione et usu Sacrorum Librorum* constituta, cui illos tantum subjacere volumus, qui libros de rebus sacris tranctantes sine Ordinarii approbatione imprimunt, aut imprimi faciunt.

1. Concilium Tridentinum hunc sequentem casum Summo Pontifici reservat :

« Si quem **clericorum vel laicorum, quacumque is dignitate etiam** » imperiali aut regali **præfulgeat**, tantum malorum omnium **radix cu-** » **piditas** occupaverit, ut alicujus sæcularis vel regularis **beneficii**, » montium pietatis, aliorumque piorum locorum jurisdictiones, **bona**, « census ac jura, etiam feudalia et emphyteutica, fructus, emolumenta,

Suspensiones latæ sententiæ S. Pontifici reservatæ.

1. Suspensionem ipso facto incurrunt a suorum beneficiorum perceptione, ad beneplacitum S. Sedis, Capitula et Conventus ecclesiarum et monasteriorum, alii-

« seu quascumque obventiones quæ in ministrorum et pauperum ne-
« cessitates converti debent, per se vel per alios, vi vel timore incusso,
« seu etiam per suppositas personas clericorum aut laicorum, seu
« quacumque arte, aut quocumque quæsito colore, in proprios usus
« convertere, illosque usurpare præsumpserit, seu impedire ne ab iis,
« ad quos jure pertinent, percipiantur, is anathemati tamdiu subjaceat
« quamdiu jurisdictiones, bona, res, jura, fructus et redditus quos
« occupaverit, vel qui ad eum quomodocumque, etiam ex donatione
« suppositæ personæ pervenerint, Ecclesiæ ejusque administratori,
« sive beneficiato integre restituerit, ac deinde à *Romano Pontifice*
« *absolutionem obtinuerit.* » (Sess. 22, c. 11, *De reform.*)

Præter hanc excommunicationem Summo Pontifici a Tridentino reservatam, latæ sunt ipso facto ab eodem sequentes quæ Papæ non reservantur :

1. In raptores mulierum ac in omnes qui illis consilium, auxilium et favorem præbent. (Sess. 24, c. 6, *De reform. matrim.*)

2. « Anathemati S. Synodus subjicit omnes et singulas personas,
« cujuscumque qualitatis vel conditionis fuerint, tam clericos quam
« laicos, sæculares vel regulares atque etiam qualibet dignitate fun-
« gentes, quomodocumque coegerint mulierem invitam, præterquam
« in casibus in jure expressis, ad ingrediendum monasterium, vel ad
« suscipiendum habitum cujuscumque Religionis, vel ad emittendam
« professionem ; quique consilium, auxilium, vel favorem dederint ;
« quique scientes eam non sponte ingredi monasterium, aut habitum
« suscipere, aut professionem emittere, quoquo modo eidem actui vel
« præsentiam, vel consensum, vel auctoritatem interposuerint. »
(Sess. 25, cap. 18, *De regular.*, etc.).

3. « Simili quoque anathemati subjicit (S. Synodus) eos qui sanc-
« tam virginem, vel aliarum mulierum voluntatem veli accipiendi, vel
« voti emittendi, quoquo modo sine justa causa impedierint.... Ab
« his... excipiuntur mulieres quæ pœnitentes aut convertitæ, appellan-
« tur ; in quibus constitutiones earum serventur. » (Sess. 25, c. 18, *De Regul.*)

4. « Præcipit S. Synodus omnibus, cujuscumque gradus, dignita-
« tis et conditionis existant sub anathematis pœna, quam ipso facto
« incurrant, ne quovis modo directe vel indirecte subditos suos vel
« quoscumque alios cogant, quominus libere matrimonia contrahant »
(sess. 24, c. 9, *De reform. matrim.*).

5. Qui docere, prædicare, vel pertinaciter asserere, seu etiam pu-
blice disputando defendere præsumpserit non esse necessario præmit-

que omnes qui ad illarum seu illorum regimen et administrationem recipiunt Episcopos aliosve Prælatos de prædictis ecclesiis seu monasteriis apud eamdem S. Sedem quovis modo provisos, antequam ipsi exhibuerint Litteras Apostolicas de sua promotione.

2. Suspensionem per triennium a collatione ordinum ipso jure incurrunt aliquem ordinantes absque titulo beneficii vel patrimonii, cum pacto ut ordinatus non petat ab ipsis alimenta.

3. Suspensionem per annum ab ordinum administratione ipso jure incurrunt Ordinantes alienum subditum, etiam sub prætextu beneficii statim conferendi, aut jam collati, sed minime sufficientis, absque ejus Episcopi litteris dimissorialibus, vel etiam subditum proprium, qui alibi tanto tempore moratus sit, ut canonicum impedimentum contrahere ibi potuerit, absque Ordinarii ejus loci litteris testimonialibus.

4. Suspensionem per annum a collatione ordinum ipso jure incurrit, qui, excepto casu legitimi privilegii, ordinem sacrum contulerit, absque titulo beneficii vel

(endam confessionem sacramentalem, ad sumendum Eucharistiæ sacramentum ab iis quos conscientia peccati mortalis gravat, quantumcumque contritos se esse existimaverint, eo ipso excommunicatur (sess. 13, c. 11).

6. S. Synodus magistratibus sæcularibus sub excommunicationis pœna, ipso facto incurrenda, injungit, ut juvent Episcopos, si ab eis sint requisiti, ad restituendam vel conservandam clausuram monialium sess, 25, c. 5, *De regular. et monial.*).

7. Ipso facto excommunicantur, qui negant matrimonia clandestina, libero contrahentium consensu facta, quamdiu Ecclesia irrita non fecit, rata et vera matrimonia fuisse. Item asserentes matrimonia a filisfamilias sine parentum consensu contracta, irrita esse (sess. 24, c. 1, *De reform. matr.*)

8. Excommunicatio, de qua mentio fit sess. IV Conc. Trid., ad sequentes terminos reducitur per Const. *Apostolicæ Sedis* : huic anathematis pœnæ *illos tantum subjacere volumus, qui libros de rebus sacris tractantes sine Ordinarii approbatione imprimunt, aut imprimi faciunt.*

Nota. A Pio IX servatæ tantum videntur censuræ, quæ a Tridentino ipso facto proprie fuerunt illatæ; non vero quæ ab eodem Concilio fuerunt tantum innovatæ. Ita Avanzini, ap. *Compendium* Thomas ex Charmes, p. 660, edit. 1872.

patrimonii, clerico in aliqua Congregatione viventi, in qua solemnis professio non emittitur, vel etiam religioso nondum professo.

5. Suspensionem perpetuam ab exercitio ordinum ipso jure incurrunt religiosi ejecti, extra Religionem degentes.

6. Suspensionem ab ordine suscepto ipso jure incurrunt, qui eumdem ordinem recipere præsumpserunt ab excommunicato vel suspenso, vel interdicto nominatim denunciatis, aut ab hæretico vel schismatico notorio; eum vero qui bona fide a quopiam eorum est ordinatus, exercitium non habere ordinis sic suscepti, donec dispensetur, declaramus.

7. Clerici sæculares exteri, ultra quatuor menses in Urbe commorantes, ordinati ab alio quam ab ipso suo Ordinario absque licentia Card. Urbis Vicarii, vel absque prævio examine coram eodem peracto, vel etiam a proprio Ordinario posteaquam in prædicto examine rejecti fuerint; nec non clerici pertinentes ad aliquem e sex Episcopatibus suburbicariis, si ordinentur extra suam diœcesim, dimissorialibus sui Ordinarii ad alium directis quam ad Card. Urbis Vicarium; vel non præmissis ante ordinem sacrum suscipiendum exercitiis spiritualibus per decem dies in domo urbana sacerdotum a missione nuncupatorum, suspensionem ab ordinibus sic susceptis, ad beneplacitum S. Sedis, ipso jure incurrunt : Episcopi vero ordinantes, ab usu pontificalium per annum [1].

1. His suspensionibus sequentes sunt adjiciendæ a Tridentino extractæ, quæ tamen non reservantur S. Sedi :

Unusquisque a proprio Episcopo ordinetur : quod si quis ab alio promoveri petat, nullatenus id ei, etiam cujusvis generalis aut specialis rescripti vel privilegii prætextu, etiam statutis temporibus,permittatur, nisi ejus probitas ac mores Ordinarii sui testimonio commendetur. S secus fiat, ordinans a collatione ordinum per annum, et ordinatus a susceptorum ordinum exsecutione, quamdiu proprio Ordinario videbitur expedire, s.t suspensus (sess. 23, c. 8, *De reform.*).

2. Clerici non arctati ratione beneficii ipso jure suspensionem ab exsecutione ordinum ad beneplacitum futuri Prælati, si, infra annum Sedis vacantis, majorem ordinem recipiant cum licentia Capituli, au

Interdicta latæ sententiæ reservata.

1. Interdictum Romano Pontifici speciali modo reservatum ipso jure incurrunt Universitates, Collegia et Capitula, quocumque nomine nuncupentur, ab ordinationibus seu mandatis ejusdem Romani Pontificis pro tempore existentis, ad universale futurum Concilium appellantia.

2. Scienter celebrantes vel celebrari facientes divina in locis ab Ordinario, vel delegato judice, vel a jure interdictis, aut nominatim excommunicatos ad divina officia, seu ecclesiastica sacramenta, vel ecclesiasticam sepulturam admittentes, interdictum ab ingressu Ecclesiæ ipso jure incurrunt, donec ad arbitrium ejus, cujus sententiam contempserunt, competenter satisfecerint.

Denique quoscumque alios Sacrosanctum Concilium Tridentinum suspensos aut interdictos ipso jure esse decrevit, Nos pari modo suspensioni vel interdicto eosdem obnoxios esse volumus et declaramus [1].

Quæ vero censuræ sive excommunicationis, sive suspensionis sive interdicti Nostris aut Prædecessorum Nostrum Constitutionibus, aut sacris canonibus, præter eas quas recensuimus, latæ sunt, atque hactenus in suo

alterius cujuscumque, ipsius loco (sess. 7, c. 10, et sess. 23, c. 10, *De reform.*).

3. Episcopi concubinarii, si a synodo provinciali moniti, ab hujusmodi crimine non se abstinuerint, ipso facto sunt suspensi (sess. 25 c. 14, *De reform.*).

4. Episcopus qui pontificalia exercet in alterius diœcesi, etiam erga proprios subditos, sine Ordinarii loci expressa licentia, ipso jure ab exercitio pontificalium suspenditur, et sic ordinati suspenduntur ipso facto ab executione ordinum (sess. 6, c. 5, *De reform.*).

5. Si parochus vel alius sacerdos, sive regularis sive sæcularis sit, etiamsi id sibi ex privilegio vel immemorabili consuetudine licere contingat, alterius parochiæ sponsos, sine illorum parochi licentia, matrimonium conjungere aut benedicere ausus fuerit, ipso jure tamdiu suspensus maneat, quamdiu ab Ordinario ejus parochi, qui matrimonium interesse debebat, seu a quo benedictio suscipienda erat, absolvatur (sess. 24, c. 1, *De reform.*).

1. Vide notam præcedentem p. 107.

vigore perstiterunt, sive pro Romani Pontificis electione [1] sive pro interno regimine quorumcumque Ordinum et Institutorum regularium [2], necnon quorumcumque collegiorum, congregationum, cœtuum, locorumque piorum, cujuscumque nominis aut generis sint, eas omnes firmas esse, et in suo robore permanere volumus et declaramus.

Cæterum decernimus, in novis quibuscumque concessionibus ac privilegiis, quæ ab Apostolica Sede concedi cuivis contigerit, nullo modo ac ratione intelligi unquam debere aut posse comprehendi facultatem absolvendi a casibus et censuris quibuslibet Romano Pontifici reservatis, nisi de iis formalis, explicita ac individua mentio facta fuerit : quæ vero privilegia aut facultates, sive a Prædecessoribus Nostris, sive etiam a Nobis cuilibet Cœtui, Ordini, Congregationi, Societati et Instituto, etiam regulari cujusvis speciei, etsi titulo peculiari prædito, atque etiam speciali mentione digno, a quovis unquam tempore huc usque concessa fuerint, ea omnia, easque omnes Nostra hac Constitutione revocatas, suppressas et abolitas esse volumus, prout reapse revocamus, supprimimus et abolemus, minime refragantibus aut obstantibus privilegiis quibuscumque, etiam specialibus, comprehensis, vel non in corpore juris aut Apostolicis Constitutionibus, et quavis confirmatione Apostolica, vel immemorabili etiam consuetudine, aut alia quacumque firmitate roboratis, quibuslibet etiam formis ac tenoribus, et cum quibusvis derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis : quibus omnibus, quatenus opus sit, derogare intendimus et derogamus.

Firmam tamen esse volumus absolvendi facultatem a Tridentina Synodo Episcopis concessam sess. 24, c. 6, *De reform.* in quibuscumque censuris Apostolicæ Sedi

1. Vide supra (427).

2. *Excommunicationes contra regulares reservatæ juxta Ferraris.*

I.

Contra euntes ultra mare sine licentia Papæ... (Extrav. *Ad nostram, de regul.*).

hac Nostra Constitutione reservatis, iis tantum exceptis, quas eidem Apostolicæ Sedi speciali modo reservatas declaravimus.

Decernentes has Litteras, atque omnia et singula, quæ in eis constituta ac decreta sunt, omnes et singulas, quæ in eisdem factæ sunt ex anterioribus Constitutionibus Prædecessorum Nostrorum, atque etiam Nostris, aut ex aliis sacris canonibus quibuscumque, etiam Conciliorum generalium, et ipsius Tridentini mutationes, derogationes ratas et firmas, ac respective rata atque

II.

Contra mendicantes transeuntes ad non mendicantes. (Extrav. *Viam ambitiosæ, de regular.*)

III.

Contra Superiores non denuntiantes religiosos, qui sunt suspecti de hæresi, Inquisitoribus vel Ordinariis locorum (Paul. V. Const. *Romanus Pontifex.*)

IV.

Contra claustrales recipientes Minimos sine licentia Papæ. (Jul. II, Constit. *Virtute conspicuos.*)

V.

Contra tertiarios portantes habitum Minorum. (Leo X, Const. *Licet alias.*)

VI.

Contra clericos regulares Societatis Jesu discedentes sine licentia a Societate, etiamsi prætextu melioris frugis transeant ad alium Ordinem; eorumque receptores, Carthusianis exceptis. (Greg. XIII, Const. *Ascendente.*)

VII.

Contra Minimos subtrahentes se ab observantia correctorum. (Paul. III, Const. *Cum sicut.*)

VIII.

Contra subornantes et procurantes vota in electionibus, et complices, ac simpliciter scientes et non revelantes (Clem. VIII, Const. *Nullus omnino.*)

IX.

Contra monales exeuntes de clausura absque licentia. (Pius V, Const. *Decori.*)

firma esse et fore, suosque plenarios et integros effectus obtinere ; sicque et non aliter in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios et Delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, ac Apostolicæ Sedis Nuntios, ac quosvis alios quacumque præeminentia ac potestate fungentes et functuros, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter judicandi et interpretandi facultate et auctoritate, judicari ac definiri debere; et irritum atque inane esse ac fore quidquid super his a quoquam, quavis auctoritate, etiam prætextu cujuslibet privilegii, aut consuetudinis inductæ vel inducendæ, quam abusum esse declaramus, scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Non obstantibus præmissis, aliisque quibuslibet ordinationibus, constitutionibus, privilegiis, etiam speciali et individua mentione dignis, necnon consuetudinibus quibusvis, etiam immemorialibus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostræ Constitutionis, Ordinationis, limitationis, suppressionis, derogationis, voluntatis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei et Bea-

X.

Contra dantes et recipientes ob ingressum Religionis (Extr. comm. 1, *De Simonia.*).

XI.

Contra absolventes sub prætextu privilegiorum a casibus Bullæ *Cœnæ*, vel Ordinariis reservatis. (Decret. S. C. Episc. et Regul. a Clemente VIII approbatum 1602.)

XII.

Contra regulares qui aliquam pecuniæ summam a parentibus novitii exigunt pro convivio occasione vestitionis aut professionis faciendo. Extrav. *Sane de Simonia.* (Ferrar. v° *Novitiatus*, n° 63.)

Quædam aliæ adjici possent. Vide infra (2833).

Legi possunt, apud eumdem Ferraris, art. 4, aliæ excommunicationes contra regulares, quas hîc omittimus eo quod non sint reservatæ.

De aliis censuris contra regulares latis agitur passim in decursu totius Manualis (6599).

torum Petri et Pauli Apostolorum ejus, se noverit incursurum.

Datum Romæ apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicæ 1869, IV Idus octobris, Pontificabus Nostri anno XXIV,

MARIUS Card. MATTEI, Pro-Datarius.

Loco † Plumbi. N. Card. PARRACCIANI CLARELII.

Visa de Curia. Dominicus Bruti Cugnoni

SYLLABUS.

COMPLECTENS PRÆCIPUOS NOSTRÆ ÆTATIS ERRORES QUI NOTANTUR IN ALLOCUTIONIBUS CONSISTORIALIBUS, IN ENCYCLICIS ALIISQUE APOSTOLICIS LITTERIS SS. D. N. PII PAPÆ IX.

§ I.

Pantheismus, Naturalismus et Rationalismus absolutus.

1. Nullum supremum, sapientissimum, providentissimumque Numen divinum existit ab hac rerum universitate distinctum, et Deus idem est ac rerum natura, et idcirco immutationibus obnoxius, Deusque re ipse fit in homine et mundo, atque omnia Deus sunt et ipsissimam Dei habent substantiam; ac una eademque res est Deus cum mundo, et proinde spiritus cum materia, necessitas cum libertate, verum cum falso, bonum cum malo, et justum cum injusto.

(Alloc. *Maxima quidem*, 9 junii 1862.)

2. Neganda est omnis Dei actio in homines et mundum.

(Alloc. *Maxima quidem*, 9 junii 1862.)

3. Humana ratio, nullo prorsus Dei respectu habito, unicus est veri et falsi, boni et mali arbiter, sibi ipsi est lex, et naturalibus suis viribus ad hominum et populorum bonum curandum sufficit.

(Alloc. *Maxima quidem*, 9 junii 1862.)

4. Omnes religionis veritates ex nativa humanæ rationis vi derivant; hinc ratio est princeps norma qua

homo cognitionem omnium cujuscumque generis veritatum assequi possit ac debeat.

(Epist. Encycl. *Qui pluribus*, 9 novembris 1846. — Epist. Encycl. *Singulari quidem*, 17 martii 1856. — Alloc. *Maxima quidem* 9 junii 1862.)

5. Divina revelatio est imperfecta, et idcirco subjecta continuo et indefinito progressui qui humanæ rationis progressui respondeat.

(Epist. Encycl. *Qui pluribus*, 9 novembris 1846. — Alloc. *Maxima quidem*, 9 junii 1862.)

6. Christi fides humanæ refragatur rationi; divinaque revelatio non solum nihil prodest, verum etiam nocet hominis perfectioni.

(Epist. Encycl. *Qui pluribus*, 9 novembris 1846. — Alloc. *Maxima quidem*, 9 junii 1862.)

7. Prophetiæ et miracula in sacris Litteris exposita et narrata sunt poetarum commenta, et christianæ fidei mysteria philosophicarum investigationum summa; et utriusque Testamenti libris mythica continentur inventa; ipseque Jesus Christus est mythica fictio.

(Epist. Encycl. *Qui pluribus*, 9 novembris 1846. — Alloc. *Maxima quidem*, 9 junii 1862.)

§ II.

Rationalismus moderatus.

8. Quum ratio humana ipsi religioni æquiparetur idcirco theologiæ disciplinæ perinde ac philosophiæ tractandæ sunt.

9. Omnia indiscriminatim dogmata religionis christianæ sunt objectum naturalis scientiæ seu philosophiæ; et humana ratio, historice tantum exculta, potest, ex suis naturalibus viribus et principiis, ad veram de omnibus etiam reconditioribus dogmatibus scientiam pervenire, modo hæc dogmata ipsi rationi tanquam objectum proposita fuerint.

(Epist. ad Archiep. Frising. *Gravissimas*, 11 decembris

1862. — Epist. ad eumdem. *Tuas libenter*. 21 decembris 1863.)

10. Quum aliud sit philosophus, aliud philosophia, ille jus et officium habet se submittendi auctoritati quam veram ipse probaverit ; at philosophia neque potest, neque debet ulli sese submittere auctoritati.

(Epist. ad Arch. Frising. *Gravissimas*. 11 decembris 1862. — Epist. *Tuas libenter* 21 decembris 1863.)

11. Ecclesia non solum non debet in philosophiam unquam animadvertere, verum etiam debet ipsius philosophiæ tolerare errores, eique relinquere ut ipsa se corrigat.

(Epist. ad archiep. Frising. *Gravissimas*, 11 decembris 1862.)

12. Apostolicæ Sedis, Romanarumque Congregationum decreta liberum scientiæ progressum impediunt.

(Epist. ad Archiep. Frising. *Tuas libenter*, 21 decembris 1863.)

13. Methodus et principia, quibus antiqui Doctores scholastici theologiam excoluernut, temporum nostrorum necessitatibus scientiarumque progressui minime congruunt.

(Epist. ad Archiep. Frising. *Tuas libenter* 21 decembris 1863.)

14. Philosophia tractanda est, nulla supernaturalis revelationis habita ratione.

(Epist. ad Archiep. Frising. *Tuas libenter*, 21 decembris, 1863.)

N. B. Cum rationalismi systemate cohærent ad maximam partem errores Antonii Günther, qui damnatur in Epist. ad Card. Archiep. Colonien. *Eximiam tuam*, 15 junii 1847 ; et in Epist. ad Episc. Wratislavien. *Dolore haud mediocri*, 30 apr. 1860.

§ III.

Indifferentismus, Latitudinarismus

15. Liberum cuique homini est eam amplecit et pro-

fiteri religionem, quam rationis lumine quis ductus veram putaverit.

(Litt. Apost. *Multiplices inter*, 10 junii 1851. — Alloc. *Maxima quidem*, 9 junii 1862.)

16. Homines in cujusvis religionis cultu viam æternæ salutis reperire æternamque salutem assequi possunt.

(Epist. Encycl. *Qui pluribus*, 9 novembris 1846.— Alloc. *Ubi primum*, 17 decembris 1847. — Epist. Encycl. *Singulari quidem* 17 martii 1856.)

17. Saltem bene sperandum est de æterna illorum omnium salute qui in vera Christi Ecclesia nequaquam versantur.

(Alloc. *Singulari quadam*, 9 decembris 1854. — Epist. Encycl. *Quanto conficiamur* 17 augusti 1863.)

18. Protestantismus non aliud est quam diversa veræ ejusdem Christianæ religionis forma, in qua æque ac in Ecclesia catholica Deo placere datum est.

(Epist. Encycl. *Noscitis et Nobiscum*, 8 decembris 1849.)

§ IV.

Socialismus, Communismus, societates clandestinæ, societates biblicæ, societates clerico-liberales.

Ejusmodi pestes sæpe gravissimisque verborum formulis reprobantur in Epist. Encycl. *Qui pluribus*, 9 novembris 1846; in Alloc. *Quibus quantisque*, 20 apr. 1849; in Epist. Encycl. *Noscitis et Nobiscum*, 8 decembris 1849. in Alloc. *Singulari quadam* 9 decembris 1854; in Epist. Encycl. *Quanto conficiamur mœrore*, 15 aug. 1863.

§ V.

Errores de Ecclesia ejusque juribus.

19. Ecclesia non est vera perfectaque Societas plane libera, nec pollet suis propriis et constantibus juribus sibi a divino suo Fundatore collatis, sed civilis potestatis est definire quæ sint Ecclesiæ jura ac limites, intra quos eadem iura exercere queat.

(Alloc. *Singulari quadam*, 9 decembris 1854. — Alloc. *Multis gravibusque*, 17 decembris 1860. Alloc. *Maxima quidem*, 9 jun. 1862.)

20. Ecclesiastica potestas suam auctoritatem exercere non debet absque civilis Gubernii venia et assensu.

(Alloc. *Meminit unusquisque*, 30 septembris 1861.)

21. Ecclesia non habet potestatem dogmatice definiendi Religionem catholicæ Ecclesiæ esse unice veram Religionem.

(Litt. Apost. *Multiplices inter*, 10 junii 1851.)

22. Obligatio qua catholici magistri et scriptores omnino adstringuntur, coarctatur in iis tantum quæ ab infallibili Ecclesiæ judicio veluti Fidei dogmata ab omnibus credenda proponuntur.

(Epist. ad Archiep. Frising. *Tuas libenter*, 21 decembris 1863.)

23. Romani Pontifices et Concilia œcumenica a limitibus suæ potestatis recesserunt, jura Principum usurparunt, atque etiam in rebus fidei et morum definiendis errarunt.

(Litt. Apost. *Multiplices inter*, 10 junii 1851.)

24. Ecclesia vis inferendæ potestatem non habet, neque potestatem ullam temporalem directam vel indirectam.

(Litt. Apost. *Ad apostolicæ*, 22 augusti 1851.)

25. Præter potestatem Episcopatui inhærentem, alia est attributa temporalis potestas a civili imperio vel expresse vel tacite concessa, revocanda propterea, cum libuerit, a civili imperio.

(Litt. Apost. *Ad apostolicæ*, 22 augusti 1851.)

26. Ecclesia non habet nativum ac legitimum jus acquirendi ac possidendi.

(Alloc. *Nunquam fore*, 15 decembris 1856. — Epist. Encycl. *Incredibili*, 17 decembris 1863.)

27. Sacri Ecclesiæ ministri Romanusque Pontifex ab omni rerum temporalium cura sunt omnino excludendi.

(Alloc. *Maxima quidem*, 9 junii 1862.)

28. Episcopis, sine Gubernii venia, fas non est vel ipsas Apostolicas Litteras promulgare.

(Alloc. *Nunquam fore*, 15 decembris 1856.)

29. Gratiæ a Romano Pontifice concessæ existimari debent tanquam irritæ, nisi per Gubernium fuerint imploratæ.

(Alloc. *Nunquam fore*, 15 decembris 1856.)

30. Ecclesiæ et personarum ecclesiasticarum immunitas, a jure civili ortum habuit.

(Litt. Apost. *Multiplices inter*, 10 junii 1851.)

31. Ecclesiasticum forum pro temporalibus clericorum causis, sive civilibus sive criminalibus, omnino de medio tollendum est, etiam inconsulta et reclamante Apostolica Sede.

(Alloc. *Acerbissimum*, 21 septembris 1852. — Allocutio. *Nunquam fore*, 15 decembris 1856.)

32. Absque ulla naturalis juris et æquitatis violatione potest abrogari personalis immunitas, qua clerici ab onere subeundæ exercendæque militiæ eximuntur; hanc vero abrogationem postulat civilis progressus, maxime in Societate ad formam liberioris regiminis constituta.

(Epist. ad Episc. Montis Regal. *Singularis Nobisque*, 20 sept. 1864.)

33. Non pertinet unice ad ecclesiasticam jurisdictionis potestatem proprio ac nativo jure dirigere theologicarum rerum doctrinam.

(Epist. ad Archiep. Frising. *Tuas libenter*, 21 decembris 1863.)

34. Doctrina comparantium Romanum Pontificem Principi libero et agenti in universa Ecclesia, doctrina est quæ medio ævo prævaluit.

(Litt. Apost. *Ad apostolicæ*, 22 augusti 1851.)

35. Nihil vetat alicujus Concilii, generalis sententia aut universorum populorum facto, summum Pontificatum ab Romano Episcopo atque Urbe ad alium Episcopum aliamque civitatem transferri.

(Litt. Apost. *Ad apostolicæ*, 22 aug. 1851.

36. Nationalis Concilii definitio nullam aliam admittit disputationem, civilisque administratio rem ad hosce terminos exigere potest.

(Litt. Apost. *Ad apostolicæ*, 22 augusti 1851.)

37. Institui possunt nationales Ecclesiæ, ab auctoritate Romani Pontificis subductæ planeque divisæ.

(Alloc. *Multis gravibusque*, 17 decembris 1860. — All. *Jamdudum cernimus*, 18 martii 1861.)

38. Divisioni Ecclesiæ in Orientalem atque Occidentalem nimia Romanorum Pontificum arbitria contulerunt.

(Litt. Apost. *Ad apostolicæ*, 22 augusti 1851.)

§ VI.

Errores de Societate civili tum in se, tum in suis ad Ecclesiam relationibus spectata.

39. Reipublicæ status, utpote omnium jurium origo et fons, jure quodam pollet nullis circumscripto limitibus.

(Alloc. *Maxima quidem*, 9 junii 1862.)

40. Catholicæ Ecclesiæ doctrina humanæ Societatis bono et commodis adversatur.

(Epist. Encycl. *Qui pluribus*, 9 novembris 1846. — Alloc. *Quibus quantisque*, 20 aprilis 1849.)

41. Civili potestati, vel ab infideli imperante exercitæ, competit potestas indirecta negativa in sacra ; eidem proinde competit, nedum jus quod vocantur *exequatur*, sed etiam jus appellationis, quam nuncupant *ab abusu*.

(Litt. Apost. *Ad apostolicæ*, 22 aug. 1851.)

42. In conflictu legum utriusque potestatis, jus civile prævalet.

(Litt. Apost. *Ad apostolicæ*, 22 augusti 1851.)

43. Laica potestas auctoritatem habet rescindendi, declarandi ae faciendi irritas solemnes conventiones (vulgo *Concordata*), super usu jurium ad ecclesiasticam immunitatem pertinentium cum Sede Apostolica initas, sine hujus consensu, imo et ea *reclamante*.

(All. *In consistoriali*, 1 novembris 1850. — Alloc. *Multis gravibusque*, 17 decembris 1860.)

44. Civilis auctoritas potest se immiscere rebus quæ ad religionem, mores et regimen spirituale pertinent. Hinc potest de instructionibus judicare, quas Ecclesiæ Pastores ad conscientiarum normam pro suo munere edunt; quin etiam potest de divinorum sacramentorum administratione, et dispositionibus ad ea suscipienda necessariis decernere.

(All. *In consistoriali*, 1 novembris 1850. — Alloc. *Maxima quidem*, 9 junii 1862.)

45. Totum scholarum publicarum regimen, in quibus juventus christianæ alicujus Reipublicæ instituitur, episcopalibus duntaxat seminariis aliqua ratione exceptis, potest ac debet attribui auctoritati civili, et ita quidem attribui, ut nullum alii cuicumque auctoritati recognoscatur jus immiscendi se in disciplina scholarum, in regimine studiorum, in graduum collatione, in delectu aut approbatione magistrorum.

(Alloc. *In consistoriali*, 1 novembris 1850. — Alloc. *Quibus luctuosissimis*, 5 septembris 1851.)

46. Imo in ipsis clericorum seminariis methodus studiorum adhibenda civili auctoritati subjicitur.

(All. *Nunquam fore*, 15 decembris 1856.)

47. Postulat optima civilis Societatis ratio ut populares scholæ, quæ patent omnibus cujusque e populo classis pueris, ac publica universim Instituta quæ litteris severioribusque disciplinis tradendis, et educationi juventutis curandæ sunt destinata, eximantur ab omni Ecclesiæ auctoritate, moderatrice vi et ingerentia, plenoque civilis ac politicæ auctoritatis arbitrio subjiciantur, ad imperantium placita et ad communium ætatis opinionum amussim.

(Epist. ad Archiep. Friburg. *Quum non sine*, 14 julii 1864.)

48. Catholicis viris probari potest ea juventutis instituendæ ratio, quæ sit a catholica fide et ab Ecclesiæ potestate sejuncta, quæque rerum duntaxat naturalium

scientiam ac terrenæ socialis vitæ fines tantummodo vel saltem primarium spectet.

(Epist. ad Archiep. Fribur. *Quum non sine*, 14 julii 1864.)

49. Civilis auctoritas potest impedire quominus sacrorum Antistites et fideles populi cum Romano Pontifice libere ac mutuo communicent.

(Alloc. *Maxima quidem*, 9 junii 1862.)

50. Laica auctoritas habet per se jus præsentandi Episcopos, et potest ab illis exigere ut ineant diœcesium procurationem, antequam ipsi canonicam a S. Sede institutionem et Apostolicas Litteras accipiant.

(Alloc. *Nunquam fore*, 15 decembris 1856.)

51. Imo laicum Gubernium habet jus deponendi ab exercitio pastoralis ministerii Episcopos, neque tenetur obedire Romano Pontifici in iis quæ Episcopatum et Episcoporum respiciunt institutionem.

(Litt. Apost. *Multiplices inter*, 10 junii 1851. — Alloc. *Acerbissimum*, 27 septembris 1852.)

52. Gubernium potest suo jure immutare ætatem ab Ecclesia præscriptam pro religiosa tam mulierum quam virorum professione, omnibusque religiosis Familiis indicere, ut neminem sine suo permissu ad solemnia vota nuncupanda admittant.

(Alloc. *Nunquam fore*, 15 decembris 1856.)

53. Abrogandæ sunt leges quæ ad religiosarum Familiarum statum tutandum, earumque jura et officia pertinent; imo potest civile Gubernium iis omnibus auxilium præstare, qui a suscepto religiosæ vitæ instituto deficere ac solemnia vota frangere velint; pariterque potest religiosas easdem Familias, perinde ac Collegiatas Ecclesias et beneficia simplicia, etiam jurispatronatus, penitus extinguere, illorumque bona et redditus civilis potestatis administrationi et arbitrio subjicere et vindicare.

(All. *Acerbissimum*, 27 septembris 1852. — Alloc. *Probe meminerim*, 22 januarii 1855. — Alloc. *Cum sæpe*, 26 julii 1855.)

54. Reges et principes non solum ab Ecclesiæ juris-

dictione eximuntur, verum etiam im quæstionibus jurisdictionis dirimendis superiores sunt Ecclesia.

(Litt. Apost. *Multiplices inter*, 10 junii 1851.)

55. Ecclesia a statu, statusque ab Ecclesia sejungendus est.

(Alloc. *Acerbissimum*, 27 septembris 1852.)

§ VII.

Errores de Ethica naturali et christiana.

56. Morum leges divina haud egent sanctione, minimeque opus est ut humanæ leges ad naturæ jus conformentur aut obligandi vim a Deo accipiant.

(Alloc. *Maxima quidem*, 9 junii 1862.)

57. Philosophicarum rerum morumque scientia, itemque civiles leges possunt et debent a divina et ecclesiastica auctoritate declinare.

(Alloc. *Maxima quidem*, 9 junii 1862.)

58. Aliæ vires non sunt agnoscendæ nisi illæ quæ in materia positæ sunt, et omnis morum disciplina honestasque collocari debet in cumulandis et augendis quovis modo divitiis ac in voluptatibus explendis.

(Alloc. *Maxima quidem*, 9 junii 1862. — Epist. Encycl. *Quanto conficiamur*, 10 augusti 1863.)

59. Jus in materiali facto consistit, et omnia hominum officia sunt nomen inane, et omnia humana facta juris vim habent.

(Alloc. *Maxima quidem*, 9 junii 1862.)

60. Auctoritas nihil aliud est nisi numeri et materalium virium summa.

(Alloc. *Maxima quidem*, 9 junii 1862.)

61. Fortunata facti injustitia nullum juris sanctitati detrimentum affert.

(Alloc. *Jamdudum cernimus*, 18 martii 1861.)

62. Proclamandum est et observandum principium quod vocant *de non interventu*.

(Alloc. *Novos et ante*, 28 septembris 1860.)

63. Legitimis Principibus obedientiam detrectare, imo et rebellare licet.

(Epist. Encycl. *Qui pluribus*, 9 novembris 1846. — Alloc. *Quisque vestrum*, 4 octobris 1847. — Epist. Encycl. *Noscitis* et *Nobiscum*, 8 decembris 1849. — Litt. Apost. *Cum catholica*, 26 martii 1860.)

64. Tum cujusque sanctissimi juramenti violatio, tum quælibet scelesta flagitiosaque actio sempiternæ legi repugnans, non solum haud est reprobanda, verum etiam omnino licita, summisque laudibus efferenda, quando id patriæ amore agatur.

(Alloc. *Quibus quantisque*, 20 aprilis 1849.)

§ VIII.

Errores de Matrimonio christiano.

65. Nulla ratione ferri potest Christum evexisse matrimonium ad dignitatem sacramenti.

(Lit. Apost. *Ad apostolicæ*, 22 augusti 1851.)

66. Matrimonii sacramentum non est nisi quid contractui accessorium ab eoque separabile, ipsumque Sacramentum in una tantum nuptiali benedictione situm est.

(Litt. Apost. *Ad apostolicæ*, 22 augusti 1851.)

67. Juræ naturæ matrimonii vinculum non est indissolubile, et in variis casibus divortium proprie dictum auctoritate civili sanciri potest.

(Litt. Apost. *Ad apostolicæ*, 22 augusti 1851. — Alloc. *Acerbissimum*, 27 septembris 1852.)

68. Ecclesia non habet potestatem impedimenta matrimonium dirimentia inducendi; sed ea potestas civili auctoritati competit, a qua impedimenta existentia tollenda sunt.

(Litt. Apost. *Multiplices inter*, 10 junii 1851.)

69. Ecclesia sequioribus sæculis dirimentia impedimenta inducere cœpit, non jure proprio, sed illo jure usa, quod a civili potestate mutuata erat.

(Litt. Apost. *Ad apostolicæ*, 22 augusti 1851.)

70. Tridentini canones, qui anathematis censuram illis inferunt qui facultatem impedimenta dirimentia

inducendi Ecclesiæ negare audeant, vel non sunt dogmatici, vel de hac mutuata potestate intelligendi sunt.

(Litt. Apost. *Ad apostolicæ*, 22 augusti 1851.)

71. Tridentini forma sub infirmitatis pœna non obligat, ubi lex civilis aliam formam præstituat, et velit, hac nova forma interveniente, matrimonium valere.

(Litt. Apost. *Ad apostolicæ*, 22 augusti 1851.)

72. Bonifacius VIII votum castitatis in ordinatione emissum nuptias nullas reddere primus asseruit.

(Litt. Apost. *Ad apostolicæ*, 22 augusti 1851.)

73. Vi contractus mere civilis potest inter christianos constare veri nominis matrimonium : falsumque est, aut contractum matrimonii inter christianos semper essesacramentum, aut nullum esse contractum si sacramentum excludatur.

(Litt. Apost. *Ad apostolicæ*, 22 augusti 1851. — Lettera di S. S. Pio IX al Re di Sardegna, 9 septembris 1852. — Alloc. *Acerbissimum*, 27 septembris 1852. — Alloc. *Multis gravibusque*, 17 decembris 1820.)

74. Causæ matrimoniales et sponsalia suapte natura ad forum civile pertinent.

(Lit. Apost. *Ad apostolicæ*, 22 augusti 1851. — Alloc. *Acerbissimum*, 27 septembris 1852.)

N. B. Huc facere possunt duo alii errores de clericorum cælibatu abolendo, et de statu matrimonii statui virginitatis anteferendo. Confodiuntur, prior in Epist. Encycl. *Qui pluribus*, 9 novembris 1846 ; posterior in Litt. Apost. *Multiplices inter*, 10 junii 1851.)

§ IX.

Errores de civili Romani Pontificis principatu.

75. De temporalis regni cum spirituali compatibilitate disputant inter se christianæ et catholicæ Ecclesiæ filii.

(Litt. Apost. *Ad apostolicæ*, 22 augusti 1851.)

76. Abrogatio civilis imperii, quo Apostolica Sedes

potitur, ad Ecclesiæ libertatem felicitatemque vel maxime conduceret.

(Alloc. *Quibus quantisque*, 20 aprilis 1848.)

N. B. Præter hos errores explicite notatos, alii complures implicite reprobantur proposita et asserta doctrina, quam catholici omnes firmissime retinere debeant de civili Romani Pontificis principatu. Ejusmodi doctrina luculenter traditur in alloc. *Quibus quantisque*, 20 aprilis 1849 ; in Alloc. *Si semper antea*, 20 maii 1850 ; in Litt. Apost. *Cum Catholica Ecclesia*, 26 martii 1860 ; in Alloc. *Novos*, 28 septembris 1860 ; in Alloc. *Jamdudum*, 18 martii 1861 ; in Alloc. *Maxima quidem*, 9 junii 1862.

X.

Errores qui ad liberalismum hodiernum referuntur.

77. Ætate hac nostra, non amplius expedit Religionem catholicam haberi tanquam unicam Status Religionem cæterisque quibuscumque cultibus exclusis.

(Alloc. *Nemo vestrum*, 26 julii 1855.)

78. Hinc laudabiliter in quibusdam catholici nominis regionibus lege cautum est, ut hominibus illuc immigrantibus liceat publicum proprii cujusque cultus exercitium habere.

(Alloc. *Acerbissimam*, 27 septembris 1852.)

79. Enim vero falsum est civilem cujusque cultus libertatem, itemque plenam potestatem omnibus attributam quaslibet opiniones cogitationesque palam publiceque manifestandi, conducere ad populorum mores animosque facilius corrumpendos, ac indifferentismi pestem propagandam.

(Alloc. *Nunquam fore*, 15 decembris 1856.)

80. Romanus Pontifex potest ac debet cum progressu, cum liberalismo, et cum recenti civilitate sese reconciliare et componere.

(Alloc. *Jamdudum cernimus*, 18 martii 1861.)

ADDENDA

Ex Encyclica *Quanta cura* Pii IX, 8 decembris 1864.

Præter præfatas propositiones aliæ memorandæ sunt quas in Encyclica *Quanta cura* recensuit Pius IX : eorum nempe hominum qui docent :

1° Optimam Societatis publicæ rationem civilemque progressum omnino requirere ut humana Societas constituatur et gubernetur, nullo habito ad religionem respectu ac si ea non existeret, vel saltem nullo facto veram inter falsasque religiones discrimine.

2° Optimam esse conditionem Societatis, in qua Imperio non agnoscitur officium coercendi sancitis pœnis violatores catholicæ Religionis, nisi quatenus pax publica postulet.

3° Libertatem conscientiæ et cultuum esse proprium cujuscumque hominis jus, quod lege proclamari et asseri debet in omni recte constituta Societate, et jus civibus inesse ad omnimodam libertatem, nulla vel ecclesiastica vel civili auctoritate coarctandam, quo suos conceptus quoscumque, sive voce, sive typis, sive alia ratione, palam publiceque manifestare ac declarare valeant.

4° Voluntatem populi, publica, quam dicunt, opinione vel alia ratione manifestatam, constituere supremam legem ab omni divino humanoque jure solutam; et in ordine politico facta consummata, eo ipso quod consummata sunt, vim juris habere.

5° Auferendam esse civibus et Ecclesiæ facultatem *qua eleemosynas christianæ charitatis causa palam erogare valeant*, ac de medio tollendam legem *qua certis aliquibus diebus opera servilia propter Dei cultum prohibentur.*

6° Societatem domesticam seu familiam totam suæ existentiæ rationem a jure duntaxat civili mutuari; proindeque ex lege tantum civili dimanare ac pendere jura omnia parentum in filios, cum primis vero jus institutionis educationisque curandæ.

7° Clerum utpote vero utilique scientiæ et civilitatis

progressus inimicum, ab omni juventutis instituendæ educandæque cura et officio esse amovendum.

8° Ecclesiæ leges non obligare in conscientia, nisi cum promulgantur a civili potestate; — acta et decreta Romanorum Pontificum, ad Religionem et Ecclesiam spectantia, indigere sanctione et approbatione, vel minimum assensu potestatis civilis; Constitutiones apostolicas quibus damnantur clandestinæ Societates, sive in eis exigatur, sive non exigatur juramentum de secreto servando, earumque asseclæ et fautores anathemate mulctantur, nullam habere vim in illis orbis regionibus ubi ejusmodi aggregationes tolerantur a civili Gubernio; — excommunicationem a Concilio Tridentino et Romanis Pontificibus latam in eos qui jura possessionesque Ecclesiæ invadunt et usurpant, niti confusione ordinis spiritualis, ordinisque civilis ac politici ad mundanum duntaxat bonum prosequendum; — Ecclesiam nihil debere decernere, quod obstringere possit fidelium conscientias in ordine ad usum rerum temporalium : Ecclesiæ jus non competre violatores legum suarum pœnis temporalibus coercendi; conforme esse sacræ theologiæ jurisque publici principiis, bonorum proprietatem, quæ ab ecclesiis, a Familis religiosis, aliisque locis piis possidentur, civili Gubernio asserere et vindicare.

9° Ecclesiasticam potestatem non esse jure divino distinctam et independentem a potestate civili, neque ejusmodi distinctionem et independentiam servari posse, quin ab Ecclesia invadantur et usurpentur essentialia iura potestatis civilis.

10° Illis Apostolicæ Sedis judiciis et decretis, quorum objectum ad bonum generale Ecclesiæ, ejusdemque jura, ad disciplinam spectare declaratur, dummodo fidei morumque dogmata non attingat, posse assensum et obedientiam detrectari absque peccato, et absque ulla catholicæ professionis jactura.

De quibus autem propositionibus sic statuit Pontifex « Omnes et singulas pravas opiniones ac doctrinas « singillatim hisce litteris commemoratas auctoritate « Nostra Apostolica reprobamus, proscribimus atque

« damnamus, easque ab omnibus catholicæ Ecclesiæ « filiis, veluti reprobatas, proscriptas atque damnatas « omnino haberi volumus et mandamus. »

Contra decretum S. C. Concilii, supra n° 356, p. 183, relatum, allegata fuit decisio ejusdem S. C. data 23 apr. 1864, in causa Bellun. circa dismembrationem, ab Ordinario peractam, partis cujusdam parochiæ Belzano in gratiam alterius S. Blasii Bellun. nuncupatæ, sic :

« Dubium : An quomodo sustineatur episcopale « decretum dismembrationis diei 24 octobris 1859, in « casu.

« Die 23 aprilis 1864, Sacra Congregatio Eminentissi- « morum ac Reverendissimorum Cardinalium Conc. « Tr. Interpretum ac Vindicum, respondit : ad dubium : « — affirmative in omnibus. »

Sed cum agebatur hîc de dismembratione jam a quinquennio, cum Gubernii et partium quorum intererat assensu, peracta, et quidem gravibus ex causis, a qua proinde nonnisi cum maxima difficultate recedi poterat haud videtur posse inde rigorose inferri Sacram Congregationem a sua antiqua sententia, decreto generali declarata, vere discessisse ; præsertim cum solummodo pro casu hoc particulari decisio fuit emissa. Præfata decis. mutatam non fuisse disciplinam n° 356 relatam, mihi ut certum asseruit substitutus S. C. C. a me consultus.

Dignitates et canonici Ecclesiarum cathedralium vacantium, aut qui, eorum vices gerentes, concedere et transferre ausi fuerint in nominatum aut præsentatum ad has ecclesias earum curam, regimen et administrationem sub quovis titulo, nomine, quæsito colore excommunicationem majorem Romano Pontifici specialiter reservatam incurrunt ; quam etiam incurrunt

nominati et præsentati qui hujusmodi curam, regimen et administrationem suscipere audent; necnon qui præmissis paruerint cujusque status, conditionis, præeminentiæ et dignitatis fuerint... Insuper si aliqui ex prædictis episcopali caractere sint insigniti, in pœnam suspensionis, ab exercitio Pontificalium, et interdicti ab ingressu ecclesiæ, ipso facto, absque ulla declaratione incidunt, Sanctæ Sedi pariter reservatam (Const. *Romanus Pontifex* V. Kal. sept. 1873).

FINIS INDICIS TOMI PRIMI.

Decisio sequens legi potest in tomo XXVII, p. 276, etc. Collectionis *Revue des sciences ecclésiastiques* :

An parochus die festo a sua parochia absens satisfaciat suæ obligationi missam celebrandi pro populo in loco ubi degit, seu potius teneatur substituere alium qui missam pro populo dicat in propria ecclesia ?

.... S. C. Concilii respondit 14 dec. 1872 :

Parochum die festo a sua parœcia legitime absentem satisfacere suæ obligationi, missam celebrando pro populo suo, in loco ubi degit, dummodo ad necessariam populi commoditatem alius sacerdos in ecclesia parochiali celebret et verbum Dei explicet.

Parochum vero, utcumque legitime impeditum ne missam celebret, teneri eam die festo per alium celebrari et applicari facere pro populo in ecclesia parochiali. Quod si ita factum non fuerit, quamprimum poterit, missam pro populo applicare debere. V. sup. p. 40 tomi 1.

DECISIO S. PŒNITENTIARIÆ

CIRCA JEJUNIUM.

EMINENTISSIME PRINCEPS,

Quidam sacerdotes regnorum Belgii et Hollandiæ, ad tranquillitatem conscientiæ suæ et ad certam fidelium directionem, instanter petunt ab Eminentiâ Vestrâ solutionem sequentium dubiorum :

Gury, Scavini et alii referunt tanquam responsa S. Pœnitentiariæ data die 16 Jan. 1834 :

« Posse personis quæ sunt in potestate patrisfamiliâs, » cui facta est legitima facultas edendi carnes, permitti » uti cibis patrifamiliâs indultis, abjectâ conditione de » non permiscendis licitis atque interdictis epulis et de » unicâ comestione in die, iis qui jejunare tenentur. »

Igitur quæritur : 1° An hæc resolutio valeat ubique terrarum? 2° Dum dicitur *permitti posse*, petitur à quo ista permissio danda sit, et an sufficiat permissio data à simplici confessario?

Altera resolutio : « Fideles qui ratione ætatis vel labo- » ris jejunare non tenentur, licitè posse in Quadragesimâ, » dum Indultum concessum est, omnibus diebus In- » dulto comprehensis, vesci carnibus aut lacticiniis per » idem Indultum permissis, quoties per diem edunt. »

Dubitatur igitur an hæc resolutio valeat in diœcesi cujus Episcopus auctoritate apostolicâ concedit fidelibus ut, feriâ 2ª, 3ª, 5ª temporis Quadragesimæ, possint semel in die vesci carnibus et ovis, iis verò qui ratione ætatis vel jejunare non tenentur, permittit ut ovis sæpius in die utantur.

Quæritur itaque : 1° An non obstantibus memoratâ phrasi *ovis sæpius in die utantur*, et tenore concessionis, possint ii, qui ratione ætatis vel laboris jejunare non te-

nentur, vi dictæ resolutionis vesci carnibus quoties per diem edunt? — 2° An iis, qui jejunare non tenentur ratione ætatis vel laboris, æquiparandi sint qui ratione infirmæ valetudinis à jejunio excusantur, adeo ut istis quoque pluries in die vesci carnibus liceat?

S. Pœnitentiaria, maturè consideratis propositis dubiis, dilecto in Christo oratori in primis respondet transmittendo declarationem ab ipsâ S. Pœnitentiariâ aliàs datam, scilicet : « Ratio permissionis de quâ in resolu» tione datâ à S. Pœnitentiariâ, 16 januarii 1834, non est » Indultum patrifamiliâs concessum, sed innotentia, » in quâ versantur filiifamiliâs, observandi præceptum.»

Deinde ad duo priora dubia respondet : Quoad primum, *affirmativè*. Quoad secundum, *sufficere permissionem factam à simplici confessario.*

Ad duo vero posteriora dubia respondet : Quoad primum, *negativè ;* quoad secundum, *non æquiparari.*

Datum Romæ in S Pœnitentiariâ, die 27 maii 1863.

A.-M. Card. Cagiano M. P.

Facultas celebrandi extra ecclesiam, propter magnum populi concursum die festo, denegata fuit a S. R. C., 27 apr. 1836, n° 4788. (Vide supra : p. 68, n° 3563.)

De calice ex aluminio.

Pius IX sub quibusdam conditionibus permisit calices et patenas confectas ex aluminio aliis metallis commixto. 6 dec. 1866. *Revue des sciences eccl.*, t. 17, p. 539, etc.

DECISIO CIRCA MATRIMONIUM.

S. Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini interpretum sæpius respondit : hodie post Trident. Concilium.

Matrimonium metu contractum, etiam purgato metu per cohabitationem cum carnali copula, aliosque actus non convalidari, nisi iterum contrahatur, adhibita rursus ejusdem Concilii forma. 20 Junii 1609.

Alia decisio ejusdem Congr. refertur in *Analect.* 74e livr. col. 2241-2247, etc., quæ est 10 junii 1865.

DE COMMUNIONE DANDA ET MISSA DEFUNCTORUM DICENDA CUM PARAMENTIS NIGRIS.

Eminentissimi ac Reverendissimi Patres S. R. C. præpositi.... responderunt :... Posse in missis defunctorum cum paramentis nigris, sacram communionem fidelibus ministrari etiam ex particulis præconsecratis, extrahendo pixidem a tabernaculo. Posse item in paramentis nigris ministrari, communionem immediate post missam defunctorum ; data autem rationabili causa, immediate quoque ante eamdem missam. In utroque tamen casu omittendam esse benedictionem. Missas vero defunctorum celebrandas esse omnino in paramentis nigris; adeo ut violacea adhiberi nequeant, nisi in casu quo, die 2 novembris, sanctissimæ Eucharistiæ sacramentum publicæ fidelium adorationi sit expositum pro solemni oratione 40 Horarum, prout cautum est in decreto sacræ hujus Congreg. diei 16 sept. anni 1801. Et ita decreverunt, ac ubique locorum Sanctissimo Domino Nostro placuerit, servari mandarunt, die 27 junii 1868.

Facta autem per me Secretarium Sanctissimo Domino Nostro Pio Papæ IX relatione, Sanctitas Sua decretum S. Congreg. approbavit et confirmavit, die 23 julii anni ejusdem.

C. Episc. Portuensis et S. Rufinæ card. Patrizi S. R. C. Præf.

Pro RR. DD. Bartolini S. R. C. Secretarius.

POITIERS. — TYPOGRAPHIE ET STÉRÉOTYPIE OUDIN.

INDEX

SUPPLEMENTI.

Numeri.		Paginæ.
923.	De statu religioso.	1
924.	Art. I. — De natura religiosi status et solemnitate votorum. . .	2
	Art. II. — De norma erigendi religiosas familias novosque earum conventus.	14
	§ I. — De norma erigendi canonice religiosas familias et novas illarum domus.	*ib.*
938.	Punct. I. — De norma canonice erigendi religiosas familias.	*ib.*
943.	Punct. II. — De norma canonica erigendi religiosas domus.	19
950.	§ II. — De norma civiliter erigendi familias religiosas.	23
	Art. III. — De canonica norma statum religiorum ingrediendi. .	24
951.	§ I. — De Novitiatu.	*ib.*
952.	Punct. I. — Quinam jure communi in religionem sint admittendi.	25
958	Punct. II. — Ad quem pertineat novitios admittere. . . .	29
959.	Punct. III. — De novitiatus dura ione.	*ib.*
960.	Punct. IV. — De loco novitiatus et novitiorum habitu. . .	30

Numeri.		Paginæ
962.	Punct. V. — De dispositionibus juris circa bona temporalia novitiorum eorumque beneficia.	31
964.	Punct. VI. — Solutio quorumdam dubiorum circa novitios.	33
969.	§ II. — De Professione religiosa. . .	34
970.	Punct. I. — De professione expressa et tacita.	35
971.	Punct. II. — Ad quem pertineat admittere ad professionem.	36
972.	Punct. III. — De effectibus professionis.	*ib.*
974.	Punct. IV. — Quid sit agendum in casu professionis nullæ. .	38
975.	§ III. — De quibusdam specialibus Novitiatui aut professioni monialium.	39
	Art. IV. — De religiosorum obligationibus.	42
	§ I. — De obligationibus votorum religiosorum.	*ib.*
979.	Punct. I. — De obligationibus ex voto castitatis.	*ib*
980.	Punct. II. — De obligationibus ex obedientiæ voto. . . .	*ib.*
981.	Punct. III. — De obligationibus ex voto paupertatis.	44
990.	§ II. — De obligatione ad perfectionem tendendi.	49
991.	§ III. — De obligatione regulam et constitutiones servandi. . . .	50
992.	§ IV. — De obligatione h. bitum religiosum gestandi.	51
993.	§ V. — De obligatione clausuram servandi.	*ib.*
998.	§ VI. — Religiosis prohibita.	56
999.	§ VII. — Plures aliæ religiosorum obligationes.	*ib.*

Numeri		Paginæ.
	Art. V. — De regimine regularium. . .	58
	§ I. — De regimine regularium ad extra.	*ib.*
1003.	Punct. I. — De habilitate regularium ad munia ecclesiastica.	*ib.*
1005.	Punct. II. — De jure regularium quoad sacri ministerii exercitium. . .	60
1006.	Punct. III.—De jure regularium quoad bonorum suorum administrationem. . . .	61
1010.	Punct. IV. — De Congregationibus virorum votis solemnibus carentibus relative ad Episcopos. .	65
1011.	Punct. V. — De variis regimen externum monialium concernentibus. . . .	67
	§ II. — De regimine regularium ad intra.	69
1015.	Punct. I. — De potestate qua regulares ad intra gubernantur.	*ib.*
1023.	Punct. II. — De Prælatorum regularium coercitiva seu judiciaria potestate. .	76
1025.	Punct. III. — De potestate solvendi regularium vota. . . .	78
1027.	Art. VI. — De privilegiis religiosorum.	79
1032.	Scholium. De privilegio regularium eligendi sibi Conservatores.	82
	Art. VII. — De regularibus statum mutantibus.	83
1034.	§ I. — De regularium apostasia. . .	*ib.*
1035.	§ II. — De ejectione religiosorum. .	84
1037.	§ III.— De religiosis solemniter professis indultum pontificium in sæculo manendi obtinentibus. . . .	86
1038.	Art. VIII. — De suppressione Ordinum et religiosorum dispersione.	87

Numeri. Pagin æ.

1039. Art. IX. — De variis speciebus ordinum religiosorum. 88
Varia documenta. . . . 90
Constitutio Pastor æternus. 90
Constitutio *Apostolicæ Sedis*. 99
Syllabus. 114
Variæ decisiones. . . . 129

POITIERS. — TYPOGRAPHIE DE OUDIN FRÈRES.

DISSERTATION

SUR LE CALENDRIER.

1. Le saint concile de Trente, dans sa session 23e, au chapitre XVII *De la Réformation*, indique à quelles études on doit appliquer les élèves des séminaires ; et, parmi les matières qu'il énumère, se trouve le comput ecclésiastique ou l'étude du calendrier : *Ut in disciplinâ ecclesiasticâ commodiùs instituantur... grammatices, cantus*, COMPUTI ECCLESIASTICI, *aliarumque bonarum artium disciplinam discent.*

Malgré cette disposition du saint concile, l'étude du calendrier est fort peu cultivée, même dans nos séminaires, et c'est à peine si, dans chaque diocèse, il se trouve trois ou quatre ecclésiastiques qui s'occupent de ces matières et soient un peu au courant de ce qui les concerne. Nous serions heureux de pouvoir contribuer à vulgariser un peu plus cette partie des connaissances ecclésiastiques, et c'est ce qui nous a décidé à publier cette *Dissertation.*

2. Le mot *calendrier* vient du mot *calenda*, dérivé lui-même du mot *calare*, qui signifie convoquer, parce que, le premier de chaque mois, c'est-à-dire le jour des calendes, les citoyens romains étaient convoqués pour entendre l'indication du jour des *nones* et des nouvelles lunes. Le nom donné à ce jour a été étendu au mode de distribuer et de supputer les autres jours, les mois et les fêtes, et ce mode s'est ainsi appelé *calendrier* ou *kalendrier.*

Pour bien comprendre ce qui a rapport au calendrier, il est nécessaire d'avoir présentes à la mémoire certaines notions concernant la division du temps.

ARTICLE PREMIER.

NOTIONS DIVERSES SUR LA DIVISION DU TEMPS.

3. C'est par le mouvement du soleil et de la lune que se déterminent les jours, les mois et les années (*Gen.* I, 14).

1° Le *jour* (c'est du jour astronomique que nous parlons) est l'espace de temps que met le soleil, en partant d'un méridien, pour arriver au même méridien. On comprend qu'en nous exprimant de la sorte, nous n'avons aucune intention de contredire l'opinion généralement reçue aujourd'hui, d'après laquelle ce n'est pas au soleil qu'il faut attribuer la révolution qui fait le jour et la nuit, mais plutôt à la terre qui, en tournant sur elle-même, fait paraître et disparaître le soleil toutes les 24 heures.

4. La durée du jour peut s'entendre ou selon le *temps vrai*, ou selon le *temps moyen*.

Entendus selon le *temps moyen*, les jours sont tous égaux et ont juste 24 heures : le temps moyen, en effet, est l'heure qu'indiquerait une horloge parfaitement réglée, qui ne se dérangerait jamais, et qui, au bout de l'an, retrouverait le soleil au même cercle du méridien où elle l'avait rencontré l'année précédente.

Selon le *temps vrai*, les jours ne sont pas exactement égaux entre eux. Par temps vrai, on entend le moment où le soleil touche la ligne méridienne de l'endroit où l'on se trouve : or, à partir de cet instant jusqu'au moment où le soleil revient à ce même méridien, il ne s'écoule pas toujours le même espace de temps; mais cette révolution se fait tantôt plus vite et tantôt plus lentement, ainsi que le constatent les astronomes. Voici comment ces variations sont indiquées dans l'*Annuaire* publié par le bureau des longitudes en l'année 1861 :

JOUR DU MOIS	JANVIER.			FÉVRIER.			MARS.			AVRIL.			MAI.			JUIN.		
	h.	m.	s.	h.	m.	s.	h.	m.	s.	h.	m.	s.	h.	m.	s.	h.	m.	s.
1 . . .	12	3	58	12	13	55	12	12	32	12	3	54	11	56	56	11	57	30
10 . . .	12	7	56	12	14	31	12	10	26	12	1	17	11	56	11	11	59	6
20 . . .	12	11	25	12	13	59	12	7	35	11	58	50	11	58	16	12	1	12

JOUR DU MOIS	JUILLET.			AOUT.			SEPTEMBR.			OCTOBRE.			NOVEMBRE.			DÉCEMBRE.		
	h.	m.	s.	h.	m.	s.	h.	m.	s.	h.	m.	s.	h.	m.	s.	h.	m.	s.
1 . . .	12	3	29	12	6	1	11	59	48	11	49	37	11	43	42	11	49	19
10 . . .	12	5	1	12	5	5	11	56	50	11	47	00	11	44	6	11	53	7
20 . . .	12	6	2	12	3	9	11	53	19	11	44	51	11	45	51	11	57	57

C'est-à-dire qu'une horloge qui ne varie jamais indique les heures susmentionnées, au moment où le soleil touche le méridien de l'endroit, et cela s'appelle le *temps vrai*.

5. 2° Le mois *astronomique* (et sous cette dénomination on entend le mois lunaire) est l'espace de temps qui s'écoule entre deux conjonctions du soleil et de la lune. La *conjonction* a lieu lorsque la lune est entre le soleil et la terre, sans que pour cela il y ait toujours éclipse : lorsque la terre se trouve entre le soleil et la lune, cela s'appelle *opposition*.

Quoique ces révolutions ne s'achèvent pas invariablement pendant le même intervalle de temps, et qu'il y ait entre elles bien de la différence, cependant les astronomes leur attribuent la mesure commune

de 29 jours solaires, 12 heures, 44 minutes, 3 secondes, 10 tierces, 48 quartes.

6. Le mois lunaire se divise en quatre parties : *la nouvelle lune* ou *néoménie*, qui a lieu à l'époque de la conjonction de la lune avec le soleil; la *pleine lune*, qui a lieu à l'époque de l'opposition de la lune et du soleil, la terre se trouvant entre les deux. Les époques intermédiaires s'appellent *premier* et *dernier quartier*.

La nouvelle lune est, ou *ecclésiastique*, et elle se règle au moyen des épactes, selon la méthode usitée dans l'Église, que nous donnerons plus loin; ou *astronomique*, et celle-ci a lieu au moment précis où la lune est entre la terre et le soleil. Il faut bien faire attention à ces deux espèces de nouvelles lunes : car la nouvelle lune ecclésiastique est le premier instant où la lune paraît le soir, au coucher du soleil, sous la forme d'un croissant très-délié, ce qui n'a lieu que deux jours après le moment de la conjonction, c'est-à-dire deux jours après la nouvelle lune astronomique, qui est nécessairement invisible. Il suffit donc d'ajouter treize jours à la nouvelle lune ecclésiastique pour avoir la pleine lune, tandis qu'il faut quinze jours depuis la nouvelle lune astronomique jusqu'à la pleine lune (V. *Leçons de Cosmographie, par M. H. Garcet*, 2e édit., *notes complém.*, no 69).

7. Outre les mois lunaires, il y a, comme on sait, d'autres mois qui divisent l'année en douze parties inégales, savoir : *janvier*, *février*, *mars*, *avril*, *mai*, *juin*, *juillet*, *août*, *septembre*, *octobre*, *novembre* et *décembre*. Sept de ces mois, savoir : *janvier*, *mars*, *mai*, *juillet*, *août*, *octobre* et *décembre* ont 31 jours; quatre en ont 30, savoir : *avril*, *juin*, *septembre*, *novembre*; février a seulement 28 jours dans les années communes, et 29 jours dans les années bissextiles.

Ces dénominations de mois ont été empruntées aux anciens Romains; l'année commençait chez eux au mois de *mars*, que Romulus avait consacré au dieu de la guerre; venait ensuite *avril*, du mot *aprilis* dérivé de *aperire*; puis *mai*, du mot *majores*; *juin* de *Junon* ou du mot *juniores*; *juillet*, de *Jules César*; *août* de l'empereur Auguste, *septembre* du mot *septem* (sept), comme étant le septième mois depuis mars; *octobre*, du mot *octo* (huit), comme étant le huitième; et ainsi de suite. On ne comptait que dix mois du temps de Romulus; mais Numa-Pompilius en ajouta deux autres, savoir : *janvier*, du dieu *Janus*, et *février*, du mot *februa*, employé pour désigner les expiations qui se faisaient pour apaiser les morts, et qui avaient lieu dans ce mois.

8. Chez les Romains, le mois avait trois parties appelées *calendes*, *nones* et *ides*. Les calendes commençaient le premier du mois; les nones arrivaient toujours neuf jours avant les ides, d'où leur venait la dénomination de *nones*. Le nom des ides était dérivé du mot étrusque *iduo*, qui signifie partager, parce que les ides partageaient en effet le mois en deux parties à peu près égales : elles tombaient le 15, dans les mois de *mars*, de *mai*, de *juillet* et d'*octobre*. Dans les autres mois, elles avaient lieu le 13. Il résultait de là que les nones commençaient le 7

dans les quatre mois que nous venons d'indiquer, et dans les autres le 5 seulement. Les jours intermédiaires s'indiquaient en rétrogradant, de cette façon : on appelait *pridie kalendas* ou *ante kalendas*, la veille des calendes ; *tertio kalendas*, l'avant-veille ; *quarto kalendas*, le 4 avant les calendes, ainsi de suite. Il en était de même des *nones* et des *ides* : *pridie*, *tertio*, etc., *nonas*, la veille, l'avant-veille, etc., des nones ; *pridie*, *tertio*, *quarto*, etc., *idus*, la veille, l'avant-veille des ides, le 4 avant les ides, etc.

Le nombre des jours entre les calendes et les nones n'étant pas constamment le même : le lendemain des calendes, dans les mois où les nones tombent le 5, s'appelle *quarto nonas*, le 4 avant les nones, parce que dans ces mois il n'y a que trois jours entre les susdites époques, au lieu que dans les autres mois, on appelle le lendemain des calendes *sexto nonas*, le 6 avant les nones, parce qu'il y a cinq jours entre ces mêmes époques dans les autres mois. Il en est de même des jours qui se trouvent entre les ides et les calendes subséquentes, soit parce que les ides sont tantôt le 13 et tantôt le 15 ; soit parce que les mois ont tantôt 31, tantôt 30 et tantôt 28 jours, et c'est pour cela que le lendemain des ides s'appelle ou le 19 ou le 17 ou le 16 avant les calendes. Il en est autrement pour ce qui concerne les jours qui se trouvent entre les nones et les ides : quand même ces époques soient sujettes à variation, on dit toujours *octavo idus*, le 8 avant les ides, le lendemain des nones, parce qu'il y a toujours neuf jours entre les nones et les ides.

Cette manière d'indiquer les jours du mois est en usage, aujourd'hui encore, dans la cour romaine, et c'est ainsi que sont datées les Constitutions Apostoliques.

9. Tout le monde sait que l'origine de la semaine remonte aux premiers jours de la création, lorsque Dieu ayant tiré du néant et mis en ordre toutes les choses créées dans l'espace de six jours, il se reposa le septième, qui fut appelé pour cela *sabbat* et donna son nom à toute la semaine, en sorte qu'anciennement on désignait les jours de la semaine par ces mots : *Prima*, *secunda*, *tertia sabbati* ; et c'est par suite de cet usage que le pharisien de l'Evangile a pu dire convenablement, *jejunio bis in sabbato*, je jeûne deux fois la semaine.

Parmi les chrétiens, les jours de la semaine s'appellent, le premier, *dimanche*, *dies dominicus*, jour du Seigneur, parce que ce jour est spécialement consacré à son culte et nous rappelle la résurrection de notre divin Sauveur, qui a eu lieu le dimanche de Pâques ; les autres jours sont nommés férie 2e, 3e, 4e, 5e, 6e, et samedi.

Chez les Gentils, le premier jour de la semaine s'appelait le jour du soleil ; le second, jour de la lune (lundi) ; le troisième, jour de Mars (mardi) ; le quatrième, jour de Mercure (mercredi) ; le cinquième, jour de Jovis ou de Jupiter (jeudi) ; le sixième, jour de Vénus (vendredi) ; par où l'on voit que la semaine et le souvenir de la création n'étaient pas tout à fait effacés de la mémoire des païens. Ces dénominations sont encore en usage, au moins partiellement, on le sait, parmi les chré-

tiens, et elles tirent leur origine des astres auxquels on donne ces divers noms.

10. L'année sacrée chez les Juifs datait du mois où s'opéra leur délivrance de la servitude des Égyptiens (*Exode*, XII, 2; *Lév.*, XXIII 5; *Nombr.*, VIII, 16), c'est-à-dire du mois qui fut appelé *Nizan* après la captivité de Babylone : car, dans le Pentateuque, on ne lui donne pas d'autre nom que celui de *premier mois*, ou mois d'*Abid*, c'est-à-dire *mois des fruits nouveaux* (*Exode* XIII, 4; *Deuter.* XVI, 1); les autres mois sont appelés dans le Pentateuque, *second*,... *septième mois*, etc.; mais, dans le IIIe livre des Rois (VI, I et 17), le second mois s'appelle *Zius*, et il fut appelé *Fiar*, après la captivité, où l'on donnait le nom de *Sivan* au 3e; le nom de *Tamuz* au 4e; de *Ab* au 5e; d'*Eliel* au 6e; de *Tizri* au 7e (ce mois est appelé *Ethanim* dans le IIIe livre des Rois, chap. VIII, v. 2); de *Marchesvan* au 8e (on l'appelle *Bul* au chap. VI, v. 38 du IIIe livre des Rois); de *Casleu* au 9e; de *Thabet* au 10e; de *Sebeth* au 11e; d'*Adar* au 12e.

Chez les Juifs, quand il y avait un mois lunaire embolismique ou intercalaire (nous dirons plus loin ce que c'est [16]), on lui donnait le nom de *Véadar*. Avant Moïse l'année paraît avoir commencé au septième mois, appelé *Tizri*; et il semble même qu'après Moïse l'année civile commençait à ce même mois (Zallinger, *Appendix historica*, c. I, n° 11).

11. — 3° L'*année astronomique* est de deux espèces : l'année solaire et l'année lunaire. L'année solaire est l'espace de temps qu'il faut au soleil parti d'un équinoxe ou d'un solstice pour revenir à ce même équinoxe ou à ce même solstice. Ce temps est sujet à quelques variations; mais, calculé d'après la moyenne, il est, selon Copernic, de 365 jours, 5 heures, 49 minutes, 6 secondes; selon Cassini, de 365 jours, 5 heures, 48 minutes, 49 secondes; selon Delalande, de 365 jours, 5 heures, 48 minutes, 51 secondes; et selon le *Dictionnaire des dates* (V° *Calendrier*), de 365 jours, 5 heures, 48 minutes, 45 secondes.

12. La différence entre l'année astronomique solaire et l'année du calendrier est donc, selon M. Delalande, de 11 minutes et 9 secondes; et selon le *Dictionnaire des dates*, de 11 minutes, 15 secondes.

13. L'année lunaire est l'espace de temps que mettent le soleil et la lune pour opérer douze fois leur conjonction. La durée de cette année, calculée d'après la durée moyenne du mois lunaire que nous avons relatée plus haut, est de 354 jours solaires, 8 heures, 48 minutes, 38 secondes, 9 tierces, 36 quartes.

Or, si de l'année astronomique telle qu'elle est donnée par le *Dictionnaire des dates*. . . .	365j	5h	48m	45s	0t	0q
on retranche l'année lunaire. .	354	8	48	38	9	36
on aura pour différence. . . .	10	21	0	6	50	24
Et si de l'année solaire civile, c'est-à-dire de l'année du calendrier.	365j	6h	00m	0s	0t	0q
on retranche l'année lunaire. .	354	8	48	38	9	36
on aura pour différence. . . .	10	21	11	21	50	24

L'année lunaire commune du calendrier est composée de douze mois lunaires, dont six de 30 jours et six de 29 jours seulement, formant un total de 354 jours.

ART. II.

COMMENT S'EST FORMÉ LE CALENDRIER AUJOURD'HUI GÉNÉRALEMENT SUIVI PARMI LES NATIONS CHRÉTIENNES.

14. Il existe un moyen assez facile de déterminer, au moins approximativement, la longueur de l'année solaire : on trace une méridienne sur un plan horizontal, on élève sur cette méridienne un style perpendiculaire, puis on observe le temps qui s'écoule depuis l'instant où l'ombre du style est la plus courte, c'est-à-dire à partir du solstice d'été, jusqu'au moment où l'ombre est la plus longue, ce qui arrive au solstice d'hiver. Cet espace de temps est à peu près la moitié de l'année; et si l'on attend que le soleil soit revenu au point où l'ombre est la plus courte, c'est-à-dire au solstice d'été suivant, on aura l'année dans son intégrité.

15. Faute d'instruments assez perfectionnés, l'année ne put d'abord être précisée d'une manière parfaitement exacte; et c'est la cause peut-être qui fit d'abord confondre les années solaires avec les années lunaires; mais lorsque, à la suite d'expériences souvent répétées, on eut constaté que l'année solaire se composait d'environ 365 jours, et que, par conséquent, elle différait de 11 jours de l'année lunaire, que l'on ne croyait être que de 354 jours, il fut nécessaire par intervalle, c'est-à-dire environ tous les trois ans, d'ajouter à l'année lunaire une lunaison ou un mois lunaire, pour rendre cette année égale à l'année solaire. Mais cette addition triennale n'égalisant pas ces deux sortes d'années d'une manière parfaite, on imagina divers cycles ou périodes d'années, après lesquelles on crut que la lune et le soleil revenaient au même point, et se retrouvaient entre eux dans les mêmes rapports. Nous nous contenterons d'exposer ici avec quelques détails le cycle de Méton qui a donné naissance au *Nombre d'or*.

16. Cet astronome, qui vivait 439 ans avant l'ère chrétienne et était Athénien, crut avoir constaté qu'après la période de 19 années solaires, les lunaisons s'accordaient parfaitement avec le soleil : les années solaires étant en effet de 365 jours (on le croyait à cette époque), cela formait un total de 6,935 jours. — Répétées dix-neuf fois, les années lunaires, qui n'étaient que de 354 jours, formaient seulement un total de 6,726. La différence est, comme on le voit, de 209 jours. Mais comme ces 209 jours équivalent à six lunaisons de 30 jours et à une lunaison de 29 jours, en ajoutant ces sept lunaisons aux 19 années lunaires, les lunaisons se trouvaient en accord parfait avec les années solaires. Ces lunaisons appelées *Embolismiques*, c'est-à-dire intercalaires, s'ajoutaient, celles de 30 jours, aux années, 3, 5, 8, 11, 13, 16 de la période, et la lunaison de 29 jours, à la 19e année, c'est-à-dire à la fin de la période.

17. Pour réduire ce système en pratique, Méton imagina le *Nombre d'or*; voici en quoi il consistait : la nouvelle lune tombant le 1er janvier de la 3e année de la période, il plaça dans le calendrier le nombre 3 au 1er janvier; mais comme au 1er janvier de l'année suivante, c'est-à-dire la 4e année de la période, la lune devait avoir 11 jours, et qu'elle ne devait se renouveler conséquemment que le 20 du même mois, Méton plaça le nombre 4 au 20 janvier; pour la même raison, il plaça le nombre 5 au 9 janvier, parce que, la 5e année de la période, la lune devait avoir 22 jours au 1er janvier, et se renouveler le 9 du même mois; et ainsi de suite pour le placement des autres nombres de la période.

Le nombre 3, affecté au 1er janvier, fut de nouveau placé le 31 de ce même mois, ces deux jours étant séparés par une lunaison complète de 30 jours; puis le 1er mars, après une lunaison de 29 jours. Ainsi de suite dans les autres mois après des lunaisons successives de 30 et de 29 jours. Il en fut de même du nombre 4, qui, d'abord placé au 20 janvier, se retrouvait au 18 février, au 20 mars, etc., et il en était de même des autres nombres de la période jusqu'à 19.

18. Ce cycle fut appelé *Ennéadécatéride*, mot composé du grec et qui signifie période de 19 ans. On lui donna aussi le nom de *Nombre d'or*, parce que le chiffre indiquant la nouvelle lune, pour l'année courante, était inscrit en or dans le calendrier.

19. La méthode de Méton eût été excellente pour régler les temps, si les révolutions de la lune et du soleil se fussent parfaitement rencontrées au bout de 19 ans; ou, ce qui revient au même, si l'année solaire eût été exactement de 365 jours, et l'année lunaire, de 354; mais nous avons vu plus haut qu'il en était autrement : l'année solaire a 365 jours et près de six heures; l'année lunaire a 354 jours et près de neuf heures. Dès lors les nouvelles lunes ne pouvaient arriver exactement aux époques indiquées par la méthode; il fallait de temps à autre changer la place des nombres d'or. Cette méthode étant peu commode, on songea à la réforme du calendrier.

20. Jules César tenta cette œuvre importante aidé des lumières d'un célèbre astronome d'Alexandrie, Sosigène, lequel avait cru constater que l'année solaire était composée non-seulement de 365 jours, mais encore de six heures entières. Ces six heures formant un jour entier au bout de quatre ans, Jules César statua qu'on ajouterait un jour à chaque 4e année; et que, par conséquent, chaque 4e année aurait 366 jours. Il régla encore que cette addition se ferait au mois de février, le 6 des calendes de mars, et que, pour ne pas changer le nombre des jours assignés aux calendes de ce même mois, on répéterait deux fois (*bis*) *sexto calendas*. De là la nom de bissextile donné à cette 4e année.

21. Il fut statué en outre que l'année commencerait le 1er janvier, à cause de la proximité de ce jour avec le solstice d'hiver, et aussi parce que l'année où eut lieu cette réforme, c'est-à-dire en l'an 45 avant Jésus-Christ, ou l'an 708 de la fondation de Rome, la nouvelle lune tombait précisément le 1er janvier, 10 jours après le solstice d'hiver (V. *Dictionn. des dates*, v° *Calendrier*).

22. En réformant ainsi le calendrier, Jules César avait eu surtout en vue de faire concorder l'année civile, c'est-à-dire l'année du calendrier, avec l'année tropicale ou astronomique; mais il employa à cette fin un système défectueux, en ce qu'il supposait que l'année tropicale était composée de 365 jours et six heures entières, tandis que, comme nous l'avons dit précédemment, selon Delalande, il s'en fallait de 11 minutes et 9 secondes qu'elle atteignît les 365 jours et les six heures entières, et, selon le *Dictionnaire des dates*, il s'en fallait de 11 minutes et 15 secondes.

Or, ces 11 minutes et 9 secondes de Delalande étant répétées 129 fois, forment un total de 86,301 secondes; et comme le jour a 86,400 secondes, il résulte qu'au bout de 129 ans, selon Delalande, l'année tropicale différerait d'environ un jour de l'année civile; et si la supputation du *Dictionnaire des dates* devait être préférée, on trouverait, au bout de 128 ans, le total précis de 86,400 secondes; c'est-à-dire que l'année tropicale précéderait exactement d'un jour l'année civile, et l'équinoxe réel arriverait ainsi un jour plus tôt que ne l'indique le calendrier; il arriverait de même deux jours plus tôt au bout de 256 ans, et trois jours après 384 ans. Le calendrier de Jules César avait donc aussi besoin de réforme. Nous dirons bientôt comment elle s'est opérée.

23. La société chrétienne n'avait pas seulement besoin d'un bon cycle solaire, il fallait surtout un cycle lunaire bien exact. On sait en effet que chez les chrétiens, comme parmi les juifs, la fête de Pâques est la fête principale, d'où la plupart des autres dépendent. Cette fête se célébrait chez les Juifs le 14e de la lune le plus voisin de l'équinoxe du printemps (*Exod.*, XII, 18; *Lévit.*, XXIII, *Nombr.*, XXVIII, 16). Les chrétiens la célèbrent aussi à cette époque, non pas pourtant le 14e de la lune, pour ne pas la célébrer en même temps que les juifs, mais ils renvoient cette solennité au dimanche suivant, et ceux qui avaient voulu la célébrer le 14, d'abord improuvés, furent condamnés ensuite comme hérétiques sous le nom de quartodécimans dans les conciles d'Arles et de Nicée.

24. Il importe donc extrêmement à l'Église d'avoir un moyen sûr pour connaître la lune pascale.

On employa à cette fin, dans les premiers siècles de l'Église, diverses espèces de cycles : les uns eurent recours à l'*octoéride* ou cycle de saint Hippolyte, les autres se servirent d'un cycle de 84 ans, d'autres de l'*Ennéadécatéride* de Méton. (V. Zallinger, *Appendix histor.*, ch. IV, etc.)

Enfin le concile de Nicée, qui eut lieu l'an 325, statua trois choses : 1° que la fête de Pâques ne serait célébrée que le dimanche qui suivrait le 14 de la lune, conformément à ce qui s'était pratiqué dès les temps apostoliques; 2° que la lune de Pâques serait toujours celle dont le 14e jour était ou le 21 mars, jour où se rencontra l'équinoxe, en l'année de la tenue de ce concile, ou le jour le plus rapproché qui venait ensuite; et jamais celle dont le 14e tombait avant l'équinoxe; 3° quant à la supputation des lunaisons, le concile admit le cycle

Enneadécatéride et le système du *Nombre d'or*. On en a la preuve dans la lettre de saint Ambroise aux évêques d'Emilie, dans laquelle, parlant des Pères de Nicée, il dit : *Convenientes ad synodum Nicœnam..., admiranda decreta... super celebritate memoratâ* (paschali), *congregatis peritissimis, calculandi decem et novem annorum collegêre rationem et quasi quemdam constituêre circulum, ex quo exemplum in annos reliquos gigneretur : hunc circulum Enneadecaterida nuncupaverunt* (V. Zallinger, *ibid.*, ch. v, n° 41, etc.).

25. Il résulte des décrets susmentionnés du Concile de Nicée que la fête de Pâques ne peut arriver avant le 22 mars, ni être différée au delà du 25 avril. Si, en effet, le 14e de la lune tombe le 21 mars, quand même ce jour serait un dimanche, ce ne peut être la fête de Pâques, qui ne doit pas se célébrer le 14 de la lune; on pourrait seulement la célébrer le lendemain, si c'était un dimanche, et c'est le jour le plus rapproché. D'autre part, quand le 14e de la lune tombe le 18 avril, et c'est l'époque la plus reculée du 14e de la lune pascale, il peut également arriver que ce jour-là soit un dimanche, et par conséquent que la fête de Pâques doive être ajournée au dimanche suivant, d'après les prescriptions du Concile de Nicée, et dans ce cas la fête de Pâques aura lieu le 25 avril, époque la plus reculée où puisse se rencontrer cette fête.

L'Église ne célèbre pas la fête de Pâques le 14e de la lune de mars, parce que ce jour-là est celui des humiliations du Sauveur, et qu'il ne convient pas qu'on célèbre le triomphe de l'Homme-Dieu en même temps que les juifs, qui l'ont fait mourir, solennisent leur délivrance de la captivité d'Egypte.

26. Il s'est élevé souvent des discussions au sujet du jour où devait se célébrer la Pâque. On peut voir dans Zallinger (*ibid.*, ch. vi, n° 48) comment saint Ambroise résolvait les difficultés à cet égard dans sa lettre aux évêques d'Emilie.

27. Pour assigner à la fête de Pâques le jour qui lui convient, non-seulement il faut connaître le 14e de la lune pascale, mais encore il faut trouver le jour du dimanche. Pour l'indiquer, Victor d'Aquitaine imagina un cycle de 532 ans obtenu par la multiplication du chiffre 19 (cycle de Méton), avec le chiffre 28, qui exprime les années du cycle solaire ou des lettres dominicales. La raison fondamentale de ce cycle de 532 ans est qu'on croyait que les nouvelles lunes arrivaient toujours au même instant de l'année civile où elles étaient arrivées 19 ans auparavant, et qu'après 28 ans les jours de la semaine se rencontraient aux mêmes jours de chaque mois. Dans cette hypothèse, la fête de Pâques et les autres fêtes de l'année revenaient nécessairement dans le même ordre tous les 532 ans.

28. Denis-le-Petit adopta ce système et le fit adopter généralement vers l'an 533. C'est lui qui introduisit l'usage de dater les années à partir de l'incarnation de Jésus-Christ, quoique l'opinion assez commune des érudits soit qu'il n'a pas exactement indiqué cette époque. Avant lui, les uns dataient les années à partir de la fondation de Rome d'autres à partir du commencement du règne de Dioclétien.

29. Le cycle adopté par Denis-le-Petit ne pouvait remédier suffisamment aux imperfections des cycles antérieurs ; on y supposait toujours que l'année solaire était de 365 jours et six heures entières, et, en outre, qu'au bout de 19 ans, c'est-à-dire après 235 lunaisons, les années concordaient exactement avec les années solaires. Or, nous avons vu tout à l'heure que non-seulement l'année tropicale avait 11 minutes 9 ou 15 secondes de moins que l'année du calendrier, mais que les 235 lunaisons sont presque d'une heure et demie plus courtes que les 19 années du cycle de Méton.

En effet, 365 jours et six heures multipliées par 19 donnent 6,939 jours 18 heures, tandis que les lunaisons, ayant en moyenne chacune 29 jours 12 heures 44 minutes 3 secondes 10 tierces 48 quartes, si on les multiplie par 235, on trouve : 1° que 48 quartes font 11,280 quartes ou 188 tierces ; 2° que 10 tierces font 2,350 tierces, en y ajoutant 188 tierces du produit précédent, on a 2,538 tierces ou 42 secondes, plus 18 tierces ; 3° que 3 secondes font 705 secondes, qui, avec les 42 précédemment obtenues, font 747 secondes, ou 12 minutes 27 secondes ; 4° que 44 minutes font 10,340 minutes, et en y ajoutant 12 minutes, on a 10,352 minutes, ou 172 heures 32 minutes ; 5° que 12 heures font 2,820 heures, et en y ajoutant 172 heures, on a 2,992 heures ou 124 jours plus 16 heures ; 6° que 29 jours font 6,815 jours, auxquels si on ajoute 124, on aura 6.939 jours.

235 lunaisons forment donc un total de 6,939 jours, 16 heures, 32 minutes, 27 secondes, 18 tierces.

Or, si de. .	6,939 j	18h	0m	0s	0t	contenus dans les 19 ann. solaires,
on retranche	6,939	16	32	27	18	contenus dans les 19 ann. lunaires,
il manquera.	»	1	27	32	42	aux années lunaires pour égaler les 19 années solaires, telles qu'on les supposait avant la réforme grégorienne.

30. Si donc, après 19 ans, l'année lunaire commence 1 heure, 27 minutes, 32 secondes, 42 tierces avant l'année solaire, après 312 ans et demi environ, la nouvelle lune doit arriver un jour avant l'époque que lui assignait le calendrier.

On a ce résultat au moyen de la règle proportionnelle suivante : 1 heure 27 minutes 32 secondes 42 tierces, ou 315,162 tierces, sont à 19, comme 1 jour, ou 5,184,000 tierces, sont à X, et l'on obtient pour 4e terme 312 ans, 6 mois et près de 9 jours.

31. Pour les causes ci-dessus énumérées, il était arrivé, avec le temps, que l'année civile ne concordait plus avec l'année tropicale et que l'équinoxe, qui devait avoir lieu au 21 mars ne tombait, au seizième siècle, que le 11 du même mois. Les lunaisons arrivaient également quatre jours avant l'époque marquée sur le calendrier d'après le cycle de Méton ; et les mêmes causes produisant toujours leur effet, l'équinoxe aurait fini par arriver à l'époque du solstice, et la fête de Pâques se serait célébrée vers le temps de Noël.

32. On tenta souvent la réforme du calendrier ; elle fut proposée par le cardinal d'Ailly ; Gerson fit instance pour la faire admettre au concile de Constance; Sixte IV mit la main à l'œuvre avec le secours de l'as-

tronome Régiomontan, et ne put achever cette entreprise. La question fut agitée au concile de Trente, qui renvoya l'affaire au Saint-Siége. En 1581 enfin, Grégoire XIII, assisté des plus célèbres astronomes de son temps, et surtout avec l'aide d'Aloysius Lelius, médecin romain, et du savant jésuite Clavius, mit la dernière main à cette importante réforme, comme nous allons le dire.

33. Ne voulant pas qu'il fût en rien dérogé à l'antique prescription de Nicée, d'après laquelle la pleine lune pascale (ou plutôt le 14e de cette lune) doit toujours être celle qui arrive le 21 mars ou le jour le plus rapproché qui vient après ce 21 mars, le Pontife ordonna que l'on retrancherait dix jours au mois d'octobre 1582, depuis le 4 de ce mois, fête de saint François jusqu'au 15, jour où l'on célèbre aujourd'hui la fête de sainte Thérèse. Le motif qui le détermina à choisir cette époque, pour le retranchement en question, c'est que les fêtes qui se rencontraient dans cet intervalle étaient moins nombreuses et de moindre importance que celles qu'on trouve aux autres époques de l'année.

Les erreurs du passé se trouvaient ainsi corrigées, mais il fallait prévenir les erreurs nouvelles. A cette fin, tout en conservant la succession quadriennale des années bissextiles, Grégoire XIII établit qu'il y aurait exception pour certaines années séculaires, et que les années 1700, 1800, 1900 seraient années communes, mais que les années 1600, 2000, seraient bissextiles; que de nouveau les années 2100, 2200, 2300 seraient communes, et que les années 2400, 2800 seraient bissextiles, les années 2500, 2600, 2700, restant communes, et ainsi de suite.

Quant au cycle lunaire, il régla qu'on n'emploierait plus les nombres d'or pour la désignation des lunes nouvelles; mais qu'on leur substituerait les épactes, qui occupent toujours la même place dans le calendrier, bien que toutes les années elles changent de quotité [1].

34. Le mot *épacte* est dérivé du grec et signifie *ajouté*. On se sert des épactes pour désigner le nombre de jours qu'a la lune au premier janvier; ces jours ajoutés aux lunaisons précédentes rendent l'année lunaire égale à l'année solaire. Voici l'ordre dans lequel les épactes sont disposées dans le calendrier : au 1er janvier on place un astérisque; quand les épactes d'une année sont indiquées par cet astérisque, la nouvelle lune doit avoir lieu cette année le 1er janvier. Le 2 janvier on place le chiffre XXIX, parce que la lune a 29 jours le 1er janvier, quand elle se renouvelle le 2. Pour le même motif, le chiffre XXVIII

[1] Voici comment s'exprime Grégoire XIII dans sa bulle *Inter gravissimas* : « Ne in posterùm a XII kalendas aprilis (21 mars, æquinoctium recedat, statuimus bissextum, quarto quoque anno, uti mos est, continuari debere, præterquam in centesimis annis, qui, quamvis bissextiles antea semper fuerint, qualem etiam esse volumus annum 1600, post eum tamen, qui deinceps consequentur centesimi non omnes bissextiles sint, sed in quadringentis quibusdam annis, primi quique trecenti sine bissexto transigantur, quartus vero quisque centesimus bissextilis sit : ita ut anni 1700, 1800, 1900 bissextiles non sint, anno vero 2000, more consueto, dies bissextus intercaletur Februario dies 29 continenti. Idemque ordo intermittendi intercalandique bissextum semper servetur. » Voy. *Zallinger*, c. II, § 130.

est placé le 3 janvier, et ainsi de suite des autres épactes, comme on peut le voir dans le calendrier placé en tête des bréviaires.

35. Tous les deux mois, les chiffres XXV et XXIV sont réunis le même jour : la raison en est que les mois lunaires dans le calendrier sont supposés avoir alternativement 30 et 29 jours.

Dans les mois où les épactes XXV, XXIV ne sont pas réunies sous le même jour, on place le chiffre arabe 25 à côté de l'épacte XXV, et dans les mois où les susdites épactes sont réunies, on écrit le chiffre arabe 25 à côté de l'épacte XXVI. Cela se fait ainsi pour éviter que les nouvelles lunes se rencontrent deux fois le même jour dans le courant du cycle de dix-neuf ans : ce qui pourrait avoir lieu quand les épactes sont XXIV et XXV. — D'après une ancienne coutume, le mois lunaire pascal étant toujours supposé n'avoir que 29 jours, ces deux nombres sont placés le 5 avril, limite de la lune pascale, qui doit se renouveler depuis le 8 mars jusqu'au 5 avril.

Il ne faut pas oublier que, dans les années bissextiles, la même épacte est assignée au 24 et 25 février.

36. En supposant que la nouvelle lune tombe la première année du cycle de Méton, voici l'ordre dans lequel les épactes concourent avec le nombre d'or.

Nombres d'or :	1,	2,	3,	4,	5,	6,	7,	8,	9,	10,	11,	12,
Epactes :	*	XI,	XXII,	III,	XIV,	XXV,	VI,	XVII,	XXVIII,	IX,	XX,	I,

Nombres d'or :	13,	14,	15,	16,	17,	18,	19
Epactes :	XII,	XXIII,	IV,	XV,	XXVI,	VII,	XVIII

37. On ajoute, comme on voit, onze jours aux épactes de l'année précédente. Observez néanmoins qu'en recommençant le cycle du nombre d'or, il faut ajouter douze jours à l'épacte correspondante au nombre 19 de la période précédente pour avoir l'épacte du nombre 1 de la période qui recommence. La raison en est, selon que nous l'avons déjà fait observer, que la dernière lune embolismique n'est pas de trente jours, mais seulement de 29 ; en ajoutant XI à l'épacte XVIII, on complète en effet ce nombre de 29 jours, et par conséquent la lune nouvelle aura lieu le premier janvier. Mais comme, pour exprimer les nouvelles lunes, il faut qu'il reste 0, et que la règle ordinaire est de retrancher 30, on obtient le même résultat en ajoutant 12, et en retranchant 30 selon ladite règle, au lieu de 29 qu'on devrait retrancher dans ce cas, si on n'ajoutait que le chiffre 11.

38. Observez encore que l'épacte ne peut jamais être XXX, car, dans ce cas, le mois lunaire est complet ; en retranchant en effet 30 jours, il reste zéro exprimé par une astérisque *, et ce signe indique la nouvelle lune lorsqu'il désigne l'épacte de l'année.

Les lunaisons indiquées d'après la méthode précédente diffèrent en quelque sorte des lunaisons astronomiques, et même des lunaisons marquées dans les *almanachs*. Nous ferons connaître plus tard comment on procède pour obtenir les lunaisons des almanachs.

39. Pour les motifs exposés dans l'article précédent, le même tableau ne pouvant toujours servir à trouver les épactes d'une époque quel-

conque, voici celui auquel il faudrait avoir recours pour l'époque de la réforme opérée par Jules César, l'année 45 avant l'ère chrétienne. En cette année le nombre d'or était 14, et la lune fut nouvelle le 1er janvier.

Nombres d'or :	14,	15,	16,	17,	18,	19,	1,	2,	3,	4,	5,
Epactes :	*	XI,	XXII,	III,	XIV,	XXV,	VII,	XVIII,	XXIX,	X,	XXI,

Nombres d'or :	6,	7,	8,	9,	10,	11,	12,	13
Epactes :	II,	XIII,	XXIV,	V,	XVI,	XXVII,	VIII,	XIX

40. On trouve, en tête des bréviaires, le tableau qui faisait règle immédiatement avant la réforme grégorienne. Nous le reproduisons ici:

Nombres d'or :	1,	2,	3,	4,	5,	6,	7,	8,	9,	10,	11,
Epactes :	XI,	XXII,	III,	XIV,	XXV,	VI,	XVII,	XXVIII,	IX,	XX,	I,

Nombres d'or :	12,	13,	14,	15,	16,	17,	18,	19
Epactes :	XII,	XXIII,	IV,	XV,	XXVI,	VII,	XVIII,	XXIX

Si on n'a pas perdu de vue les explications données ci-dessus, on reconnaîtra que ces deux tableaux sont en parfait accord. En effet, dans le premier tableau les épactes étaient VII, la première année du cycle de Méton qui tombait une année avant notre ère vulgaire. Or, aux épactes qui auraient pu être employées à l'époque de ce premier tableau, c'est-à-dire à l'époque de l'incarnation, il faut ajouter 4 jours pour avoir les épactes qui pouvaient servir au temps qui a précédé immédiatement la réforme grégorienne; car, comme nous l'avons déjà dit, tous les 312 ans et demi ou environ, il faut ajouter une épacte au cycle lunaire, pour le faire concorder avec les années solaires : mais, à partir de la période de 312 ans et demi, qui avait cours au temps de Jésus-Christ, et qui expira vers l'an 300 de notre ère, jusqu'à l'époque de la réforme grégorienne en 1582, la susdite période de 312 ans et demi s'est écoulée au moins quatre fois. Donc il faut ajouter quatre jours aux épactes de l'époque de l'incarnation, pour avoir les épactes qui avaient cours au moment de la réforme grégorienne. Ajoutez en effet ces quatre jours au premier des deux derniers tableaux, et vous aurez précisément le second. Ces deux tableaux sont donc en harmonie parfaite.

41. Dix jours ayant dû être retranchés de l'année civile, à l'époque de la réforme grégorienne, à cause de la précession des équinoxes, pour rendre cette année conforme à l'année tropicale, il fallut aussi retrancher dix jours aux épactes alors en usage, pour que ces épactes concordassent avec le calendrier réformé. C'est ce qui est effectué dans le tableau suivant. On ne doit pas oublier que l'année 1582, où cette réforme fut opérée, était la sixième du cycle de Méton.

Nombres d'or :	6,	7,	8,	9,	10,	11,	12,	13,	14,	15,	16,
Epactes :	XVI,	VII,	XVIII,	XXIX,	X,	XXI,	II,	XIII,	XXIV,	V,	XVI,

Nombres d'or :	17,	18,	19,	1,	2,	3,	4,	5
Epactes :	XXVII,	VIII,	XIX,	I,	XII,	XXIII,	IV,	XV

42. On put faire usage du tableau qui précède jusqu'à l'année 1700,

exclusivement. L'année 1700 n'ayant pas dû être bissextile, il fallut, cette année-là, réduire les épactes d'un jour ; et par conséquent, le nombre d'or étant 10, cette année-là, les épactes au lieu d'être X, comme le veut le tableau qui précède, ne durent plus être que IX l'année 1700, et l'année suivante que XX au lieu d'être XXI, etc. ; et la concordance entre les épactes et les nombres d'or dut se régler de la manière suivante jusqu'en l'année 1900 exclusivement :

Nombres d'or :	10,	11,	12,	13,	14,	15,	16,	17,	18,	19,	1,
Epactes :	IX,	XX,	I,	XII,	XXIII,	IV,	XV,	XXVI,	VII,	XVIII,	*,

Nombres d'or :	2,	3,	4,	5,	6,	7,	8,	9
Epactes :	XI,	XXII,	III,	XIV,	XXV,	VI,	XVII,	XXVIII

A la vérité, l'année 1800 n'ayant pas été bissextile, on aurait dû également diminuer les épactes d'un jour à partir de cette année ; mais, comme vers cette époque il fallait ajouter un jour, à cause de la période de 312 ans et demi, dont nous avons parlé (nos 30, 40) et qui s'accomplissait alors, il y avait compensation, et le tableau pouvait rester le même jusqu'en l'année 1900, où il faudra de nouveau retrancher un jour des épactes en usage jusque-là, par la raison que cette année ne devra pas être bissextile ; on devra composer un nouveau tableau pour la concordance des épactes et du nombre d'or, lequel pourra servir jusqu'à l'année 2200 [1].

Tel fut le système adopté par Grégoire XIII pour la réforme du calendrier.

43. Ce système a remédié sans doute à la plupart des défauts de l'ancien calendrier ; mais on aurait tort de croire qu'il est d'une perfection absolue. On y suppose, en effet, que l'année solaire a 365 jours 5 h. 49 m., 12 s., tandis que, d'après le *Dictionnaire des dates*, elle n'a que 365 jours 5 h. 48 m. 45 s. Or, cette différence de 27 secondes parvient à former un jour entier au bout de 3200 ans ; car un jour contenant 86,400 secondes, si on divise ce chiffre par 27, le quotient est 3100 ; si donc la supputation du *Dictionnaire des dates* est exacte, on sera obligé de supprimer une année bissextile de plus au bout de 3200 ans et d'en retrancher par conséquent 25 au lieu de 24, qu'il suffirait de supprimer en s'en tenant au calcul adopté par Grégoire XIII. Mais le remède à ce mal est très-facile à employer, comme on le voit.

[1] « On a décidé, dit M. Garcet, dans son ouvrage intitulé : *Leçons nouvelles de cosmographie*, n° 67, qu'à chaque année séculaire non bissextile, on diminuerait d'une unité les épactes : c'est la *métemptose* ou équation solaire. En outre, on est convenu que de trois siècles en trois siècles (en 1500, 1800, 2100) on augmenterait les épactes d'une unité : c'est la *péremptose* ou équation lunaire. Ces deux corrections s'annulent quelquefois l'une par l'autre. Ainsi, en 1800, il a fallu diminuer les épactes parce que l'année n'était pas bissextile, et les augmenter parce que l'année faisait partie de la période de 1500, 1800, 2100, etc. Ce qui est revenu à n'y rien changer. En 1900, les épactes seront diminuées d'une unité. »

44. En outre, les jours lunaires indiqués par le calendrier ne concordent pas bien exactement avec les lunaisons astronomiques; ils peuvent différer entre eux d'un jour ou deux : d'où il pourrait arriver que le 14e de la lune pascale tombât un dimanche ou le 21 mars d'après le calendrier, tandis que la pleine lune astronomique arriverait avant ce même dimanche ou avant l'équinoxe; et par là même la fête de Pâques, s'il l'on s'en tenait aux lunaisons astronomiques, se célébrerait souvent à des époques toutes différentes de celles où elle se célèbre d'après le calendrier. Mais ce défaut de coïncidence, examiné de près, est bien moins grave qu'on ne le supposerait d'abord. En effet, l'époque assignée à la fête de Pâques est d'institution ecclésiastique seulement. Or, l'Église a établi que cette fête se célébrerait, non le dimanche qui suit la pleine lune astronomique, mais celui qui suit le 14e de la lune tel que l'indique le calendrier; il ne peut donc y avoir de difficulté à cet égard. D'ailleurs, en suivant la pleine lune astronomique, il pourrait arriver que la fête de Pâques ne dût pas se célébrer le même jour dans l'Église universelle; car la pleine lune astronomique n'arrive pas partout au même instant. Or, il y aurait un inconvénient immense à ce que la fête de Pâques fût célébrée dans un pays huit jours et quelquefois un mois après qu'elle a été célébrée dans d'autres. Il n'est donc pas à propos de prendre la pleine lune astronomique pour règle.

45. Les sectes séparées de l'Église alléguant ces difficultés et quelques autres encore peut-être, pour refuser d'admettre la réforme grégorienne, afin de leur ôter tout prétexte, on agita à Rome, dans le dix-septième siècle, la question de savoir si l'on n'apporterait pas quelque modification à cette réforme. Une congrégation spéciale fut établie sous la présidence du cardinal Norizius. Mais, après avoir entendu les plus célèbres astronomes, tels que Cassini et autres, on décida à l'unanimité qu'on s'en tiendrait à ce qui avait été réglé par Grégoire XIII, et que sa réforme était suffisante pour écarter toute erreur notable.

46. La réforme grégorienne fut adoptée immédiatement ou presque immédiatement, non-seulement en Italie et en Espagne, mais en France, en Belgique, en Hollande, dans la Frise, etc. Elle ne fut adoptée en Angleterre qu'en l'année 1752; la Suède imita l'Angleterre en 1753; les protestants d'Allemagne ne l'admirent qu'en 1775, et encore avec des restrictions et sous la clause qu'*on ne découvrirait pas d'autre système meilleur qui serait universellement adopté*. (Voy. Zallinger, *ibid.*, n° 154; le *Dictionnaire des dates*, v° *Calendrier de l'Église*.) La Russie, d'accord avec les Grecs schismatiques, est la seule nation d'Europe qui s'obstine à retenir aujourd'hui l'ancien calendrier, préférant, dit un auteur, être en désaccord avec le ciel, plutôt que de se conformer aux prescriptions de l'Eglise catholique. Et comme depuis l'époque de la réforme grégorienne, outre les dix jours qu'il fallut alors ajouter à l'année du calendrier, il en faut surajouter deux autres à cause de la précession de l'équinoxe, le calendrier de ces peuples diffère du nôtre de douze jours, et ils en sont au 20 dé-

cembre, par exemple, quand nous sommes arrivés au 1er janvier. Cette différence s'indique de la manière suivante : 20 décembre 1865—1 janv. 1866 ; ou bien : 1-12 janv. 1866, etc. (Voir *Feller*, art. Grégoire XIII ; *Zallinger*, ib., c. 12 ; *Dictionnaire des dates, Calendrier* de Grégoire XIII.)

ART. III.

MÉTHODES POUR TROUVER L'INDICTION, L'ANNÉE BISSEXTILE, LE NOMBRE D'OR, L'ÉPACTE, L'AGE DE LA LUNE, LA LETTRE DOMINICALE, LA FÊTE DE PAQUES, ETC.

47. Ces méthodes sont utiles à savoir. Bien qu'on trouve dans les bréviaires ou autres livres l'indication de toutes ces choses pour les années courantes, il peut arriver qu'on ait besoin de les connaître pour des époques non mentionnées dans les livres qu'on a entre les mains.

48. I. *Indiction romaine* : On entend par là une période de 15 années, qui était en usage à Rome, mais dont on ne connaît pas bien l'origine. Ce cycle n'est pas astronomique, mais purement historique. L'indiction ayant dû être 4, en l'année de l'incarnation, si on voulait savoir les indictions des temps antérieurs à Jésus-Christ, il faudrait retrancher 4 unités aux années proposées et diviser le reste par 15. S'il y avait fraction, la soustraire du diviseur 15, et on aurait l'indiction cherchée. S'il n'y avait pas fraction, l'indiction serait 15.

Exemple : On veut savoir quelle a été l'indiction de l'année 106 avant Jésus-Christ. Retranchez 4 de ce chiffre : divisez le restant par 15 ; vous aurez 6 pour quotient et pour reste 12 ; retranchez ce reste de 15, et vous aurez le chiffre 3, qui exprime l'indiction de l'année 106 avant Jésus-Christ.

Pour trouver l'indiction des années qui ont suivi la naissance de Jésus-Christ, il faut ajouter trois unités au chiffre exprimant l'année dont on veut connaître l'indiction, diviser ensuite par 15 ; et la fraction indiquera l'indiction désirée. S'il n'y a pas de fraction, l'indiction est 15. Vous voulez savoir, par exemple, quelle a été l'indiction de l'année 12 après Jésus-Christ ; ajoutez 3 à 12, divisez le total par 15 ; il n'y a pas de restant, et par conséquent l'indiction aurait dû être 15 cette année-là. Je dis : *aurait dû être* 15 : car on croit communément que l'indiction n'a commencé que du temps de Constantin, plus de 300 ans après.

49. — II. *Année bissextile* : Pour la trouver, il faut savoir que l'année qui a précédé notre ère vulgaire, était bissextile. Cela supposé, ou il s'agit des temps antérieurs à Jésus-Christ, ou de ceux qui l'ont suivi. Dans le premier cas, il faut retrancher une unité aux années qui ont précédé Jésus-Christ et diviser ce qui reste par 4. S'il n'y a pas de fraction, l'année est bissextile ; s'il y en a une, elle indique combien il y a d'années à parcourir avant l'année bissextile. Je veux savoir, par exemple, si la 10e année avant Jésus-Christ était bissextile. Je divise 9 par 4 ; il reste 1, ce qui indique que l'année 10e avant Jésus-Christ précédait l'année bissextile.

Depuis Jésus-Christ jusqu'à la réforme grégorienne, il faut diviser

par 4 le chiffre de l'année en question ; s'il n'y a pas de reste, l'année est bissextile ; s'il y a une fraction, elle indique combien il y a d'années écoulées depuis l'année bissextile. Ainsi, pour savoir si l'année 1582 était bissextile, il me faudrait diviser 1582 par 4 ; il resterait 2 ; ce qui indiquerait que l'année bissextile était 2 ans auparavant.

La même opération peut être employée pour les années qui ont suivi la réforme grégorienne, en se rappelant toutefois que les années 1700, 1800, 1900, 2100, etc., ne doivent pas être bissextiles, ainsi que nous l'avons déjà fait observer.

50. — III. *Nombre d'or* : Bien que ce nombre ne soit plus employé dans les calendriers pour désigner les nouvelles lunes, il est cependant utile et même nécessaire de le connaître pour la découverte des épactes. Voici par quelle méthode on peut le découvrir, soit pour les temps qui ont précédé, soit pour ceux qui ont suivi Jésus-Christ.

Règle pour trouver le nombre d'or avant Jésus-Christ.

51. Ce cycle s'étant renouvelé en l'année qui a précédé notre ère, il faut diminuer de deux unités l'année avant Jésus-Christ dont on veut connaître le nombre d'or, diviser ensuite ce qui reste par 19 ; s'il n'y a pas de fraction, le nombre d'or est 19 ; s'il y en a une, il faut la déduire du chiffre 19 ; ce qui reste est le nombre d'or cherché. Vous voulez savoir le nombre d'or de l'année 135 avant Jésus-Christ ; divisez 133 par 19 ; vous aurez 7 au quotient sans aucune fraction ; ce qui indique qu'en l'année 135 avant Jésus-Christ, le nombre d'or était 19.

L'auteur anonyme d'un *Commentaire* latin *sur le Comput ecclésiastique*, publié il y a peu de temps, n'est pas exact lorsqu'il dit (n° 53, p. 419 de la *Revue des sciences eccl*és.), que, pour trouver le nombre d'or avant Jésus-Christ, il faut retrancher seulement une unité au chiffre de l'année proposée, diviser par 19, et que le reste indique le nombre d'or de cette époque. Il est certain, en effet, que le cycle de Méton recommença une année avant l'ère chrétienne. Or, si l'on ne retranchait qu'une unité, l'année avant Jésus-Christ aurait été la 19e du cycle et non la 1re, puisqu'en divisant zéro par 19, il reste zéro, qui marque la 19e année de ce cycle. De plus il n'est pas exact de dire que ce qui reste de la division par 19 indique le nombre d'or : car, dans ce cas, l'année 3e avant Jésus-Christ aurait été la 2e du cycle, tandis qu'elle était la 18e, etc. L'an 439 avant Jésus-Christ a été, à la vérité, l'année où Méton a publié son cycle, mais ce cycle n'a commencé réellement que l'année suivante 438.

Règle pour trouver le nombre d'or après Jésus-Christ.

52. Ajoutez une unité à l'année dont vous voulez connaître le nombre d'or ; divisez par 19 ; le reste indique le nombre d'or voulu. S'il ne restait rien, le nombre d'or serait 19.

53. IV. *Epactes* : Le système des épactes a été imaginé par Aloysius Lelius, et nous avons déjà dit à quoi elles sont utiles. Pour les découvrir, il faut distinguer entre les temps qui ont précédé Jésus-Christ et ceux qui l'ont suivi.

Règles pour trouver les épactes avant Jésus-Christ.

54. Il peut sembler que ces règles ne soient pas fort utiles, puisqu'il est rare qu'on ait besoin de connaître les épactes pour les temps qui ont précédé Jésus-Christ; on ne doit pas néanmoins les regarder comme superflues, puisqu'il peut y avoir lieu de rechercher, pour ces temps, les nouvelles et pleines lunes.

Pour arriver à cette connaissance, il faut se rappeler qu'à l'époque de la réforme du calendrier sous Jules César, en l'année 45 avant Jésus-Christ, la lune fut nouvelle le 1er janvier, et que le nombre d'or était 14. Voici donc comment on procédera pour avoir les épactes depuis l'année 45 avant Jésus-Christ jusqu'au commencement de notre ère : cherchez d'abord le nombre d'or de l'année en question, au moyen de la règle indiquée tout à l'heure : de ce nombre retranchez le chiffre 14 et multipliez le reste par 11; si le produit dépasse 30, divisez-le par ce chiffre, et ce qui reste sera l'épacte de l'année en question.

Remarquez toutefois que, lorsque le nombre d'or est au-dessous de 14, il faut ajouter une unité à l'épacte trouvée par la règle précédente. La raison en est que, comme nous l'avons fait remarquer plus haut, lorsqu'on passe du nombre d'or 19 au nombre d'or 1, ce n'est pas onze jours seulement, mais douze jours qu'il faut ajouter à l'épacte précédente; par conséquent, il manque une unité aux épactes obtenues en multipliant seulement par 11 les nombres d'or inférieurs au chiffre 14; il faut donc ajouter cette unité pour avoir les vraies épactes de ces années. — On retranche 14 du nombre d'or de l'année proposée, par la raison que la nouvelle lune ayant eu lieu lorsque le nombre d'or était 14, les épactes de ce nombre, et, par là même, les épactes des autres nombres du cycle ne peuvent être multipliées par le chiffre 14, sans être répétées 14 fois plus qu'il ne faut. On doit donc retrancher ce chiffre 14 pour avoir les vraies épactes. Mais, pour pouvoir toujours opérer cette soustraction et appliquer la règle à toute l'étendue du cycle, il faut ajouter 19 au nombre d'or, toutes les fois qu'il est au-dessous de 14; car si ce nombre est 1, c'est comme s'il était 20; s'il est 2, c'est comme s'il était 21; ainsi de suite.

Ainsi, quand le nombre d'or est 14, on retranche 14 et on obtient zéro, lequel multiplié par 11 ne donne que zéro : ce qui indique que l'épacte est *. Si le nombre d'or était 15, en retranchant 14, on aurait 1, lequel multiplié par 11 donnerait 11, qui est l'épacte de cette année. Si le nombre d'or est 19, en retranchant 14, on obtient 5, qui, multiplié par 11, donne le produit 55; lequel étant divisé par 30, il reste 25 pour épacte de cette année. Si le nombre d'or était 1, en ajoutant 19 on aurait le total 20, duquel en retranchant 14, il resterait 6 qui, étant multiplié par 11, produirait 66; divisez ce chiffre par 30; vous aurez 6 pour reste; ajoutez une unité, et vous aurez 7, qui est l'épacte de cette année. Ainsi des autres nombres.

Les règles que nous venons de donner servent, avons-nous dit, à trouver les épactes jusqu'à l'année 45 avant Jésus-Christ. Elles peuvent

même aider à trouver celles des années antérieures à cette date : mais, comme environ tous les 312 ans et demi, le cycle lunaire est plus court d'un jour que le cycle solaire, tel que l'a supposé Jules César, il faut retrancher une unité aux épactes de la période de 312 ans et demi, antérieure à l'an 45 avant Jésus-Christ, trouvées d'après la méthode que nous venons d'indiquer; et ainsi de suite pour les autres périodes plus anciennes, retranchant toujours une unité de plus aux épactes de ces périodes à proportion de leur antériorité. Ceci néanmoins doit s'entendre de l'hypothèse où l'on prend pour point de départ le calendrier réformé par Jules César. Car, si l'on supputait les épactes, en prenant pour bases d'autres calendriers qui ont pu exister à diverses époques, on ne pourrait se servir des règles que nous venons de tracer; mais, comme il serait trop long d'expliquer les règles diverses qu'il y aurait à observer dans les divers systèmes, nous n'entrerons pas dans de plus amples détails à cet égard.

Règles pour trouver les épactes depuis Jésus-Christ.

55. Au moyen des règles que nous venons d'exposer, nous avons pu constater qu'en l'année qui a précédé notre ère, où le nombre d'or était I, l'épacte était VII. Elle était donc XVIII, en l'année première de notre ère. Cela supposé, pour trouver les épactes des années qui ont suivi Jésus-Christ jusqu'à l'époque de la réforme grégorienne, il faut d'abord trouver le nombre d'or, par la méthode indiquée tout à l'heure; multiplier ce nombre par 11; et, parce que, au commencement du cycle du nombre d'or qui avait cours en l'année de l'incarnation, il manquait 4 unités aux épactes pour compléter le nombre 11 (elles n'étaient que VII), retrancher 4 unités du total obtenu; si ce qui reste est au-dessous du chiffre 30, il indique l'épacte; s'il est au-dessus, divisez-le par ce chiffre, et le reste indiquera encore l'épacte; s'il ne reste rien, l'épacte est zéro ou *.

Si je voulais trouver l'épacte de la 3e année de notre ère, le nombre d'or de cette année-là étant 4, je multiplierais ce chiffre par 11, ce qui produirait 44; je retrancherais 4 et diviserais 40 par 30: j'aurais pour reste 10 qui est l'épacte de cette année. Pour avoir l'épacte de la 13e année de notre ère, comme le nombre d'or était 14 en cette année, je multiplie 14 par 11 : ce qui produit 154; d'où retranchant 4, j'obtiens 150 : je divise par 30; et comme il ne reste rien, j'en conclus que l'épacte était *.

56. On procède de même pour les années subséquentes, en observant toutefois que le cycle lunaire étant, au bout de 312 ans et demi, plus court d'un jour que le cycle solaire réformé par César, il faut de temps en temps ajouter une unité aux épactes. On peut prendre pour règle d'ajouter une unité, depuis l'an 300 jusqu'à l'an 600; deux unités, depuis l'an 600 jusqu'à l'an 900; trois unités, depuis l'an 900 jusqu'en 1200; et quatre unités, depuis l'an 1200 jusqu'à l'époque de la réforme grégorienne en 1582.

Si donc je veux connaître les épactes de l'année 1580, je cherche le nombre d'or de cette année, qui était 4; je multiplie ce chiffre par

11 ; ce qui fait 44 : je retranche 4 et j'ajoute 4, ce qui fait toujours 44, et divisant par 30, j'ai pour reste 14, épacte de l'année 1580.

57. Pour trouver les épactes des années postérieures à la réforme grégorienne, on procède de même, en retranchant toutefois dix unités aux épactes ainsi trouvées, depuis l'année 1582 jusqu'en 1700; et cela, à cause du retranchement de 10 jours opéré en cette année. Depuis l'année 1700 jusqu'en 1900 exclusivement, on doit retrancher une unité de plus aux épactes, à cause de la suppression du bissexte en l'année 1700; il n'y a rien à retrancher en 1800, pour la raison exposée dans l'article précédent (42).

Depuis l'année 1900 jusqu'en 2100, et même 2200, il faudra retrancher une nouvelle unité, c'est-à-dire 12 unités aux épactes trouvées par la méthode sus-indiquée ; et ainsi de suite.

Ainsi, pour trouver les épactes de l'année 1860, je multiplie par 11 le nombre d'or, qui, cette année-là, était 18 ; j'ai 198 ; j'en retranche 4 et j'ai 194 ; je divise par 30 : le reste est 14, auquel, ajoutant 4, j'ai 18 ; et, en retranchant 10 unités, à cause de la réforme, et une autre unité à cause de la suppression du bissexte en 1700, j'ai le chiffre VII pour épacte de l'année 1860.—Ou plus simplement : Multipliez 18 par 11, = 198 : divisez par 30, reste 18 ; retranchez 11, et vous aurez VII pour épacte de 1860.

Je veux connaître l'épacte de l'année 1900; le nombre d'or est 1, qui, multiplié par 11, donne 11 : je retranche 4, reste 7 ; je divise par 30, reste 7; j'ajoute 4, = 11 ; d'où il faut retrancher 10 plus 2 : c'est-à-dire 12, à cause de la suppression du bissexte en 1900; mais 12 ne pouvant être retranché de 11, j'ajoute 30 à ce dernier chiffre, ce qui me fait 41; d'où retranchant 12, j'ai pour épacte XXIX pour l'année 1900. Il est facile de voir comment on peut abréger ce calcul.

58. V. *Lettre dominicale* : La semaine ayant sept jours, on se sert des sept premières lettres de l'alphabet pour désigner chacun de ces jours ; et celle qui indique le dimanche, dans le courant d'une année, s'appelle *dominicale*. Ces lettres sont placées dans le calendrier selon l'ordre suivant : A, le 1er janvier ; B, le 2e; C, le 3e ; D, le 4e ; E, le 5e; F, le 6e ; et G, le 7e. Puis elles recommencent : A, le 8e ; B, le 9e; et ainsi de suite jusqu'à la fin de l'année.

L'année commune ayant 365 jours contient 52 semaines plus un jour. Ce qui fait que la lettre A est placée à la fin de l'année, comme elle est placée au commencement. Si cette lettre indiquait le dimanche, l'année finirait comme elle a commencé, par le dimanche. Par conséquent, le 1er jour de l'année suivante serait un lundi, et le 1er dimanche de cette année tomberait le 7 janvier, marqué de la lettre G, qui serait pour cette année la lettre dominicale. Par la même raison, le dimanche de la 3e année tomberait le 6 janvier, marqué de la lettre F; de sorte que la lettre dominicale change toutes les années, non en progressant dans l'ordre de l'alphabet, mais en rétrogradant ; G, F, E, D, C, B, A.

59. L'année bissextile, on le sait, a deux jours en sus des 52 semaines ; ce jour de plus est intercalé entre le 24 et le 25 février, et il est

désigné par la lettre F., que l'on répète pour ne pas changer les lettres assignées aux autres jours de l'année. Mais il résulte de cet arrangement qu'après le 24 février, le dimanche, dans les années bissextiles, ne tombe plus au jour marqué par la lettre qui le désignait auparavant, mais tombe au jour marqué par la lettre qui précède; de sorte qu'il y a deux lettres dominicales pendant les années bissextiles : l'une employée depuis le 1er janvier jusqu'au 24 février inclusivement, et l'autre pour le restant de l'année.

60. S'il n'y avait pas d'années bissextiles, les lettres dominicales reviendraient dans le même ordre tous les sept ans; mais comme il en faut deux aux années bissextiles, ces lettres ne reviennent dans le même ordre qu'au bout de 28 ans, comme on peut s'en convaincre par l'inspection du tableau suivant :

Ann. du cycle sol. :	1,	2,	3,	4,	5,	6,	7,	8,	9,	10,	11,	12,	13,	14,	15,	16,	17,	18,	19,	20,	21,	22,	23,	24,	25,	26,	27,	28.
Lettres dom. :	G,	E,	D,	C,	B,	G,	F,	E,	D,	B,	A,	G,	F,	D,	C,	B,	A,	F,	E,	D,	C,	A,	G,	F,	E,	C.	B,	A.
	F			A			C					E					G	B					D				

61. On donne au cycle des lettres dominicales le nom de cycle solaire, parce que le dimanche était appelé anciennement le jour du soleil, soit à cause que la lumière fut créée ce jour-là, soit plutôt parce que c'est le jour où Jésus-Christ, le vrai soleil de justice, sortit glorieux du tombeau comme un soleil qui sort resplendissant du sein des ténèbres. On place communément le commencement de ce cycle à la 9e année qui a précédé notre ère.

62. Pour découvrir à quelle année de ce cycle correspond une année quelconque de notre ère, c'est-à-dire pour trouver la lettre dominicale d'une année quelconque depuis Jésus-Christ, il faut ajouter 9 unités à l'année en question, diviser ensuite le total par 28; le reste indique l'année du cycle solaire, et par là même la lettre dominicale. S'il n'y avait pas de reste, le zéro marquerait la 28e année du cycle. — On veut savoir, par exemple, à quelle année du cycle solaire correspondait l'année 1582, époque de la réforme grégorienne : ajoutez 9 à 1582, = 1591; divisez par 28; le quotient est 56, et l'on a pour reste 23, qui indique que l'année 1852 était la 23e du cycle solaire, et que la lettre dominicale était G, qui se trouve placée sous le chiffre 23, dans le tableau que nous venons d'exposer.

63. Ainsi devait-on procéder avant la réforme grégorienne; mais dix jours ayant été retranchés à cette année, et le 5 octobre ayant été compté comme s'il eût été le 15, le dimanche qui, auparavant, tombait aux jours marqués de la lettre G, se rencontra, dans la suite de la même année, aux jours marqués de la lettre C.; il fallut, par la suite, se servir d'un autre tableau. Plus tard, il fallut encore modifier ce nouveau tableau, à cause de la suppression du bissexte dans les années 1700, 1800, etc. Voici comment on pourrait indiquer les lettres dominicales depuis la réforme grégorienne jusqu'à l'année 2100 exclusivement.

Années du cycle.	1,	2,	3,	4,	5,	6,	7,	8,	9,	10,	11,	12,
Lettres dom. avant la réf. grégor.	G F	E	D	C	B A	G	F	E	D C	B	A	G
Lett. dom. depuis la réf. jusqu'en 1699.	C B	A	G	F	E D	C	B	A	G F	E	D	C
Lett. dom. depuis 1700 inclusiv.	D C	B	A	G	F E	D	C	B	A G	F	E	D
Lett. dom. depuis 1800 inclusiv.	E D	C	B	A	G F	E	D	C	B A	G	F	E
Lett. dom. depuis 1900 inclusiv.	F E	D	C	B	A G	F	E	D	C B	A	G	F

Années du cycle.	13,	14,	15,	16,	17,	18,	19,	20,	21,	22,	23,	24,	25,	26,	27,	28.
Lettres dom. avant la réf. grégor.	F E	D	C	B	A G	F	E	D	C B	A	G	F	E D	C	B	A
Lett. dom. depuis la réf. jusqu'en 1699.	B A	G	F	E	D C	B	A	G	F E	D	C	B	A G	F	E	D
Lett. dom. depuis 1700 inclusiv.	C B	A	G	F	E D	C	B	A	G F	E	D	C	B A	G	F	E
Lett. dom. depuis 1800 inclusiv.	D C	B	A	G	F E	D	C	B	A G	F	E	D	C B	A	G	F
Lett. dom. depuis 1900 inclusiv.	E D	C	B	A	G F	E	D	C	B A	G	F	E	D C	B	A	G

Ayant trouvé l'année du cycle solaire par la méthode sus-indiquée, il n'y a qu'à examiner dans le tableau ci-dessus quelle est la case qui répond à cette année, et c'est la lettre dominicale cherchée.

64. Observez que, s'il s'agissait des années 1700, 1800 et 1900, bien que le chiffre obtenu par la susdite méthode marque une année bissextile ayant deux lettres, on n'en doit prendre qu'une comme dominicale, et celle qu'on doit prendre est celle qui est placée au-dessous.

On pourrait trouver également la lettre dominicale au moyen du tableau indiquant l'ordre de ces lettres avant la réforme, en s'aidant du calendrier placé en tête des bréviaires. Il suffirait, dans ce cas, pour les années du dix-neuvième siècle, de retrancher douze jours, et treize jours pour les années du vingtième siècle, etc.

65. Ayant trouvé le dimanche au moyen de la lettre dominicale, il est facile de trouver ensuite tous les autres jours de la semaine pendant tout le cours de l'année.

66. VI. *Fête de Pâques et autres fêtes mobiles* : On n'a pas oublié que la fête de Pâques doit être célébrée le dimanche qui suit immédiatement le 14e de la lune pascale, et que la lune pascale est celle dont le 14e jour arrive le 21 mars ou suit de plus près le 21 mars. Les limites du renouvellement de cette lune pascale sont entre le 8 mars et le 5 avril.

67. Pour trouver la fête de Pâques d'une année quelconque, il faut donc découvrir deux choses : 1° le 14e jour de la lune pascale, et 2° le jour du mois où tombe le dimanche après ce 14e jour de la lune pascale

Nous avons vu comment on parvenait à connaître la lettre dominicale (63). Pour trouver la lune de Pâques, il faut chercher l'épacte de l'année proposée. Nous avons dit précédemment comment il fallait s'y prendre pour la découvrir (55). L'épacte, on le sait, indique combien de jours avait la lune au 1er janvier ou au 1er mars, et par conséquent elle fait connaître à quel jour du mois de mars la lune est nouvelle. Si l'on voit qu'elle tombe le 8 mars, le 14e jour arrivera le 21 du même mois ; cette lune sera donc pascale, et la fête de Pâques sera ou le 22, ou quelqu'un des jours suivants, selon que l'indiquera la lettre dominicale.

Si l'épacte fait connaître que la lune sera nouvelle avant le 8 mars, cette lune ne sera point pascale, et il faudra attendre la lunaison suivante ; s'il faut l'attendre jusqu'au 5 avril, le 14 n'arrivera que le 18 ; et, supposé que ce jour soit un dimanche, il faudra attendre le dimanche suivant pour célébrer la Pâque, c'est-à-dire jusqu'au 25 avril, qui est le jour le plus éloigné où cette fête puisse se rencontrer.

Ayant trouvé la fête de Pâques, il est facile de trouver la place que doivent occuper dans le calendrier les autres fêtes mobiles. Observez seulement qu'aux années bissextiles, il faut, après la fête de saint Mathias, se servir de la seconde lettre dominicale.

68. VII. *Trouver l'âge de la lune pendant le cours de l'année* : — On peut, au moyen de l'épacte, découvrir toutes les nouvelles lunes du courant de l'année, ainsi que l'âge de la lune, à quelque jour que ce soit de l'année.

Pour cela, ne perdons pas de vue que les lunaisons du calendrier sont alternativement de 30 et de 29 jours, et que les mois sont censés appartenir à l'année pendant laquelle ils commencent ; ajoutez à l'épacte le quantième du mois et l'un des nombres suivants, selon le mois dont on veut connaître l'âge de la lune [1], savoir, dans le mois de janvier, 0 ; de février, 1 ; de mars, 0 ; d'avril, 1 ; de mai, 2 ; de juin, 3 ; de juillet, 4 ; d'août, 5 ; de septembre, 7 ; d'octobre, 7 ; de novembre, 9 ; de décembre, 9. Ayant additionné ces trois nombres, divisez le total par 30 ; ce qui reste indiquera l'âge de la lune, et par là même le jour où, chaque mois, la lune se renouvelle.

Par exemple, je veux savoir l'âge de la lune au 10 décembre 1865 ; j'ajoute 9 à l'épacte 3 ; j'ajoute encore le quantième du mois 10, ce qui fait 22. Ce chiffre, ne pouvant être divisé par 30, est censé un reste, et indique par conséquent que le 10 décembre 1865, la lune a eu 22 jours.

Egalement, si je voulais savoir quel était l'âge de la lune, le 25 mai 1860, j'ajouterais 25 à l'épacte 7, = 32 ; j'ajouterais ensuite 2, = 34 ; divisant ensuite par 30, le reste 4 indique que la lune avait 4 jours le 25 mai 1860.

69. Les lunaisons trouvées par la méthode précédente sont celles du calendrier ecclésiastique ; or, nous l'avons déjà fait observer, ces lunaisons ne sont pas entièrement conformes aux lunaisons astronomiques ; elles diffèrent même de celles du calendrier civil appelé *almanach*.

[1] Ces chiffres sont ajoutés à cause de la différence qui existe entre la longueur des mois lunaires et des mois solaires.

Voici comment on procède pour avoir cette dernière espèce de lunaison:

« Pour trouver plus exactement la nouvelle lune au moyen de « l'épacte, dit le *Dictionnaire des dates* (v° calendrier), on ajoute « l'épacte donnée au nombre des jours du mois, février excepté, on « soustrait le total de 30 ou de 60, et le reste marque le jour de la « nouvelle lune. 7 d'épacte ajouté à 31, pour janvier 1841, donne 38 ; « 38 de 60 reste 22 ; 22 est le jour de la nouvelle lune, selon les « almanachs.

« Pour connaître l'âge de la lune, on ajoute l'épacte au nombre des « jours du mois, et au quantième pour lequel on veut connaître cet « âge. Si le total est moindre que 30, il marquera l'âge de la lune ; « s'il est plus grand, on le divise par 30; le reste est cet âge. Ainsi « veut-on savoir quel âge a la lune au 30 janvier 1841, on ajoute 7 « d'épacte à 31 et à 30, qui font 68; on divise par 30 ; reste 8, qui est « l'âge demandé. »

70.— VIII. *Lettre du Martyrologe* : Au moyen de cette lettre, on peut indiquer chaque jour l'âge de la lune dans la lecture du Martyrologe.

Pour discerner par quelle lettre l'âge de la lune doit être annoncé tous les jours en lisant le Martyrologe, il faut observer qu'à chaque épacte correspond dans le Martyrologe l'une des dix-neuf lettres minuscules et des onze lettres majuscules suivantes :

Lett. du Martyrol. :	a,	b,	c,	d,	e,	f,	g,	h,	i,	k,	l,	m,	n,	ρ,	q,					
Epactes :	1,	2,	3,	4,	5,	6,	7,	8,	9,	10,	11,	12,	13,	14,	15,					
Lett. du Martyrol. :	r,	s,	t,	v,	A,	B,	C,	D,	E,	F,	**F**,	G,	H,	M,	N,	P				
Epactes :	16,	17,	18,	19,	20,	21,	22,	23,	24,	25,	**25**,	26,	27,	28,	29 *					

Pour trouver donc, chaque année, la lettre du Martyrologe, il suffit de connaître l'épacte, et nous avons exposé plus haut la méthode à suivre pour arriver à la connaître. L'épacte étant connue, la lettre de l'année en question est celle qui se trouve au-dessus de cette épacte dans le tableau ci-dessus. Par exemple, l'épacte de l'année 1866 est 14; donc la lettre du Martyrologe dont il faudra se servir, pour savoir l'âge de la lune pendant tout le cours de l'année 1866, est la lettre *p* minuscule, qui se trouve au-dessus du chiffre 14.

Pour faire comprendre plus clairement ce que nous venons de dire, nous allons mettre sous les yeux du lecteur les trois premiers jours du Martyrologe. On sait qu'on doit toujours le lire pour le jour suivant.

1° Kalendis Januarii, Luna. A (*Litter. domin.*) Epacta *
a, b, c, d, e, f, g, h, i, k, l, m, n, p, q, r, s, t, v, A, B,
2, 3, 4, 5, 6, 7, 8, 9, 10, 11, 12, 13, 14, 15, 16, 17, 18, 19, 20, 21, 22,
C, D, E, F, **F**, G, H, M, N, P.
23, 24, 25, 26, **26**, 27, 28, 29, 30, **1**.
Circumcisio, etc.

2° Quarto Nonas Januarii, Luna, B. XXIX
a, b, c, d, e, f, g, h, i, k, l, m, n, p, q, r, s, t, v, A, B,
3, 4, 5, 6, 7, 8, 9, 10, 11, **12**, 13, 14, 15, 16, 17, 18, 19, 20, 21, 22, 23,
C, D, E, F, **F**, G, H, M, N, P.
24, 25, 26, 27, **27**, 28, 29, 30, **1**, **2**.
Octava S. Stephani, etc.

3o Tertio Nonas Januarii, Luna. C. XXVIII
a, b, c, d, e, f, g, h, i, k, l, m, n, p, q, r, s, t, v, A, D,
4, 5, 6, 7, 8, 9, 10, 11, 12, 13, 14, 15, 16, 17, 18, 19, 20, 21, 22, 23, 24,
C, D, E, F, F, G, H, M, N, P.
25, 26, 27, 28, 28, 29, 30, 1, 2, 3.
Octava S. Joannis, etc.

L'épacte de l'année 1866 étant donc 14, et par conséquent la lettre du Martyrologe étant *p* minuscule, il fallait dire, en lisant le Martyrologe en 1866, d'abord la veille du jour de l'an :

Kalendis januarii, luna 15. *Circumcisio*, etc.

Le jour de l'an, il fallait dire :

Quarto nonas januarii, luna 16. *Octava S. Stephani*, etc.

Le 2 janvier, on lisait :

Tertio nonas januarii, luna 17. *Octava S. Joannis*, etc.

Et ainsi de suite, indiquant toujours, pendant toute l'année, l âge de la lune par le nombre placé sous la lettre *p* minuscule.

La lettre F majuscule est répétée deux fois ; et, tous les deux mois, le chiffre placé au-dessous diffère d'une unité ; les lettres et les chiffres sont même formés de manière différente. Cette disposition a été adoptée pour empêcher que la nouvelle lune ne fût annoncée deux fois le même jour dans le courant du même cycle de Méton ou du nombre d'or. Pour cela, quand l'épacte est 25, si le nombre d'or est supérieur au chiffre 11, la première lettre F doit être prise pour lettre du Martyrologe ; si ce nombre est inférieur à 12, c'est la seconde lettre qui est la lettre du Martyrologe et doit diriger dans l'énoncé de l'âge de la lune.

Il est dit, dans l'explication qui est en tête du Martyrologe, que, lorsque le nombre d'or est 1, on doit, pendant le mois de janvier, donner à la lune un jour de moins que ne l'indique le Martyrologe, excepté néanmoins le cas où la lettre du Martyrologe serait P majuscule. On peut voir la raison qui en est donnée un peu plus loin dans l'endroit que nous venons d'indiquer du Martyrologe.

On verra, au même endroit, un cas où l'on doit, en janvier, ajouter deux jours à l'âge indiqué dans le mois de décembre. Ces exceptions ont pour but de mieux préciser l'âge véritable de la lune.

71. Nous n'avons rien dit de la période julienne, que l'on ne doit pas confondre avec l'année julienne ou l'année déterminée par Jules César. La période julienne, appelée du nom de son auteur Jules Scaliger, qui l'inventa en 1580, est un cycle de 7,980 ans, obtenu par la multiplication des cycles solaires 28, lunaire 19 et de l'indiction romaine 15. L'auteur en plaça le commencement au 1er janvier 4714 avant l'ère chrétienne. Cette période est devenue inutile pour la pratique depuis la réforme Grégorienne. (V. *Dictionnaire des dates*, v° *Periode.*)

KALENDARIUM.

JANUARIUS.

DIES MENS.	KALENDÆ.	NUM. AUR.	EPACTÆ.	LITT. DOM.	FESTA.	KAL. REIP.
1	Kalend.	iii	✠	A	Circumcis.	12 Nivose.
2	iv		xxix	B		13
3	iii	xi	xxviii	C		14
4	Prid.		xxvii	D		15
5	Non.	xix	xxvi	E		16
6	viii	viii	25 xxv	F	Epiphan.	17
7	vii		xxiv	G		18
8	vi	xvi	xxiii	A		19
9	v	v	xxii	B		20
10	iv		xxi	C		21
11	iii	xiii	xx	D		22
12	Prid.	ii	xix	E		23
13	Id.		xviii	F		24
14	xix	x	xvii	G		25
15	xviii		xvi	A		26
16	xvii	xviii	xv	B		27
17	xvi	vii	xiv	C		28
18	xv		xiii	D	Prim. sept.	29
19	xiv	xv	xii	E		30
20	xiii	iv	xi	F		1 pluv.
21	xii		x	G		2
22	xi	xii	ix	A		3
23	x	i	viii	B		4
24	ix		vii	C		5
25	viii	ix	vi	D		6
26	vii		v	E		7
27	vi	xvii	iv	F		8
28	v	vi	iii	G		9
29	iv		ii	A		10
30	ii	xiv	i	B		11
31	Prid. Kal.	iii	✠	C		12

FEBRUARIUS.

1	Kalend.		xxix	D		13 pluv.
2	iv	xi	xxviii	E	Purificat.	14
3	iii	xix	xxvii	F	Primi cin.	15
4	Prid.	viii	25 xxvi	G		16
5	Non.		xxv xxiv	A		17
6	viii	xvi	xxiii	B		18

DIES MENS.	KALENDÆ.	NUM. AUR.	EPACTÆ.	LITT. DOM.	FESTA.	KAL. REIP.
7	vii	v	xxii	C		19 pluv.
8	vi		xxi	D		20
9	v	xiii	xx	E		21
10	iv	ii	xix	F		22
11	iii		xviii	G		23
12	Prid.	x	xvii	A		24
13	Id.		xvi	B		25
14	xvi	xviii	xv	C		26
15	xv	vii	xiv	D		27
16	xiv		xiii	E		28
17	xiii	xv	xii	F		29
18	xii	iv	xi	G		30
19	xi		x	A		1 ventose
20	x	xii	ix	B	Ultima	2
21	ix	i	viii	C	Septuages.	3
22	viii		vii	D		4
23	vii	ix	vi	E		5
24	vi		v	F		6
25	v	xvii	iv	G		7
26	iv	vi	iii	A		8
27	iii		ii	B		9
28	Prid.	xiv	i	C		10

MARTIUS.

1	Kalend.	iii	✠	D		11 ventose
2	vi		xxix	E		12
3	v	xi	xxviii	F		13
4	iv		xxvii	G		14
5	iii	xix	xxvi	A		15
6	Prid.	viii	25 xxv	B		16
7	Non.		xxiv	C		17
8	viii	xvi	xxiii	D	Prim.novi-	18
9	vii	v	xxii	E	lun. pasc.	19
10	vi		xxi	F	Ultim. cin.	20
11	v	xiii	xx	G		21
12	iv	ii	xix	A		22
13	iii		xviii	B		23
14	Prid.	x	xvii	C		24
15	Id.		xvi	D		25
16	xvii	xviii	xv	E		26
17	xvi	vii	xiv	F		27
18	xv		xiii	G		28
19	xiv	xv	xii	A		29
20	xiii	iv	xi	B		30
21	xii		x	C		1 germ.
22	xi	xii	ix	D	Prim.Pasc.	2
23	x	i	viii	E		3
24	ix		vii	F		4

DIES MENS.	KALENDÆ.	NUM. AUR.	EPACTÆ.	LITT. DOM.	FESTA.	KAL. REIP.
25	viii	ix	vi	G	Annuntia.	5 germin
26	vii		v	A		6
27	vi	xvii	iv	B		7
28	v	vi	iii	C		8
29	iv		ii	D		9
30	iii	xiv	i	E		10
31	Prid.	iii	✠	F		11
			APRILIS.			
1	Kalend.		xxix	G		12 germin.
2	iv	xi	xxviii	A		13
3	iii	xix	xxvii	B		14
4	Prid.	viii	25 xxvi	C		15
5	Non.		xxv. xxiv	D	Ult. novi-	16
6	viii	xvi	xxiii	E	lun. Pasc.	17
7	vii	v	xxii	F		18
8	vi		xxi	G		19
9	v	xiii	xx	A		20
10	iv	ii	xix	B		21
11	iii		xviii	C		22
12	Prid.	x	xvii	D		23
13	Id.		xvi	E		24
14	xviii	xviii	xv	F		25
15	xvii	viii	xiv	G		26
16	xvi		xiii	A		27
17	xv	xv	xii	B		28
18	xiv	iv	xi	C		29
19	xiii		x	D		30
20	xii	xii	ix	E		1 floréal.
21	xi	i	viii	F		2
22	x		vii	G		3
23	ix	ix	vi	A		4
24	viii		v	B		5
25	vii	xvii	iv	C	Ultimum	6
26	vi	vi	iii	D	Pascha.	7
27	v		ii	E		8
28	iv	xiv	i	F		9
29	iii	iii	✠	G		10
30	Prid.		xxix	A		11
			MAIUS.			
1	Kalend.	xi	xxviii	B	SS. Phil. et	12 floréal.
2	vi		xxvii	C	Jacob. ap.	13
3	v	xix	xxvi	D		14
4	vi	viii	25 xxv	E		15
5	iii		xxiv	F		16

DIES MENS	KALENDÆ.	NUM. AUR.	EPACTÆ.	LITT. DOM.	FESTA.	KAL. REIP.
6	Prid.	xvi	xxiii	G		17 floréal.
7	Non.		xxii	A		18
8	viii		xxi	B		19
9	vii	xiii	xx	C	Prima	20
10	vi	ii	xix	D	Pentecost.	21
11	v		xviii	E		22
12	iv	x	xvii	F		23
13	iii		xvi	G		24
14	Prid.	xviii	xv	A		25
15	Id.	vii	xiv	B		26
16	xvii		xiii	C		27
17	xvi	xv	xii	D		28
18	xv	iv	xi	E		29
19	xiv		x	F		30
20	xiii	xii	ix	G		1 prairial.
21	xii	i	viii	A		2
22	xi		vii	B		3
23	x	ix	vi	C		4
24	ix		v	D		5
25	viii	xvii	iv	E		6
26	vii	vi	iii	F		7
27	vi		ii	G		8
28	v	xiv	i	A		9
29	iv	iii	✠	B		10
30	iii		xxix	C		11
31	Prid.		xxviii	D		12

JUNIUS.

1	Kalend.		xxvii	E		13 prairial.
2	iv	xix	25 xxvi	F		14
3	iii	xiii	xxv xxiv	G		15
4	Prid.	xvi	xxiii	A		16
5	Non.	v	xxii	B		17
6	viii		xxi	C		18
7	vii	xiii	xx	D		19
8	vi	ii	xix	E		20
9	v		xviii	F		21
10	iv	x	xvii	G		22
11	iii		xvi	A		23
12	Prid.	xviii	xv	B	Ultima	24
13	Id.	vii	xiv	C	Pentecost.	25
14	xviii		xiii	D		26
15	xvii	xv	xii	E		27
16	xvi	iv	xi	F		28
17	xv		x	G		29
18	xiv	xii	ix	A		30
19	xiii	i	viii	B		1 messid.

DIES MENS.	KALENDÆ.	NUM. AUR.	EPACTÆ.	LITT. DOM.	FESTA.	KAL. REIP.
20	xii		vii	C		2 messid.
21	xi	ix	vi	D		3
22	x		v	E		4
23	ix	xvii	iv	F		5
24	viii	vi	iii	G	Nativitas	6
25	vii		ii	A	S. Joann.	7
26	vi	xiv	i	B		8
27	v	iii	✠	C		9
28	iv		xxix	D		10
29	iii	xii	xxviii	E	SS. Petri	11
30	Prid.		xxvii	F	et Pauli.	12
			JULIUS.			
1	Kalend.	xix	xxvi	G		13 messid
2	vi	viii	25-xxv	A	Visitatio.	14
3	v		xxiv	B		15
4	iv	xvi	xxiii	C		16
5	iii	v	xxii	D		17
6	Prid.		xxi	E		18
7	Non.	xiii	xx	F		19
8	viii	ii	xix	G		20
9	vii		xviii	A		21
10	vi	x	xvii	B		22
11	v		xvi	C		23
12	iv	xviii	xv	D		24
13	iii	vii	xiv	E		25
14	Prid.		xiii	F		26
15	Id.	xv	xii	G		27
16	xvii	iv	xi	A		28
17	xvi		x	B		29
18	xv	xii	ix	C		30
19	xiv	i	viii	D		1 therm
20	xiii		vii	E		2
21	xii	ix	vi	F		3
22	xi		v	G		4
23	x	xvii	iv	A		5
24	ix	vi	iii	B		6
25	viii		ii	C	S. Jacobi.	7
26	vii	xiv	i	D		8
27	vi	iii	✠	E		9
28	v		xxix	F		10
29	iv	xi	xxviii	G		11
30	iii	xix	xxvii	A		12
31	Prid.		25 xxvi	B		13
			AUGUSTUS.			
1	Kalend.	viii	xxv xxiv	C		14 therm
2	iv	xvi	xxiii	D		15

DIES MENS.	KALENDÆ.	NUM. AUR.	EPACTÆ.	LITT. DOM.	FESTA.	KAL. REIP.
3	iii	v	xxii	E		16 therm.
4	Prid.		xxi	F		17
5	Non.	xiii	xx	G		18
6	viii	ii	xix	A		19
7	vii		xviii	B		20
8	vi	x	xvii	C		21
9	v		xvi	D		22
10	iv	xviii	xv	E		23
11	iii	vii	xiv	F		24
12	Prid.		xiii	G		25
13	Id.	xv	xii	A		26
14	xix	iv	xi	B		27
15	xviii		x	C	Assumpt.	28
16	xvii	xii	ix	D		29
17	xv	i	viii	E		30
18	xv		vii	F		1 fructid.
19	xiv	ix	vi	G		2
20	xiii		v	A		3
21	xii	xvii	iv	B		4
22	xi	vi	iii	C		5
23	x		ii	D		6
24	ix	xiv	i	E		7
25	viii	iii	✠	F		8
26	vii		xxix	G		9
27	vi	xi	xxviii	A		10
28	v	xix	xxvii	B		11
29	iv		xxvi	C		12
30	iii	viii	25 xxv	D		13
31	Prid.		xxiv	E		14

SEPTEMBER.

1	Kalend.	xvi	xxiii	F		15 fructid.
2	iv	v	xxii	G		16
3	iii		xxi	A		17
4	Prid.		xx	B		18
5	Non.	xiii	xix	C		19
6	viii	ii	xviii	D		20
7	vii	x	xvii	E		21
8	vi		xvi	F	Nativitas	22
9	v	xviii	xv	G	B. Virgin.	23
10	iv	vii	xiv	A		24
11	iii		xiii	B		25
12	Prid.	xv	xii	C		26
13	Id.	iv	xi	D		27
14	xviii		x	E		28
15	xvii	xii	ix	F		29
16	xvi	i	viii	G		30

DIES MENS.	KALENDÆ	NUM. AUR.	EPACTÆ.	LITT. DOM.	FESTA.	KAL. REIP.
17	xv		vii	A		1 jours complémt.
18	xiv	ix	vi	B		2
19	xiii		v	C		3
20	xii	xvii	iv	D		4
21	xi	vi	iii		S. Matth.	5
22	x		ii	F		1vendem.
23	ix	xiv	i	G		2
24	viii	iii	✠	A		3
25	vii		xxix	B		4
26	vi	xi	xxviii	C		5
27	v	xix	xxvii	D		6
28	iv		25 xxvi	E		7
29	iii	viii	xxv xxiv	F	S. Michael.	8
30	Prid.		xxiii	G		9

OCTOBER.

1	Kalend.	xvi	xxii	A		10vendem.
2	vi	v	xxi	B		11
3	v	xiii	xx	C		12
4	iv	ii	xix	D		13
5	iii		xviii	E		14
6	Prid.	x	xvii	F		15
7	Non.		xvi	G		16
8	viii	xviii	xv	A		17
9	vii	vii	xiv	B		18
10	vi		xiii	C		19
11	v	xv	xii	D		20
12	iv	iv	xi	E		21
13	iii		x	F		22
14	Prid.	xii	ix	G		23
15	Id.	i	viii	A		24
16	xvii		vii	B		25
17	xvi	ix	vi	C		26
18	xv		v	D		27
19	xiv	xvii	iv	E		28
20	xiii	vi	iii	F		29
21	xii		ii	G		30
22	xi	xiv	i	A		1 brum.
23	x	iii	✠	B		2
24	ix		xxix	C		3
25	viii	xi	xxviii	D		4
26	vii	xix	xxvii	E		5
27	vi		xxvi	F		6
28	v	viii	25 xxv	G	SS. Simo-	7
29	iv		xxiv	A	nis, etc.	8
30	iii	xvi	xxiii	B		9
31	Prid.	v	xxii	C		10

NOVEMBER.

DIES ENS.	KALENDÆ.	NUM. AUR.	EPACTÆ.	LITT. DOM.	FESTA.	KAL. REIP.
1	Kalend.		xxi	D	Omn. SS.	11 brum.
2	iv	xiii	xx	E	Com. Def.	12
3	iii	ii	xix	F		13
4	Prid.		xviii	G		14
5	Non.	x	xvii	A		15
6	viii		xvi	B		16
7	vii	xviii	xv	C		17
8	vi	vii	xiv	D		18
9	v		xiii	E		19
10	iv	xv	xii	F		20
11	iii	iv	xi	G		21
12	Prid.		x	A		22
13	Id.	xii	ix	B		23
14	xviii	i	viii	C		24
15	xvii		vii	D		25
16	xvi	ix	vi	E		26
17	xv		v	F		27
18	xiv	xvii	iv	G		28
19	xiii	vi	iii	A		29
20	xii		ii	B		30
21	xi	xiv	i	C		1 frimaire.
22	x	iii	✠	D		2
23	ix		xxix	E		3
24	viii	xi	xxviii	F		4
25	vii	xix	xxvii	G		5
26	vi		25-xxvi	A	Prim.sed.	6
27	v	viii	xxv-xxiv	B	Adventùs	7
28	iv		xxiii	C		8
29	iii	xvi	xxii	D		9
30	Prid.	v	xxi	E	S.Andreæ	10

DECEMBER.

1	Kalend.	xiii	xx	F		11 frimaire
2	iv	ii	xix	G		12
3	iii		xviii	A	Ult. sedes	13
4	Prid.	x	xvii	B	Adventùs.	14
5	Non.		xvi	C		15
6	viii	xviii	xv	D		16
7	vii	vii	xiv	E		17
8	vi		xiii	F		18
9	v	xv	xii	G		19
10	iv	iv	xi	A		20
11	iii		x	B		21
12	Prid.	xii	ix	C		22
13	Id.	i	viii	D		23

DIES MENS	KALENDÆ.	NUM. AUR.	EPACTÆ.	LITT. DOM.	FESTA.	KAL. REIP.
14	xix		vii	E		24 frim.
15	xviii	ix	vi	F		25
16	xvii		v	G		26
17	xvi	xvii	iv	A		27
18	xv	vi	iii	B		28
19	xiv		ii	C		29
20	xiii	xiv	i	D		30
21	xii	iii	✠	E		1 nivose.
22	xi		xxix	F		2
23	x	xi	xxviii	G		3
24	ix	xix	xxvii	A		4
25	viii		xxvi	B	Nat.Dom.	6
26	vii	vii	25 xxv	C	S. Steph.	6
27	vi		xxiv	D	S. Joann.	7
28	v	xvi	xxiii	E		8
29	iv	v	xxii	F		9
30	iii		xxi	G		10
31	Prid.	xiii	19. [1] xx	A		11

[1] Epacta hæc 19 non est in usu, nisi quando ipsa eodem anno concurrit cum Aureo numero XIX, quod vix unquam contigit, imò non continget ante annum 8200. (DELALANDE, *Astronomie*, nº 1588.)

TABLE.

Numéros.		Pages.
1	Dissertation sur le Calendrier.	1
3	Art. I. Notions diverses sur la division du temps. . .	*ib.*
14	Art. II. Comment s'est formé le Calendrier aujourd'hui suivi par les nations chrétiennes.	6
47	Art. III. Méthodes pour trouver l'Indiction, l'année bissextile, le nombre d'or, etc.	16
	Kalendarium.	26

Poitiers. — Typographie Oudin

MAISON MEQUIGNON-JUNIOR

OUVRAGES CLASSIQUES A L'USAGE DES SÉMINAIRES

EXTRAITS DU CATALOGUE DE

A. JOUBY ET ROGER, ÉDITEURS

A. ROGER ET F. CHERNOVIZ, SUCCESSEURS

7, rue des Grands-Augustins, PARIS

Paris, 15 juin 1879.

MONSIEUR,

Nous avons l'honneur de vous adresser ci-après une notice spéciale de nos LIVRES CLASSIQUES pour la rentrée prochaine, nous proposant de vous envoyer ultérieurement notre CATALOGUE GÉNÉRAL actuellement sous presse.

Nous appelons particulièrement votre attention sur les publications suivantes qui viennent de paraître :

1° **Prælectiones philosophicæ** ad mentem **Sancti Thomæ**, auctore **Vallet**, in Sancti-Sulpitii seminario professore. — 2 vol. in-12 (*Ouvrage complet.*)..... 7 »

La *Revue des Sciences ecclésiastiques*, par la plume de M. DEDIOT (février 1879), ne craint pas de dire que « cette publication est faite dans des conditions de clarté, de simplicité et de profondeur qui furent les privilèges de notre esprit philosophique au moyen âge. »

2° **Manuel Biblique** ou nouveau cours d'Écriture sainte par MM. BACUEZ ET VIGOUROUX, directeurs au grand séminaire de Saint-Sulpice.

L'ouvrage formera 4 vol. in-12. Prix..... 12 »

LE TOME III : *Jésus-Christ*, — *les Saints Evangiles*, est en vente. 3 »

PARAITRONT EN SEPTEMBRE PROCHAIN

Le TOME I comprenant introduction et première partie de l'*Ancien Testament*. 1 vol.

Le TOME IV comprenant *Actes des Apôtres*, *Épîtres*, *Apocalypse*.

Le TOME II comprenant la deuxième partie de l'*Ancien Testament*, paraîtra dans le courant de l'année prochaine.

3° Cinquième édition, **Cérémonial Romain ou cours abrégé de Liturgie pratique**, contenant l'explication du bréviaire, du missel et du rituel, les cérémonies de la messe privée et solennelle, et celle des différents temps de l'année, revue, corrigée et augmentée de DEUX APPENDICES : 1° Sur les fautes qui se commettent le plus communément dans la célébration de la Sainte Messe ; 2° D'une méthode claire et facile pour composer soit l'*ordo diocésain* soit l'*ordo de chaque paroisse*, par M. l'abbé FALISE, Chanoine et Préchantre de la cathédrale de Tournai, ouvrage revêtu de huit approbations épiscopales et approuvé par la S. Congrégation des Rites. — Un très-fort volume in-8°. Prix..... 5 »

4° **Novum Testamentum** cum **Imitatione Christi** et **Officio parvo**, texte encadré rouge, papier chine ou rosé. . 3 »

Cette nouvelle édition tirée avec le plus grand soin par l'imprimerie Claye, se recommande tout particulièrement par sa CORRECTION IRRÉPROCHABLE, sa *concordance* et les *index* que n'ont pas les autres éditions.

Acta Pii IX. 1 vol. in-32..... 60 c.

Abrégé d'introduction à l'Écriture sainte, par M. l'abbé GLAIRE, doyen et professeur d'Écriture sainte à la Faculté de théologie de Paris. *Cinquième édition*, augmentée d'un appendice contenant les notions d'archéologie sacrée les plus propres à faciliter l'intelligence de la Bible. 1 volume in-8, nouvelle édition, 1877..... 5 50

Augustini (S.) **Confessiones,** etc. In-32..... 1 »

Augustini (S.) **Meditationes.** In-32..... 1 »

Alagona (P.) S. J. Sancti Thomæ Aquinatis theologicæ Summæ Comp. 1 v. in-32 3 »

Bensa. Philosophiæ speculativæ summarium. 2 vol. in-8. 1877. 8 fr.

(Approuvé par NN. SS. l'Archevêque de Besançon et les Évêques de Fréjus et de Nîmes.)

Bernardi (S.) **de Consideratione.** 1 vol. in-32..... 1 »

Bible (sainte), contenant l'Ancien et le Nouveau Testament, avec une traduction française en forme de paraphrase, par le R. P. DE CARRIÈRE, et les Commentaires de MENOCHIUS. 8 forts vol. in-8. 1877. *Papier glacé*..... 24 »

Bible (sainte), de GLAIRE, traduction française avec notes, approuvée par la commission d'examen nommée par le Souverain Pontife. 4 vol. in-18..... 10 »

Reliure toile, gothique, tr. rouge, *net*, les 4 vol..... 3 »

— demi-cuir russe, coins, tr. rouge, *net*..... 10 »

Biblia Hebraica ad optimas editiones, imprimis Everard Van der Hoogt ex recensione Aug. Hahnii expressa. Præfatus est C. F. C. ROSSENMULLER. Lipsiæ. In-12..... 9 »

Biblia sacra Vulgatæ editionis ed., curante P.-C. VERCELLONE. Romæ, 1 vol. in-4, *net*..... 14 »

Biblia sacra Vulgatæ editionis. Parisiis. 1 vol. in-8..... 6 »

Éditions recommandées par MM. les professeurs d'Écriture sainte.

Casus conscientiæ, auct. GURY, accurante DUMAS. Lyon, 2 vol. in-8. 10 »

Catechismus Concilii Tridentini, 1 vol. in-32..... 1 60

Catéchisme du Concile de Trente, traduction nouvelle avec des notes, suivi d'un abrégé du catéchisme par demandes et par réponses, du catéchisme distribué selon tous les dimanches de l'année, et d'une table analytique; par M. l'abbé DASSANCE, vicaire général de Montpellier, chanoine de Paris. 2 vol. in-8, avec approbation..... 8 »

Concilii Tridentini canones et decreta. 1 vol. in-32..... 1 50

Cæremoniale Episcoporum, Summorum Pontificum jussu editum et Benedicto XIV auctum et castigatum. Parisiis, editio nitidissima, in-12, avec approbation..... 2 25

Cérémonial romain, rédigé d'après les sources authentiques, par Mgr DE CONNY, protonotaire apostolique, doyen de la cathédrale de Moulins. 3e édition, revue et augmentée. 1 beau vol. in-8..... 6 »

Cérémonies de la messe basse, par M. CARON, prêtre, directeur au séminaire de Saint-Sulpice. 6e édition, revue et augmentée : 1° des prières de la messe; 2° du texte des rubriques et d'un grand nombre de décrets de la S. C. des Rites; 3° de deux tableaux synoptiques, l'un, des cérémonies, et l'autre, des rubriques de la messe. In-12..... 1 30

Chrysostomi (S.) **de Sacerdotio**..... » 60

Compendium rubricarum Breviarii et Missalis romani, par un directeur de séminaire. 1 vol. in-12..... » 80

Compendium theologiæ moralis ex opere morali SCAVINI, GURY et CHARMES concinnatum a FR. GABRIELE DE VARCENO. 2 vol. in-8. Turin, 1876..... 13 »

260.2 Craisson, D.
AUTHOR
C 888-2 Elementa juris canonici
TITLE

DATE DUE	BORROWER'S NAME

260.2
C 888-2
~~I 1 2~~